5 Vols 30V 600



Hal. Hitchcock.

COLLEGE
D'ENGHIEN

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/thesaurussacroru0000vari_q9l9

THESAURUS
SACRORUM RITUUM

AUCTORE REV. PATRE

D. BARTHOLOMÆO GAVANTO

CONGR. CLER. REG. S. PAULI, S. R. C. CONSULTORE &c.

CUM NOVIS OBSERVATIONIBUS, ET ADDITIONIBUS.

R. P. D. CAJETANI-MARIÆ MERATI

Clerici Reguluris, ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Consultoris.

EDITIO NOVISSIMA

CETERIS OMNIBUS CORRECTIOR, ET LOCUPLETIOR;

Cui, præter quadringenta circiter alia Decreta, quæ sive ante, sive post editam a MERATO seriem usque in præsens ab eadem S. R. Congregatione emanarunt, addita sunt ex ipsomet GAVANTO

PRAXIS DIOECESANÆ SYNODI, ET VISITATIONIS EPISCOPALIS, ET MANUALE EPISCOPORUM, brevibus notis illustrata.

TOMUS PRIMUS

Complectens omnia GAVANTI Commentaria

IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

ALMA COLLEGE
264.1
LIBRARY
G241
Alma, California

VENETIIS MDCCCXXIII.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

49523

JESU CHRISTO
ÆTERNO DEO
ÆTERNIQUE PATRIS
VERO, AC CONSUBSTANTIALI FILIO,
REGI REGUM,
ET DOMINANTIUM OMNIUM DOMINO,
IN NATURA HUMANA SIBI ASSUMPTA
SACERDOTI
SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH
IN ÆTERNUM FACTO,
QUI, UT PURGATIONEM
PECCATORUM FACERET,
SEMEL IN ARA CRUCIS
NON HIRCORUM, AUT VITULORUM
SED PROPRIO SACRATISSIMO SANGUINE,
SEMETIPSUM OBTULIT
IMMACULATUM DEO,
EODEMQUE RENOVATO SACRIFICIO
SOLA OFFERENDI RATIONE DIVERSA
SACERDOTUM MINISTERIO
QUOTIDIE, ET IN OMNI LOCO
SUPER MENSA EUCHARISTICA
MYSTICE IMMOLATUS
AD CONSUMMANDUM IN ÆTERNUM SANCTIFICATOS
VERE SACRIFICATUR, ET OFFERTUR:
HUIC OBLATIONI MUNDÆ,
HUIC HOSTIÆ SANCTÆ, ET IMMACULATÆ,
HUIC PONTIFICI MAGNO, ÆTERNOQUE
SACERDOTI
A PECCATORIBUS SEGREGATO
OMNEM, QUAM IMPENDIT, OPERAM
IN EXPLANANDIS SACRIS RITIBUS
AD DIGNE PERAGENDUM
SACROSANCTUM MISSÆ,
DIVINÆQUE LAUDIS SACRIFICIUM
EXACTE SERVANDIS,
OFFERT, ET CONSECRAT

Indignissimus ejus Servus
Cajetanus-Maria Merati.

PRÆFATIO AUCTORIS

COMMENTARIORUM IN RUBRICAS

MISSALIS, ET BREVIARII ROMANI.

Ad Benignum Lectorem.

De Sacris Ritibus, & de iis præcipue, qui ad Missam, & Horas Canonicas attinent, scripsere ad hanc diem non pauci tum antiqui, tum recentiores gravissimi, & sapientissimi viri: sed libere dicam quod sentio: nemo rem nostram in hoc genere petractavit integre: nam alii, ut potissimum Hæreticos arguerent; alii, ut agitarent scholasticas quæstiones, vel de moribus, officiis, & conscientia: alii, ut Mysteria depromerent e Ritibus, quos supponunt: Ritus autem ipsos vel obsoletos referunt, vel nostros imminute, vel additis aliorum Ritibus superflue, vel subobscure significant: de Missa tantum alii, alii de Festis, alii de Horis Canonicis tantum; & una omnes omnia quidem illustrarunt, sed ea colligere cuique difficillimum. Certe literalem Rubricarum Romanarum sensum nemo hactenus est prosecutus. Quare optarunt plurimi, e quibus honoris ergo, nominandi sunt, Silvius Antonius, Robertus Bellarminus, Scipio Cobellutius, Julius Roma, Franciscus Boncompagnus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, doctrina, pietate, & moribus præclarissimi, Neapolio Comitolus Perusinus Episcopus, virtutum gloria clarus, & alii Ecclesiæ administri, ut volumine breviori, quoad ejus fieri posset, ea omnia comprehenderentur summatim, quæ in Missali & Breviario Romano continentur, & ea præsertim, quæ videntur sufficere ad communiorum Sacerdotum instructionem, & ad integram, tum Missæ, tum Horarum Canonicarum disciplinam perdiscendam, indicata cujusque Ritus origine Christiana (ne a Gentilibus, aut Hebræis edocti videamur) tum allata causa sive historica, sive mystica solidiori, tum demonstrata obligatione, quare culpa obstringamur, denique usu proprio, & exquisito cujusque Ritus in re dubia explanato. Iisdem ergo suadentibus principibus viris, morem gerere cum ego cuperem, arduum hoc negotium multis ab hinc annis sum aggressus, & omnem movi lapidem, cum legendo, tum a peritioribus suscitando, tum disputando in utramque partem, tum postremo hæc eadem scripta S. R. C. examini, quod fuit rigorosum, subjiciendo, acerrimis ingenio, judicio, prudentia, & in omni doctrinarum genere peritia clarissimis designatis judicibus Jo. Garzia Millino, & Tiberio Muto S. R. E. Cardinalibus, Dominis meis illustrissimis, & toto Orbe celeberrimis; ita ut, Deo, mihimetipsi satisfecerim (utinam aliis) & optatum finem sim assecutus præsenti volumine.

Originem autem cujusque Ritus velut Indicem commonstramus, quoad ejus fier po-

potest, vel auctore certo, si est, nominato; vel commemorato eo, qui ante alios de Ritu meminit, quo facile videre est, qua ætate erat in usu; & in hanc causam adjecimus indicem Summorum Pontificum, quorum Decretis aut invectus, aut firmatus fuit Ritus, adnotato juxta anno: quo quisque obiit; Sacrorum item Conciliorum in opere citatorum, & quo anno celebrata fuerunt; nec non aliorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, penes quos mentio est de Ritibus nostris.

Causas historicas eas vocamus in Ritibus, quæ ad literam, ut ajunt, dedere Ritum; mysticæ sunt eæ, quae sensum reddunt vel allegoricum, vel tropologicum, vel anagogicum; quas fere nunquam (nisi tacentibus aliis) ex nostro ingenio, sed ex majorum, uti par est, auctoritate congerimus, citato tantum auctore primo, a quo cæteri deinceps acceperunt: neque tamen omnes, quas legimus, causas præsertim mysticas allegamus, solidioribus contenti, & gravioribus.

Obligationem definient Theologi Doctores, & probabiliorem sequemur sententiam in re controversa. Modernos potius citamus, quam antiquos, & eos, qui prae manibus hodie sunt Sacerdotum: tum quia & hi citant antiquiores; tum quia iidem multa decernunt, quæ antiquos fugerunt, occasione forte tunc temporis non data: significamus autem, omissa disputatione, quid sit agendum, ut propositæ brevitati consulamus, & quæ hactenus in controversiam venere tum de Missa, tum de Horis, putamus omnia fuisse in hoc volumine commemorata.

Ad usum cujusque Ritus proprium enunciandum, usi sumus antiquioribus libris, Missalibus Vaticanis MS. tum Decretis Sac. Rit. Romanæ Congreg. quæ a multis desiderata sunt; tum iis regulis, quæ, me quoque præsente, & sæpius urgente, datæ sunt ab iis, qui Clementis VIII. auctoritate recognitioni Missalis, & Breviarii Romanorum interfuerunt.

Totius operis ordo is erit, ut a Missa incipiamus, tanquam a nobiliori parte: deinde ita nos collaudante Cardinale Bellarmino, ordine Rubricarum servato, recitatoque earundem textu, addemus ad singula verba, ubi est opus, commentaria, & notas; hoc enim pacto nihil nos effugiet. Addemus tamen Appendices, non inutiles, ne a Clero (quantum in nobis est) desiderari quidquam possit in ordine ad Missam, & Canonicas Horas. Ecclesiastico stylo, & faciliori utemur, docente nos Hugone Victorino, qui scripturus & ipse de Sacris Ritibus ait: Communibus verbis rebus ipsis, de quibus agitur, cognatis, opus explicare congruentius diximus, quam schematum varietatibus involvere, & res per se fulgidas, decolorando verba colorare. Peritiores autem benignos imploramus lectores, quos etiam liberos cum Innocentio III. optamus correctores; ut quæ minus assecuti sumus, ea nobis indicent meliora suppeditantes, & illud interea non denegantes, quod optabat idem Sanctum Pontifex in fine librorum de Mysteriis Missæ; ut apud misericordissimum Judicem pro peccatis Auctoris devotas preces effundant, sive Missam, sive Horas Canonicas recitaturi, ad Deum Optimum Maximum, & præpotentem accesserint. Vale benigne lector.

PRÆFATIO AUCTORIS

NOVARUM OBSERVATIONUM, & ADDITIONUM

AD GAVANTI COMMENTARIA.

Studioso, & Benevolo Lectori.

Ecclesia, Divina institutione, & Apostolicis monitis & præceptis formata, in eo semper operam multam posuit, & singulare studium adhibuit, ut Sacra nostra Mysteria summa cum dignitate, & decentia peragerentur, totusque Sacrorum ordo rite, ac recte procederet: Probe novimus Deum, monente Paulo, Deum esse ordinis, non confusionis; e Cælo delapsam ad homines terrenam Hierarchiam; a Cœlesti formam sumere, ac modum, ita ut istius quædam sit in terris imago, & imitatio. Ab ipso Apostolo latam habemus legem, & non semel inculcatam, ut ab iis præcipue, quæ ad Dei cultum pertinent, omnia ad ædificationem, & secundum ordinem fierent. Quia vero satis, superque constat externos Ritus Christiani, & publici cultus ad conciliandam Sacris reverentiam, ad excitandam in Populis pietatem, ad servandam Mysteriis gratiam, & majestatem, jam inde ab Apostolica ætate fuisse inductos, & observatos; si altius vellemus assurgere, & ducto a primis Ecclesiæ Sæculis initio usque ad nostra tempora deducere vacaret narrationem, totamque ab origine rem describere: non solum facile foret monstrare, quæ Christianæ Religionis, eandem esse Sacrorum Rituum ætatem: sed haud ægre quoque ostendi posset ad vitandam varietatem, & cavendam confusionem, jam inde ab ipsa origine, aut originibus proximo tempore fuisse in publico, sacroque Dei cultu ordinem aliquem, & rationem præstitutam; datasque Ritibus illis certas leges, & regulas, quas eos sequi oporteret, qui sacris operabantur.

Supersunt adhuc de re liturgica monumenta eorum inscripta augustis nominibus, quos Ecclesia post Christum habuit primos fundatores. Quod si quis contendere vellet præferre opera illa suppositum nomen; & per aliquot Sæcula, usque dum Sacramentalia, & Ritualia conscriberentur, certas eas, & statutas leges memoriæ mandatas, & per constantem praxim notas, & observatas fuisse: nos non admodum difficiles haberet, & morosos; modo nobis jure largiatur, merito libros illos liturgicos, officia, ordines, cursus, & si quo alio sunt nomine, scripto commissos, ut servaretur memoria transmittenda ad posteros, & ab oblivione, & neglectu tutius, & facilius vindicaretur, venerandæ esse antiquitatis, & auctoritatis; nec ab heri, aut nudiustertius datas, & scriptas eas leges, & regulas, quas recens ætas dixit Rubricas.

At de istis hic dicere nihil attinet, neque enim agere de Sacrorum Rituum, ac Ritualium librorum origine, usu, utilitate, vel necessitate nostri est studii. Ostendere, ut Sacri Ritus fuerint ab ipsis Apostolis instituti; ut successive auctubus creverint; ut pro facta sibi divinitus potestate, & auctoritate, & pro suo item judicio, & prudentia, aut novos induxerit, aut veteres aliquos abrogaverit Ecclesia; ut ad Sacrorum majestatem, & gratiam, populorum eruditionem, & pietatem faciant:

quo

quo primum tempore, quove fine Rituales leges fuerint scripto commissæ, Rituales que, & liturgici libri conscripti: res est multis curis ab eruditis, & polemicis abunde tractata, & disputata. Nihil horum æquus, & prudens rerum æstimator, immo nec exactor improbus postulaverit a nobis, qui hoc tantum negotii suscipimus, ut de Ritibus Missalis, & Breviarii, quatenus recentis, & probatæ sunt praxeos, commentemur. Non animus hic est Sacros Mystas instructos reddere ad Palæstram, sed instituere ad Altare: quare hic quærant non quæ faciant ad disputationem, sed quæ conferant ad Sacra agenda. Esto autem intra limites praxeos contineri propositum sit, ita ut alterius loci, & fori videantur esse quæ pertinent ad eruditionem, & controversiam; nihilominus tamen, quandoque septa submovere, aut saltem dilatare juvabit; & hac illac sparsa bene multa reperiet lector amans Rituum Ecclesiasticorum, quibus delectari solet recens ætas, & sint ad gustum stomachi non fastidientis. Hoc autem fiet pro loco, & re nata, nec citra modum, aut delectum, præcipue ubi theoria aliqua fuerit praxim, & regulam antegressa. Si extra septa, & præfixas metas egredi, & vagari quandoque contingat, non longe admodum, aut late digrediemur: erit excursus, qui nos a via minime deducat.

His positis, abs re non erit de universa operis ratione, & causis, quibus ad illud suscipiendum inducti sumus, lectores nostros paucis monere. Saluberrima de nostris Ritibus præcepta, & instituta non sine Fidelium scandalo, & Sacrorum contemptu minus servari, & minus servari, quod minus sciantur; frequens erat, & justa admodum piorum æque ac doctorum hominum querimonia. Magnam equidem esse hujus generis librorum copiam ajebant, & ingentem profecto esse numerum eorum qui Sacros Ritus explicandos, aut illustrandos susceperunt: at hanc ipsam copiam, & multitudinem parere confusionem, & inducere satietatem: paucos etiam esse, qui omnes libros legere sustineant, pauciores adhuc, qui sibi comparare velint, aut possint: quod si comparare possent, & vellent, vix illis foret animus, aut suppeteret otium evolvendis: nam utut præcipui, & selectiores deligerentur, requirerent totum hominem, ad alia plerumque distractum, totamque ætatem aliis quoque debitam negotiis, occuparent: sic fieri, ut ipsa copia faciat inopem. E re igitur fore arbitrabantur, si unus aliquis Auctor, isque non promiscuus, & proletarius consarcinator, sed rerum liturgicarum mire peritus, & subacti judicii, cui tuto fidere quisque possit, eligeretur, auctus, & illustratus edendus in lucem, potius enim, quam novum edere, præstare vetus aliquod opus constantis famæ, & existimationis auctum, & illustratum emittere; ex quo uno proponerentur, & exponerentur omnia, aut præcipua, quæ facta, & scitu digna viderentur, & opportuna: additis suo loco recentibus Summorum Pontificum, & Sac. Rit. Congr. Decretis, quibus corrigerentur, si quæ emendanda in dicto opere reperiantur, & innotescerent omnia ea, quæ ad praxim Sacrorum Rituum, & ad Rubricas tum Missalis, tum Breviarii Romani magis, magisque illustrandas conferre possunt.

Nec diu, nec multum laborandum fuit de Auctore; talem siquidem, ac tantum facile fuit invenire in inclyto, & celeberrimo Gavanto. Vix alius Scriptor huic proposito magis accommodus. In hac disciplinæ parte prodierunt utique Scriptores multi laudatissimi: at verbo absit injuria, & invidia, inter multos, eosque laudatissimos juremerito dederis Gavanto principem locum, sive doctrinam spectes, sive diligentiam. Si cætera deessent argumenta, Scriptoris meritum plus satis probarent tot ejus operis editiones. Nulli nobis detrahere animus est, nec ullius volumus elevatam, aut imminutam existimationem: cæterum in tanta hujus argumenti librorum

copia vix, ac ne vix quidem opus occurret toties prælo commissum, quod ætatem tulerit, & cui sua semper constiterit fama, & existimatio. Jam inde anno 1628. Romanis typis apud Franciscum Caballum unico tomo in folio emiserat in lucem Gavantus sua Commentaria sub hoc titulo: *Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii.* Ex quo innotuit, ea cupiditate, eoque studio, & plausu hoc opus acceptum fuit, ut brevi, omnibus ferme exemplaribus distractis, nova curari debuerit editio, quo fieret satis votis eorum, qui undequaque illud quærebant, & flagitabant. Factum id est anno 1630. & iterum excusum est opus, quod prodiit ex Typographia Cameræ Apostolicæ duobus tomis quaternaria, ut ajunt, forma, novo hoc inscriptum titulo: *Thesaurus Sacrorum Rituum, seu Commentaria in Rubricas Missalis & Breviarii, &c.* novam hanc editionem Auctor ipse recensuit, novis Decretis locupletavit, & auxit plus quam trecentis notis asterisco indicatis. Ex hac posteriore ab ipso Auctore aucta, & recognita, Venetiis, Parisiis, Lugduni, Coloniæ, & alibi insignium, & illustrium locorum usque ad quartam supra vigesimam, quod sciamus, novæ curatæ sunt editiones, non sine aliquo suo auctario: inserta enim sunt operi pauca quædam recentiora Decreta; additaque incognita, & alia, quam Gavanti manu, tenues quædam notæ, aliquando nullo signo, aliquando vero hoc signo ✻ indicatæ.

Cum novam magis adhuc auctam, & illustratam Gavanti editionem doctis, ac piis viris placere vidissem, & æque mihi ac illi persuasum foret, bene consultum id esse, & dignum, quod maximam gratiam iniret apud eos, qui Sacra colunt: non multis expugnandus fui, nec admodum urgendus, ut hoc negotii quantumvis ingratum (laborandum siquidem erat in alieno fundo) in me susciperem; ratus id licere, & convenire quammaxime homini, cui agitur decimus octavus annus, ex quo censeri datum est inter eos, quos Sacra Rituum Congr. habere dignatur Consultores, quosve profecto ea juvat præjudicata opinio, quod in lectione, & praxi Rubricarum sint admodum versati, & exercitati.

Habes suscepti operis causas: restat modo, & necesse videtur præfari quid a nobis præstitum fuerit in hoc opere, ut intelligas quid ab eo fuerit expectandum. Postquam de iterata hac editione fuisset statutum, prima cura fuit primumque studium, ut quantum fieri poterat, Gavanti textus emendatus prodiret, & limatus. Quare a nobis non mediocris diligentia adhibita est, ut præstantissimas Auctoris editiones præsto haberemus: cum autem a nobis undequaque conquisitæ, & collectæ fuissent; male habuit animum, quod in non paucas inciderimus, erantque ex auctoribus, quæ per vulgus circumferebantur, tot spissis, & pinguibus mendis scatentes, ut nos misereret admodum Auctoris alioquin clarissimi, cujus videremus vel faciem primam, Typographorum sive vitio, sive oscitantia fœde inquinatam, & depravatam. Nec certe aliud expectari poterat per toties iteratas editiones a bibliopolis, quibus fere magis curæ est quæstus, quam res literaria. Cum enim ex aliis codicibus festinanter transcriberentur, & excuderentur, nec ullus forte esset, qui præesset emendationi, quæ prioribus irrepserant menda, non solum adhærebant posterioribus, sed nova identidem subrepebant rudibus, ignaris, & præpropere festinantibus, ut potius protrusum, quam diligenter excusum opus videretur. Eluere has sordes est qui putet inter Herculeos labores, & quam plenum sit molestiarum, & fastidii negotium, facile intelligit qui amet capere, aut ceperit unquam experimentum. Vincendum fuit fastidium, ut Sacrarum Cæremoniarum studiosi haberent, quo juvari possent, & delectari.

Post-

Postquam omnibus modis consultum esset, ut integra, & emendata prodiret editio, proxima cura fuit, quod tamen primum, & caput esse oportet, ut novis Observationibus, & Additionibus opus illustraretur: & quidem initio animus fuerat breves tantum notas addere subjiciendas positis a Gavanto: sed cum procedente opere viderem sic rem jejune admodum, & frigide tractari, ita ut inglorium videri posset studium, nos vero nec liberaremus fidem, nec pacta opera defungeremur; contra vero rem sedulo accurantibus, & minutatim discutientibus, aliud ex alio incideret in mentem, & veluti veniret sub manum, quod materiam præberet notabilium Observationum: fieri non potuit, ut prurigine styli laborantes manus cohiberentur. Rivulus incœpit, sed crevit in fluvium, & in eam formam assurrexit nostra Commentatio, ut novum opus haberi possit: nec me pœnitet admodum laboris, ne quid ab æquo lectore in hoc genere argumenti desiderari debeat, quod esse possit ex usu.

In toto opere ducem nobis sequendam proposuimus Gavantum, sequendum vero ingenua libertate, non venali obsequio: studiosos nos profitemur tanti Auctoris; at non ita usque ad superstitionem tenaces, ut religioni ducamus vel latum unguem ab ejus mente, & sententia discedere. In dubiis, & controversiis, ubi res anceps erat, & dubia, prima cura fuit adire Rubricam, accurate excutere, & juxta illam nostram subjicere opinionem: usitatae pluribus praxeos habita est sua ratio, cum probe noverimus, optimam interpretem legis esse consuetudinem. Adserta a Gavanto, ubi vera, aut vero similiora sunt visa, non modo pro viribus defendere, & tueri contendimus; sed novis a Sacra Congregatione editis Decretis, ubi fieri potuit, confirmavimus: non ita tamen cum illo nobis agendum rati sumus, ut ubi dixit, pro ratione ita esse debeat sola auctoritas, & malimus cum illo errare, quam cum aliis recta sentire: non ea nobis imposita est lex, & dura necessitas, ut jurati in verba Magistri quaslibet ex ejus opinionibus clypeo, ut ajunt, & hasta debeamus defendere, & tueri. Alicubi hanc nobis indulsimus libertatem, ut secus sentiremus ac Gavantus, ideoque nostra hæc adnotata diximus Observationes: id tamen ubi factum est, factum ut non levi aliqua, & frigida conjectatione, sed solida, & firma ratione, salvo semper eo, qui tanto viro debetur, honore, eaque modestia, & moderatione; ut ita fieri non solum patienter ferat, sed libenter velit ipse Gavantus: discessum enim est ut plurimum ab ejus mente, ubi discedere coegit editum aliquod ab ejus obitu Decretum, cui ille, si viveret, nollet refragari.

Hæc autem Decreta maximum operis momentum, & summum præsidium, ut decet, esse amamus. Universo operi in duos tomos distributo, sumpto initio ab anno 1605. indicem, seu catalogum Decretorum S. R. C. præmiserat Auctor producendum usque ad ann. 1628. huic in altera editione pauca quædam implicavit; quæ quamvis profecta a Sac. Congr. quæ Episcopor. & Regularium negotiis præsidet, ad Sacros tamen Ritus pertinebant; usque adjecta sunt alia excerpta a Cæremoniario Jo. Alcozer. Verum cum inde ad nostram ætatem nova bene multa prodierint, supplenda fuerunt; congestaque in unum cum iis, quæ Gavantus exhibuerat, in duos copiosos catalogos, quorum alter juxta methodum a Gavanto servatam, ea complecteretur, quæ pertinent ad Rubricas Missalis, alter ad Rubricas Breviarii, ordine chronologico, juxta seriem temporum sunt distributa. Suis sunt etiam ista inserta locis: sed operæ pretium duximus eorum quoque catalogum texere, & juxta ordinem temporum, ut mox diximus, collecta in unum digerere, ut essent in promptu, si quando forent consulenda. Optimam hic fidem, & solicitam curam adhibuimus, quo

nata

nata essent tempore facere tutam, ac certam fidem, ne scrupulus suboriri unquam posset de eorum authenticitate. Exegimus enim illa ad ipsa authographa, imo ex autographis ipsis non semel exscripsimus, cum nobis facilis permitteretur aditus ad Tabularia, & Archetyporum fieret usura a Sacerdote Antonio Celli Romano, eorumdem Tabulariorum Custode; qui hic a nobis ob ipsius comitatem, & ardens, quo fervet, desiderium promovendi hoc genus studiorum, non sine laudis præconio erat opportune commemorandus. Missa autem fecimus, quæ ab Auctoribus asserta, citata, aut indicata, in Tabulariis, & Regestis S. R. C. reperiri non potuerunt, ne scilicet apocrypha, aut dubia genuinis, & certis fidem detraherent. Quoad ista Decreta unum, aut alterum est, de quo monitum volumus lectorem. Series Decretorum ab anno tantum 1602. usque ad præsentem annum 1736. ducitur, quod scilicet per id tantum temporis referri cœperunt in acta, & describi in Tabulis, quæ vocant Regesta. Absolutus erat, & veluti obsignatus uberrimus, & Decretorum dives chronologicus catalogus, erantque Decreta ibi digesta, citata in opere, juxta numeros illi præfixos; cum ad manus nostras & quædam alia pervenerunt Decreta, de quibus eadem adhibita est cura, ut de eorum authenticitate constaret: si quid moveretur, omnia turbari, & subverti contigisset; quare expeditum magis visum est, illa rejicere in appendicem, & habenda veluti Decretum Canonem; quam priorem catalogum multo ingratoque labore reconcinnare, & refingere. Mirari vero, & multo minus subeat criminari, si in Decretis illis diversa quandoque, imo & adversa pronuntientur, & edicantur: Norunt qui in divinarum disciplinarum fonte vel summa labia proluerunt, quæ divino jure sunt scita, puta Sacramenta, & quæ ad eorum substantiam pertinent, ea semper immutata permanere fixa, & immobili lege: at quæ ad disciplinam pertinent, & Ritus, Ecclesiastica auctoritate constituta, Ecclesiastica item auctoritate pro tempore, & moribus subiere varationem; quare mirum videri non debet, nec absonum, si quandoque pronuntietur, & edicatur secus ac fuerit olim statutum. Animadvertere etiam lubet, quod hujusmodi Decreta aliquando sunt Municipalia, ut vocant, pro aliquo nempe determinato loco, seu Diœcesi; aliquando vero universalia, seu quæ pro universali Ecclesia ex declarationibus a S. C. latis inferuntur: mirum igitur videri non debet, si quandoque Decretum aliquod particulare, & editum pro casu tantum, de quo agitur, non consonet Decretis universalibus: quæ quidem omnia omnibus explorata esse debent.

Supererat tandem summi oneris, & non minoris industriæ ingratissimus omnium labor, Tabularum scilicet digesto in usu eorum, quibus cura est conficere Kalendaria Ecclesiastica, & ordinem digerere Divini Officii. Suas ediderat Gavantus Tabulas, sed quarum vix ullus, aut difficilis admodum modo sit usus. Ab ejus enim obitu tot factæ sunt in Breviario, & Missali mutationes, & additiones, ut vix, ac ne vix quidem, nec citra acrem animi contentionem ad præsentem rerum statum aptari possint; ut frequentes eorum testantur lapsus, qui iis plus nimio amant fidere. Novas igitur in hoc opere fingere necesse fuit: ampliores damus, quam quas Gavantus emiserat; quarum adeo facilis est usus, & intellectus, ut non magno labore, & studio inde ejus operis conficiendi rationem habeant expeditam, qui tyrones in ea arte sunt minus versati. Omittendum minime putavi catalogum Auctorum, quorum in hoc opere fit mentio. Præstantissimos illos ferme omnes hic habebis laudatos, quos post Gavantum recens nostra protulit ætas, quæ hoc genere studiorum quammaxime delectatur: si cætera desint, hinc studiosus lector saltem de nomine noscet Auctores, qui in hac materia scripserunt, ut sicubi intersit, & ipsi

usum

usum præbere valeant propius inspecti, & consulti: sat nobis fuit ad fontes digitos intendere.

Quia ingrati animi est dissimulare, per quos utcumque profeceris, jus, & æquum postulat, ut non sine laude ii a me commemorentur, qui huic editioni, sive ampliandæ, sive ornandæ symbolas contulerunt. Commemorandus autem mihi cum primis est Reverendissimus Gervasius Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Montisfalisci: cum hoc mea frequentius communicavi consilia. Is me opere, & consilio non semel juvit; & hunc potissimum consului, ubi nodus aliquis vindice dignus in praxi Sacrarum Cæremoniarum incideret; quem ille pro ea, qua pollet Rituum peritia, nescias an facilius, vel felicius solverit. In antiquorum vero Rituum, rerumque Liturgicarum difficilioribus quæstionibus examinandis præstantium virorum in Urbe degentium pariter consilium adhibui, præsertim vero Francisci Pastoris Presbyteri Pedemontani in sacra eruditione versatissimi. Denique habenda est mihi ratio Dominici Luchini Pisauriensis Presbyteri, qui in conficiendis memoratis Tabulis, labore, & tædio levavit: quam sit ejus artis apprime peritus, ac diligens, hæ ipsæ Tabulæ testes erunt locupletes.

Hæc habui, quæ ad novam hanc editionem Thesauri Sacrorum Rituum conferre posse putavi, de quibus te, amice lector, monitum esse optabam. Sua cuique plus æquo quandoque placent, suisque studiis quisque semper impensius delectatur: at nisi me meus fallat amor, his satis fecisse puto proposito mihi instituto quod erat opus edere, ex quo omnia suppeterent, quæ forent scitu opportuna, & usibus necessaria; ita ut eo habito haud ægre foret carere cæteris. Gavanti Thesaurus ubi primum prodiit, summo applausu, & ingenti favore exceptus est: parem gratiam spondere juvat, ubi in majus, meliusque provectus editur. Hoc unum nobis curæ fuit, tuis commodis, eruditioni, & usibus studere; tu, lector benevole, favens nostris studiis, utere, & vale.

DE HAC NOVA EDITIONE

MONITUM.

Novam tibi sistimus, amice Lector, Gavanti editionem, utiliorem quidem cunctis, sed ad usum præcipue Episcoporum magis expeditam; utpote quæ præter quadringenta circiter alia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quæ sive ante, sive post editam a Merato seriem emanarunt; continet etiam tres alios ejusdem Auctoris Tractatus, *Praxim* scilicet *Diœcesanæ Synodi*, & *Visitationis Episcopalis*, & *Manuale Episcoporum*, qui propter eorum raritatem, & plurimis jamdudum expetebantur. Quis, quantusque Gavantus vir fuerit, disces ex parvo ejusdem Eloquio, quod non in Secundo, (ut in præcedenti factum fuerat editione) sed in exordio hujus Primi Voluminis tibi exhibemus, addito insuper Indice omnium Operum tam editorum, quam ineditorum Clarissimi Viri. De Merato vero, qui tantum de hisce Commentariis sibi promeruit, perbreve quoque subnectere elogium juvat.

DE

DE VITA ET SCRIPTIS

BARTHOLOMÆI GAVANTI

Congreg. Regul. S. Pauli Epitome Auctore L. A.

NAtus est Gavantus Mediolani anno salutis MDLXIX. honestis, piisque parentibus, qui licet fortunæ bonis non abundarent, honestum tamen gradum semper tenuerunt in patria, in quam vicina relicta Modestia celebri quondam Urbe, eorum Majores habitatum concesserant. Ad sacrum Fontem Bernardini nomen illi impositum fuit, cæpitque ab ineunte ætate imbui literis, ac disciplinis, in quibus progressus faciebat adeo magnos, ut quantus futurus esset matura ætate, facile conjici posset. Adolescens adhuc clericali militiæ nomen dedit, & quatuor minores Ordines suscepit. Interim humanarum rerum vanitatem, ac pericula animo revolvens, terrenarum illecebrarum laqueos evadere, Deoque se totum tradere cogitabat, quo vocante feliciter, quod cupiebat, explevit. Ingressus enim est Mediolani Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, quam Vulgo vocant Barnabitarum (quod prima, quam in ea civitate obtinuerunt, Ecclesia, Apostolo Barnabæ fuerit dedicata) annum agens XVIII. V. Kalend. Sextiles, anno a Christo nato MDLXXXVII. atque Ordinis habitu indutus Bartholomæus est appellatus. Exacto probationis anno in disciplinæ regularis studiis, & humilitatis exercitationibus, solemnibus votis se pridie Kalendas Novembris sequentis anni arctius adstrinxit. Dein Dialecticæ, Philosophiæ, ac Theologiæ operam navavit, quibus absolutis, cum magnam de se fecisset expectationem, licet nondum Sacerdos, ut Clericos Adolescentes Congregationis Rhetoricam doceret, Cremonam moderatores miserunt, nec fefellit conceptam spem, ejus etiam felicitatem in docendo, tradendisque artis bene dicendi præceptis abunde comprobarunt plures præstantes, absolutique Concionatores, qui ex ejus Schola in publicum prodierunt. Ibi sacro Subdiaconatus, & Diaconatus ordine insignitus fuit: inde Mediolanum Cremona profectus per manus celeberrimi viri Federici Borromæi Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Mediolanensis Archiepiscopi, Sacerdos consecratur. Quo tempore cum Patres ut honorificentissime exciperent novum Archiepiscopum Borromæum, modum excogitarent, quo singularia obsequii signa ostenderent, & testarentur quantum consobrino suo Carolo Borromæo Sanctæ Mem. deberent, cujus beneficio, & auctoritate amplificata Congregatio fuerat; Augustino Torniello, quem honoris causa nomino, Congregationis tunc Moderatori supremo in mentem venit, non alio, quam Literario apparatu literatissimum & eruditissimum virum excipere: illius autem probe, & ordinate disponendi munus Bartholomæo potissimum demandatum fuit, qui felici successu, politissimis metro partim, partim soluta elogiastica oratione, emblematum quoque, & impressiarum descriptis, & dispositis munere impleto; eorum etiam non paucorum adolescentum ex suis, qui alii latina, græca alii, alii etrusca lingua Præsuli plauserunt, hebraico ipse, quem probe callebat sermone, pervetusta habita oratione, agmen felicissime clausit. Sacerdotio, ut diximus, insignitus Bartholomæus, Sacerdotis munera cœpit exequi diligenter. Erat propterea in audiendis sacris Confessionibus assiduus, in concionibus ad populum habendis indefessus, quo quidem in officio sui temporis facile princeps, Concionatores excellentiores, vel dicendo æquavit, vel eis etiam palmam eripuit: Tanta illi erat in voce suavitas: in motu venustas, in gestu ars, tanta denique ingenii, & eloquentiæ vis, ut distincte, explicate, abundanter verba faciens, quod Oratoris est, moneret, doceret, delectaret. Cujus rei testis Italia, quam totam, ut animarum saluti provideret, suis laboribus peragravit. Habuit enim Conciones quadragesimali tempore in insignioribus Italiæ civitatibus trigesies quinquies cum magno animarum fructu, quod ipsi præcipue cordi erat, nec non sui existimatione; sibi enim eruditionis non fucatæ, sed solidæ famam comparavit. Ex quo factum est, quod cum iter faceret, ut morem gereret precibus, & auctoritati summorum virorum, qui eum audiendi studio tenebantur, exemplo sæpius prædicaverit, mirantibus omnibus publice dicendi facilitatem, elegantiam, ac rerum ordinem: hoc tamen nullo negotio præstabat Bartholomæus, quia tum memoria præditus singulari, tum studiorum assiduitate amplam rerum segetem animo complectebatur. Sacram Scripturam, sanctos Patres diu, noctuque terebat, & unius anni spatio omnia D. Augustini opera perlegit. Romæ statim ut Carolus Borromæus in Sanctorum numerum fuit relatus, hujus admirabilis viri nomen propagaturus, ter in hebdomada concionari est aggressus magna populi frequentia, quam vix, ac

ne

ne vix quidem capere poterat angustia Ecclesiæ, in qua rem divinam agebant Patres, quum Templum D. Carolo sacrum erigeretur. Tanti fuere Doctorum suffragiis pretii Conciones ejus, ut eorum exempla cogeretur sæpius evulgare, aliquæ etiam typis commissæ fuerint, ipso licet invito, inter quas una de Pace, altera de Cineribus S. Jo. Baptistæ Genuæ habitæ, ex quibus facile est colligere quantum dicendi laude floruerit, licet ejus voce, gestu, ac lateribus sint destitutæ, quæ maximo ornamento sunt Oratori. Occupatissimus ministerio concionandi, semper tamen in Choro divinis Officiis interesse voluit, licet levamen aliquod cæteris Prædicatoribus dari curaverit, quam leges relaxandi animi jussu Patrum conscripsit. Sacro Quadragesimæ tempore, etsi magnis laboribus fractus non solum abstinebat a cibis per eos dies interdictis, sed quotidiano se quoque macerabat jejunio, semperque, ubi in Collegio morabatur, publicæ mensæ intererat. Quod multi ex Congregatione in vinea Domini laborarent cupidissimus, numquam adolescentibus persuadere destitit, quod ad hoc studium omnes cogitationes suas converterent: alios allicere, alios hortari, alios manuducere ubique locorum solebat. Hinc regendæ Sæcularium nobili Congregationi, quam de Pace appellabant, præfectus cum fuisset, ad eam universa pene civitas illum audiendi gratia confluebant. Ad Urbem missus, ut populo saluti esset, quem in Domino diligebat, novas artes meditabatur, quibus insignia pietatis exempla ab Urbe cæterarum principe proficiscerentur. Ob eam causam Humilitatis Congregationem in Ecclesia D. Caroli instituit anno 1611. quæ post sæculum durat, in quam Patritiæ, & Principes Fœminæ conveniebant, & religiose piis exercitationibus dabant operam. Nosocomia invisere, suppetias ferre periclitantibus, eleemosynas pauperibus elargiri ipsi erat familiare, tantaque fuit hujus Congregationis opinio, ut brevi auctoritate Apostolica confirmata fuerit, & privilegiis Indulgentiisque amplissimis donata. Qualibet die Veneris hora XXII. in Templum congressæ publicæ venerationi proposita SS. Eucharistia, & D. Caroli aliquot reliquiis, de Domini Passione ad semihoræ spatium disserentem audiebant, per quadrantem meditabantur, hinc canentibus Musicis unum ex Psalmis, quos Graduales vocant, aliquibus precibus exercitationi accommodatis, & hymno consueto, accepta benedictione dimittebantur. Caroli Borromæi, in quo colendo erat studiosissimus, cultum amplificaturus enixe repetitis supplicationibus, Ecclesiæ suæ eidem dicatæ insigne obtinuit ornamentum a Capitulo Basilicæ D. Petri, unum scilicet ex Vexillis ejus effigiem exhibentibus, quod ipso die, quo Sanctorum Catalogo adscriptus fuerat, Urbis, & Orbis venerationi fuerat expositum, quo consecuto, ut ejus translatio splendidior, & ad populum pie excitandum efficacior foret, religiosa admodum, celebrique pompa transferendum curavit: Instituta Supplicatio certo viarum ambitu circumscripta, cui interfuere quatuordecim Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quatuor Episcopi, Prælati quamplurimi, Clerus & Populus frequentissimus, cum omnia gratissimo sono, hymnis, psalmis, & tubarum etiam clangore personarent, ad Ecclesiam D. Caroli ventum est, & ibi honorificentissime eximium munus collocatum. Interea Clementis VIII. Pontificis jussu Missione instituta, Ostiæ portum, & ejus vicinitates cum P. D. Homobono de Bonis lustravit, illius regionis incolas ad omnem virtutem vehementer accendens, & satagens, ut frequens Sacramentorum usus revivisceret. Tot, & tam magnis occupationibus districtus pro animarum salute, & quidquid otii nancisci poterat, totus erat in sacris Ritibus, & Cæremoniis, nihil enim ad Divinum cultum pertinens non dignum arbitrabatur, in quo curam omnem, & diligentiam collocaret, nec diu optime instructus delituit; percrebrescente enim in dies ejus eruditionis, & ingenii fama in Urbe, inter sacræ Rituum Congregationis Consultores adscitus fuit: in qua tale principatum obtinuit, ut tanquam oraculum docti etiam viri ipsum consultum venirent; tum maxime quum in lucem editis in Missalis, & Breviarii Rubricas Commentariis, lectionibus pro Sanctorum Octavis, & aliquibus in Martyrologium animadversionibus, eruditionis suæ fontes publici juris fecit. Memini audivisse me quondam a Religioso viro affirmari, in publica sui Conventus mensa lectum fuisse quoddam Pontificis Decretum, in quo, cum magna orta esset de ritibus disceptatio: Pontifex ut litem dirimeret: quidquid Gavantus judicasset, ratum, ac firmum esse voluit, seque ejus sententiæ suffragari dixit. Certe inter peritos viros, quos Summi Pontifices Clem. VIII. & Urbanus item VIII. in Breviarii Romani emendatione adhibuerunt, fuit & Gavantus, ut ipse humillime de se sentiens testatur Cap. 3. Sect. 2. in Rubricas Breviarii Romani his verbis — *Urbanus VIII. Pontifex Maximus adhibitis aliis peritissimis viris, & me minimo inter eos, qui & adfui Clementinæ recognitioni &c.* Ipsum quoque multum opere profuisse in corrigendis Tabulis de occurrentia, & concurrentia ex Sect. 3. cap. 6. perspicuum est. Illum propterea charissimum habuit, & summa in existimatione Urbanus VIII. & ejus suasu Rituum Congregationi, quæ in examine vitæ, rerumque gestarum illustrium sanctitate virorum, Cardinalium tantum, & Prælatorum suffragiis agebatur, quod lectissimi probative Doctores ex religiosorum Conventibus adderentur, sancivit, inter quos sua sponte ipsum adesse voluit, & primum inter Regulares subsellium obtinere. Quum Romæ moris esset sacra interdicere advenis Presbyteris, ni sacrarum Cæremoniarum experimentum facerent, Gavanto id munus demandatum fuit; ipsoque absente facultas facta Præposito Barnabitarum Romani Collegii, unum ex Patribus deligendi, qui ipsos sacris ritibus erudiret, quem honorem Congregatio ob ejus labores obtinuit. In Generalibus Comitiis Mediolani habitis Anno MDCXXXII. quum nihil antiquius haberent Patres, quam ut rite sacra peragerentur, & idem Ritus in suis Ecclesiis servaretur, intelli-

ge-

gerentque neminem in hac arte cum Bartholomæo comparari posse: corrigendi, addendique munus in Cæremoniali ejus industria hoc monito commisere: *Varias diversis temporibus mutationes, additiones, deletiones in Cæremoniali factas, cum tandem expediat suis in locis inserere, ut typis committatur, electus est ad hoc munus peragendum P. D. Bartholomæus Gavantus.* Quod ita absolutum numeris omnibus edidit, ut major diligentia nunquam fuerit desiderata. His non contentus, alios eruditendi studio tenebatur, cum occasiones omnes arripiebat ut ad Ritus suos informaret, tum exteris aditum dabat ipsum sciscitatum conveniendi. Fortasse nimius, ac scrupulosus aliquibus videbatur, cum minima quæque errata reprehenderet: nec publicum subire periculum sui Ordinis, Clericos, & Sacerdotes facile patiebatur, quos, & probe tenere ritus, & privato experimento accurate exequi, ipsi non esset perspicuum. Manuale Episcoporum componere aggressus brevi absolvit, & libros de Visitatione, & Synodo luculentos addidit, volens Præsulibus, & Parochis gratificari, in quibus ita dilucide, ac distincte omnia, quæ Visitationis tempore peragenda sunt, quæque Synodo cogendæ, ordinandæ, ac dissolvendæ necessaria, persecutus est, ut nihil ante id tempus fuerit accuratius publicæ utilitatis gratia conscriptum. Quibus editis libris egregium adeo nomen consecutus est, ut in ore omnium esset Gavantus. Multi Cardinales, & Episcopi ejus teneri desiderio cœperunt, & ipsum literis petere, ut eorum Synodis præsens omnia rite disponeret, seque beatos prædicabant, cum ab ipso Romæ tot occupationibus præpedito, hoc poterant obtinere. Cremonam se contulit Cardinali Campori, Neapolim Cardinali Francisco Boncompagno, Spoletum Cardinali Alphonso Vicecomiti, Ferrariam Cardinali Magalotti, Perusiam Neapolioni Comitolo, Eugubium Carpegnæ, Mutinam Rangoni Episcopis, ut morem gereret, quorum Synodis ut Rituum Magister præfuit. Derthonæ etiam; ac Novariæ interfuit Synodis, a Cosimo Dossenio, & Carolo a Basilica Petri coactis, qui ejus opera frequentius utebantur, quum fraterna quædam cum ipsis intercederet necessitudo, quod Clerici Regulares ejusdem Congregationis, Episcopi fuerint renunciati: secundam etiam Synodum edendam diligenter curavit. Præterea Cardinal. Bonvisius Barii Archiepiscopus, Patavinus, Cremensis, Assisiensis, & Ariminensis Episcopi, dum Diœceses inviserent suæ commissas sollicitudini, ipsum comitem adhibuere, ut Clerum iis studiis, quibus ipse excellebat, imbueret. Cum Romæ moraretur Cardinal. Tiberius Muti frequenter ipsum adibat, dubitationes proponebat suas, & ab ejus responsis ne latum quidem unguem discedebat. Cardinalis Asculanus cum Maceratæ celebri pompa Sacra facere aggrederetur, Clericos suos, & Cæremoniarum Magistros commonefecit his verbis: *Gavantus præsens est.* Nec intra Italiæ oras ejus fama contineri potuit, sed ad remotiores Provincias pervasit. Germaniam primo, dein Galliam penetravit. Cum Eminentiss. Card. de Arach Pragensis Archiepiscopus sibi maxime necessarium esse intelligeret abusus complures, qui negligentia, & incuria quadam in Ecclesiam suam irrepserant, tollere, & Ecclesiæ suæ Ritus ad Romanæ Ecclesiæ Cæremonias conformare, sæpe illum invitavit per Epistolas, comitatis plenas, ut Bohemiæ iter aggrederetur. Neque ullis Gavanti excusationibus moveri potuit, ut a proposito discederet, eum Pragam invitandi. Tandem pene literis ejusdem Principis obrutus, Urbanum VIII. supplex adit, precaturque ut potestatem sibi faciat Roma discedendi, ut tanto Præsuli obsequatur. Postulata tamen facere noluit Pontifex, sed *Rescribo*, inquit, *te auctoritate nostra Universæ Ecclesiæ beneficio in Breviarii Romani emendatione occupatum.* Meliori consilio usus est P. Bondier Gallus ordinis S. Benedicti, eruditione cum paucis conferendus, qui sex vicibus Romam Parisiis venit, cum ut Sacrarum Cæremoniarum usum ediceret, tum ut librum de Ritibus, quem typis committere meditabatur, ejus sententia, quæ plurimi apud intelligentes erat, firmaret. In cujus præfatione quanti ipsum faceret, declaravit his verbis: *Juravi in verba hujus Magistri, & ab omnibus colendi, qui post ipsum de Sacris ritibus, & de Morali Theologia egerunt.* Quod si serius supremum diem obiisset, ab universo Galliæ Clero postulatus fuisset, ut Pontificale Gallicum emendaret, quod multi illius Regni Episcopi summopere exoptabant. Sed urinæ copia, & difficultate morbum periculosum nactus, Mediolani in lectum decidit, integris tamen semper sensibus. Cardinalis Trivultius, cujus erat in amicitia, ipsum invisit extremis diebus, cui ille in cubitum nixus pro tanto beneficio gratias humiliter egit, tantam humanitatem in Viro clarissimo multis commendans. Hinc medicorum consilio in cubiculo deambulare conatus est duobus innixus Patribus, qui ipsum viribus pene destitutum ad latera sustentabant. Expleta brevi ambulatiuncula: *Nunc cubitum eatur*, dixit, *extrema instat virium defectio.* Hæc semihoræ spatio, antequam animam efflaret, protulit. Quo tempore Supremus Congregationis Moderator superveniens a studiorum recognitione, ut valeret, interrogavit, cui ille: *Morti proximus, quum tamen quinquaginta annis sub obedientia vixerim, non petita facultate, & Paternitatis tuæ benedictione discedere haud poteram.*

Interea ingravescente morbo Patres ipsum extrema unctione munire festinabant. Accidit autem quod qui illam ministrabat, partim dolore, partim periculo actus, palmas, ut moris est in sæcularibus viris, vellet inungere, quas ille invertens, inquit: *Dorsum manus Sacerdotibus fas est illinire.* In quibus verbis Rituum Sacrorum Magistro maxime congruentibus decessit, ætatis suæ anno LXIII. Domini vero MDCXXXVIII. pridie festum Assumptæ in Cælum Virginis, in qua colenda, præterquam quod diebus singulis ipsius officium recitabat, & precationem, quam Coronam vocant, adhibebat; nullum studii genus vitæ suæ cursu prætermiserat, quo ejus dignitatem amplificaret, sepultus-

que

que est in Ecclesia D. Barnabæ. Gavanti statura mediocris fuit, forma elegans, matura ætate venerationem conciliabat. Frons ampla, & prominens; subrubeus capillus, & barba, nasus aduncus, magni oculi, & subnigri, erecta cervix, omnia denique ad multam auctoritatem a natura ei accommodata. Robustum corpus sortitus, tam prospera usus est valetudine, ut fere numquam medicina indiguerit; sique ei clausum repente non fuisset ulcus fluidum in crure, quo redundantes expellebat humores, in annos plurimos vitam productum periti viri judicaverant, sed ad finem perductis multo cum detrimento Ferrariæ, & Cremæ Synodis, versis in urinam humoribus, eaque per totum corpus diffusa, paucis diebus copia pene suffocatus fuit. In dictis cum suis jocabatur relaxandi animi gratia ita ingeniose, & festive, ut ejus consuetudinem omnes appeterent; venustis enim ejus, argutisque facetiis mira voluptate capiebantur. Nec tantum in sacris Cæremoniis illustrandis vitam traduxit, sed quod præcipuum est, virtutibus animum exornare studuit semper: & præter quæ sparsim in ejus vita attigimus de salutis animarum zelo, de perpetuo Dei cultus studio, de singulari in Beatam Virginem obsequio; quæ Deo voverat Religiosorum more, quamdiu vixit religiosissime servavit. In Choro cæterisque Ecclesiasticis functionibus assiduus, quamvis Conciones habere, Præsulibus inservire in Diœcesum visitationibus, & Synodis frequentissime deberet. Humilitatem mirifice coluit. Etsi enim summis Viris, Episcopis, Cardinalibus, Pontificibus acceptissimus esset, innumeræque Civitates, & amplissimi Præsules ejus desiderio flagrarent, summis honoribus afficerent, ipse tamen nihil sibi in tanta doctrinæ fama arrogare, sed Deo acceptum referre cum gratiarum actione solebat. Corpus affligebat suum, ac inter cætera flexis semper genibus officium persolvebat; nec unquam sedendi facultatem a Præpositis petiit, vel ipse Superior commodis suis indulsit, licet ob nervorum vitium in cruribus stare non posset. Eximium extremo vitæ suæ tempore tolerantiæ dedit exemplum. Vexatus acerbissimis doloribus numquam questus est, & quum rogasset qui aderant, ut sibi auxiliarentur quo se posset in aliud latus componere, doloris acerbitatem paulisper moderaturus, statim postulata corrigens: *Heu*, inquit, *morti proximus delicias quæro.* Studiorum fuit egregius cultor, & amplificator, & præter Conciones, & libros typis commissos, quos supra significavimus, de Capituli Generalis mandato vitam, & res gestas Venerabilis Servi Dei Cosimi Dossenii, primum Generalis Cler. Reg. S. Pauli, dein Derthonensis Episcopi, Italica lingua descripsit, quæ calamo exarata in Tabulario supremi Moderatoris asservatur. Ejus tandem virtuti Congregatio nonnulla debet constituta Collegia. Cum enim Genuæ Quadragesimali tempore Conciones habuisset, invitatus a Card. Horatio Spinula Archiepiscopo, tantum cuivis hominum generi placuit, ut eum Ordinem expetere cœperint vehementer omnium vota, & libens Respublica facultatem ultro faceret in ea tam celebri Urbe commorandi, & Collegii ædificandi, cui ipse primus præfuit. Fulginei idem accidit; Expleto Quadragesimali labore certatim ei varias Ecclesias, ac pia loca cives offerebant, ut domum ibi construeret. Placuit Bartholomæo locus, quem Misericordiam nuncupabant, & cum jacta essent nostræ Ecclesiæ fundamenta, curavit, Carolo Borromæo dicatam erigi, ut in Umbria unam saltem Ecclesiam eximiæ vir sanctitatis obtineret. Quod testatur Ughellus in Italia Sacra his verbis: *Porphyrius Felicianus Patribus Barnabitis locum Fulginei fecit, qui ædificato Templo, primi in Umbriam, S. Caroli Cardinalis invexere venerationem* — Interim in veteri Ecclesia sæpius concionari, sacras obire exercitationes, Sacramentorum usum promovere, & ardenti quo flagrabat zelo, assidua sollicitudine, & conatu omni animarum lucra quærere cœpit. Sed (ut frequentissime assolet) non abfuit bene actis invidia, & livor. A quibus minus debuerat, probris, maledictis, contumeliis, falsisque criminibus impetitus, absente Episcopo, Romam profecto, etiam a Concionibus habendis, & Confessionibus excipiendis prohibitus, & interdictus fuit. Sed brevi virtus invidiam superavit. Quandoquidem ad Ecclesiam reverso Episcopo quum pene universa Civitas ejus causam ageret, cognita criminationum falsitate, non modo utraque ei restituta facultas; sed multis laudibus ejus studia approbata fuere: quapropter quotidie ministrare Sacramenta, & diebus Festis Evangelia exponere, & rudioribus elementa fidei explanare, quandiu Fulginei mansit, consuevit diligentissime. Tantis autem vexationibus circumventus insigne habuit solatium, amicitiam scilicet V. P. Jo. Baptistæ Vitelli Fulginatensis (Patrem enim Cives appellare, & D. Philippus Nerius Sanctum consueverat, quamvis vir esset Sæcularis) cujus ope, & auctoritate in tanto discrimine facilius invidorum artes delusit, quod nobis ejus prohitatis argumentum est singulare, qui in intimam tanti viri familiaritatem venire potuit, & ejus patrocinio defendi. Perusinum etiam Collegium ejus nomini attribuitur. Enim vero Neapoleo Comitolus, qui Romæ ipsum noverat, idoneos Ministros Ecclesiæ suæ comparare volens, Colleg. Cler. Reg. S. Pauli munifice Perusiæ erexit, & duos ex illis in Majori Ecclesia sacræ Pœnitentiariæ perpetuo munere decoravit, tantique Bartholamæus fecit, ut totius Diœcesis visitationem amplissima facta facultate res omnes sacras recognoscendi, ipsi committere non dubitaverit, quam ille quadraginta dierum spatio feliciter absolvit. Nec favere destitit ullo unquam tempore ejus existimationi Congregatio, sed ejus amplificare dignitatem studuit semper. In præpositum electus fuit Collegiorum S. Pauli Bononiæ, S. Erculani Perusiæ, S. Alexandri Mediolani, S. Pauli Genuæ, S. Mariæ Lauretanæ Spoleti, S. Caroli Fulginei, in quorum administratione, & majorum instituta observari curavit diligentissime, & rara facilitate usus est. Dein Provinciale Romanæ Provinciæ & Visitator Gene-

neralis, plures in Generalibus Comitiis Cancellarii munere functus; postremo Assistens Generalis creatur; quo in munere finem vivendi fecit, & Congregationi, quæ ejus memoriam æternam servabit, Ecclesiæ & summis Pontificibus, qui ut tanti viri merita remunerarentur alios elegerunt ex eo ordine diversis temporibus, qui ejus locum in Rituum Congregatione occuparent, & superioribus annis Benedicti XIII. perpetuum Consultoris Officium in Barnabitarum Congregat. decrevit; postremo bonis omnibus, & eruditis sui desiderium reliquit. Ultra hæc pauca, quæ cursim attigi, alia non pauca, nec levia de hoc viro, fama, & traditione loquente, commemorare audivi: Sed nihil quod finem scribentis in dubium vocare posset in medium proferre volui, maluique sobrius haberi, sed verax, quam nimis facilis, & credulus. Scio in ea illum vixisse Congregatione, quæ virtutes colat magis, quam jactet: atque ideo, plura me, jussum præsertim ea, quæ possem, properaro colligere, latere potuisse. Ipse sibi sufficiens, ultra innumeros, qui de illo cum laude scripserunt, Laus, & Commendatio est. Præclarissima, quæ Gavantus edidit Volumina, sunt hæc:

I. THesaurus Sacrorum Rituum, sive Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii, *quibus denuo impressis addidit utilissimas Appendices. Romæ Typis Cam. Apost.* 1627 *Tom. II. in* 4. *ibid.* 1630. *Parisis* 1652. *& alibi plures, atque recentius Romæ cum notis Cl. Hieronymi Barufaldi, editio recusa Augustæ Vindelicorum. Anno vero* 1736. 1737. 1738. *vol. IV. in* 4. *prodiit Romæ apud Salvionum peregregia editio Gavanti nostri, nempe hoc titulo:* Thesaurus Sacrorum Rituum: „ sæpius editus, nunc „ vero correctior, & locupletior adjectis Sum„ morum Pontificum, & S. R. C. Decretis us„ que ad præsens emanatis novisque Observa„ tionibus Cajetani Mariæ Merati Clerici Re„ gul. ejusdem Sac. Rit. Consultoris " *T. I. & II. complectuntur Gavanti Commentaria in Rubricas Missalis, reliqui duo habent Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani, Ordinem perpetuum, & generalem recitandi Divinii Officii, Gavanti vitam, & Indices Auctorum, quibus uterque Auctorum, quibus uterque Auctor usus est.*

II. Octavarium Romanum. *Bononia* 1624. *in* 8. *Neapoli, Parisiis, & alibi.*

III. Enchiridion, seu Manuale Episcoporum. *Romæ apud Caballum* 1631. *in* 4 *Parisiis, Venetiis, apud Junctas cum additamentis* 1652. *& alibi.*

IV. Additiones ad Manuale pro Visitatione Diœcesis *atque* Synodis condendis (*mortuo jam Gavanto*). *Romæ* 1638. *in* 4. *et Parisiis* 1639. & *ut supra* 1652.

V. Cæremoniale Clericorum Reg. S. Pauli. *Mediolani apud Malatestam. II. edit.* 1713. *in* 4.

VI. Ordo perpetuus recitandi Divinum Officium. *Venetiis, & Romæ.*

VII. De Synodo Diœcesana. *Romæ apud Caballum* 1628. *in* 4.

VIII. Prediche Quadragesimali dell' Avvento, ed Autunnali. *Has omnes editurus erat, ut testatur Leo Allatius in* Apibus Urbanis.

IX. Predica nella traslazione delle Ceneri di S. Giambattista. *Genova* 1608. *in* 4.

X. Ragionamento nella Coronazione del Serenissimo Agostino Pinello Doge di Genova. *ivi* 1606. *in* 4.

XI. Discorso nel giorno anniversario dell' unione di Genova. *ivi* 1606. *in* 4.

XII. Orazione dell' Umiltà di San Carlo. *Milano* 1607. *in* 4.

XIII. Regula recreationis Cler. Reg. S. Pauli *MS. penes suos.*

XIV. Vita Cosmæ Dossenæ Episcopi Derthonensis *MS. ut supra.*

XV. Schedæ quædam de Viris illustribus Congreg. S. Pauli *MS. in fol. ibid.*

XVI. Epistolæ plures de sacris Ritibus ad Cardinalem Federicum Borromæum annis MDCV. & MDCVI. cum responsionibus. Extant in Collectione Ambrosiana alibi citata.

XVII. Aliæ duæ autographæ ad Franciscum Casatum Ritibus Ecclesiast. altera xv. Junii MDCXXX. altera xxvi Julii MDCXXXI. Romæ data sunt MSS. penes amicissimum Canonicum Jo. Andream Iricum.

XVIII. Carmina varia, ex Allatio loco citato sic: Adolescens mitiores etiam coluit Musas, modo in senium vergens sacris interdum carminibus ludit.

XIX. Vita & res gestæ S. Pauli Apostoli. *Extat in editione Commentariorum in Rubricas Missalis, & Breviarii. Romæ* 1618. *in fol.*

XX. S. Bartholomæum esse Nathanaelem Dissertat. *Extat ibidem.*

XXI. Inscriptiones & Elogia tam Italica, quam Latina, atque Græco sermone conscripta occasione Visitationis Collegi S. Barnabæ a Card. Fed. Borromæo peractæ ut diximus ita in vita ejusdem Gavanti.

XXII. Orazione sopra la pace detta in Roma. *Ex eadem Vita.*

XXIII. Brevi Discorsi sopra la Passione del Redentore recitati nella Congregazione dell' Umiltà in *Roma. Ex eadem Vita.*

In Catalogo Bibliothecæ Regis Christianissimi Tom. I. pag. 231. num. 390. *legitur:* Claudii Arnaud Epitome Thesauri Sacrorum Rituum Selecta quæque notatu dignissima ex animadversionibus Bartholomæi Gavanti in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani continens, adjectis quibusdam notulis ad earumdem intelligentiam. *Venetiis apud Junctas*, 1644. *in* 24.

Extant de Gavanto Epigrammata duo: primum est

est Francisci Rugerii Congreg. de Somascha, alterum Alexii Ledesma.

Omnia fere ejus opera in unum volumen edita fuere Parisiis per Jo: Post Via Jacobea sub signo S. Spiritus 1652. *in cujus editionis Præfatione magnis celebratur encomiis, sicuti ab Augustino Barbosa in Opere* de Canonicis, & de Officio Parochi: *A Jo: Petro Crescentio in* Præsidio Romano, *ab Andrea Victorello, a Leone Allatio in Libro* Apes Urbanæ *pag.* 59 *a Philippo Picinello in* Athenæo, *pag.* 69. *A Carolo Soc. Jesu in sua* Heortologia, *a Michaele Bauldry in* Manuale Sacrarum Cæremoniarum, *a Marco in* Hierolexico, *a Morerio in* Lexico, *nec non a P. Bondier Benedictino Cassinensi Gallo supra relato.*

DE VITA ET SCRIPTIS
CAJETANI MARIÆ MERATI
CLERICI REGULARIS

Sacræque Rituum Congregationis Consultoris

COMMENTARIUM.

CAJETANUS MARIA MERATUS Caroli Merati, ac Jacobinæ Bergontiæ honestæ apud Venetos originis, nonnullisque ex Patritiis familiis sanguine junctæ Filius, tertio nonas Decembris anni 1668. Venetiis natus, spretis ipso ætatis flore mundi illecebris, Clericis Regularibus, Caroli Fratris natu majoris exemplar sequutus, adscribi voluit, votaque solemnia in S. Nicolai Tolentinatis duodecimo Calendas Septembris anni 1685. emisit, assumpto Cajetani Mariæ nomine, cum illud Dominici sacris undis accepisset. Philosophicis, Theologicisque eruditus disciplinis, Græcæque linguæ instructus rudimentis, Philosophiam & ipse suos sodales Florentiæ docere jussus, clarorum virorum illius civitatis scientiarum altricis gratiam sibi conciliavit, quos inter commemoratione dignus est Antonius Magliabechius, Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarius literatissimus ac celeberrimus, cujus consuetudinem, quoad vixit, litterario coluit commercio (*a*). Pergratam tunc nactus est occasionem experimentum capiendi de præstantissimo Angeli Mariæ Quirini ingenio, qui publica philosophicis de rebus disputatione jam tum ab adolescentia suos inter Monachos Cassinenses magnam sui spem exercitarat, quemadmodum & ipsi Quirino pergratum contigit suos inter adversarios Meratum habere, cujus rei memoriam posteris ipse consignare voluit Quirinus, Cardinalis deinceps immortalis memoriæ (*b*). E Philosophicis translatus ad Theologicas tradendas in urbe Roma disciplinas, quinquennio summa cum laude Theologiam Scholastico-Dogmaticam professus est. Venetias inde reversus formandis totum se dedit, ex Clericorum regularium instituto, mortalium moribus, tum sacris concionibus, tum conscientiis temperandis, ultimosque mittentibus anhelitus ope omni adjuvandis, nullis parcens laboribus, nullis deterritus impedimentis, incommodisque. Quamobrem cum apud alios Venetos Patritios magnam sibi existimationis laudem collegit, tum vero maxime apud Franciscum Cornelium Senatorem amplissimum, qui ad Annam Anglorum Reginam Veneti Senatus nomine Orator destinatus, Meratum difficili ea in legatione comitem voluit, suæ conscientiæ rerumque sacrarum, quæ Londinensi in Palatio Veneti Oratoris forent administrandæ, ob quas sex e claustris delegerat probatos viros, moderatorem. Quamobrem Meratus spe ductus, nonnullius utilitatis afferendæ tum Catholicis, qui magno numero apud Londinenses habentur, tum Protestantibus, Cornelio viro & oratione gravi & auctoritate, suavissimis quoque moribus ornato, morem gerere decrevit. Mense itaque Julio 1705. Londinum ut universi pervenere, tantam in persolvendis divinis laudibus, in sacrarum rerum tractatione, in precum studio Religionem præsetulit, ut non solum homines Catholicæ communionis, verum etiam ejusdem Adversarii, qui frequentes Venetum Oratorem veniebant salutatum, ejusdem sacellum haud raro in-

(*a*) Extant Merati ad Magliabecchium Epistolæ aliquot inter Epistolas Clar. Venetorum ad Magliabecchium. Florentiæ anno 1746.

(*b*) Quirinus Commentario de rebus suis *L.* 1. *p.* 15. Brixiæ 1749.

inviserent, Meratum sacram liturgiam tanto animi vultusque cultu peragentem inspecturi, atque vel inviti veneraturi. Ad hæc crebras habebat modo in Veneti, modo in aliorum Principum Romanæ communionis Oratorum Sacellis Italica lingua Conciones, partim verissima confirmanda nostra Religione, partim vindicandis ab Heterodoxorum cavillis Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, partim denique castis moribus suadendis: quas ipse conciones neglecto sermonis cothurno, compositaque oratione, plausuque populari, Sacræ Scripturæ veritate, ac flosculis exornare solebat, depromptis identidem rationum momentis ex ipsis penitioris Philosophiæ fontibus; unde oratio sententiarum gravitate, verborum ponderibus, argumentorumque vi adeo apta erat atque robusta, ut Protestantes ipsi sæpe eam admirarentur, Catholici vero laudarent assensu tanto, eorum ut animos sibi devinciret, eorumque arbiter esse videretur. Tribus ferme annis in Anglia transactis Italiam ipse repetiit, ob aeris inclementiam; Cornelius enim legationem nondum absolverat. Venetias delatus ad priscum vitæ genus rediens, nihil viro impigro jactura temporis molestius, otii impatiens, quidquid illi a regularis disciplinæ usu, atque æternæ animarum salutis procuratione supererat temporis, legendo, scribendoque transigere solebat. Demisse tamen de se sentiens nulla ratione adduci potuit, ut provinciam etsi splendidam, multumque rei Catholicæ profuturam in se susciperet, Fredericum nempe Saxoniæ Electorem, Poloniæ deinceps Regem, Romanæ communionis, ad quam accedere cogitabat, præceptis instruendi: ad quod onus cum ob scientiæ cognitionem, rerum gerendarum peritiam, tum ob ingentem veræ Fidei dilatandæ ardorem exquisite obeundum parem cognoverat Michael Barbius Cl. Reg. qui a Cardinali Francisco Pignatello jussus fuerat, aliquem ut ex sua Teatinorum Familia in eum finem seligeret: qui quidem honos tanti habendus foret, ut in Sacrum Cardinalium Senatum fuerit cooptatus Joannes Baptista Salernus S. J. ad eam deinceps spartam delectus. Hoc ferme tempore parum abfuit quin a triumviris Patavini Licæi moderatoribus Hieronymo Textorio Monacho Cassinensi publicus S. Scripturæ Professor sufficeretur. Facere tamen non potuit, quin Domus S. Nicolai Tolentinatis Præfecturam anno 1713. susciperet, qua triennio administrata singulari prudentiæ laude, vigilique veteris observantiæ custodiendæ studio, Romam Comitiis Ordinis Generalibus interfuturus se contulit. In iis Generalis nostræ Congregationis Procurator electus munera omnia obivit ita diligenter, ut non solum nostratibus, verum etiam summo se probaverit Hierarchæ, universoque sacro Collegio sacris potissimum concionibus, quas prima magni jejunii Feria Generalis Cl. Reg. Procurator in Sacra Quirinali Æde quotannis latine habere debet. Perfuncto eo munere, cum in CLEMENTIS XI. conspectum una cum reliquis, qui Comitiis Generalibus interfuerant, Patribus venisset, Pontifex Maximus ingeniorum ac virtutum existimator optimus, benevoloque in Clericos Regulares animo, cum universam familiam, tum vero Meratum maxime commendavit, quem ad se vocatum, honore sane singulari, in Consultorum numerum cooptavit Sacræ Congregationis Rituum. Huic addictus Congregationi ea ingenii vi, doctrinarum pondere, sacræ eruditionis copia propositas quæstiones versare cœpit, ut quoties ad augustos Patres referret, eorum animos mirifice sibi intentos experiretur, ejusque responsa cæteris ut plurimum præferri contigeret. Quamobrem simul doctus celebratus a doctissimis, quibus Romana Urbs florere solet, simul doctior ex eorum consuetudine evadens, in omnium existimationem cum venisset, ipsa illustriora Ecclesiæ Capita in rebus gravissimis eum consulere, ejusque uti opera & calamo consueverunt. Vallemanus imprimis, Albanusque senior Pontificis ex fratre nepos Cardinales ornatissimi, studiorum Collegii Romani S. Bonaventuræ, (uti dicunt) Examinatoris munus, quod clarioribus conferri solet Theologis, ei contulerunt. INNOCENTIUS deinde XII, qui post CLEMENTE XI. ad Summi Pontificatus apicem pervenerat, Londinensium, quos supra commemoravimus, quosque typis tunc Meratus vulgarat (*a*) sermonum lectione mirifice captus, plurimi eum fecit, perinde ac CLEMENS XII. Innocentii in Cathedra Petri successor. Affixus adeo litteris, Congregationisque negotiis, administrare tamen Ordinis munera denuo oportuit, cum semel a Congregatione sua, ac iterum a Summo Hierarcha CLEMENTE XII. jussus a consiliis esse supremi Præsidis. Tantam ejus eruditionem una cum acri vividoque ingenio animadvertens Prosper Cardinalis Lambertinus vir doctissimus, auctor ei fuit, Opus ut Gavanti *in Rubricas Missalis, Breviariique Romani* novis accessionibus, criticisque observationibus illustraret. Quod opus brevi a Merato completum typisque Romanis vulgatum, ut ab ipsomet accepit, perlegitque Lambertinus, PONTIFEX deinde MAXIMUS BENEDICTUS XIV. vocatus, suo de consilio gloriatus est sæpius cum apud alios, tum vero maxime apud Joannem Meratum Cajetani ex fratre nepotem; qui ob præclaram scientiarum cognitionem, rerumque gerendarum peritiam, nostræ & ipse Congregationis Consultor electus eximia BENEDICTI XIV. in se benevolentiæ argumenta expertus est. Laudavit insuper suis in operibus, quam sæpissime Meratianum opus idem BENEDICTUS XIV. a quo laudari summa laus est:

(*a*) Venezia 1721.

est: Atque ex hisce ejus laudibus illa est animadversione digna, qua Merati fidem in exhibendis Decretis ita commendat: *Questo Decreto è nell' Indice dei Decreti al num.* 282. *stampati dopo la Parte del Tomo I. dell' opera del P. Merati, Indice molto esatto e composto su i Registri della Sacra Congregazione de' Riti.* (*a*) Quæ Pontificis auctoritas, vel ipsa satis esse potest ad labefactandas præcipuas, quas Merato objecit Michael Cavallerius, vir cæteroquin doctus criminationes (*b*) Cæterum Lambertinus statim ad Summi Pontificatus apicem ut pervenit, de Merati salute certior fieri voluit, quem cum intellexisset paulo ante apoplexia ictum, ægre tulit, præsentiens occasionem ejus pro meritis, proque singulari suo erga eum amore ornandi, sibi oblatam. Nihilotamen minus ægrotum honestare voluit cum frequentibus iisque nobilissimis ad eum missis suo nomine salutandum nuntiis, deque sua ægritudine perscrutantibus, tum Pontificia sua Majestate semel, iterum, ac tertio ad ædes S. Silvestri ægrotum ipsum invisendo, sanctissimisque verbis recreando, Pontificiaque consolando Benedictione. Præterea homine vita functo, uni ex Clericis Regularibus locum constituit in Congregatione Rituum perpetuo duraturum, quem Theatinis honorem ob præclara in primis merita se conferre profitetur Pontifex Cardinalis Thomasii & Cajetani Mariæ Merati. Sed ipsum præstat Pontificis Diploma hic exscribere:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

INsignem Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum familiam, dum olim minores dignitatum gradus tenebamus, eo quo par erat, benevolentiæ & amoris studio adeo prosequebamur, ut in hoc Sacrosancti Apostolatus Apice, licet immeriti, modo constituti, majoribus Apostolicæ nostræ charitatis, benignitatisque testimoniis complecti summopere optemus; in hanc vero cogitationem animum nostrum jure & merito inducunt luculenta pietatis & religiosæ perfectionis exempla cum sacrarum doctrinarum splendore, atque æterna Animarum salute conjuncta, quæ ab initio illius institutionis in Catholicæ Ecclesiæ utilitatem verbo & exemplo in dies proferre pergunt Religiosissimi ejusdem Alumni. Postulant enim & a Nobis expectant illi præcipue Viri, qui huic familiæ nomen dederunt, & cujus gloriam longe lateque propagarunt, ut justos & debitos honores eisdem persolvamus. Unus instar omnium enituit, Nobis (quod semper maximi faciemus) summa necessitudine conjunctus, immortalis memoriæ Vir & Venerabilis Dei servus Josephus Maria dum vixit S. R. E. Presbyter Cardinalis Thomasius nuncupatus doctrinæ præstantia, morum sanctimonia, & austerissima vivendi forma clarissimus & spectatissimus, qui summo genere natus, adolescens adhuc jure prioris hæreditatis adhuc, jure prioris hæreditatis abdicato, humanisque rebus valere jussis, præclarum hoc institutum amplexus est, & ex uberrimis Patrum fontibus, & ex venerandæ antiquitatis codicibus studia, vigilias, omnesque elucubrationes suas in Proximi commodum, & in Ecclesiæ præsidium derivavit. Alter vero Cajetanus Merati non ita pridem ejusdem vestigia attingere alacriter studuit, & egregia sua eruditionis specimina, quæ omnium judicio probantur, & manibus teruntur, scriptis etiam mandavit. Cum igitur a Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris quamplurima prodierint exempla Nobis ad imitandum relicta, quibus in hac Alma Urbe Nostra alia Officia nonnullorum Religiosorum Conventuum Alumnis ita semper addixerunt, ut munera hujusmodi, tamquam sibi debita vindicantes, eorum Præsides, quo laudabilius exercerentur, optimum quemque suorum omni studio, atque cura conquirerent. Hinc est, quod Nos motu proprio ac ex certa scientia & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volumus, ac decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus unus ex Consultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium Sacris Ritibus præposita, succedens illius pro tempore vacatione, uni ex Congregationis delectorum Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum professoribus concedi, & assi-

---

(*a*) De Sacrificio Missæ p. 424. Patavii 1747.

(*b*) Adversus Cavallerii opus inscriptum: *In authentica Sac. Rit. Cong. Decr. Comment. T. I.* &c. librum Italice vulgavit Venetiis ann. 1755. sub nomine *Carlo de Ponivalle* Joseph Meratus Cl. Reg. Cajetani consanguineus.

signari debeat. Decernentes easdam præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenore præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Martii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

Verum eo ut redeamus unde discessimus, Meratum Occidentalium Liturgiarum collectionem, novasque in reliqua Gavanti opera ad Sacros Ritus spectantia illustrationes molientem apoplexiæ ictus anno 1740. invasit, incommodaque quadriennio usus valetudine, natura tandem fatiscente, recentique ictu correptus obiit in osculo Domini anno 1745. sexto Nonas Septembris Nativitatis Virginis Mariæ, quam omnis celebrat studio, sacro, inclinato jam in postmeridianum tempus die. Selectissimam reliquit librorum supellectilem, ad res imprimis Liturgicas facientem, quorum numero haud parvo Pontifex ipse suam locupletare voluit Bibliothecam. Quanta porro cum laude Commentaria in Gavantum emiserit celebriorum elogia vivorum ostendunt. Ea enim magno sibi usui fuisse ingenue profitentur præter BENEDICTUM XIV. quamplurimosque alios, Joannes Hieronymus Gradonicus Cl. Reg. *in dissertatione de nova operum S. Gregorii Magni editione* (*a*), Spiridion Talù in collectione Decretorum authenticorum Sac. Rit. Congregationis (*b*) & Robertus Sala Abbas Cisterciensis, qui Cardinalis Bonæ Opera illustraturus integras pro re nata Meratianas inserere observationes operæ pretium exstimavit (*c*): ostendunt insuper quamplurima Opera Epitoma (*d*), inter quæ duo sunt præstantiora, quorum alterum ea dumtaxat complectitur, quæ ad Cæremonias Hebdomadæ Majoris spectant; alterum vero universi est operis (*e*). Illud ipsum repetitæ confirmant etiam extra Italiæ limites (*f*), editiones; inter quas præsens hæc Balleoniana, quæ quinta appellari potest, cæteris utilior est, cum ob reliqua, quæ complectitur Gavanti Opera, aliquot ad paginarum oras aspersa adnotationibus ex Benedicti XIV. aureo de Synodo Diocesana Tractatu depromptis, tum ob Decretorum augmentum, ab anno 1738. quo Meratianum Romanis typis vulgatum fuit opus, ad decimam anni proxime elapsi 1761. Junii diem.

Quæ vero omnia scripsit sunt hæc:

La

(*a*) *Dissertatio de nova S. Gregorii Magni editione procuranda secundis curis retractata & aucta*, extat ad calcem vindiciarum S. Gregorii Magni adversus criminationes Casimiri Oudini. Romæ 1753.

(*b*) Venetiis 1760.

(*c*) Augustæ Taurinorum 1749.

(*d*) *Brevis instructio circa sacras Cæremonias Hebdomadæ Majoris, cui de novo accesserunt notæ ex absolutissimis Commentariis in Rubricas Missalis & Breviarii Romani a Cajetano Maria Merati Cl. Reg. &c. Monachi* 1741. quod opus Anonymum, scimus tamen ab Joanne Heldevech Cl. Reg. elucubratum.

(*e*) *Compendio delle Cerimonie Ecclesiastiche del P. Gavanto con le Addizioni del P. Merati.* Venezia 1752. opus Anonymum, sed a Cajetano Malfacto Cl. Reg. concinnatum.

(*f*) Augustæ Vindelicorum sumptibus Jodoci Muller anno 1740. prodiere *Novæ observationes & Additiones ad R. P. D. Bartholomæi Gavanti in Rubricas Missalis & Breviarii Romani adjectis Summorum Pontificum & Sacr. Rituum Congreg. Decretis usque ad præsens emanatis a R. P. D. Cajetano Maria Merati Cl. Reg. Commentaria &c.*

LA Verità della Religione Cristiana, e Cattolica dimostrata ne' suoi Fondamenti, ne' suoi Caratteri, Pregi, Misteri, e Dogmi contenuti nella Professione della vera Fede. Ragionamenti Polemici composti dal R. D. Gaetano Maria Merati Cherico Regolare Professore di Sagra Teologia, e Consultore della Sagra Congreg. de' Riti. Venezia 1721. *nella Stamperia Baglioni. Parte Prima, e Seconda.*

Thesaurus Sacrorum Rituum a R. P. Bartholomæo Gavanto Congr. Cler. S. Pauli S. R. Consultore olim concinnatus, & sæpius editus, nunc vero correctior, & locupletior, adjectis Summ. Pontif. & S. R. C. Decretis usque ad præsens emanatis, novisque Observationibus, & Additionibus Cajetani Mariæ Merati Cler. Reg. ejusdem S. R. Consultoris. Tomus I. Pars Prima complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis. Romæ ex Typographia Vaticana apud Jo: Mariam Henricum Salvioni 1736. *in* 4.

—— *Pars altera Tomi I. complectens III. IV. & V. nempe ultimam partem Commentariorum Gavanti ad Rubricas Missalis cum Indicibus Decretorum, Verborum, & Rerum notabilium, quæ continentur in toto hoc primo Tomo. Romæ apud eumdem* 1737. *in* 4.

—— *Tomi secundi Pars Prima complectens omnia Gavanti Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani, cum Indicibus Decretorum, Rerum &c. Romæ apud eumdem* 1738. *in* 4.

—— *Tomi Secundi Pars altera & ultima continens Ordinem perpetuum, & generalem recitandi Divini Officii, Gavanti vitam, & Indices Auctorum, quibus uterque Auctor usus est. Romæ apud eumdem* 1738. *in* 4.

La vita soavemente regolata delle Dame, che stanno nel Mondo vogliono applicare senza una grande austerità di Penitenza alla Perfezione Cristiana, ed alla Santità de' costumi. Operetta tradotta dal Francese nell' Italiano. Venezia 1708. *Presso Giacomo Tomasini. In* 12.

Per le lodi di S. Gaetano Fondatore de' Cherici Regolari Orazione detta in Venezia nel giorno della sua Festa dal P. D. Gaetano Maria Merati Cher. Reg. in Venezia 1723. *Presso Giacomo Tomasini in* 12.

Li Misteri Principali della nostra Santa Fede.

Lettere scritte dal P. D. Gaetano Maria Merati Cher. Reg. ad Antonio Magliabecchi. Extant inter Epistolas Clar. Venetorum ad Magliabecchum. Florentiæ 1746.

Alias adornarat Elucubrationes, alia exorsus est Opera, quæ immaturo morbo correptus affecta tantummodo reliquit, atque Romæ extant in S. Silvestri Quirinalis Bibliotheca, quæ sunt.

Observationes, & Additiones in Enchiridion, seu Manuale Episcoporum, pro Decretis in Visitatione, & pro Synodo de quacumque re condendis &c. P. D. Bartholomæi Gavanti.

Observationes in Liturgias Occidentales.

Consultationes Sac. Rit. Congreg. exaratæ occasione Dubiorum eidem S. R. Congr. exhibitorum De differentia inter Festa Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi.

In Decretales Gregorii IX. jussu compilatos Notæ, & Observationes.

De mutationibus Missalis Chaldæi Nationis Maronitar.

Urbis Monimentorum Epitome.

APPROBATIONES THEOLOGORUM.

COommentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, quæ dudum magno omnium plausu vulgaverat notissimus P. D. Bartholomæus Gavantus Cler. Regul. Sancti Pauli: cum post tot annorum decades a prima eorum editione pluribus in dies emergentibus Sac. Rit. Congreg. Decretis, nonnulla illic expressa, velut antiquata in desuetudinem abierint, pleraque uberiori indigerent disquisitione, ac fere omnia inibi disposita nova recensione, litura, ac fortasse emendatione digna eruditis censerentur, eadem proinde ad incudem revocanda suscepit Reverendissimus P. D. Cajet. Maria Merati Cler. Reg. Theat. S. R. C. Consultor; qui ut melius publico Ecclesiæ bono, Cleri præsertim utriusque utilitati, & eruditioni consuleret, vigili cura, longo studio, atque invicto labore, prædicta Commentaria denuo recognita, emendata, uberrimis notis illustrata, pluribus documentis ex prisca Ecclesiæ disciplina petitis comprobata cum antiquioribus Liturgicis, ac Ritualibus libris sedulo collata, Sacræ item Rituum Congregationis præfatæ Decretis omnibus hucusque editis locupletata, multa denique rerum accessione, omnigenæque eruditionis Ecclesiasticæ veteris, ac novæ copiosa messe referta, solerti simul, ac justo criterio discussa, aucta, & in plures tomos digesta disposuit. Sic autem ampliori forma, ac materia donata, ut prælo etiam donari valeant jussu Reverendissimi P. Ioannis Benedicti Zuanelli Sac. Palatii Apost. Magistri, dicta Additamenta attente legi, & diligenter excussi, nec ullum quidpiam offendi solidæ pietati, bonis moribus, vel sanæ Fidei absonum, aut virga censoria dignum: quinimo Auctoris demiratus doctrinam, & eruditionem ubique

illum

illum comperi nedum Catholicum, Religiosum, ac pium, sed & dum Sacrorum Rituum antiquitatem & originem scire scrutatur, eorumdem simul majestatem, & sanctitatem tuetur, ac vindicat; *Habet* idcirco *opus vocem suam*, ut cum mellifluo meo Doctore Bernardo loquar, vocem virtutis, vocem scientiæ, & pietatis, vocem timoris Domini, qua in lucem edi clamat: in eo enim quidquid ad mysticos Ritus pertinet nihil non fundatum in montibus sanctis Scripturarum, antiqua traditione firmatum, Conciliorum, Patrum, ac veterum Scriptorum auctoritate communitum conspicitur, quibus imbutus Auctor: *Habet in portis omnia poma* (quemadmodum de Dilecto suo sponsa in Canticis *cap.* 7. num. 3.) *Nova, et vetera servavit* nobis, nova nimirum Ecclesiæ militantis placita, & Decreta, ac vetera triumphantis monumenta, utraque invicem ita colligata, apteque disposita, ut dubia quæque explanentur, traditæ regulæ firmentur, ac denique quoad Rituum formam, varietates, Mysteria, et significationes nihil ulterius desiderandum supersit. Hoc itaque eximium opus numeris omnibus absolutum, quod religiosum illud, & rationabile obsequium juxta Apostolum ad Roman. 17. Deo Optimo Maximo jure præstandum præ cæteris exhibet, in quo Sancta quæque justa, & pia, quæ ad Dei cultum, & honorem sunt, continentur, ut in lucem prodeat ad majorem ipsius Dei gloriam, ad Ecclesiæ sponsæ suæ ornatum, & Fidelium ædificationem, censeo, & existimo, si videbitur Reverendissimo Patri S. P. A. Magistro, cujus mandatis obtemperans hæc lubens pro veritate subscripsi. Romæ ex Monasterio Sancti Bernardi hac die 29 Septembris 1735.

D. Joannes Baptista Fiorentini Abbas ex-Generalis, Sacr. Congr. Indicis, & Rituum Consultor.

THesaurus Sacrorum Rituum seu Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, olim a P. D. Bartholomæo Gavanto Congregationis nostræ Clericorum Regularium S. Pauli, vulgo Barnabitarum, typis donatus, nunc vere Thesauri nomen sibi vindicat, cum suis observationibus, & Additionibus de ipso profert nova, & vetera Reverendissimus P. D. Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis, ac Sacr. Rituum dignissimus Consultor. Easdem Observationes, & Additiones de mandato Reverendissimi Patris Fr. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apostolici Palatii vigilantissimi Magistri evolvi crebro, cunctanter consideravi, admiratus impense Auctoris eruditionem, immensum prorsus laborem, diligentiam summam in eorumdem Rituum originibus perquirendis, in antiquatis abrogandis, novis promovendis, usitatioribus indicandis, & minutim quidquid ad sacras functiones rite obeundas conferre noverit suggerendo. Ejusmodi libri evulgationem merito quamplures Christiani Orbis Ecclesiæ peroptant, opulentissimum quo ditentur ærarium sperantes ad uberes Altissimi Benedictiones reportandas, cum stabunt Sacerdotes, ac eorum Ministri in gradu suo. Præcepta, Cæremoniasve Domini exacte custodiendo; servata Domus Dei Majestate, Fidelium mentes visibilibus, rectèque dispositis pietatis, ac Religionis signis ad mysticam Divinorum contemplationem feliciter subvehentur. Typis ergo iterum demandetur multoties excusus Thesaurus, sed mendis detersus, Observationibus illustratus, Additionibus cumulatus, ut qui novas comparando divitias magnum veteribus pretium addit, publicæ, quam pollicetur utilitati, publica etiam luce consulat. Datum Romæ ex Collegio SS. Blasii, & Caroli hac die 10. Septembris 1735.

D. Joseph Alciati Cler. Reg. S. Pauli Præpositi Generalis Assistens.

COmmentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, quæ olim ediderat magni nominis vir Bartholomæus Gavantus Clericorum Regularium S. Pauli ornamentum, & decus, eadem post iteratas impressiones a mendis, quæ irrepserunt, expurgata, novis illustrata Observationibus, copiosis Additionibus locupletata, variisque, ac plurimis eruditionibus refertà, Catholico exhibere statuit vir eruditissimus R. P. D. Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis; qui, sicut Sacræ Rituum Congregationis Consultores omnes præcedit antiquitate, ita neminem subsequitur Sacrorum Rituum peritia, & cognitione. Hos præclarissimi viri labores, jubente Reverendissimo Patre Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistro summa animi voluptate perlegi; eosdemque attente perlustrans nihil reperi, quod non omnigenam auctoris eruditionem redoleat in perscrutandis tum antiquis, tum recentibus Ecclesiæ Ritibus, summumque non præferat studium in Sacrarum Cæremoniarum praxi di-

dirigenda, juxta S. R. C. Decreta improbo labore ab eodem collecta ad tuto dirimendas explanandasque quæstiones, quæ hac in re sæpissime oriuntur: quo factum est, ut opus multis egregium nominibus, ita numeris omnibus absolutum evaserit, ut nihil ultra ad perfectam, completamque Sacrorum Rituum notitiam assequendam valeat desiderari. Prodeat igitur in lucem Sacra hæc Ecclesiasticorum Rituum Œconomia, ad universum Clerum in sacris ministeriis peragendis plenius instituendum: ea enim duce, quotquot in Cæremoniis rite exercendis erudiri cupiunt, me judice, non errabunt. Ita censeo, salvo, &c. Ex nostro Collegio SS. Vincentii, & Anastasii Idibus Octobris, Anno 1735.

Leo Bertolotti C. R. Min. Procurator Generalis, & Sacr. Congreg. Indicis, ac Rituum Consultor.

NOvas Observationes, & Additiones ad Commentaria Adm. Rev. Patris D. Bartholomæi Gavantii Congreg. Clericorum Regularium S. Pauli in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani a P. D. Cajetano Maria Merati Congregationis nostræ Theologo, & Sacræ Congr. Rituum Consultore; summo studio, & labore elucubratas, non exigua animi voluptate pervolvimus: nil sane Catholicæ veritati, aut bonis moribus dissonum, nihil quod sacris Cæræmoniis, sacrisque Ritibus recentibus, aut antiquis adversetur, plurimum autem, quod Ecclesiæ Ministris in suis muneribus rite, ac laudabiliter obeundis prodesse possit. Tanto igitur operi, omnigena eruditione referto, Decretorumque antehac a Sac. Rit. Congr. editorum accessione uberrima locupletato, deesse tantum putamus publicam lucem, qua profecto dignum censemus. Ita nos, de relatis Additionibus, apprime Auctori suo consentaneis, sentiendum duximus, a Reverendissimo P. nostro Præposito Generali censores delegati. Romæ ex Ædibus Divi Andreæ de Valle, die 10. Mensis Septembris 1735.

Franciscus Maria Cersalis C. R. Sacrorum Canonum Lector, & S. C. Indulgentiarum, ac S. Reliquiarum Consultor.

D. Franciscus Mazzetti C. S. Sacræ Theologiæ Lector.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS PRÆPOSITI GENERALIS Ordinis Clericorum Regularium.

HOc opus, nimirum *Novas observationes, & Additiones, &c.* factas a P. D. Cajetano Maria Merati nostræ Congregationis Theologo, Commentariis Adm. Reverendi P. D. Bartholomæi Gavantii Congreg. Cler. Reg. S. Pauli in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, a Patribus, quibus commisimus approbatas, typis mandari posse, quoad non spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro sigillo firmavimus. Romæ die 21. Septembris 1735.

D. Nicolaus Antinori Præpositus Generalis Cler. Reg.

Loco ✠ Sigilli.

D. Joannes Franciscus Cagnola C. R. Secretarius.

COM.

COMMENTARIA

IN RUBRICAS

MISSALIS ROMANI.

PARS PRIMA.

(*a*) Rubricæ (*b*) Generales (*c*) Missalis.

GAVANTUS.

(a) RUBRICÆ.) Rubrica proprie *ex Columella lib.* 5. *cap.* 8. est species quædam terræ rubri coloris, qua solent artifices ducere lineas ad opera sua concinnanda. Antequam, inquit, explantes arbusculam, rubrica notato partem ejus. Accipi etiam solet pro genere coloris *a Plinio lib.* 35. *cap.* 6. & S. Isidoro *Ethym. lib.* 19. *cap.* 17. Hac autem terræ specie solebant antiqui librorum titulos, capita, & indices notare, *Juven. Sat.* 14. & præsertim titulos, & inscriptiones legum. Unde ille: *Perlege rubras majorum leges*, idest, rubrica aspersas: cum itaque leges opportune hoc loco præscribantur ad Missam celebrandam, & rubeus color in titulis, & capitibus adhibeatur, ideo Rubricæ sunt appellatæ.

Et quidem leges ipsas Missalis, quam paucissimas tamen, rubro colore scriptas vidi; & legi in Missalibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ antiquissimis, & deinceps in aliis multis apud Venetos impressis, ante tempora Pii V. Sed vocem ipsam, *Rubricæ*, non legi usurpatam in Missalibus, ante annum 1557. neque in titulum communem legibus Missæ, nisi a Pio V.

Nam separatim a Missalibus habebantur Rituales libri, seu Directoria: nomen autem usurpabatur hoc modo, Rca, quod præsertim videre est in Inventario Sacrarii, seu Sacristiæ Pontif. tempore Bonifacii VII. quod asservatur in Biblioth. Vaticana, & ibidem *in Vol.* 4279. *fol.* 227. a Magist. Cæremoniarum Urbani VI. scripta fuere hæc verba: *Rubricæ Novæ:* pro titulo libri, ubi etiam *fol.* 228. citat, & inominat antiquas Rubricas; quare extra Missale, Vox *Rubricæ* perantiqua est, & leges ipsæ antiquissimæ: quamvis aliis titulis (e quibus Ordo Rom. & quod a Græcis νῦπαχον) variis temporibus in lucem editæ; in Missali vero, nonnisi eo tempore & modo, quo adnotavi.

(b) *Generales*.) Distinguuntur hæ a propriis de Tempore, de Sanctis, & aliis, de quibus infra. Generales autem complectuntur ea, quæ generatim accidunt Missæ; & octo ea sunt. Concordantia cum Officio; Discordantia ab eodem; Commemoratio, ut in eodem; Ordo tum partium Missæ, tum Missarum inter se; Varietas Temporis, Vocis, & Situs Corporis; Apparatus Sacerdotum, & Altaris; Ritus privatæ Missæ, & solemnis; Defectus in Missa occurrentes; de quibus in sequentibus agitur; nam in prima parte Rubricarum, de concordantia cum Officio agitur in primis tribus titulis; ad Discordantiam spectant tituli tres sequentes: De Commemoratione habes *in tit.* 7. Ordo partium Missæ patet *ab* 8. *usque ad* 13. Missarum vero inter se *tit.* 14. Varietas temporis traditur *tit.* 15. Vocis, *tit. seq.* & Situs corporis *tit.* 18. Quæ attinent ad apparatum *tit.* 18. 19. 20. doceberis. In altera vero parte, Ritus fuse describuntur in titulis 13. & Defectibus remedia adhibentur in postremis decem. Certe generalium harum legum magna ex parte Collector, si minus auctor, fuit Joannes Burchardus Papæ Cæremoniarius, qui scripsit primus Ordinem exquisitum celebrationis Missæ, sine distinctione tamen titulorum, seu Capitum, concordatque fere in omnibus, etiam in verbis ipsis cum Ritu servando in celebratione Missæ,

de quo nos in altera parte, & ibidem pro occasione data; leges addidit aliquas a majoribus acceptas, de quibus nos in prima hac parte agimus. Additæ sunt aliæ, quæ quando nullo certo auctore a nobis referantur, adscribendæ erunt traditioni, seu auctoritati Pii V. vel Clementis VIII. quod & de toto opere semel dixisse sit satis. Usus autem imprimendi in Missalis initio, præter Ordinarium Missæ (quod in centro Missalis una cum Canone semper est habitum) & tradendi distinctissimos, & minutissimos ritus celebrandi, non est antiquior, quod viderim, anno 1542. quo prædictus Ordo Burchardi Venetiis initio Missalis primum dicitur in lucem editus.

(c) *Missalis.*) Deducta vox a Missa, de qua mox dicemus. Auctorem autem Missalis credit *Amalarius lib. 4. c. 31.* fuisse S. Gregorium Papam, fortasse & vocabuli auctor fuit: sed quia Romani Missalis est mentio *in libro Sacram. S. Gregorii*, ideo auctorem eum puto, quatenus illud meliorem ad formam redegit. * Baronius enim docet *in Annal. Anno* 102. quod antiqua traditio sibi vindicat eam, quæ latinis, universæque occidentali Ecclesiæ præscripta est sacræ Missæ fotma (quibusdam exceptis quæ postea sunt addita, vel mutata) a S. Petro Apostolorum Principe; cum ejus institutionis nullum aliud sit principium, & originem demonstrare. Sanctus autem Clemens, quem acceperat a S. Petro ritum offerendi sacrificium, Missam nempe ipsam, Romanæ Ecclesiæ scriptis consignasse, dicitur *ex Proclo Constantinopol. Episcopo citato a Baronio ibid.* Vocabatur etiam Sacramentale, quod nunc Missale, *ex Lindano pro Liturgia S. Petri cap.* 22. Item liber mysteriorum *a Sanct. Hierony. dum loquitur de S. Hilario in Catalogo Scriptorum.* Liber Sacramentorum *a Concil. Rhemen. apud Burchard. lib. 3. cap. 97.* Libellus *a Greg. Turon. lib. 2. de Hist. Franc. cap. 22.*

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. a — *Et leges ipsæ antiquissimæ &c.*) Ab ipsomet titulo Rubricarum generalium desumit doctissimus Gavantus suorum Commentariorum initium, & postquam sapienter *Rubricæ* nomen expendit, easdem Rubricas optime asserit esse ipsas Missalis leges, & quidem antiquissimas; & revera aliquas etiam, non vero omnes, a primis Ecclesiæ temporibus institutas, vetustorum Patrum, Apostolorum auctoritate pariter comprobatas esse, colligitur ex Concilio Tridentino *Sess. 22. cap. 5.* ubi ait: *in Missa Cæremonias adhiberi, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, quæ ex Apostolica disciplina, & traditione derivant.* Colligitur eadem veritas ex nonnullorum Patrum auctoritatibus, præsertim vero ex S. Justino Martyre; & id optime observat Theodoricus Ruinart *inter acta sincera Martyrum in admonitione ad ejusdem Sanct. Justini Martyris acta num.* 10. ubi ait: *quod ex illius scriptis præcipuorum Sacræ Religionis nostræ Mysteriorum veritas confirmatur, Sacramentorum Ritus, præcipuæque Liturgiæ Sacræ partes exponuntur;* & ex inferius a nobis dicendis eadem veritas magis comprobabitur. Prædictas autem Cæremonias, & Ritus, temporis processu, a Pontificibus auctas, & restitutas, vel contractas, Ecclesia semper retinuit, & ad posteros transmisit, quæ in nostris Missalibus adhuc perleguntur, additis tamen aliis, quæ de novo instituuntur, officiis, immutatisque aliis, prout locorum, & temporum varietas postulavit, qui in usu erant, Ritibus, & Cæremoniis. Nemo quippe inficiari potest adesse in Ecclesia potestatem de novo instituendi, veteres abrogandi leges, quas Rubricas appellamus, prout Ecclesiæ majestati, & utilitati, ab eadem Ecclesia divinitus illustrata congruum judicatur. Præfatæ Rubricæ Missalis dividuntur in Præceptivas, & Directivas, de quibus late Gavantus agit infra part. 3. titul. XI. & cum eodem etiam nos ibi disseremus.

Materia, circa quam versantur prædictæ Missalis leges, seu Ritus, & Cæremoniæ servandæ in celebratione Missæ, idque patet, quia in his præscribendis, & explicandis, omnes Rubricæ Missalis versantur. Cæremonia, quæ est actio sancta cum exteriori Religionis cultu, hoc nomine appellatur etiam apud Gentiles.

Circa hujus nominis *Cæremonia* etymologiam, variæ sunt auctorum opiniones. Macrobius *lib. 3. Saturnal. cap. 3.* censet *Cæremonias* a carendo dictas fuisse; idem existimat S. Augustinus *lib. 2. Retract. capit. 37.* quorum auctoritates referuntur a doctissimo viro Josepho Vicecomite Ambrosiani Collegii Doctore *lib. 1. de Antiquis Baptismi Ritibus cap. 1.* Joachimus Camerarius *problemate 4. decur. 3. in Disputat. de quorundam nominum orig. Cæremoniam*, veluti *geremoniam* a gerendo derivatam credit, ut indicentur ea quæ in Sacris, solemni Ritu, geri debent. Quamquam & alterum ibidem etymon addit, ut sit a Charitate. Alii volunt Cæremonias dici a Cerere, ita Angel. Cont. *advertent. 3. ex S. Thoma* relatus a Turrino in *Direct. Sacrificant. cap. 1.* quasi Cereris munia, sive dona, quia antiquitus primæ oblationes, quæ profecto sunt Cæremoniæ, Cereri fiebant ex primitiis frugum. Josephus Scaliger relatus a Vossio v. *Cæremonias* dici ab antiquo vocabulo *Cærus*, idest *Sanctus*; unde in Saliari Carmine *Cærus manus*, idest *sanctus bonusque*. Ita *Cærus* erit *Cæremonia*, ut *a Sanctus Sanctimonia, a Castus Castimonia, a Cultus Cultimonia*, qua voce, idem Tertullianum uti, arbitratur *libro de Pallio cap. 4. circa fin.* Alios auctores idem sentientes indicat Jacobus Pontanus *vol. 2. Progymn. latin. annot. in Progymnas. 23.* A præfatis omnibus longe discrepat Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1.* ubi *Cæremo-*

niæ

nia originem ad Cære oppidum Tusciæ, non longe a Tarquiniis situm, referri oportere arbitratur, hac occasione, quod Roma a Gallis capta, cum Flamen Quirinalis, & Virgines Vestales, omissa rerum suarum cura, simulacra deorum ab hostibus erepta, inter se onere partito traducerent, ad prædictum oppidum primum devenerunt; ubi quia benigne, ac humaniter hospitio susceptæ fuerunt, Romani grata memoria præstitere, ut omnis Divinus Cultus, atque Religio *Cæremoniæ* a Cære vocaretur. Idem narrat Florus *lib.* 1. *cap.* 13. & ante hos Livius *lib.* 7. *cap.* 1. ubi idcirco *Cære* appellat *Sacrarium Populi Romani*, *Diversorium Sacerdotum*, *ac receptaculum Romanorum Sacrorum*. Idem scribit Festus de verb. significat. Hanc ultimam sententiam præ aliis supra relatis sibi probari scripsit Josephus Vicecomes *loc. supracit.* cui subscribendum esse crediderim, cum sit hæc opinio cæteris probabilior: & quidem quamvis aliquot Cæremoniæ in carendo positæ sint, nemo tamen de Cæremoniis liturgicis ac aliis id affirmare poterit; sicut e contra quæ multæ in abstinendo sitæ sunt, consentaneum non est, eas a gerendo dictas fuisse. Commentarium pariter est *Charitatis*, aut *Cereris* nomen adducere ad investigandam Cæremoniæ etymologiam, cum nihil in eo præter vocis similitudinem inveniri possimus. Cæri autem vocabulum licet *Sanctum* significet, non ideo tamen putandum est ab eo Cæremoniæ nomen oriri; cum multi Romani Scriptores externorum vocibus uti non consueverint, quia propriis abundabant. His permotus rationibus rejecit dictas sententias, & postremam, quam adduxit, amplexus est laudatus Vicecomes, optime subdens; quod si opponatur, non videri usquequaque veram Cæremoniarum vocem ab oppido *Cære* advectam esse, quia hoc vocabulo utuntur etiam Divini Scriptores in Sacris paginis, quæ profecto ante Romam captam exaratæ fuerunt, facile huic exceptioni occurri potest: Sacra siquidem litterarum volumina hebraico charactere ac lingua scripta fuerunt; unde Cæremoniarum nomen in ipsis primigenio idiomate non reperitur expressum, sed Interpretes, qui postmodum eadem Sacra Monumenta latino idiomati reddiderunt, retinentes ejusdem rei significationem *Cæremoniæ* vocabulo usi sunt: & quidem id intellexit D. Augustinus *loc. supracitat.* quando dixit, quod *Cæremoniæ* nomen non est in usu litterarum sacrarum, nimirum in primigenio idiomate earumdem scripturarum. Super ejusdem nominis etymon alii quoque auctores conscripserunt; præsertim vero omni laude commendandus Cardin. Bona *lib. de Div. Psalm. cap.* 19. §. 3. noster Franciscus Magius, in sacris cæremoniis, & rebus asceticis eruditissimus, in suo opere *de Divin. Offic. & Choro opusc.* 2. *disquis.* 1. qui non solum prædicti nominis originem, sed etiam Sacrarum Cæremoniarum efficaciam, & utilitatem ad divinum cultum explicant. Super ejusdem nominis etymologia videri possunt etiam Pitiscus in Lexico Antiquitatum Romanarum v. *Cæremonia*, necnon Macrius in suo Hierolexico v. *Cæremonia*.

Diximus supra, materiam circa quam versantur Rubricæ, esse Cæremonias, & Ritus: quid veniat nomine ritus, prout distinguitur a Cæremonia, non conveniunt Doctores. Macrius loc. cit. vult Cæremoniam esse ipsam actionem sanctam, qua divinus cultus peragitur; ritum vero esse modum, quo actio ipsa sacra facienda est. Cardinalis autem Bona loc. pariter supracit. docet, Cæremonias proprie loquendo esse Ritus Sanctos in Sacrificiis, & Divinis Officiis ad Dei cultum adhibitos. Noster vero Paulus Quarti in suis Commentariis in Missalis Rubricas quæst. procemiali sect. 1. punct. 2. ait Cæremoniam communiter sumi pro ritu accidentali, eamque sic describi posse: *Est actio religiosa ad cultum, & decentiam Sacrificii ab Ecclesia instituta*. Hanc etiam definitionem tradit Suarez ab eodem allegatus. Ad perfectam intelligentiam hujus definitionis sciendum est, ritus Missæ dividi communiter in essentiales, & accidentales, qui pertinent ad ornatum ejusdem Sacrificii; & possunt esse de necessitate præcepti, non vero Sacramenti. Ritus essentialis Missæ est a Christo institutus, & consistit in Consecratione utriusque Speciei, vel etiam Communione Sacerdotis celebrantis, ut tenent nonnulli Theologi, & ut explicat idem Quarti in appendice sui operis. Ritus vero accidentalis consistit in actionibus, & precibus, aliisque circumstantiis ab Ecclesia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & Cæremoniæ Sacræ, ut videre est apud Bellarminum *libro* 2. *de Sacramentis cap.* 29. *& seqq.* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 15. *sect.* 1. Aversam *de Sacrif. quæst.* 11. *sect.* 12. & Molphes. *Sum. tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 26. Ex dictis patet Cæremoniam sacram confundi cum ritu accidentali, non autem convenire cum ritu essentiali: Cæremonia enim minus late patet, quam ritus; cum ritus quamcumque circumstantiam ad Missæ solemnitatem requisitam, sive ab Ecclesia, sive a Christo institutam, sive essentialem, sive accidentalem significet; Cæremonia autem nihil aliud significet, nisi ritum accidentalem ab Ecclesiæ præscriptum.

Procedit Quarti ad dividendas Cæremonias in eas, quæ sunt intrinsecæ ipsi Missæ, & partes ejusdem, & consistunt, dicit ipse, tum in verbis, tum in gestibus Celebrantis, de quibus late Suarez *disp.* 83. & 84. & in eas, quæ sunt circumstantiæ extrinsecæ ejusdem Sacrificii, ut locus, tempus, vasa, & vestimenta sacra, &c. Dicit præterea, quod illæ Cæremoniæ, quæ consistunt in gestibus, quædam inductæ sunt propter decentiam operandi, nec habent aliam significationem, ex. gr. quod Sacerdos dum signat seipsum, ponit sinistram sub pectore; & aliæ inductæ suut propter significationem mora-

lem, vel mysticam, verb. grat. mixtio aquæ cum vino, digitorum ablutio, Crucis signa, de quibus Divus Thomas 3. *part. quæst.* 83. *artic.* 4. & 5.

Verum, pace tanti viri, ego distinguerem Cæremoniam Sacram a ritu, dicendo, ritus Sacros consistere in illis precibus, Epistola, Evangelio &c. quæ juxta Ecclesiæ dispositionem recitari debent in Missa; Cæremoniam autem consistere in solis gestibus, quibus prædictæ preces juxta ejusdem Ecclesiæ præscriptum peragi debent ad majorem ornatum, & decentiam Sacrificii, quod celebratur: & revera Cæremonialia, seu libros Cæremoniarum vocamus illos, qui non orationes, & preces dicendas præscribunt, sed modum, quo illæ dicendæ sunt; e contra Rituales nuncupamus illos, qui continent preces, seu alias Orationes, quas recitandas præscribunt.

Ritus, quoniam in verbis regulariter consistunt, vel sunt partes Missæ ordinariæ, quia scilicet semper ingrediuntur ejus compositionem; vel sunt extraordinariæ, sive mobiles, quia non semper ejus compositionem ingrediuntur, sed ad majorem quandoque adduntur solemnitatem, atque ornatum.

Partes ordinariæ sunt: Sacerdotis in Missæ principio *Confessio generalis*, *Introitus*, *Oratio*, *Epistola*, *Graduale*, vel ejus loco, ut tempore Paschali *duo versus cum quatuor Alleluja*, *Evangelium*, *Offertorium*, *Præfatio &c.* Extraordinariæ vero sunt Psalmus *Judica*, *Gloria in excelsis*, *Sequentiæ post Epistolam*, *Tractus*, *Credo*, *Communicantes proprium &c.* Et verba, quæ adduntur in quibusdam Missis Solemnioribus Feriæ V. in Cæna Domini, Sabbati Sancti, infra octavam Paschæ, Pentecostes, ac ejus vigiliæ, ad Orationem *Hanc igitur oblationem &c.*

Ex partibus ordinariis, quædam sunt notabiles, seu principales, aliæ vero modicæ, & minus principales. Notabiles sunt Missæ initium, Sacerdotis videlicet *Confessio generalis cum precibus annexis*, *Epistola*, *Evangelium*, *Hostiæ*, *& Calicis oblationes cum formis verborum*, *quibus perficiuntur*, *Præfatio Missæ*, *Canon*, immo juxta communiorem sententiam *singula ejusdem Canonis verba*, *Oratio Dominicalis post Canonem*, Oratio *libera nos*, verba quæ dicuntur in fractione Hostiæ, & commixtione particulæ cum Sanguine, trina *Agnus Dei* repetitio, Orationes ante Communionem, & *Domine*, *non sum dignus*. Modicæ vero partes ordinariæ sunt *Populi salutationes*, *Graduale*, vel ejus loco duo versus cum quatuor *Alleluja*, Antiphona, quæ *Offertorium* dicitur &c.

II. Gavant. litter. B. — *Ordo Burchardi Venetiis initio Missalis primum dicitur in lucem editus anno* 1624.) Ita opinabatur præclarissimus Gavantus, sed revera Ordo Burchardi neque primum editus est anno 1542. neque tunc primum Missali præfixus; nam reperitur impressus in initio Missalis Romani anno 1534. sub hoc Titulo: Ordo celebrationis Missæ a Burchardo conscriptus, ut refert Cardinalis Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 1. num. 5. & idem Ordo a Missali sejunctus antea prælo mandatus fuerat Romæ anno 1502. teste eodem Eminentissimo Bona *libro* 2. *cap.* 20. *num.* 5. Deinde idem Ordo Burchardi traditus typis fuit Venetiis *anno* 1523. & insertus Libro, cui titulus *Liber Sacerdotalis nuperrime ex Libris Sacræ Romanæ Ecclesiæ &c. collectus*, *atque compositus*, *ac auctoritate SS. D. N. Leonis X. approbatus*. Verum quamvis præfatus Sacerdotalis liber, in quo continetur Ordo Missæ, a Joanne Burchardo Cappellæ Pontificiæ Cæremoniarum Magistro compositus, a mox laudato Pontifice approbatus, appareat die 2. *Novembris anno* 1520. ut colligitur ex ejusdem diplomate Apostolico: nihilominus prælo Veneto dumtaxat commissus fuit per Melchiorem Sessam, & Petrum de Ravanis *anno* 1523. sub Hadriano VI. Pontifice Maximo. Ex his omnibus magis magisque apparet, prædictum Ordinem Missæ a Joanne Burchardo elucubratum publici juris factum fuisse longo tempore ante *anno* 1452. Denique idem liber non solum reperitur nunc veteribus Missalibus præfixus, & libris Sacerdotalibus insertus, sine distinctione titulorum; sed etiam editus est, separatus a Missalibus, & libris Sacerdotalibus, non confusus, sed cum distinctione titulorum, seu capitum, quæ editio primum hoc modo prodiit ex Romanis Typis *anno* 1559. *per Antonium Bladum Impressorem Cameralem*, quem quidem rarissimum librum, ita in Titulos distributum & ejusdem editionis apud me retineo.

III. Gavant. lit. C. — *Ideo auctorem eum puto &c.*) optime autumat doctissimus Gavantus Sanctum Gregorium non posse censeri auctorem libri Sacramentorum, sive Romani Missalis, nisi quatenus illum in meliorem formam redegit. Digesserat enim, ante Gregorium Magnum, Missarum Ordinem etiam Gelasius Papa; & hæc Missalia separatim extabant *anno Domini* 831. in Abbatia Centulensi, sive S. Richerii. In Chronico enim præfati Monasterii *libro* 1. *cap.* 3. *tom.* 4. *Spicilegii Dacheriani* in Indice Bibliothecæ ita recensentur. De libris Sacrarii, qui ministerio Altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres. Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus. Missales Gelasiani XIX. Unius ex illis codicibus Gelasianis mentionem faciunt doctissimi viri, Cardinalis Bona *libro* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 25. *num.* 10. & ante eum Joannes Morinus *in Appendice Manuscriptorum ad Commentarium de Pœnitentia* editum Parisiis *anno* 1561. *pagin.* 52. ubi ait: *se eum Codicem sæpius Petavianum appellasse a suo possessore Domino Petavio viro amplissimo, & Parlamenti Parisiensis Senatore integ-*

gerrimo. Deinde subnectit, quod idem Codex pertinebat ad potentissimam Svecorum, & Gothorum Reginam Christinam, &c. Postquam igitur longo temporis tracta in præfatis Bibliothecis delituit prædictus Codex Gelasianus, compluribus ab hinc sæculis litteris majoribus, & quadratis exaratus; tandem præfata serenissima Regina perhumaniter concedente, prælo Romano commissus fuit, & publicam lucem aspexit *Anno* 1680. cura, & studio Venerabilis, & in rebus Liturgicis eruditissimi viri Joseph Mariæ Thomasii Congregationis nostræ Presbyteri, & deinde Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Verum quamvis Gelasio Pontifici referatur prædictus antiquissimus Sacramentorum Codex, nihilominus neque ipse adstrui potest auctor talis Missalis, seu Sacramentorum libri; Anastasius siquidem Bibliothecarius in vita memorati Pontificis asseverat ipsum non composuisse, nisi Præfationes, & Orationes, seu Collectas: *Fecit Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto sermone.* Ex quibus interre est ante ipsum Pontificem extitisse in Ecclesia Romana Sacrorum Mysteriorum, seu Sacramentorum Codices. Et id fatetur idem Thomasius in sua laudata Præfatione, in qua asseverat nonnulla contineri in Sacramentario a se edito, quæ stylum Leoninum apertissime redolent; unde nemo inficiari potest, antiquiora hoc Gelasiano extitisse Sacramentaria, quibus utebantur Romani Pontifices, & quæ a Gelasio in meliorem formam redacta fuere, præsertim multarum Præfationum, & Orationum adjectione. Quam vero Gelasius anterioribus Codicibus Sacramentariis operam commodavit, eandem Sanctus Gregorius Magnus circa finem Sæculi VI. collocavit in Gelasiano, a quo nonnulla vel subtraxit, vel adjecit, vel immutavit, id referente Joanne Diacono in vita ipsius Gregorii lib. 2. cap. 17. his verbis. *Sed & Gelasianum Codicem de Missarum Solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit.* Et hinc factum est, quod ab hujus Summi Pontificis reformatione totum illud opus Missalium precum Gregorianus Codex appellari cœperit, eoque quotquot consecuti sunt Pontifices, usi fuerint.

Dum hæc scriberem, clarissimus vir Josephus Blanchini, olim Cathedralis Ecclesiæ Veronensis Canonicus, nunc vero Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter, aliud Gelasiani Codicis exemplar ex Archivio prædictæ Cathedralis extractum Prolegomenis Tomi 4 Anastasii Bibliothecarii inseruit, tituloque Sancti Leonis adornavit, tum quia Leoninum Stylum redolet, tum quia Gelasiano a Thomasio edito est antiquius. Post diligentiorem vero rei hujus inquisitionem, & accuratius Codicis examen, Sacramentarium illud non Leoninum, sed purum putumque esse Gelasianum nullo additamento interpolatum est. Argumenta autem id aperte demonstrantia sunt, 1. Ingens Præfationum numerus, quæ in Veronensi Codice leguntur, quibus abundasse Sacramentarium purum Gelasianum testatur Anastasius Bibliothecarius. 2. Commemoratio S. Simplicii Pontificis Gelasii Prædecessoris, Leone vero in Pontificatu posterioris. 3. Tempus ordinationis Gelasii rectissime in Codice illo assignatum in Missa anniversaria consecrationis Pontificum. Quibus magis magisque confirmatur Gelasianum Codicem a Thomasio editum non esse purum integrumque Gelasianum, sed ut Thomasius ipse asseverat, multa in eo legi a posterioribus Pontificibus adjecta, & aliqua detracta; tum quia pro singulis Missis una, & quandoque nulla Præfatio in eo assignatur; Blanchini vero exemplar pluribus abundat pro Missis singulis. Nihilominus quia Codex ille Leonis Titulum præfert, quandocumque illum a nobis citari contigerit, Leoninum appellabimus. Ad Gregorianos Codices redeamus.

Gregoriana exemplaria passim extant tum MSS. in Bibliotheca Vaticana, & alibi, tum etiam typis impressa. Primus omnium Codicem Gregorianum, transcriptum ex MSS. Coloniens. in lucem emisit doctissimus Pamelius, notisque marginalibus adornavit *in Tomo 2. sui Liturgicon Ecclesiæ Latinæ, Coloniæ anno* 1571. Rursus Clemente VIII. in Apostolico throno sedente, juxta exemplar MS. quod in Bibliotheca Vaticana servatur, Romæ ex Typographia Apostolica Vaticana *anno* 1593. Typis datus est similis alius Codex Gregorianus cura & studio doctissimi viri Angeli Rocca Papæ Sacristæ, qui etiam eundem paucis quibusdam, sed eruditis notis explicavit. Demum in lucem edidit Parisiis *anno* 1624. eundem Codicem Gregorianum clarissimus vir Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, quem Codicem diligentissime contulit cum exemplari existente in Bibliotheca Corbejensi Monasterii Sancti Eligii, eumque etiam eruditissimis notis, & observationibus illustravit. Unusquisque præfatorum virorum suam editionem, ut germanum Gregoriani fœtum commendat, sed ita inter se dissident prædicti Gregoriani editi Codices, ut difficile sit, ut ait Vener. Cardinalis Thomasius, litem decidere; & quamvis tantorum virorum judex esse nolit, tamen pro veritatis amore fateri compellitur, se Codici Pameliano præ reliquis adhærere ob illas rationes, quas breviter indicat in sua erudita præfatione, quam suis Sacramentorum Codicibus adnexuit. Correctiorem omnibus hucusque editis dabimus in nostra collectione Liturgiarum Occidentalium ex antiquissimo Codice, qui erat in Bibliotheca ejusdem Reginæ Svecorum. Præter prædictos authenticos Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum libros, extitit etiam alia quidem sed privata Missalis libri confectio per Albinum, ex utroque Gelasiano nimirum, & Gregoriano Codice conflata, & hoc titulo inscripta: *Missalis,*

salis Gregorianus, & *Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus*: sic legitur in Chronico Centulensi *lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 4. Spicilegii Dacheriani in Indice librorum *anno* 831. numeratorum, ut superius dixi. Prætermittenda non est hoc loco eruditissimi viri Petri Le Brun observatio, qui *tom.* 2. *dissert.* 2. *pag.* 160. asseverat se plures Sacramentarios Codices MSS. perlegisse, qui Gregorii nomen præseferunt; hodiernum tamen Missale Romanum esse omnibus magis Gregoriano, immo purum Gregorianum esse, si quasdam Missas recentes exceperis.

IV. Gavant. eadem litt. C — *Vocabitur etiam Sacramentale.*) Liber Missæ, qui nunc Missale dicitur, antiquitus appellabatur *Sacramentale.* Item *Liber Sacramentorum*, & etiam *Liber Mysteriorum*: ea præsertim ratione, quia inter cuncta Ecclesiæ Sacramenta illud constat esse præcipuum, quod in Missæ officio supra mensam sacratissimi Altaris celebratur, & fuit solemne apud vetustissimos Ecclesiæ Patres Sacramenta antonomastice appellare Christi Corpus & Sanguinem, cum in Altari conficiuntur in Missa, ut advertit mox laudatus Cardinalis Thomasius in sua Præfatione; reddendo rationem, ob quam sub Sacramentorum titulo suos Codices evulgaverit.

Antiqui Libri Liturgici, & Missales, quibus Ecclesia utebatur in Missarum solemniis celebrandis, non uno, sed triplici volumine comprehensi seorsim reperiebantur. Primus continebat Orationes, Precationes, Præfationes, & alia similia, quæ a Sacerdote celebrante ad Altare recitabantur. Aliud reperiebatur volumen, in quo continebantur Evangelia, a Diacono, & Lectiones scripturales ab aliis ministris dicendæ. Tertius denique continebat Antiphonas, Tractus, Gradualia, Responsoria, & alia hujusmodi, quæ a Choro canebantur. Primum ex prædictis voluminibus est illud, quod Sacramenti nomen exinde est consecutum, seu Sacramentorum liber appellabatur, & de quo mox mentionem fecimus. Secundum D. Hieronymi hortatu in Ecclesiam Romanam introductum dicitur a Damaso Papa, quia distributio Lectionum per totum anni circulum, quæ in eo continentur, fuit ab eodem S. Hieronymo ordinata, ut testatur ipsius prologus in capite ejusmodi libri, qui Comes dicitur præfixus, si tamen prologus ille genuinus est, quod video a multis in dubium revocari. Hunc Comitis librum a Sancto Hieronymo fuisse compositum, veteres, qui de rebus Liturgicis tractatus edidere, uno consensu fatentur. Micrologus de *Ecclesiasticis Observationibus cap.* 25. Divo Hieronymo hunc librum attribuit his verbis: *Liber etiam Comitis, sive Lectionarius, quem S. Hieronymus compilavit, &c.* In eadem sententia versatur Joannes Beleth *in Rationali Divinorum Officiorum cap.* 57. ubi ait: *Instituit Beatus Hyeronimus rogatu S. Damasi Papæ, quæcumque ex veteri, & novo Testamento leguntur in Ecclesia.* Berno Augiensis *cap.* 1. *Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipsius testatur prologus appositus in capite ejusdem Comitis*: (sic eum appellavit.) Ab hac sententia recedunt plures ex recentioribus, qui tamen valida contra sententiam veterum argumenta non proferunt. Quamvis autem daretur Hieronymum libri hujus non esse auctorem, negari tamen non potest vetustissimum esse, & saltem paulo post Hieronymi mortem editum; cujus etiam habetur mentio in Charta Cornutiana: *Item Codices Evangeliorum quatuor, Apostolum, Psalterium, & Comitem.* Ex quibus verbis recte inferebat doctissimus Mabillonius *lib.* 6. *de Re Diplomatica*, auctorem Comitis Hieronymo coævum fuisse vel supparem. Hinc liber in lucem emissus fuit a Pamelio *in* 2. *Tomo sui Liturgici Latini*, deinde fragmentum veteris Capitularis, Evangeliorum, ac integrum Comitis librum, abundanter tamen interpolatum, (ut ait Cardinalis Thomasius in admonit. ad Lectorem) edidit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom.* 2. *colum.* 1156. & 1309. Præterea aliud ejusdem Lectionarii exemplar typis iterum committi curavit Romæ anno 1691. cit. Cardinalis Thomasius in volumine, cui titulus, *Antiqui libri Missarum Romanæ Ecclesiæ.* Optimum vero Hieronymi Comitem habebat Schultingius, quem deficiente pecunia typis mandare non potuit. *Comitem*, inquit ipse admonitione propria ad Lectorem, *sive Lectionarium B. Hieronymi, similiter ob defectum sumptuum premere fui compulsus, cum hujusmodi eo modo numquam sit editus, qualem ego manuscriptum penes me asservo, in quo longe plus, & amplius est præstitum quam in ejusmodi Comitis, per doctissimum Pamelium ante Tomum secundum Liturgicon, editione.* Dolendum profecto est Codicem hunc in Germanicis Bibliothecis adhuc latere, & in novo Thesauro Anecdotorum a Patre Pex compilato desiderari. Jacturam fortasse reparabit supra laudatus Joseph Blanchini Congregationis Oratorii Presbyter, qui mihi asseruit, se egregium Comitem invenisse in Bibliotheca Vallicellana, & hic locum habebit in magna Collectione Rerum Liturgicarum Occidentalium, quam, Deo dante, virisque eruditis consilium & operam commodantibus, in lucem emittemus.

Hoc loco animadvertendum occurrit in quibusdam MSS. Codicibus alium fuisse librum Epistolarum a Subdiacono dicendarum, alium vero Evangeliorum, quæ a Diacono recitabantur. Tertius ex dictis libris, qui *Antiphonarium* Missæ inscribitur, Sancto Gregorio Magno ab antiquis Codicibus, & Scriptoribus attribuitur. Hoc Missæ Antiphonarium forte iis libris comprehendebatur, quos Paulus Papa Pipino in Galliam misit, ut scribit *Epist.* 25. Codicis Carolini: *Direximus excellentissimæ præcellentiæ vestræ, & libros*

bros quantos reperire potuimus, idest Antiphoniale, & Responsale. Hujusmodi pariter Antiphonarium superlaudatus Jacobus Pamelius evulgari curavit, & in 2. *Tomo sui Liturgici Latini* post Divi Hieronymi Lectionarium adtexuit, novamque ejusdem Antiphonarii Missarum, sicuti & Lectionarii, ut mox dixi, editionem curavit clarissimus vir supralaudatus Card. Thomasius, in qua sua editione Officia Feriarum, quæ in MSS. Codicibus erant, cum Officiis Festorum commixta discrevit eo ordine, quo in modernis libris continentur.

Præter hos libros Missales ita divisos, & discretos, reperiebatur, *Missale Plenarium*, ita dictum, quia comprehendebat non seorsim, sed unitos omnes tres antedictos libros. De hoc Missali Plenario mentionem faciunt Acta Murensis Monasterii *pag.* vr. ubi legitur: *Sunt & hic Missales libri quinque, tres pleniter scripti sunt: quartus vero habet Graduale cum Orationibus; quintus tantum Orationes habet.* Rursus Leo IV. Homilia de Cura Pastorali præcipit, ut *Missale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habeat.* Ratherius Veron. *in Synodica ad Presbyteros*, & Regino *in inquisitione Episcop. c.* 10. habent hæc verba: *Inquirendum si Missale Plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habet; nam sine iis Missa perfecta non celebratur.* Denique Leo Ostiensis *lib.* 3. *cap.* 19. librum ad Missam describi curavit. *Namque usque ad illud tempus in plenario Missali tam Epistolæ, quam Evangelia legebantur. Quod quam esset inhonestum, modo satis advertitur.* Hæc collecta sunt ex Glossario Caroli du Fresne, seu Du Cange, ut alii citant. In celeberrima Bibliotheca Angelica Almæ Urbis extat antiquissimus Codex talis Missalis Plenarii, comprehendentis omnia, quæ in Missæ celebratione tam a Sacerdote, quam a Ministris, & Choro dicebantur. Quæ quidem Missalia Plenaria necessaria erant cuicumque Sacerdoti, quando celebrabat Missas privatas. Vide quæ de his libris erudite scripta sunt a doctissimo Bocquillot in Tract. Historico Liturgiæ sacræ *lib.* 1. *c.* 9.

Gravis agitatur quæstio inter Doctores Liturgicos: utrum quatuor primis Ecclesiæ sæculis extarent libri Missales manu exarati, quibus uterentur Sacerdotes in peragendo sacrificio; an memoriter tantum recitarentur ab iisdem orationes, Preces, &c. dum Missam celebrabant? Eruditissimus Joseph Vicecomes *Volum.* 4. *suarum Observat. lib.* 7. *cap.* 10. sustinet librorum Missalium usum in Re Divina vetustissimum esse; in qua sententia versatur pariter Card. Bona *Rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 8. & 25. *num.* 10. ibi cum fatetur fuisse ab initio Ecclesiæ certas Liturgiarum formulas *ab Apostolis, & Apostolicis Viris* compositas; quam veritatem propugnat *cit. cap.* 8. Denique in eandem sententiam descendit, eamque validis rationum & auctoritatum momentis tuetur mox laudatus Lazarus Andreas Bocquillot in citato Tractatu Historico Gallice conscripto de sacra Liturgia *lib.* 1. *cap.* 9. contra Petrum Le Brun, qui *tom.* 2. *suarum Explicationum dissert.* 1. acerrime sustinet per solam traditionem servatum fuisse ordinem Liturgiæ, & normam consecrationis usque ad quintum Ecclesiæ seculum.

Verum non huic secundæ, sed primæ sententiæ libentius adhæreo; tum quia si non omnes, saltem aliquæ quoad majorem sui partem ex prædictis antiquis Liturgiis admittendæ profecto sunt, tamquam genuini fœtus illorum Auctorum, quibus communiter tribuuntur; tum quia id pariter ostenditur auctoritate S. Justini, qui in *Apologia* 2. quam circa *A. C.* 140. ad Imperatorem Antoninum Pium scribebat, ait: *Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in urbibus, vel ruri degunt, in eumdem locum Conventus fit. Et Commentaria Apostolorum, aut Scripturæ Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præsidens orationem habet, qua Populum instruit, & ad imitationem tam pulcharum rerum cohortatur. Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus. Precibus autem peractis, panis offertur, & vinum, & aqua. Et Præsidens iterum quantum pro virili sua potest preces & gratiarum actiones fundit, & Populus fauste acclamat, Amen, & distributio communioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, & absentibus, per Diaconos mittitur.* Ex quibus verbis S. Martyris conjicere licet extitisse tunc Codicem aliquem, in quo perlegebantur dictæ preces, gratiarum actiones, scripturæ Prophetarum, &c. Rursus id evincitur auctoritate Divi Hieronymi, qui in Catalogo Scriptorum, dum loquitur de S. Hilario Pictavorum Episcopo, ait: *Est ejus & liber Hymnorum, & Mysteriorum alius*, ubi, *Mysteriorum libro* Codicem Missalem intelligi, compellitur fateri quicumque Missam a priscis Scriptoribus Mysterium nuncupatum fuisse non ignorat. Colligitur eadem veritas ex Epistola S. Athanasii *ad ubique Orthodoxos*, in qua is graviter queritur, quod Ariani, labes, ac ruina Catholicæ Religionis, altis tenebris gentilitatis oppressi, quibus propositum erat Christianam pietatem evertere, sacros omnes libros, qui Ecclesiastico usi destinati erant, admoto igne, consumpsissent. Sed quinam libri magis sacri, quam illi, quibus Rei Divinæ peragendæ Ritus & Ordo consignati erant? Ita optime ponderat laudatus Vicecomes. Denique ex Divo Augustino clarissime eruitur eadem veritas antiquorum Codicum Liturgicorum; nam in Epistola ad Paulinum, explanando illa verba Apostoli Pauli *ad Timotheum cap.* 1. *v.* 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; explanando, inquam, Sanctus Doctor in Epistola ad Paulinum *num.* 16. prædicti Apostoli verba, ait: *Sed eligo in his verbis hoc*

intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamas dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa ineipiat benedici: Orationes cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit. Deinde addit: *Ideo in hujus sanctificationis præparatione existimo Apostolum jussisse proprie fieri Orationes, vel (ut nonnulli minus perite interpretati sunt) adoratione; hoc est enim ad votum, quod usitatius in Scripturis nuncupatur εὐχή. Interpretationes autem, sive ut vestri Codices habent, postulationes fient cum Populus benedicitur; tunc enim Antistites, velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati, quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit: quam his etiam verbis commendavit.* Liquet ergo ex D. Augustino hanc omnium, aut fere omnium Ecclesiarum ipsius ævo fuisse consuetudinem, ut fierent obsecrationes, antequam panis & vinum inciperent benedici & sanctificari; deinde orationes, quarum voces sapientissimus vir Joannes Mabillon *lib.* 1. *Liturgiæ Gallicanæ cap. 4. numer.* 3. intelligi, *Canonem Missæ* ab Augustino, censet: asseverat præterea Augustinus populo inter Missarum solemnia benedictionem dare, preces effundere ad gratias agendas post acceptam, & distributam Eucharistiam, & hæc omnia censebat fieri ex Pauli institutione; quod quidem nonnisi conjiciendo, & interpretando dicit S. Doctor: sed in dubium verti nequit, quod omnes prædictæ preces, obsecrationes, & orationes faerint in usu, ut diximus, Divi Augustini ævo apud omnem fere Ecclesiam; quo posito, quis audeat opinari prædicta omnia non fuisse scriptis consignata, sed solum memoriæ mandata a Sacerdotibus; optime ponderat Bocquillot, quod non omnis homo pollet memoria Sidonii Apollinaris ad memoriæ mandandos integros libros, sicut ipse faciebat in sacris Mysteriis peragendis: cogimur itaque fateri, etiam primis Ecclesiæ sæculis in usu fuisse sacros Liturgicos libros, quibus Sacerdotes utebantur in Missæ celebratione.

Unicum habet hæc sententia præsidium in Magni Basilii verbis, qui *lib. de Spiritu Sancto cap.* 2. ait: *Verba invocationis, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripta nobis reliquit?* ex quibus verbis tam Petrus Le Brun, quam Tillemontius in notis ad vitam S. Jacobi Apostoli inferunt, ante Basilium Liturgias scriptis non fuisse mandatas. Celeberrimam hanc objectionem solide tandem diluit eruditissimus Julianus Garnerius Monachus Congregationis S. Mauri nuperus Basilii editor, cujus hic observationem exscribimus: Non statuit hoc loco Basilius, quod ab eo eruditorum nonnulli, in his præstantissimus Scriptor Eusebius Renaudot *Liturg. Oriental. Disser.* 1. *cap.* 2. doceri existimant; Eucharistiæ, & Baptismi, & aliorum Sacramentorum preces & ritus, ne in Ecclesiis quidem ad Sacerdotum usum scripta servari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur, summam olim adhibitam fuisse cautionem, ne quid de mysteriis non solum ad Gentiles, sed etiam ad Catechumenos permanaret: ac recte observat Scriptor modo laudatus, mysteria initiandis viva voce exponi; initiatis breviter, & obscuriuscule in Concionibus indicari solita, cum hac ἀποσιωπήσεως formula: *norunt initiati.* Perincommode enim fuissent vulgata, quæ Cathecumenis spectare non licebat; nec leve periculum erat, quod vilescerent mysteria, si violata arcani sanctitas fuisset. Sed tamen Basilius dum scripta negat, hæc instituta, non de veterum Scriptorum libris, non de Liturgiis scripto consignatis, sed de Scripturis sanctis loquitur. Liquet primo Pneumatomachos, dum glorificandi modum ὡς ἀγράφων rejiciunt, hoc tantum nomine argutias suas prætexuisse, quod in Scripturis non legeretur *cum Spiritu Sancto.* Hinc Basilius illis instituta, non scripta opponit; in primis invocationis verba, quæ quidem negat ab ullo Sanctorum fuisse scripta, quia nec apud Apostolum, nec in Evangelio commemorantur. Sæpe alias apud Basilium ἄγραφα dicuntur, quæ non extant nominatim in Scripturis. In libro, sive epistola de Fide, Moralibus præfixa, cum quidam ab eo postulassent ὁμολογίαν ἔγγραφον *confessionem ex scripturis petitam*, *pag.* 223. profitetur se non usurum verbis ἀγράφοις, idest, quæ in Scripturis non leguntur. Unde *consubstantiale* in illa Fidei confessione non reperitur. Ariani apud Athanasium *lib. de Decret. Nic.* queruntur, quod Nicæni Patres ἀγράφους λέξεις *dictiones non scriptas* admisissent. Secundo, nihil veri dixisset Basilius si confessionem Fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & alia ejusmodi instituta, quæ vocat ἄγραφα, nullo prorsus scripto consignata esse contendisset. Horum enim non infrequens apud antiquos Scriptores mentio. Quin etiam ipse Basilius glorificandi modum, quem inter ἄγραφα instituta numerandum fatetur, in scriptis veterum Patrum sæpe occurrere demonstrat *cap.* 29. Frustra ergo sententiæ suæ præsidium a Basilio petunt, qui preces Liturgiæ sero admodum contendunt litteris mandatas fuisse. Hæc Garnerius *tom.* 3. Operum S. Basilii: miramur autem eruditissimum Bocquillot acerrimum sententiæ nostræ patronum, celeberrimum hunc Basilii textum sibi non objecisse, qui cæteroquin est præcipuum opinionis adversæ fundamentum.

RUBRICA.

d *Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officii de* (e) *Festo duplici, vel semiduplici, vel simplici, de Dominica, vel Feria vel Vigilia, vel Octava, & extra ordinem Officii Votivæ, vel pro Defunctis.*

GAVANTUS.

d *Missa.* Vox Latina est, & antiquissima, a vulgo potius introducta, multipliciter ejusdem rei significativa.

Latina est, non Hebræa, velut aliæ voces *Alleluja*, *Amen*, & ejusmodi, quas Græci Patres retinuere; ab Hebræis aliquam originem ducit: unde *Baronius anno* 34. *num.* 59. a Jacobo usurpatam vocem, *Missach:* idest, spontaneam oblationem in Liturgia dicit, Missa vero ab iisdem Græcis nunquam usurpatur, sed eam, *Liturgiam*, publicum opus; vel *Jerurgiam*, sacrum opus *apud Ignatium non semel;* vel *Mystagogiam*, summum ministerium, *Nazianzenus pluries;* vel *Prospheram*, oblationem, *can.* 3. *Apostol.* vel *Thysicam*, sacrificium, *idem can.* 3. vel *Teletin*, mysterium vocavere *Durand. lib.* 2. *de rit. cap.* 2. neque Latinus quisquam eam exaravit cum aspiratione, *Misach*, *ut Hebræi.*

Antiquissima est, a Clem. *Epist.* 3. ab Evaristo, *inquit Buchardus tertio Decretal. cap.* 27. Certius autem a S. Ambrosio *lib.* 5. *epistol.* 33. *dubitante Azorio lib.* 10. *cap.* 18. *quæst.* 1. *de epistola Evaristi*, a vulgo potius introducta est vox, sumpto vocabulo a publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur: *Ite, Missa est:* ait *Azor. ibi quæst.* 1.

Missionem autem significat (mitto, quod Baronius in Martyrologio prima Octobris docet, apud Francos significare quandoque per Synecdochen Festivitatem ipsam, de qua fit Missa) sicut Remissa significat Remissionem *apud Tertullian. lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 18. *& Cyprian. de bon. patient.*

Missio enim, tum precum populi per Sacerdotem ad Deum, *Alcuinus de Divinis Offic. cap. de celebr. Missæ:* tum Christi, qui missus est a Patre ad nos, *Durand. Ration. lib.* 4. *cap.* 1. tum ejusdem Christi a nobis ad Deum ad placationem solutionemque inimicitiarum inter Deum & Homines, *Rupertus Abbas libro* 2. *de Divin. Offic. cap.* 20. tum Catechumenorum, qui post Evangelium a Diacono dimittebantur, *Rabanus Institut. Cleric. lib.* 1. *cap.* 52. tum Fidelium, qui tanquam rei toto sacrificio, veluti cuidam judicio intersunt (unde & Canon Missæ Actio dicitur) idest, causa in judicium deducta ab advocato Sacerdote; peracta vero causa dimittuntur rei, *Durand. loc. cit.* Dicta est etiam Collectio, & Dominicum, *ex Baronio anno* 303. quia colligebantur uti ad Rem Dominicam. Alia nomina Missæ, ultra 80. a SS. Patribus usurpata recenset *Josephus Vicecomes de Missæ ritibus lib.* 1. *cap.* 7.

Quod ad rei definitionem attinet, Missa significat verum sacrificium incruentum Christi, ab eodem institutum iis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod secum habet rem externam sensibilem, quæ fit sacra, & mutationem patitur, & offertur Deo per legitimum Ministrum, certis ritibus & cæremoniis; vel ad delenda peccata, vel ad gratias agendas pro beneficiis; vel ad opem invocandam; vel ad supremum Dei dominium profitendum; in quibus propria sacrificii ratio consistit; *fusius Azor. lib.* 10. *cap.* 18. *quæst.* 5. *neque enim nostri est instituti mere Scholasticas quæstiones hinc enodare.*

Primam vero Missam celebravit S. Petrus in die Pentecostes, *ex conjecturis Anton. Democharis Tomo* 2. *de Sacrificio Missæ, cap.* 4. quia, *inquit*, eo die Hebræi *Deuter.* 16. offerebant oblationem spontaneam, *Missach*, quæ erat tritici. Petrus igitur eandem obtulit in pane azymo, in Cœnaculo Sion. Eadem docet *Pamelius Tomo* 1. *Liturg. Eccles. Latinæ.* Neque dicas, Jacobum celebrasse primam, *de consecrat. dist.* 1. *cap. Jacobus, ex Synodo sexta*, quia Petrus ordinem præscribit, Jacobus evulgavit; quo modo conciliat Scriptores *Walden. lib. de Sacram. tit.* 12. *cap.* 28. & de Petro absolute docent *Clement. epist.* 2. *Isidor. lib.* 1. *de offic. cap.* 13.

e *De Festo duplici*, *&c.* Quid sit Festum duplex, &c. dicemus, cum de Rubricis Breviarii agemus.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

V. Gav. lit. d — *Missa vox Latina est*, *&c.* Huic nostri insignis Auctoris sententiæ adstipulantur etiam nonnulli alii præclarissimi Viri, nimirum Cardinalis Bellarminus 1. *de Missa cap.* 1. Cardinalis Bona de *Rebus Liturgicis lib.* 1. *cap.* 1. Petrus Le Brun Congregationis Oratorii Gallicani Presbyter *tom.* 1. *cap.* 1. suarum eruditarum explicationum super Missæ Cæremoniis. Bocquillot in suo Tractatu Historico superius allegato *lib.* 1. *cap.* 1. Grancolas in Tractatu de Missa, & Divino Officio *part.* 1. *pag.* 1. Claudius de Vert. *tom.* 1. *Explicat. part.* 1. *cap.* 1. Antonius Bellote in præclarissimo suo Opere inscripto: *Ritus Ecclesiæ Laudunensis part.* 2. *Observ. pag.* 58. *&* 106. Omnes præfati Auctores adstruunt incruentum novæ legis Sacrificium *Missam* appellatum fuisse a Missione, seu dimissione Populi, & licentia discedendi, de qua infra.

VI. Gav. ead. lit. d. — *Non Hebræa.* Contra Gavantum, *Missam* esse Hebraicum nomen ex voce *Missach*, quæ habetur in Deuteronomii *cap.* 15. & quæ significat *oblationem*, sustinent præter Baronium, Joannes Reuchinus *lib.* 2. *Hebraicarum eruditionum*, Claudius de Sainctes in sua erudita Præfatione Liturgiis SS. Patrum præfixa,

Ge-

Genebrardus *de Liturgia Apostolica cap.* 7. Antonius Demochares adversus Misoliturgos, *Tom.* 2. *cap.* 1. Joannes Maria Turrinus in Directorio Sacrificantium *part.* 2, *sect.* 1. *cap.* 4. & Joannes Baptista Scortia de Sacrificio Missæ *lib.* 1. *cap.* 1. Præterea nonnulli alii, quorum aliqui nulla auctoritate SS. Patrum innixi asserunt, Apostolos ab Hebræis, Latinos a Petro Apostolorum Principe *Missæ* vocabulum accepisse. Verum Bellarminus *loco superius citat.* optime observat, & post eum Cardinalis Bona, quod si vox ista Hebraica Apostolis in usu fuisset, eam certe tenuissent etiam Græci, & Syri, atque aliæ nationes, sicut retinuerunt alias similes voces, nimirum *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Osanna*, *Satan*, *Subbatum*, *Pascha*. Hæc vocabula Hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum Apostoli ipsi, & vetustiores PP. iisdem proximiores græce scripserint. Quoniam vero apud antiquos Græcos Scriptores nulla fit mentio hujus vocis; Rursus quoniam neque a Patribus Hebraicam Linguam callentibus, Origene, Epiphanio, Justino, Hieronymo, usurpatur tale nomen, liquido constat ex Hebræis ad Christianos talem vocem non derivasse.

VII. Gav. eadem lit. d — *Sed eam Liturgiam publicum opus &c.*) A Græcis PP. sacrosanctum Missæ Sacrificium *Liturgia* vocatur, & quamvis hæc vox apud Grammaticos denotet quodcumque publicum munus seu ministerium; attamen apud Christianos ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis consuetudo invaluit, ut pro Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini fuerit accepta. Nulla siquidem functio est, nullumque ministerium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. Hinc *Actorum cap.* 13. vox illa *Ministrantibus illis Domino*, legitur λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. *Sacrificantibus vero ipsis Domino.* Quod quidem ministerium nihil aliud fuisse traditur, quam Sacrificium; atque ideo Textum sic vertit Erasmus: *Cum illi Domino sacrificarent*: alii vero plurimi eruditi Scriptores prædicta verba interpretantur: *sacrificantibus vero ipsis Domino.* Hinc translatus est, & affixus Liturgiæ Titulus a SS. PP. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Joanne Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, & aliis, libro illo, seu monumento, in quo Rei Divinæ conficiendæ Ritus præscribitur. Observat tamen eruditus vir Congregationis nostræ Theologus Vincentius Riccardus in suo Commentario ad S. Proclum *de Traditione Divinæ Missæ*, quod quando PP. voce *Liturgiæ* in prædicta significatione utuntur, fere semper cum adjuncto efferant, *Mysticæ* vel *Sacræ.*

VIII. Gav. eadem lit. d — *Antiquissima est, a Clemente epistola* 3. *&c.*) Redit iterum Gavantus ad dictionis Latinæ *Missa* antiquitatem adstruendam, aitque antiquissimam esse. Et revera in epistolis Romanorum Pontificum primi, & secundi sæculi, præfata vox *Missa* reperitur ad significandum Eucharisticum Sacrificium. Neminem quidem later præfatorum Pontificum, qui Siricium præcesserunt, Decretales Epistolas a pluribus eruditis viris tamquam supposititicias respui, & reprobari; verum prætereundum non est, quod quamvis pleræque dictarum Epistolarum, prout communiter circumferuntur, vehementer suspectæ sint de aliqua interpolatione, & aliis defectibus, non ideo tamen sunt omnino respuendæ, sed venerandæ, & in auctoritatem recipiendæ cum delectu opportuno: ita asserit, & solidis fundamentis hanc suam sententiam comprobat sapientissimus Card. de Aguirre *Tom.* 1. *Concil. Hispan. dissert.* 4. & Annatus in suo Apparatu ad Positivam Theologiam *tom.* 2. *lib.* 6. *art.* 5. asseverat, quod quamvis ob conjecturas hinc inde pro utraque parte certantes satis liquido non constet, an genuinæ sint, vel suppositiæ, mox memoratæ veterum Pontificum ad Siricium usque Decretales Epistolæ: satis tamen constare eas Theologis veneratione dignas, & non spernendas esse, saltem ubi Canonibus antiquis minime adversantur. Ex quo igitur Evaristus Papa *epist.* 2. Decretali, item Alexander Papa *epist.* 1. similiter Telesphorus epistola ad omnes universaliter Christi fideles *Missæ* nomine usi sunt, satis evincitur præfati nominis antiquitas. Sed ut certiora etiam argumenta adducantur ejusdem antiquitatis, proferam Textum Epistolæ Pii ad Justum Viennensem Episcopum datæ anno Christi 166. initio præfatæ Epistolæ sic loquitur S. Pontifex; *Soror nostra Exuperia, si bene recordaris, titulum Domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus.* Ita pariter Cornelius Papa in sua Epistola *ad Lupicinum* pariter Viennensem Episcopum scripta circa annum 254. ait, *Non licuisse tunc Christianis neque in cryptis notioribus publice Missas agere propter acerrimam persecutionem.* Præfatæ autem duæ Epistolæ Pii, & Cornelii Summorum Pontificum communiter tamquam genuinæ admittuntur, & nonnisi a paucis quibusdam severioris critices prurigine laborantibus in censu Apocrypharum etiam istæ habentur; ex quibus omnibus evincitur etiam ante ævum Ambrosianum solemne fuisse in Ecclesia Latina usurpare nomen *Missa* ad significandum prædictum mysterium; quapropter falsum est, Divum Ambrosium primum omnium tale nomen protulisse, ut asseverat Bocquillot *lib.* 1. *cap.* 1. quando *epist.* 14. ad Marcellinam Sororem ait, *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi*; *& serm.* 34. *Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam.* Observat Mabillon. *in Tract. de vocibus Missæ, & Communionis*, S. Hilarium Pictaviensem Episcopum prædicta voce *Missa* usum fuisse, quem, inquit, *secutus Ambrosius*, locum tamen Hilarii non indicat, nisi fortasse memoria lapsus sit, Amicus quidam noster, vir alias doctrina, ac eruditione conspicuus, putabat *Missæ* nomen Apostolicum esse, ea ratione ductus, quod non semel in Jacobi Litur-

turgia legatur, quam opinionem vir eruditus hausisse videtur a Josepho Vicecomite, qui *lib.* 1. *de Missæ Ritibus cap.* 3. hujus vocabuli antiquitatem ex Jacobi Liturgia demonstrare conatus est. Neuter animadvertit Jacobi Liturgiam non fuisse latino idiomate exaratam, sed græco, vel potius hebræo, ut opinatur clarissimus Leo Allatius in *dissert.* a se edita pro hujus Liturgiæ veritate. Porro in græco Textu, quem unice sequi debemus, non dicitur *Missa*, sed in primo loco a Vicecomite laudato habetur λειτουγίαν, in secundo autem ἱερουργία. Quare si prædicti viri argumentum antiquitatis ex latina versione deducere volunt, fateantur oportet Jacobi Liturgiam Apostolico ævo in latinum idioma fuisse translatam, quod tamen nemini persuadere valebunt.

IX. Gav. eadem lit. d. — *Missio enim est tum precum Populi &c.*) Optime Gavantus interpretatur, & explicat dictionem Latinam *Missa*, eo quod Missa sit veluti Missio, tum precum Populi per Sacerdotem ad Deum, tum Christi, qui missus est a Patre ad nos, & qui iterum mittitur a nobis ad Deum, ad solvendas inimicitias, quæ sunt inter Deum, & Homines. Et hæc *Missæ* etymologia comprobatur etiam auctoritate D. Thomæ, qui 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 9. ait: *Et propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo: Unde in fine Missæ Diaconus in festivis diebus Populum licentiat, dicens: Ite, Missa est, Scilicet Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta.* Ita pariter Rupertus Abbas *lib.* 2. *de Divin. Offic. cap.* 23. ait: *Sacrosanctum Altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum, & Homines, sola valens, & idonea mittitur Legatio.*

X. Gav. ead lit. 2. — *Tum Catechumenorum, qui &c.*) Evangelicæ Legis Sacrificium, Missa nuncupatur juxta Gavantum, aliosque DD. superius allegatos, ex Populi Missione, seu dimissione. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat, una sermone post Evangelium absoluto, quando Cathecumeni a Diacono dimittebantur his verbis; *Si quis est Cathecumenus exeat foras; vel si quis non communicat det locum*, ut ait Divus Gregorius *lib.* 2. *Dialogorum cap.* 22. & hæc dicebatur *Missa, seu Missio Catechumenorum*, de qua S. Augustinus *serm.* 237. ait; *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt Fideles.* Quam sententiam clare docuit S. Isidorus Hispalensis dicendo *lib.* 2. *Orig. cap.* 16. *Missa tempore Sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur clamante Levita: Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: & inde Missa: quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Reliqua Sacrificii parte expedita, & Re Divina peracta, alia sequebatur dimissio Populi, nimirum dimittebantur etiam Fideles baptizati, & hæc Missa Fidelium vocabatur. Dimittebantur autem iis verbis a Diacono prolatis; *Ite, Missa est.* De hac post consummatum Sacrificium conclusione, & Fidelium dimissione mentionem faciunt Florus Lugdunensis, & Remigius Antisiodorensis in fine Expositionis Missæ, dicendo: *Missa nihil aliud intelligitur, quam dimissio, idest absolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus esse pronuntiat, cum Populus a solemni observatione dimittitur.* Hæc verba ab Alcuino transcripta reperiuntur etiam in libro Sacramentorum D. Gregorii, ubi *Feria* 6. Parasceves legitur, *Deinde communicat ipse, & omnis Clerus, & fiant Missæ*: quo in loco Pamelius optime observavit: *Ex postrema hac clausula colligere est cur Missa nuncupetur, nempe a dimittendo Populo.*

Ejusmodi Fidelium dimissiones completo Sacrificio, cum in nostris, tum etiam in Liturgiis Græcorum Orientalium passim reperiuntur. Ita in Liturgia S. Jacobi legitur Diaconum dicere: *In pace Christi eamus*; in Liturgia S. Basilii: *Ite in pace*; in Liturgia Sancti Joannis Chrysostomi: *In pace progrediamur*: ita pariter in Liturgia Sancti Marci: *Ite in pace*; ob hanc, inquam, duplicem dimissionem Catechumenorum, & Fidelium, *Missa* nuncupatum est incruentum novæ Legis Sacrificium; quod quidem nomen, ut advertit Le Brun *loc. supracit.* post *annum* 400. affixum fuit omnibus officiis Ecclesiasticis, cum diurnis, tum nocturnis. Hinc Cassianus, qui floruit circa *annum* 400. in hoc sensu applicabat præfatum nomen, cum dicebat: *Post Missam nocturnam, lib.* 2. *cap.* 7. *Post Orationem missam cap.* 14. *Congregationis missam lib.* 3. *cap.* 7. *Post vigiliarum missam, cap.* 8. In eodem sensu S. Pater Benedictus in sua Regula *cap.* 11. ait: *Post expletionem vero trium Psalmorum recitentur Lectio una, Versus, & Kyrie eleyson, & missæ sint.* Ubi, ut observat Edmundus Martene in suo eruditissimo Commentario ad præfatam Regulam; Missa non sumitur pro Sacrificio Eucharistico, sed in alio sensu, nempe ut tale verbum significet Collectas, seu Orationes, quæ *Missæ* dicuntur, eo quod in illis expresse preces ad Deum mittamus, dicentes: *Oremus*, &c. ut tradit etiam Joannes de Turrecremata, Hugo Menardus, & alii relati a laudato Martene ibidem, in quo pariter sensu dicitur, Monachos plures Missas, ut etiam post Completorium fecisse. Rursus observare etiam lubet cum P. Le Brun, quod ob antedictam duplicem dimissionem, primam Cathecumenorum, secundam vero Initiatorum, evenit, quod circa *annum* 500. nomen *Missa* in plurali usurparetur, & diceretur: *Missarum solemnia*, ad significandum etiam unum tantum Missæ Sacrificium. Ita legitur apud Cæsarium Arelatensem *serm.* 81. ubi ait: *Tunc fiunt Missæ ..... quando munera offeruntur, & Corpus*

pus & Sanguis Christi consecrantur. Cæterum hæc vox *Missa* sumitur pariter pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit, & cathecumenorum, & Baptizatorum dimissionem, quæ quidem acceptio nunc adeo in ore omnium communis est, ut recentiores vix aliud intelligant nomine *Missæ.*

Genebrardus *de Liturgia Apostolica* agens, relatus a Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 1. & Gilbertus Grimaldus *in sua Liturgia Sacra* gallice conscripta *cap.* 1. explodere adnituntur prædictam etymologiam, veluti nimis frigidam, & modicæ reverentiæ erga tantum Mysterium, cum a minima sui parte vel accidente, augustissimum Sacrificium *Missa* appelletur; quando, docente Platone in Cratylo, ex propria rei nota nomina deduci debent. Verum præfati auctores hac tantum ratione moti perperam respuunt antedictam etymologiam, seu talis obscuri nominis impositionem augustissimo Eucharistiæ Sacrificio. Hæc dictitare possunt illis, quibus Ethnicorum in Christianos Ecclesia nascente debacchantium furor perspectus non est; sed longe videtur aliter illis, qui memoria repetunt ea tempora, quibus tyranni rem Christianam divexabant. Igitur Fidei nostræ Proceres, veteresque Christiani Latini, summo consilio, obscuro *Missæ* nomine usi sunt ad Rem Divinam significandam, nimirum, ut hominibus falsas Religiones colentibus, hoc nomen symbolicum ignotum esset, & ne Fideles ipsi proderentur, qui tunc in locis abditis, & retrusis, ac horis antelucanis sacros conventus habebant. Unde *natio latebrosa, & lucifugans* dicta fuit apud Minutium Felicem, & Ludolph. *Comment. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 63. relatus a Le Brun *Tom.* 3. *suarum explicationum dissert.* 12. *art.* 1. ait: *Antiquissimi Christianorum, cum per tria fere sæcula publicos cœtus habere non liceret, in speluncis, & cryptis, sed plerumque in cœmeteriis, cultui sacro vacare cogebantur: Gentiles enim eos ubique turbabant, & omne sacrum instrumentum diripiebant. Igitur panes, vinum, Calicem, & alia ad sacram Cœnam pertinentia palam ferre non poterant, sed vel linteaminibus involuta, vel aliter occultata ad locum, ubi Ecclesia congregata erat, portabant.* Sicut igitur locum & tempus, ita etiam Sacrificium ipsum, sub involucro præfati obscuri nominis, celare studuerunt, ut facilius profanis hominibus, & hostibus Christianæ Fidei tam insigne Mysterium occultaretur, & ne sanctum canibus objiceretur, sicut recte observat Casalius *de veteribus Christianorum Ritibus cap.* 9. & ante eum Josephus Vicecomes de Missæ Ritibus *lib.* 1. *cap.* 7. qui hæc subnectit: *Satis constat veteres Ecclesiæ Scriptores legentibus, Fidei Christianæ mysteriis imbutos, olim summo studio elaborasse, ut mystica sua sacra Gentilium non modo oculis, sed etiam intelligentiæ subducerent.*

Hæc omnia confirmat recentissime Nicolaus Antonellus in sua erudita *Dissertatione de Titulis a Sancto Evaristo in Urbe divisis num.* 21. ubi asseverat maximæ curæ Christianis fuisse, ut disciplinam Arcani servarent; & ne Mysteria Gentilibus prolata despicerentur, Eucharistiam, quæ a Pontifice ad Presbyteros Titulares mittebantur, communi & vulgari nomine *Fermentum* appellabant; hoc enim vocabulo iisdem Gentilibus facilius occultabatur Mysterium. Nam Acolythi, qui sacram asportabant oblationem ad Titulos, facile poterant eludere curiosas interrogationes Gentilium, si ab ipsis interrogati, quid secum ferrent, respondissent: *Fermentum*. Frequens quippe erat inter populares homines *Fermenti* transmissio; & ideo si respondissent se gestare *Fermentum*, facile se expedire poterant, & importunas Gentilium inquisitiones effugere; cum facile admodum esset, ut de re vulgata & communi fidem adhiberent, animumque ad credendum ita esse, ut asserebatur, inducerent.

Hanc eamdem sententiam, ante mox laudatum Antonellum, tradiderat eruditissimus vir Angelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis, cujus verba referuntur a Joanne Ciampino *in libro de perpetuo Azymorum usu cap.* 7. Putabat igitur prædictus Archiepiscopus: *Particulæ Eucharistici Panis nomen Fermenti indictum fuisse ad eludendas curiosas interrogationes Paganorum, &c.* Quo enim vulgatior erat vox *Fermenti*, eo tutius occultabatur Mysterium; idcirco ab Acolytho consulto usurpabatur. Rursus in eamdem sententiam abit Joannes Mabillon in sua Dissertatione *de Azymo, & Fermentato cap.* 10. ubi quærens cur Eucharistia *Fermentum* dicta sit, asserit hoc vocabulo appellatam Eucharistiam fuisse, ut sub hujusce nominis cortice, atque velamine Mysterium hoc Gentes lateret. Per ea enim tempora mos Patribus erat, ut Eucharistiæ Sacramentum nonnisi enigmate designaretur. Cæterum hoc nomen valde congruum & aptum erat ad Eucharistiam significandam; nam sicut fermentum farinæ massæ immixtum totam unit atque conglutinat; ita sacra Eucharistia appellatur a D. Augustino in Joannem *tract.* 27. *Signum unitatis, vinculum charitatis*; & missa ad Titulos a Summo Pontifice, signum erat unionis & Charitatis, qua Populus in suis Titulis seorsim veniens, Episcopo suo uniebatur. Hinc supra laudatus Angelus de Nuce apud Campinum, asserebat: *Nihil igitur Arcanum in hac Fermenti voce quærendum, neque dici debet, quod Fideles participabant Fermentum missum ab Episcopo, sed participasse dicendi sunt de pane consecrato, qui nihil Fermento simile habent, sed tantum vocabulum prudenter usurpatum in illius Missitatione ad ejus occultationem Arcani Sacramenti.* Hæc Angelus de Nuce. Ex quo igitur congruenter & aptissime tale nomen impositum fuerit ab Ecclesia Eucharistiæ Sacramento, hinc fit, quod citra ullum mendacium præfatum nomen usurparent Acolythi; ut facilius a Gentilium

inqui-

inquisitionibus se expedirent. Græci autem Rem Divinam non obscuris, neque æquivocis, sed clarioribus vocabulis expresserunt; vel quod vocum propriarum retinendarum studiosiores erant; vel quod tantus persecutionis æstus apud illos commotus non esset. Cæterum objectam a Genebrardo, atque Grimaldo difficultatem tot argumentis impugnavit D. De Vert *tom.* I. *cap.* I. ut omnem ea de re dubitationem sustulisse videatur.

Duo hic Lectorem monere debemus. Primum, quod quamvis Sacrificium Eucharisticum communiori vocabulo *Missa* nuncupetur, aliis tamen nominibus, tam a Latinis, quam a Græcis PP. insignitum est, ut observat etiam Gavantus. Latini enim I. ab antiquissimis temporibus *Collectam* appellavere, quia tempore Missæ colligebatur in unum populus, ut Sacrificio interesset. Hoc nomine Sacrificium appellatur a Tertulliano in fine *libri de fuga*, Optato Milevitano *libro* 2. Ireneo *lib.* 3. *cap.* 3. Augustino *in Breviculo collationum*, sicut & in actis SS. Martyrum Saturnini & Sociorum die 11. Februarii apud Bollandum. II. *Dominicum* a Cypriano vocatur *epist.* 63. ad Cæcilium, & aliis in locis, quemadmodum & ab Augustino *epist.* 86. vet. edit. ut significaretur, Sacrificium Eucharisticum præcipuam esse functionem, quæ ex Domini institutione & præcepto in Ecclesia peragitur. III. In Concilio Carthaginensi sub Cælestino Papa dicitur *Agenda*, cujus Concilii Canon insertus est in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 234. Anastasius etiam Bibliothecarius in Leone II. inquit: *Ne Mauri Episcopi Agenda celebraretur*, quod nomen passim legitur in Antiphonario D. Gregorii, & in aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, præsertim ubi tractant de officio mortuorum. IV. Missa dicta est *Communio*, quia *per illam cum Christo commercium habemus, ac Carnem ipsius & divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus*; quæ est observatio S. Joannis Damasceni *libro 4. de fide Orthodox. cap.* 12. V. Tandem non semel appellata fuit *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur & immolatur, de qua voce vide quæ erudite notata sunt a Pamelio ad lib. Tertulliani *de cultu Fœminarum cap.* II.

Multiplex etiam apud Græcos Scriptores nomen sortitum est Sacrificium, I. Communissime dictum est *Liturgia*, cujus vocis a nobis supra mentio agitata est. II. A Sanct. Dionysio *cap.* I. *Eccl. Hier.* dicitur *Mystagogia*, secreta videlicet actio. Hinc Catecheses a Cyrillo Hierosolymitano conscriptæ, in quibus de hoc Sacrificio pertractat, dictæ sunt *Mystagogicæ*. III. Idem S. Dionysius *eap.* 3. *ejusdem libri*, *Synaxim* appellat, quod nomen licet pro quacumque Fidelium Congregatione usurpari soleat, a Dionysio tamen semper sumitur pro Sacrificio, ut observat Pachimeres in paraphrasi ad illud caput Dionysii, his verbis: *Synaxis minime intelligenda Populi Congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo conjunctio, communioque*. IV. Quandoque *Telete* nuncupatur, id est consecratio, perfectio, qua voce utitur Synesius in fine *epist.* 58. V. Dicitur *Anaphora*, scilicet elevatio, sursum elatio, quia sursum ad Deum fertur. Ita Anastasius Sinaita *Orat. de Synaxi*. VI. Dicitur *Prosphora*, quæ vox oblationem significat. Vide apud nostrum Vincentium Riccardum *in comment. ad orat.* 6. *Procli* Patrum Testimonia, quia *Prosphoram* pro Sacrificio acceperunt. VII. Tandem Epiphanius *hæres.* 73. *Œconomiam* appellat, quo nomine vocatur sæpissime a Patribus Mysterium etiam incarnationis; est autem œconomia provida rei administratio ad aliorum commodum & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Eucharistia mirabiliter eluxit. Qui plura de hac re scire desiderat, adeat doctissimos viros Cardinalem Bona *lib.* I. *cap.* 3. Josephum Vicecomitem *libro* I. de Ritibus Missæ *cap.* 7. Joannem Dartis de *consecration. distinct.* I. *tractat. de Eucharist. c.* 19. & Theophilum Raynaudum in Onomastico: hi omnes plura in citatis locis Missæ nomina collegerunt, nobis præcipua indicasse sufficiat.

Præterea observandum est ipsum Missæ nomen ab antiquis Scriptoribus non semper usurpatum fuisse pro Sacrificio, cujus rei ignoratio gravissimis etiam viris errandi occasionem præbuit. Vidimus supra hoc nomen sæpissime acceptum fuisse pro dimissione tam Catechumenorum, quam Fidelium, sicut etiam pro lectionibus, & precibus, quæ ab initio Liturgiæ usque ad dimissionem Catechumenorum explentur. II. Sumitur Missa pro Collectis, sive Orationibus, quæ in Missa recitari consuescunt: Concilium Milevitanum 2. *cap.* 12. Placuit ut Preces, vel Orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur: Concilium Toletanum IV. *Canon.* 13. Componuntur ergo Hymni sicut componuntur Missæ, sive Preces, vel Orationes. Hoc sensu intelligenda esse verba Regulæ Sancti Benedicti *cap.* 17. ubi legitur: *Et fiant Missæ, & Missæ fiant*, contendunt doctissimi viri Smaragdus Abbas in expositione Regulæ S. Benedicti, Hugo Menardus in notis ad *cap.* 23. & 24. Concordiæ Regul. aliique Scriptores a Martene laudati in commentar. ad dictum caput Regul. Sancti Benedicti, cui opinioni etiam ipse consentit. III. Missa accipitur pro Lectione. Ita S. Aurelianus in Regula Monasterii, quod jussu Childerici Regis Arelate constructum fuit, ubi modum psallendi præscribens ait: *In Natali Domini, & Epiphania tertia hora noctis surgite, dicite unum nocturnum, & facite sex Missas de Isaia Propheta: iterum dicite secundum nocturnum, & legantur aliæ sex de Evangelio. In Epiphania ita: in primo unum nocturnum, deinde de Daniele Propheta facite illas sex Missas.* Et mox:

In

In Martyrum festivitatibus tres, aut quatuor Missæ fiant: primam Missam de Evangelio legite, reliquas de passionibus Martyrum. Consentit Magister in Regula his verbis: *Ex ordine, quo Missæ a Clericis celebrantur, idest cum minor Clericus Apostolum perlegerit, sequitur major Diaconus Evangelia sancta lecturus.* Evidentissimum est hisce in locis Missæ nomen usurpari pro lectione; miror autem Menardum intellexisse collectas, quasi vero collectæ, ex Prophetis, ex Apostolo, ex Evangelio desumerentur. IV. Sumitur quandoque pro hora Canonica, seu pro Divino Officio. Ita Cassianus *lib. 2. cap. 23.* post *Missam nocturnam*, scilicet *post nocturnum Officium* dormire non oporteat; cui concinit Agathense Conc. *Can.* 30. his verbis: *Hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in Conclusione matutinarum vel vespertinarum Missarum post Hymnos Capitella de Psalmis dicantur.* Fallitur autem aperte Joseph Vicecomes *lib. 1. de Ritibus Missæ cap. 2.* citatum Cassiani locum de dimissione Monachorum intelligens. V. *Missa* non semel a mediæ ætatis Scriptoribus pro ipsa festivitate accepta fuit: Statuta S. Adelardi a Martene laudata: *Isti sunt dies, in quibus ab opere Dominico parcendum est*: Nativitas Domini . . . *Missa Dominæ Balthildæ.* Antiquæ consuetudines Germaniæ M. S. num. 30. apud eumdem: *Diebus Dominicis & Festis ab ipsis Kalendis Octobris usque in Missam S. Martini.* Hoc sensu passim accipitur Missa in Capitularibus Regum Francorum, ut observarunt etiam Vicecomes *loc. cit.* & Card. Bona *lib. 1. c. 2. num. 5.* VI. Laudatus Vicecomes putat Missæ vocabulum cuique ecclesiastici ordinis muneri attributum fuisse, quod probat auctoritate Anacleti apud Gratianum Decr. *part. 2. caus. 7. qu. 1. c. 28.* sed loco ab illo indicatus Missarum celebrationem pro Sacrificio Eucharistico manifeste accipit. Non placet etiam ejusdem Vicecomitis observatio statuentis Missam aliquando pro nundinis acceptam fuisse; id autem ostendit ex *lib. 3.* Capitularium, *cap. 23.* ubi hæc statuuntur: *De latronibus præcipimus: quicumque post Missam S. Joannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum duobus similiter juret, se latronem eum fuisse non scisse.* Negare nolim locum huic statuto dedisse Nundinas, quæ ipsis diebus Sanct. Joannis Baptistæ solemnia præcurrentibus, aut subsequentibus, multis in locis haberi solebant; nil tamen vetat statuti verba intelligere de festivitate ipsa Sancti Joannis, ut sensus sit: si quis post festum Sancti Joannis (quo tempore Nundinæ celebrantur) latroni mansionem dederit. VII. Idem Vicecomes credit Missæ nomen adhibitum fuisse pro agapis, sive conviviis, quæ a veteribus Christianis fieri solebant singulis Dominicis, in cujus rei confirmationem profert verba Felicis I. *epist. 4. ad omnes Episcopos: Non in aliis locis, quam in Domino sacratis, Missas celebrare, nec Sacrificia Deo offerre debemus.* Sed præterquamquod illius epistolæ veritas a Vicecomite non probatur, evidens est hoc in loco esse idem Missam, ac Sacrificium; & Auctorem epistolæ unam, eamdemque rem diversis vocabulis significare voluisse. Legi possunt in hanc rem Cardinalis Bona, Vicecomes, Martene, Menardus in locis citatis.

XI. Gavant. lit. d. — *Offertur Deo per legitimum Ministrum certis Ritibus, & Cæremoniis.*) Paulo ante indicavit Gavantus optimam Missæ definitionem, asserendo eam esse verum Sacrificium incruentum Christi ab eodem institutum, &c. Et quidem nullus Catholicus revocat in dubium Eucharistiæ Sacramentum, Mysterium omnium maximum, fuisse a Christo Domino institutum in ultima Cœna, quam cum Discipulis suis fecit, ut ex Evangelistarum, & Divi Pauli verbis aperte colligitur. Fateri etiam debemus hoc Sacrificium celebrari in Ecclesia Dei certis Ritibus & Cæremoniis traditis ab ipsis Apostolis, quibus Servator hoc ineffabile Mysterium commendavit, quando eos Sacerdotes instituit illis verbis, *Lucæ cap. 22. vers. 10.* & *Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 9. Can. 2.* de Sacrificio Missæ: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ostenditur prædicta veritas ex verbis Apostoli, quæ habentur in *epistola ad Hebræos cap. 13. vers. 10.* quibus memorat Altare, super quo Eucharisticum Sacrificium celebrabatur: *habemus*, inquit, *Altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculum deserviunt.* Ex quibus Apostoli verbis manifeste indicatur Ritus incruentum Sacrificium offerendi, & Christi Corpus consecrandi super Altare, in quod Sacerdotibus Judæorum non licebat suas victimas immolare. Idem Apostol. *in epist. 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 21.* præfatum Altare Mensam Domini appellat. Rursus idem Apostol. in eadem *epist. ad Corinth. cap. 11. vers. 34.* ait: *Cætera autem cum venero, disponam.* Quæ verba significant confuse ea, quæ pertinent ad Ordinem, & Ritum, quo sacra Mysteria celebrari debent, ut Sanct. Augustinus in *epist. 54. num. 7.* juxta novam editionem, *alias 118. ad Januarium* tradit, dicendo: *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipsa ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Denique in ejusdem Pauli Apostoli *epist. 2. ad Timoth. cap. 11. vers. 1.* leguntur hæc verba. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus*: Quæ quidem verba Pauli Apostoli Divus Augustinus, *in epist. 146. num. 16. alias 69. ad Paulinum*, interpretatur juxta communem usum totius ferme Ecclesiæ Catholicæ de precationibus, quæ in Re Divina conficienda proferuntur. *Sed eligo*, inquit, *in his verbis hoc intelligere, & quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut* Precationes *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini Mensa, incipiat bene-*

benedici. Orationes, *cum benedicitur*, *&c.* & sequentia verba Sanct. Patr. Augustini legi possunt superius, ubi a nobis per extensum allata fuerunt. Ex quibus omnibus iterum colligitur Augustini ævo omnium, aut fere omnium Ecclesiarum consuetudinem fuisse ex Apostolica auctoritate institutam, & ex Pauli verbis significatam, ut fierent Obsecrationes, antequam Panis & Vinum benedici inciperent: deinde Orationes, quæ Canonem Missæ ad mentem Augustini significant, ut interpretatur doctissimus Jo: Mabillon *lib.* 1. Liturgiæ Gallicanæ *cap.* 4. *num.* 3. Ex his, inquam, & reliquis aliis, quæ a S. P. Augustino traduntur, evincitur ab ipsius Ecclesiæ primordiis certis Precibus, ac Ritibus ab Apostolico fonte derivatis, Sacrificium Eucharisticum celebratum fuisse.

Irrefragabili D. Pauli auctoritati concinit pariter testimonium Sancti Clementis I. hujus nominis Romani Pontificis, & Apostolorum Discipuli, qui *epist.* 1. *ad Corinth.* scripta circa annum Domini 97. §. 40. inter Epistolas Romanorum Pontificum recentissimæ editionis, ait: *Cum ergo hæc nobis manifesta sint, etiam in divinæ cognitionis profunda introspicientes cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere statutis temporibus, oblationes, & officia perfici, neque temere, vel inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus, & horis, ubi etiam & a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit; ut religiose omnia secundum beneplacitum facta, accepta essent voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti, & beati sunt.* His verbis laudatus Pontifex, ac Martyr monet Corinthios, ut exacte servent Ritus, & Cæremonias ab Apostolis institutas in oblationibus, & officiis perficiendis. Auctor pariter Canonum illorum, qui illustri Apostolorum titulo inscripti reperiuntur, tradit Divinarum Scripturarum Libros, & certas preces in Sacrificio obeundo recitatas fuisse. *Canone* enim noto statutum legimus, ut communione priventur omnes Fideles, qui ingrediuntur ad Sacrificium, & scripturas audiunt, in precatione autem, & sacra Communione non permanent.

Denique sacros Missæ Ritus magna ex parte ab Apostolica traditione originem suam trahere docuit S. Justinus illis vulgatissimis verbis, quæ leguntur in sua Apologia 2. Anno Domini 120. ad Imperatorem Antonium scripta: *Solis, qui dicitur die*, inquit, *omnium qui vel in urbibus, &c.* cujus integrum textum supra pariter perhibui. Ex quo Justini textu plane eruitur consuetudo Apostolorum Canonibus conformis, ut in Missæ Sacrificio Sacræ Scripturæ Libri legerentur, & deinde ab Episcopo explicarentur: denique precibus, & gratiarum actionibus Sacrificium ipsum conficeretur, & Eucharisticus Panis Sacrificio astantibus distribueretur, absentibus vero per Diaconos mitteretur; quæ omnia profecto statutis temporibus peragebantur. Idem observat P. Massuet apud Irenæum *lib.* 1. *cap.* 3. ut videre est apud eumdem variarum Liturgiarum *cap.* 4. §. 9. Lubet etiam addere suffragium D. Basilii, qui floruit anno 370. ad prædictam veritatem magis, magisque commonstrandam, scilicet de sacrorum Rituum Apostolica origine. Igitur præfatus S. Antistes, & Doctor *in libro de Spiritu Santo cap.* 27. ait: *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione in Mysterio, ideste in occulto, tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis sane, vel tenuiter expertus est, quæ sint Jura Ecclesiastica.* Et paucis interjectis enunciat in hunc sensum venire *signum Crucis*, *conversionem ad Orientem in precationem*, ac alia similia nonnulla adducit, quæ omnia supervacaneum est referre; sed concludendum solummodo est ex Basilii pariter testimonio certos Ritus ac Cæremonias ab Apostolis statutas fuisse, quæ non interrupta traditione ad nos pervenerunt.

Eadem veritas asseritur parirer a S. Innoc. I. Rom. Pontifice, qui anno 400. Apostolicam Sedem regebat, in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, in qua ait: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt a Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, aut Ecclesiis, vel teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis, vel ab Apostolicis Viris contrarietatem inductam. Qui enim nesciat, &c.* Reliqua verba dabuntur infra sub num. XV. S. Innocentio concinit Vigilius pariter Romanus Pontifex in sua *epistola ad Prosuturum Bracarensem Episcopum* scriptam *ann. Dom.* 538. in qua sacræ orationis Canonem, quem *precem Canonicam* vocat, ex Apostolica traditione acceptum asseverat, his verbis: *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Et paucis interjectis subnectit: *Quapropter, & ipsius* Canonicæ Precis *Textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione accepimus.* Præfatis Pontificibus, & aliis allegatis Ecclesiæ Patribus undequaque consentiunt Isidorus Hispalensis, qui floruit initio septimi sæculi *in lib.* 1. *de Ecclesiast. Offic. cap.* 15. Etherius Episcopus Uxamensis, & Beatus Presbyter in libris adversus Elipandum Toletanum (*lib.* 1. *pag.* 89. *in Tom.* singulari insignium Auctor Petri Stevartii) quibus pariter concinit Wallafridus Strabo *in libro de Rebus Eccles. cap.* 22. nec non Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 11. *De Divin. Offic.*

Offic. cap. 21. ubi *ait: Et sicut traditum a Domino per Moysen Sacrificii veteris Ordinem, præcipue David, & Salomon, Sacerdotum, & Levitum ministerio, Cantorum multiplici numero Psalmorum Divinorum tripudio, Templi, vel Altaris illustri Gloria, sacrorumque multitudine vasorum splendidius amplificaverunt: Sic traditum a Domino mirabilem novi Sacrificii Ritum per primos Apostolos Sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa Fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit.*

Rationi consonæ sunt præfatorum Auctorum assertiones; nam quamvis Apostoli ab initio Ecclesiæ, ut testari videtur Gregorius Magnus *lib.* 7. *epistol.* 63. *Sola Oratione Dominica Hostiam consecrarint:* attamen certissimum est, quod dum cœpit augeri multitudo Fidelium, cœperunt etiam ipsi Apostoli lectiones, preces, & Cæremonias adjicere, quibus Sacrificii dignitas clarius emineret, & crescente Fidelium pietate, ac fervore major ipsi Sacrificio veneratio conciliaretur. Et quidem cum omnibus compertum sit, quod in Missæ celebratione omnes Orientis, & Occidentis Ecclesiæ Ritus quosdam communes ab initio habuere; nempe lectiones sacrarum Scripturarum initio Liturgiæ; Psalmorum, aliorumque Canticorum recitationem; Oblationem Panis & Vini aqua mixti; Consecrationem utriusque, verbis Christi Domini cum benedictione, ac signo Crucis a Sacerdote facto; Orationem Dominicam, & gratiarum actionem post sacram Communionem: hinc evincitur hos omnes Ritus omnibus Ecclesiis communes ab unico, nempe Apostolico Fonte derivasse; quamvis postea designatio certarum ex Scriptura lectionum, Psalmorum, aliorumque precum numerum, & definitionem pro locis, ac temporibus varios extitisse omnibus notum sit. Illi, qui priorem modum attenderunt, Auctores Missæ, ordinem ubique uniformem fuisse dixerunt, inter quos est Isidorus *libr.* 1. *cap.* 15. & post eum Eutherius *libr.* 1. *pag.* 89. & Beatus Presbyter *in libris adversus Elipandum Toletanum* disertis verbis asseruerunt: *Ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primo a Sancto Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peregit Orbis.* Uno, inquam, eodemque modo intelligebant præfati auctores modum quemdam in summa communem, quem ab initio omnes, ut dixi, habuere Ecclesiæ, & quoad Rituum substantiam, & habita ratione modi illius generalis precum, Psalmorum, &c. uniformis, non respiciendo ad Ritus quosdam singulis Ecclesiis, seu Regionibus proprios, ad orationes peculiares, & ad alia id genus; nam quoad ista multum profecto discriminis agnoscebant, non tantum inter Orientalem, & Occidentalem, sed etiam inter Latinas invicem Ecclesias.

Ex præfatis omnibus intelligi potest quibus auctoritatibus, & rationibus permoti Patres Tridentini docuerunt *sess.* 22. de Sacrificio Missæ *cap.* 5. *Cæremonias ob Ecclesia adhibitas, ut Mysticas Benedictiones, Lumina, Thymiamata, Vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & Majestas tanti Sacrificii commenderetur, & mentes Fidelium per hæc visibilis Religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Jure merito igitur hæc sacrosanta Tridentina Synodus *sess.* 7. *de Sacrament. Canon. XIII.* anathematis fulmine percellit omnes eos, qui receptos, & approbatos Ecclesiæ Ritus contemnunt, aut omitti sine peccato posse contendunt.

Hanc quæstionem de præcipuis Missæ Ritibus pro maxima sui parte ab Apostolica doctrina, & traditione derivatis, egregie pertractat Dominicus Georgius *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *de Liturgia Romani Pontificis.* Rursus eamdem sententiam edocet etiam Ensebius Renadotius *Tom.* 1. *Liturgiarum Orientalium in dissert. ibi præfixa cap.* 3. ubi describit Ritus illos, in quibus conveniunt Orientales, & Occidentales Ecclesiæ, eosque ab Apostolico fonte profluxisse asseverat. Quod inficiari nequit Grabius ipse, etsi Heterodoxus, de quo Pater Massuet *citat. lib.* 1. *cap.* 3. *litt. B.* & bene se res habet, quod Grabius suis candidior fateatur, *Illos qui in omnibus istis Liturgiis* (Apostolicis) *exprimuntur, quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuerunt Ritus ex Apostolica traditione fluxisse. Ecclesias enim ab Apostolis institutas formam aliquam, & ritum offerendi Sacrificium, cui tam arcta sit, & præcipua cum Religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quod tamen Liturgias omnes Apostolicas iis, quorum nomine insigniuntur, adjudicare velim. Sufficiat Liturgiarum antiquarum, si non scriptores, saltem primos auctores esse Apostolos.* Et Grotius voto pro pace Eccles. *pag.* 670. tit. Missa: *Consensus*, inquit, *Liturgiarum per omnia loca, ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum suum sanctificet, eaque faciat Corpus & Sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima Apostolorum institutione.*

XII. Gavant. ead. lit. d — *Primam vero Missam celebravit Sanct. Petrus.*) Dissident Auctores super Apostolo, qui primus omnium post Christi Domini resurrectionem Missæ Sacrificium celebratus fuit. Genebrardus in suo *libro de Apostolica Liturg.* censet Jacobum fratrem Domini primum omnium Apostolorum rem divinam confecisse Jerosolymis. Verum contrariam sententiam tenet Antonius Democharis (a Gavanto citat.) *tom.* 2. *de Missa cap.* 5. cui sententiæ suffragagatur etiam Joseph Vicecomes *de Ritibus Missæ lib.* 1. *cap.* 16. Card. Bona *de Rebus Liturg. lib.* 3. *cap.* 5.

Isti enim omnes cum pluribus aliis censent S. Pe-

S. Petrum, aliorum Apostolorum Principem & Coriphæum Missæ dicendæ initium fecisse. Et revera nemini hæc prærogativa convenientius tribui potest, quam Petro, quem ut ait Leo Magnus (*serm. 2. in sua assumptione*) *omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ PP. Christus præposuit, cui consortium potentiæ suæ tribuit Divinæ Dignitatis.* Asterius vero Amasenus clarius favet prædictæ communiori sententiæ dicendo (*Homil. in Principes Apostolorum*) *sicut Petrus primus omnium Gentibus, & Israelitis tamquam Episcopus, & Pastor omnium prædicavit; ita credendum eum primum Sacrificium obtulisse.* Hanc pariter sententiam tradidit Albinus Flaccus *lib. de Divin. Offic. cap. de celebrat. Missæ;* & Hugo a Sancto Victore, qui asserunt utique Petrum, Apostolorum primum omnium, Sacrificium celebrasse, sed Antiochiæ, non vero Jerosolymis. Verum non est recedendum a Gavanti, & communi Auctorum opinione, qui adstruunt Jerosolymis Apostolos Sacrificium fecisse longe antea, quam Antiochiæ rei divinæ operarentur. Caute igitur intelligendi sunt præfati Auctores, ita ut non sicut sonant eorum verba intelligere oporteat: nam quod ajunt Antiochiæ primam Missam celebratam fuisse, id accipiendum est juxta Josephi Vicecomitis sanam interpretationem de re divina, quæ primum apparatissima pompa confecta fuit (quamquam hoc etiam sit mera divinatio Vicecomitis, neque præfati Auctores in hac re tanti faciendi sint, ut nostrum assensum detorqueant) quandoquidem longe antea Jerosolymis Apostoli Sacrificium Divinum celebrarunt, cui loci circumstantiæ favent Actus Apostolorum, in quibus *cap. 2.* legimus: *Apostolos accepto Spiritu Sancto hortatos esse populum ad pœnitentiam;* & continuo subditur *fuisse eos perseverantes in communione fractionis Panis, & orationibus:* ex quibus eruitur Jerosolymis statim post acceptum Spiritum Sanctum Sacrificium Eucharisticum peregisse, & cælestem Panem Fidelibus distribuisse.

Ex præfatis Actuum Apostolorum verbis eruitur pariter primum Sacrificium ab Apostolis non fuisse celebratum, nisi postquam ad illud dispositi fuerunt Divinæ gratiæ plenitudine, qua, in die Pentecostes, illabente Spiritu Sancto super ipsos, perfecte imbuti fuerunt. Similia enim verba ante descriptam Missionem Spiritus Sancti protulit Sanctus Lucas *Actuum Apostolorum cap. 1.* & ibi nullam facit mentionem fractionis Panis, sed tantum dicit: *Erant perseverantes, unanimiter in oratione, & obsecratione;* quia nimirum, ut optime ponderat Cardinal. Bona *citat. lib. 1. cap. 5.* cum ante Pentecosten nondum satis esset promulgata Lex Evangelica, nec decebat novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Quapropter, ut etiam consentit sapientissimus Cardinal. Lambertini in sua 20. notificatione, non sunt audiendi illi, qui opinantur Apostolos in triduo Mortis Christi Domini utique Missam non celebrasse, sed statim post Resurrectionem Domini depulsa mœstitia Sacrum peregisse, ut suadere contendit Rayn. *in tract. de prima Missa* (qui habetur in *Tom. 6.* suorum Operum *sect. 1. cap. 1.* sed potius adhærendum est antedictæ Gavanti sententiæ ab aliis communiter propugnatæ, nempe ante Spiritus Sancti Adventum litatum non fuisse; cui quidem sententiæ favet Hesychius *libro 4. in Leviticum cap.* his verbis: *Tunc Christus Sacrificium suum innotescere cæpit* (idest notum fecit) *ex quo Spiritus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium Gentium primitias ad Apostolorum Cœnaculi superiora collegit.* Suffragatur etiam Paschasius *libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 21.* ubi ait: *Ex quo renovati sunt SS. Apostoli per Adventum Sancti Spiritus de Cœlis, & inebriati musto charitatis, ex eo sane credimus hunc Calicem in Ecclesia consecratum: quoniam ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudine doctrinæ.* Ex quibus omnibus firmata remanet Gavanti sententia, nimirum primum Christianæ Ecclesiæ Sacrificium, non a Jacobo, sed a Petro Apostolorum Principe; non Antiochiæ, sed Jerosolymis, & quidem in ipsomet Cœnaculo, in quo Spiritum Sanctum Apostoli acceperunt, peractum fuisse.

XIII. Gav. ead. lit. d. — *Petrus igitur eandem obtulit in Pane Azymo.*) Joannes Ciampinus in suo libro inscripto: *Conjectura de perpetuo Azymorum esu, cap. 3. pag. 43.* suffragatur sententiæ Gavanti, cit. enim loco dicit: *Non temere asseritur illos* (nempe Apostolos) *si omnium, quæ eis præceperat Jesus, diligentissimi observatores atque custodes fuerunt, fuisse etiam in usu Panis Azymi quem a Christo Domino acceperant.* Verum Cardinal. Bona *libro 1. cap. 23.* consentire videtur Arcudio, qui *libro 2. de Sacram. cap. 3.* ait: *Apostolos verisimile esse pro varietate locorum, Gentium, & temporum, modo Azymo, modo fermentato usos fuisse, & consecrasse Panem illum, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive Azymum, sive fermentatum.* Quæ Bonæ sententia probabilior mihi videtur: nullum enim præceptum obligabat Apostolos ad consecrandum in pane azymo, quia licet pro certo habeam cum communiori sententia, Christum in ultima Cœna non alio pane, quam azymo usum fuisse, prout in diebus Azymorum Lex vetus præcipiebat, & in eo Corporis sui Sacramentum admirabile instituisse: nihilominus nullum imposuit præceptum de azymo potius, quam fermentato pane adhibendo in Sacrificio Eucharistico: & sicut certissimum est, & inconcussum Fidei dogma utrumque panem, tam Azymum, quam fermentatum, legitimam esse Sacramenti materiam, & utrumque ab Ecclesia approbari pro validitate Sacramenti: ita communis est sententia Theologorum, nullum super

Azymo potius, quam fermentato urgere Divinum præceptum, sed solum Ecclesiasticum, præscribens Latinis Sacerdotibus usum Azymi, Græcis vero usum fermentati, ut liquet ex Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino, & ex litteris unionis, nernon ex motu proprio Pii V. qui incipit: *Providentia Romani Pontificiis &c.* in quo revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi, Græcos more Latino & Latinos more Græco, subdit: *Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis, præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis a Divinis, pœnis districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco Ritu hujusmodi licentiarum & facultatum, aut aliovis prætextu, Missas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.*

Mox laudatus Ciampinus in fine capitis primi allegati operis recenset Catalogum Auctorum, qui usque ad Concilium Florentinum, in quo concordia Græcorum cum Ecclesia Latina inita fuit, scripserunt de usu Azymi, & fermentati. In sequentibus vero capitibus congerit varias aliorum sententias circa eandem materiam, post dictum Concilium ab iisdem expositas, & propugnatas. Præcipui vero, qui de Azymi, & fermentati usu in Ecclesia Occidentali scripserunt, sunt doctissimus Jacobus Sirmondus, qui in singulari de hac re dissertatione edita *A.* 1651. & reperitur in tom. 4. suorum operum, probare conatus est usum fermentati octingentis, & amplius annis in Ecclesia Latina viguisse, recepta autem Azyma medio illo intervallo, quod a schismate Photii sub Pontifice Nicolao I. fluxit, idest medio illo tempore, quod ab anno 867. ad 1054. intercessit. Rigidam hanc Sirmondi sententiam solus, quod sciam, tuitus est Launoyus in Dissertatione, quam memorant Ephemerides Parisienses *anno* 1697. *pag.* 20.

Opinionem hanc mitigavit numquam sine laude nominatus Card. Bona *libro* 1. *Rerum Liturg. cap.* 23. qui statuit usum Azymorum in Ecclesiis Occidentalibus communi lege sancitum, & ubique receptum fuisse prope finem noni sæculi, vel initio decimi; a temporibus vero Apostolorum usque ad prædictum tempus, promiscuum fuisse usum Azymi panis, ac fermentati. Hanc Bonæ opinionem cum nonnulli acriori censura perstringerent, ejus verba in pravum sensum detorquentes, clarius postmodum explicavit, & solidioribus momentis firmavit in secunda sui operis editione, quam etiam plures eruditi secuti sunt, nimirum Franc. Maria Florentinus in Disquisit. de antiquo usu fermentati panis, & Azymi a Filio ejus edita, Edmundus Martene *lib.* 1. *de Antiq. Eccles. Rit. pag.* 308. Grancolas *tom.* 1. *de Antiquis Liturg. pag.* 564. Juven. *dissert.* 4. *de Sacram. Eccles. quæst.* 2. §. 5. Contra vero Sirmondi, ac Bonæ sententiam impugnare conati sunt laudatus Ciampinus, Franciscus a S. Augustino, Macedo in *Dissert. Theologica de Ritu Azymi, & fermentati* in 16. capita divisa, quam Veronæ *anno* 1677. in lucem emisit. In eo autem Cardinalem Bona nimis acriter impugnare videtur, præsertim cum Eminentissimi Auctoris sententia ineluctabilibus principiis imniti ipsemet fateatur in epist. ad eumdem scripta anno 1672. die 18. Novembris. Eandem Bonæ opinionem refutavit doctissimus Mabillonius in Dissert. de pane azymo, ac fermentato, quam scripsit, & evulgavit ab eodem Card. Bona rogatus, ut ex pluribus constat Cardinalis epistolis. Reperitur hæc Dissertatio post Præfationes Mabillonii in sæc. Benedict. & in Bibliotheca selecta de Ritu azymi, & fermentati impressa Venetiis 1729. uno tandem Capite auctam, quod Bonæ consilio in prima operis editione Mabillonius omiserat, edidit Antonius Vincentius Thuilier inter opera posthuma Mabillonii, & Ruinartii; ubi legi etiam potest celebre Thomasini de hac Mabilloniana Dissertatione judicium. Scripsit etiam de hac re eruditissime Christianus Lupus in Scholiis ad acta S. Leonis IX. a capite V. usque ad XII. quibus addere lubet nuperum clarissimum Scriptorem Antonium Sandini, qui inter 12. Dissertationes, quas ex Ecclesiastica Historia depromptas Patavii edidit anno 1729. undecimam composuit, de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina; & P. Honoratum a S. Maria, qui eamdem sententiam eruditissime propugnavit Vol. 2. Dissert. IV. & V. ejus operis Gallice exarati sub titulo: *Reflexion sur les Regles de la Critique*, quæ nunc latino sermone donantur, & prælo Veneto parantur. Pro dicta opinione scripserunt etiam nonnulli ex Græcis viri doctissimi, quos inter Barlaamus *Tom.* 26. *Biblioth. PP.* edit. Lugdun. Gennadius in eodem *Tom. pag.* 573. Hi omnes ut perpetuum azymorum usum apud Latinos tueantur, provocant ad Traditionem Apostoli Petri, de qua vide Contelerium *Tom.* 3. *Monum. Eccl. Græcæ pag.* 665. & ad exemplum Christi, quem in Eucharistici Sacrificii institutione pane azymo usum fuisse, non solum omnes ferme Orthodoxi fatentur, sed etiam plerique Hæretici, inter quos Scaliger *de emendat. Temporum pag.* 507. Buxtorphius *dissertat. philogico-theolog. pag.* 246. & Basnagius *in Annal. polit. Eccl. anno Domini* 33. aliique. Attamen ut dicam quod sentio, mihi persuadere non possum Latinam Ecclesiam nusquam in fermentato pane consecrasse; nam invictissimis argumentis ostenderunt Sirmondus ac Bona Eucharistiam per plura sæcula ex populi oblationibus fuisse confectam, incredibile omnino videtur Fideles panem azymum semper paratum habuisse, quem Altari consecrandum offerrent, quod argumentum meo quidem judicio nunquam plene solvetur.

Pro fermentati panis usu videndus est Meletius inter opera Joannis Damasceni *Tom.* 1. edit. Michae-

chaelis Lu Quien *pag.* 647. & Maximus Peoloponesius Hiero Monachus in Dissert. de Eucharistia contra Latinos cum versione Jenkini Thomasii edita inter hujus Dissertationes Aledorf 1712. 8. *pagina* 385. *& seq.* aliique Scriptores a Ciampino laudati, quibus addere lubet Anonymum quemdam Syrum in Codice Colbertino, qui teste Renaudotio *Tom.* 1. *Liturg. Oriental. pag.* 140. de hac controversia omnium eruditissime scripsit; sicut, & Joannem cognomine Ebn-Botlan Medicum Bagdadensem, cujus tractatum arabice scriptum pro Michaele Cærulario anno Alexandri 1365. Martyrum 760. Hegiræ 445. idest anno Christi 1053. se reperisse testatur in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ idem Renaudotius *tom.* 2. *pag.* 65. Porro usque adeo exarsit Orientalium quorumdam in Latinos odium, ut propriam sententiam, non sine Evangelici textus depravatione, Liturgiæ etiam inserere non dubitarint. Hinc legimus in Liturgia Matthæi Pastoris apud eundem Renaudotium: *Cumque Testamentum novum, quo vetus aboleretur tradere vellet, panem fermentatum, in quo mysterium vitæ tegebatur, accepit:* quod etiam additum reperitur in Liturgia Mantuæ. In ea vero, quæ dicitur Ignatii Patriarchæ Antiocheni sic habetur: *Accepit panem perfectum,* quasi innuere vellent, panem azymum non esse perfectum: notat tamen Renaudotius temerarium hoc facinus recentiorum Orientalium esse, non veterum. Quamvis autem pleræque Orientales Ecclesiæ utantur pane fermentato (cui Syri, & Nestoriani addunt salis micam, & stillam olei) attamen nonnullæ Latinorum consuetudinem imitantur. Sic Armeni ab antiquissimis temporibus azymo pane usi sunt; Maronitæ etiam præter cæterorum morem Euchatistiam in azymo pane conficiunt. Quo tempore, & qua de causa azymo uti cœperint, difficile est invenire, ut ait Cardinalis Bona; ipsi tamen affirmant, antiquissimam esse in suis Ecclesiis hanc consuetudinem, quod Bonæ non omnino placet; inquit enim, quod ejus initium designare non possunt; atqui hoc ipso probatur Ritum quempiam esse vetustissimum, cum ejus initium ignoratur. Et revera jam a sexto sæculo Syrorum Ecclesia ad Sacrificium azymis utebatur, ut testatur Joannes Asiæ Episcopus, qui sub Justiniano floruit. Verba Joannis hæc sunt relata a dotissimo, & eruditissimo Assemanno *tom.* 1. *Bibliothecæ Orientalis pag.* 410. & 411. Ea propemodum tempestate excogitavit Diabolus in regione Petrhorum errorem quorumdam, qui nec panem comedere, nec aquam bibere se se jactabant. Quidam itaque ex fratribus, quorum Monasteria necdum cognita sunt, & alii Archimandritæ ejus loci inanem gloriam, & vanum nomen apud vulgus aucupantes, de se ipsis falso prædicabant: quasi panem non comederent, nec aquam biberent, & a vino abstinerent, Nazaræorum more; necessitatem autem cibi, & potus sanctorum mysteriorum usum per summam impietatem succurrebant. Sacra ergo oblatione plerumque sustentabantur. Ea propter buccellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant, & data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius, quam in mysterium Corporis Christi, quod in azymis manducatur. Nil clarius afferri poterat ad probandam vetustissimam Syrorum consuetudinem in azymis consecrandi. Merito igitur Illustrissimus Ascemannus post Joannis testimonium ista subtexuit. Hinc colligas azymi usum ad Sacram Liturgiam in Syrorum Ecclesia esse antiquissimum, quem Maronitæ, & Armeni in Oriente hactenus retinuerunt. Ritum conficiendi Sacrificium in azymis observabant etiam Æbionitæ sæculo quarto, teste Epiphanio. An Orientalium Catholicorum morem imitabantur? Fatentur nonnulli, inficiantur alii; rem plane incertam definire non audemus.

XIV. Gavant. ead. lit. d — *In Cœnaculo Sion.*) Super loco, in quo B. Petrus Apostolus primam Missam celebravit satis superius mentem meam aperui, inhærendo sententiæ Gavanti, cui consentit etiam Cardinalis Bona *libro* 1. *cap.* 5. Primum nempe Christianæ Ecclesiæ Sacrificium Jerosolymis peractum fuisse, & quidem in ipsomet Cœnaculo, in quo Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt. Superest nunc ut progrediamur ad discutiendas breviter alias circumstantias illius primæ Missæ a Divo Petro celebratæ; nimirum quibus Ritibus, & Cæremoniis, quo apparatu, seu indumento, & qua lingua tale Sacrificium oblatum fuit; & similiter quomodo cæteri Apostoli in illius Ecclesiæ nascentis primordio, sacris operati fuerint. Divus Uregerius Magnus *lib.* 7. *epist.* 63. ad Joannem Syracusanum Episcopum scribit: Apostolos sola Oratione Dominica Eucharisticam Victimam obtulisse, pronunciando procul dubio verba Consecrationis. Divo Gregorio concinit Walafridus Strabo *cap.* 22. *de Rebus Eccles.* ubi ait. *Quod nunc agimus multiplici Orationum, Lectionum, Cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus, & commemoratione Passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter.* Ab iis tamen dissentire videtur Divus Chrysostomus, qui *Homil.* 27. *in epist. ad Corinth.* ait: *Cum sacras illas Cœnas accipiebant Apostoli, quid tunc faciebant? nonne in Preces convertebantur, & Hymnos? nonne in sanctas Vigilias? nonne in longam doctrinam, & multæ Philosophiæ plenam?* Sententiæ Chrysostomi suffragatur etiam Proclus Constantinopolitanus in Libello *de Traditione Missæ.* Eadem sententia confirmari potest iis testimoniis, & argumentis, quæ superius adduximus demonstrando sacros Ritus, qui in Missæ celebratione adhibentur, quamplures ab Apostolico fonte derivasse. Nihilo minus prædictæ duæ oppositæ sententiæ, & dissidentes Patrum conciliari possent, dicendo: ab initio brevissimum fuisse Liturgiæ Ritum, ita exigente Christianæ tunc nascentis Ecclesiæ sta-

tu, & conditione; postea vero crescente Fidelium numero, & devotione, Apostoli cœperunt adjicere sacrarum Scripturarum Lectiones, Preces, & Cæremonias, & ut Sacrificii Eucharistici dignitas clarius elucesceret, & ut majorem venerationem Augustissimo Sacrificio conciliarent; sive etiam dici potest, Apostolos contractum sacrificandi formulam adhibuisse, quando periculum imminebat, ne a persecutoribus inter litandum deprehenderentur; prolixiorem vero, quando tale periculum non imminebat.

Super alio dubio proposito de apparatu, quo D. Petrus primam Missam peregit, dissident inter se Auctores. Walafridus Strabo *lib. de Rebus Eccles. cap.* 24. & Radulphus Tungrensis *de Canonum observantis proposit.* 23. opinantur, Apostolos ab initio nascentis Ecclesiæ communi indumento sacris operatos fuisse, quorum sententiæ adhæret etiam Josephus Vicecomes *lib.* 1. *de Missæ apparatu cap.* 2. Nicolaus Alemannus *in Dissert. de Pariesinis Lateranensibus cap.* 9. usum sacrarum vestium in Sacrificio peragendo non solum Apostolis, sed etiam Apostolicis viris nimis inconsulte denegavit. E contra vero Valdensis, Democharcs, Baronius, Stapletonius, Du Saussay, quos refert, & sequitur Cardin. Bona *lib.* 1. *cap.* 5. fatentur quidem Christum non aliis, quam propriis vestibus indutum, Eucharisticum Mysterium instituisse; Apostolos vero non vulgaria, sed sacra indumenta adhibuisse in oblatione divini Sacrificii; in cujus sententiæ comprobationem Bona allegat Honorium *in Gemma Animæ cap.* 89. dicentem: *Apostolos & eorum successores in quotidianis vestibus Missam celebrasse:* & postea subdentem: *Sed Clemens tradente Petro Apostolo usum sacrarum vestium ex Lege sumpsit, & Stephanus Papa in sacris vestibus Missas celebrari constituit.* In quibus verbis apertam antilogiam reperit mox laudatus Card. Bona; nam si tradente Petro usus sacrarum vestium sancitus est, quomodo Apostoli, & eorum successores Apostolorum Principis traditionem, seu præceptum neglexerunt in quotidianis vestibus celebrantes? Hæc clarissimus Auctor Rodulphus Tungrensis *de Canonum observantia propos.* 23. tradidit. *Ab initio siquidem cum adhuc novella esset Ecclesia, Apostolicum sanctificatione Crucis, & Oratione Dominica, prout in quibusdam Scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus, & ligneis Calicibus celebrant. Sed B. Clemens, ut dicit Gemma, tradente B. Petro, usum sacrarum vestium ex Lege superposuit.* Allegatur hæc auctoritas Radulphi Tungrensis a Josepho Vicecomite in suo Volumine 4. quod est de *Missæ apparatu lib.* 1. *cap.* 2. Sed verba, quæ allegantur excerpta ex libro inscripto *Gemma, &c.* fatetur se minime reperire potuisse, quamvis alias diligenter talem librum legerit. Verum adnotare est, quod in exemplari præfati operis, quod habetur in Bibliotheca SS. PP. *lib.* 1. *cap.* 89. in quo agitur de vestibus, & Calicibus, vere reperiuntur eadem verba, prout referuntur a Radulpho Tungrensi, & a Card. Bona; In alio vero exemplari ejusdem operis, nempe, *Gemma Animæ de Divinis Officiis;* inserti in collectione Hyttorpiana prædicta verba vere non reperiuntur, & tale opus non est divisum in quatuor libros, sed solum partitum in sexaginta capita, quorum ultimum est *de Processione publica*, & illud de vestibus, & Calicibus non habetur. Unde dicendum est Josephum Vicecomitem loqui de hoc exemplari, in quo præfata verba non reperiuntur.

Intermissum sermonem resumendo, & redeundo ad resolutionem propositionis, nimirum, quibus vestibus Apostoli sacrum ministerium peregerint; in expositarum sententiarum dissidio, media via incedendum esse crediderim, nimirum primam Missam a S. Petro celebratam utique fuisse veste communi, & Apostolos ipsos, cum sacris operati sunt, non subito singularia, & a communi usu sejuncta indumenta adhibuisse; sed iidem Apostoli sicut ad conciliandam Augustissimo Sacrificio venerationem paulatim in eo peragendo preces, & Cæremonias adjecerunt, ut pietas Fidelium adstantium, ac fervor magis accenderetur; ita etiam ipsimet Apostoli, præcipue vero B. Petrus, singularium in Missæ Sacrificio vestium usum præscripserunt. Hoc vero comprobari etiam potest nonnullis textibus, quod affert Andreas Du Saussay *lib.* 6. *c.* 5. suæ Panopliæ Sacerdotalis, & Dominicus Georgius *in tom.* 1. *Liturg. Rom. Pontificis c.* 3. *n.* 7. & 8. ubi optime observat, quod quando legimus apud Auctorem libri Pontificalis a S. Stephano I. *A. D.* 253. sancitum: *Sacerdotes, & Levitas vestibus sacratis in usum quotidianum non uti, nisi tantum in Ecclesia:* optime, inquam, observat mox laudatus Georgius, quod tunc obreperat fortasse abusus, ut vestibus sacris hi Ministri extra Sacrificium uterentur; qui abusus a Stephano Papa sublatus est. Cæterum, idem Georgius *ibid. n.* 8. omnino negat vestes, quæ sacrificando inserviebant, in communi usu Clericis fuisse, & sentit Romanos Pontifices, ministrosque sacris vestibus in Missarum solemniis a primis usque temporibus usos esse. Sed nostra hæc sententia comprobatur præsertim auctoritate Concilii Trid., a quo *sess.* 22. *cap.* 5. inter cætera, quæ pia Mater Ecclesia in Sacrificio adhibet tamquam ab Apostolica disciplina, & traditione accepta recensentur, etiam vestes sacræ enumerantur.

Non me latet aliquos probare hoc assumptum, nostramque sententiam deducere ex illis verbis: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*, quæ leguntur *in epist.* 2. *D. Pauli ad Timotheum cap.* 4. intelligentes nomine Penulæ vestem sacram, quam Latini Planetam vocant. Hanc opinionem amplectitur Joseph Vicecomes *lib. de Missæ Apparatu c.* 28. Insignis tamen Theologus Gulielmus Estius in suis Commentariis ad præfatam Epistolam rejicit prædictam interpretationem, & censet Penulam significare librum veteris Testamenti. Card. Baronius ad annum Christi 50. *num.* 67. & 68. agitat hanc controversiam, & relata utraque opinione concludit his verbis:

Ve-

Verum ex his duabus recitatis sententiis, vel de volumine, vel de sacra veste, alterutrum, quam velit, Lector sequatur: sed magis placet, ut volumen sacræ legis intelligi debeat. Card. autem *Bona lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. adhæret sententiæ asserenti Penulam fuisse quoddam vestimenti genus, in quam sententiam descendit etiam P. Calmetus in suo eruditissimo Dictionario Biblico *tom.* 2. *verb.* Penula; & recentissime eruditissimus vir Philippus Bonaroti in suis diligentissimis observationibus super aliquibus fragmentis vasorum antiquorum vitreorum, quæ in Romanis Cæmeteriis reperta sunt, magnum præbet præsidium huic secundæ sententiæ; nam in Tabula 16. figura 2. explicando quoddam vitrum, in quo videntur effigies SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Laurentii, ostendit communem Penulam parvam fuisse vestem ad itinerandum aptam, quæ deinde habitus civilis evasit, & illustrium personarum proprius, qui pertingebat usque ad talos, & adstruit Planetas Ecclesiasticas, seu Casulas originem habuisse ab his nobilibus Penulis, non vero ab antiquis valde parvis, & pro itinerantibus valde aptis. Hæc colliguntur ex laudato Bonaroti. Cæterum Cardinalis Bonæ, Calmeti, & ejusdem Bonaroti, sententiam tamquam certam teneo, quia *Penulas* significare vestem spissam, frigori, & imbribus arcendis aptam, asserit etiam Pitiscus in suo Lexico Antiquitatum Romanarum, idque comprobat auctoritate Tertulliani *Apologetici cap.* 2. Horatii *epist.* 1. *vers.* 11. 17. Id sentiunt Bulangerus libro de sacris vestibus, Bart. de Penula, Vossius in *Lex. Ethymol.* & alii relati ab eodem Pitisco. Improbabilis igitur omnino est illorum sententia, qui statuunt Penulæ nomine veteris Legis intelligendum esse volumen; nam cum Paulus postea Timotheum roget, ut cum Penula suos etiam libros mittat, manifestum est Penulam a Libro esse distinctam: sicut etiam rejicienda est alia sententia, quæ Penulam a Paulo quæsitam censet fuisse vestem sacram; nam Penulæ nnmiue intelligere non possumus aliud, quam quod Pauli tempore per illud nomen significabatur. Constat vero ex citatis supra Scriptoribus, Penulam vestem fuisse itinerariam, non autem sacram. Quapropter recte affirmavit Gretserus in Commentariis ad *cap.* 6. Codini nullum inter vestes sacras Penulæ locum fuisse; cui sententiæ primum subscripserat Ferrarius in prima *tractatus sui de re Vestiaria* editione: at in secunda in fine *cap.* 37. opinionem mutavit, & cum Baronio credidi Penulam fuisse vestem sacrificantium.

Progredimur nunc ad discutiendum qua lingua Apostoli in Ecclesiæ primordio Missam celebraverint. Joannes Eckius *lib.* 2. *de Sacrificio Missæ* asseverat Apostolos, & eorum successores, nonnisi Hebraica lingua usos fuisse in Missa celebranda usque ad tempora Hadriani Imperatoris: & tunc solum Sacerdotes cœpisse in lingua Græca Sacrum Mysterium peragere. Sed nullius auctoritati hæc sua sententia innititur, & ut advertit Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. nullum reperitur apud veteres prædictæ sententiæ fulcimentum; quinimmo multa ab eodem Purpurato adducuntur argumenta, quæ eam convellunt. Mox laudatus Eminent. Bona asserit Apostolos, eorumque successores eo idiomate in singulis regionibus usos fuisse, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & ita Jerosolymis Chaldaica; Antiochiæ, Alexandriæ, & in aliis Græcorum civitatibus Græca; Romæ vero, & in toto Occidente Latina Lingua celebrasse censet. Comprobat autem hanc sententiam eruditissimus vir antiquissima, & immemorabili Ecclesiæ consuetudine. In Occidente siquidem non extant antiquæ Liturgiæ nisi Latinæ; in Oriente vero, quamvis multæ sint diversorum idiomatum nationes, quæ Christiana professione censentur; veteres tamen non habent Liturgias nisi in Græca, quæ Græci & Melchitæ, & in Chaldaica Lingua, qua Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ per varias provincias dispersi utuntur. Verum hic cum Martene *lib.* 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus *art.* 2. animadvertere lubet prædictis ultimis verbis Eminentissimum Auctorem restringere omnes antiquarum Liturgiarum preces ad tres illas linguas, quamvis, ut initio dixerat, non solum illis tribus linguis, sed Apostolos, eorumque Successores eos idiomate in singulis regionibus usos, quod tunc illis commune, & vernaculum erat: & revera alias etiam linguas in sacris Liturgiis adhibitas fuisse nonnullis exemplis & argumentis comprobat Martene loc. cit. Igitur hoc tantum possumus asseverare, hodiernum Ecclesiasticæ disciplinæ usum obtinuisse, ut Missa non nisi tribus linguis Hebraica, Græca, & Latina cantari præcipiatur; ut loquitur Honorius Augustodunensis *lib.* 1. *cap.* 92. *de Gemma Animæ*, cum multis, ac justis rationibus maternam, ac vernaculam linguam suis Legibus Ecclesia proscripserit, & nonnisi aliquo speciali privilegio ab hac Lege aliquam nationem dispensaverit. Sic sæculo nono Sclavis ad fidem Christianam conversis Joannes VIII. permisit, ut divina Officia, & sacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere posset. Laudandus tamen est prædictus disciplinæ Ecclesiasticæ usus præscribens regulariter Liturgias non esse celebrandas, nisi tribus præfatis linguis Hebraica, Græca, & Latina.

Confert enim multum ad unitatem in Ecclesia servandam Sacrum Mysterium fieri aliqua lingua non vulgari, alicui populo tantum nota, sed communi multis gentibus; ex diversitate siquidem linguarum in divinis Officiis admissa, grave periculum subesset dissensionum, & schismatum, & aliquando urgeret necessitas mutandi verba Sacrificii: cum illa quæ uno tempore sunt vulgaria, talia esse alio tempore desinant. Deinde ejusdem Augustissimi Sacrificii majestas requirit linguam magis venerandam, & gravem, quam sint illæ, quibus vulgares passim utuntur. Sancta igitur Mater Ecclesia, & in Liturgia Latina has tres linguas tantum admiscet; verba enim Græca sunt *Kyrie eleison*

eleison, *Christe eleison* &c. verba Hebræa sunt *Alleluja*, *Amen*, *Sabaoth*, *& Osanna*; reliqua vero Latina: & non nisi præfatis tribus linguis regulariter sancivit Missam celebrari posse; non solum quia congruentissimum judicavit illis solis linguis sacrificium Christi incruentum celebrari debere, quibus ejusdem Servatoris cruentum Sacrificium, & nomen hujus sacratissimæ victimæ, quæ pro salute omnium mactabatur in Ara Crucis, in titulo ejusdem Crucis expressum fuit; sed etiam quia, quamvis multa sint genera linguarum, præfatæ tamen tres sunt nobiliores, & principales, ex quibus cæteræ tamquam rivi ex fontibus sunt derivatæ. Requirit autem Sacrificii majestas, ut mox diximus, nonnisi his nobilissimis linguis peragi: Latina enim non est usitata nisi apud eruditos in Occidente, & in Oriente Græca: Lingua siquidem, cujus solet esse usus in divinis Officiis apud Ecclesiam Orientalem, non est popularis, sed erudita, & non omnibus, sed tantum eruditis cognita. Hanc igitur Ecclesiæ Christianæ consuetudinem omnes venerari debemus, neque audacter improbare, ex eo quod populus vulgaris non percipiat verba, quæ in Missa proferuntur; quia primarius divinorum Officiorum finis non est introductio Populi, sed cultus, & laus Dei. Horum omnium præcessit exemplum in veteri Testamento; nam cum Populus Hebræus post captivitatem Babylonicam Chaldaice loqueretur, Psalmos tamen, & Scripturas semper hebraice cantavit, & legit: quem morem in Synagogis etiam nostri temporis Hebræi observant. Noluit igitur Deus mutari idioma Scripturæ, & suorum Officiorum, licet mutata fuerit populi lingua. Quapropter concludendum est sapientissime ab Ecclesia hunc Ritum servari, ut quo idiomate Missæ primum celebratæ sunt, eodem semper celebrentur, licet ab indoctis, & rudibus talis Sacrificii verba non intelligantur.

Tamquam pro certo admisimus Liturgiam aliquando Hebraico idiomate celebratam fuisse, quamvis contrariam sententiam edoceat Joseph Vicecomes *vol.* 3. *lib.* 3. *c.* 20. ubi concedit majores nostros sacris quidem operatos fuisse Græca, vel Latina lingua, numquam tamen Hebraica; & quamvis admittat Christum Sacrificii Eucharistici institutorem, Missæque auctorem, Hæbraico sermone usum fuisse in tanti Sacrificii institutione; non ideo concedit Apostolos, etiamsi Jerosolymis Sacrum peregerint, Hebraico, sed solum Græco idiomate in Missæ celebratione usos fuisse, hac præsertim ratione motus, quia S. Jacobus, qui illam Ecclesiam primum administravit, Græce scripsit suam Liturgiam. Eusebius vero Renaudotius in *Dissert. de Liturgiarum Orientalium origine*, *& auctoritate c.* 6. ubi disserit de Linguis, quibus Liturgiæ ab initio, & ad hæc usque tempora celebrari solitæ sunt, cum distinctione aliqua procedit in decisione hujus quæstionis, asserendo, quod si per linguam Hebraicam intelligatur Hierosolymitana, quæ tempore J. C. vulgaris erat in Palæstina, & quæ Hebraica vocatur in novo Testamento, licet sit solum affinis Hebraicæ, non detrectat asserere hac lingua Hebraica Missam antiquitus celebratam fuisse. Sed non idem adstruit de pura lingua Hebraica, quam plebs illiterata non intelligebat. Dicit enim neminem veterum prodidisse, primos Christi Discipulos prædicta lingua pura Hebraica, Sacra sua celebrasse; a qua Renaudotii sententia recedendum profecto non est; nam quamvis Judæi, & Israelitæ Hebraicam linguam absoluta captivitate Ægyptiaca ad Babylonicam usque, omnino puram, & ab exterarum Linguarum permixtione illibatam servaverit, ita ut illo tempore nullam notabilem mutationem subierit, nihilominus post captivitatem Babylonicam familiaris linguæ Hebraicæ usus numquam amplius fuit purus inter Judæos, sed primo Chaldaico Babylonico idiomate sunt locuti, ita ut avorum suorum Hebraicam linguam vix intelligerent, & præsertim illi, qui Babylone degebant. Ita tamen Chaldaice omnes loqui cœperunt, ut Hebraismos aliquos tam in verbis, quam in pronunciationibus nihilominus retinerent: & postquam in Terram suam a captivitate Babylonica absoluti regressi sunt, linguæ Chaldaicæ usum etiam magis corruperunt, & mediam quandam invexerunt linguam partim ex Hebraica, partim ex Chaldaica, aliisque dialectis, & idiotismis juxta diversitatem exterorum, quibuscum conversabantur. Hæc autem Lingua, quæ erat tunc Populo Hebraico vernacula, e regione, quam ipsimet Hebræi incolebant, Syriaca, & Judaica appellata est; cujus mixtæ, & Syriacæ linguæ, ut observant Buxtorfius, & Waltonius, variæ erant dialecti; nam dialectus Galilæa adeo discrepabat ab Jerosolymitana, ut ex Sancti Petri sermone, illum esse Galilæum collegerint. Hujus autem Syriacæ, vel Syro-Chaldaicæ linguæ maxima hæc exurgit prærogativa, quod Christi Domini ore sancto fuerit prolata; ipsi namque, ejusque Discipulis fuit vernacula, atque etiam Legem suam Evangelicam, vitæque æternæ promissa, quibus omnis nostra spes nititur, in ea primum lingua mundo promulgavit. Rursus hæc lingua Syriaca est illa, quam Christiani per Orientem sibi fere propriam fecerunt; siquidem utriusque Testamenti versionem in hac dialecto habuerunt, & in eadem celebrasse Sacra non est dubitandum, ut etiam censet Claudius Frassen in suo doctissimo opere inscripto: *Disquisitiones Biblicæ*, *lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. circa finem: Hac eadem lingua conscriptum fuisse Matthæi Evangelium tanto unanimi veterum consensu testatum est, ut mirum sit novitios quoseam Scriptores id in dubium revocare, atque etiam falsitatis arguere, ut optime edocet Remigius Cæillerius Monachus Benedictinus in sua etuditissima Historia Generali Scriptorum Sacrorum lib. 2. *c.* 2. *art.* 3. *num.* 3. Ubi etiam subnectit Sanctum Matthæum prædicta lingua Evangelii scribendi consilium suscepisse, ut ea suppleret, quæ Hebrææ deesse possent, & idcirco eadem lingua in scribendo usus est, qua illos

viva

viva voce instituerat; alias monitis, dum coram esset, traditis, infirmius supplementum attulisset. Quid enim illis profuisset Liber eo sermone scriptus, quem ipsi non intelligerent? Ita etiam Ernestius Tenxellius in suis animadversionibus ex Divi Hieronymi Commentario in Matthæum ostendit, non Hebraica lingua proprie dicta, sed Chaldæa, sive ut alii appellari malunt Chaidæo-Jerosolymitana conscriptum fuisse, quod Nazareni venditarunt Matthæi Evangelium. Nec aliam intelligi putat Fabricius in *Bibliotheca Ecclesiastica pag.* 31. a Græcis patribus, qui Mathæum hebraice scripsisse tradunt; quandoquidem in novo Testamento hac dictione idem significatur idioma, quo tunc vulgus Judæorum Jerosolymis utebatur. Inde autem conficitur nullum Hebræorum Matthæi Evangeliorum, quæ Munsterus, Mercerus, Tiliusque vulgarunt, genuinum esse posse. Hæc præfati Auctores: ex quibus omnibus optime inferri posse crediderim, quod sicut præfata lingua conscriptum & promulgatum fuit primum Christi Evangelium, ita eadem lingua ab Apostolis & Discipulis Christi primitus sacram Liturgiam celebratam fuisse, & non solum Jerosolymis, sed ubicumque talis Lingua vernacula erat. Quapropter in hoc sensu optime subsistit sententia Renaudotii, quod lingua Hebraica in primitiva Ecclesia Missa dicta fuerit.

Idque magis evincitur *ex Epistola* 247. Joannis VIII. ad Sfentopulcrum Comitem Moraviæ, in qua permisit Sclavis, ad fidem Christi prædicatione Sancti Methodii conversis, sacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere: in dicta enim Epist. præter alia habentur hæc verba: *Quoniam qui fecit tres Linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam.* Ex quibus verbis Summi Pontificis clare colligitur sacram Liturgiam celebratam fuisse his tribus linguis Græca, Hebraica, & Latina; unde nullo modo denegandum est Apostolos usquam Hebraica lingua usos fuisse in Missæ celebratione, ut prætendit Joseph Vicecomes, absque eo quod officiat huic nostræ sententiæ, quod Liturgia Div. Jacobi græce reperiatur conscripta, non vero hebraice; nam ab initio etiam eundem Apostolum hebraice Hierosolymis sacris operatum fuisse, pro certo habendum est, & processu temporis etiam lingua Græca Missam celebrasse minime denegamus. Sicut denegandum non est adhuc reperiri aliquam Liturgiam in præfato Syro Chaldaico, vel Syriaco idiomate exaratam, & est illa, qua utuntur Maronitæ, qui Libanum incolunt. Hi enim eadem utuntur lingua, qua Christus Dominus creditur usus fuisse, ut tradit Balthassar Francolinus *in suo Tyrocinio Theologico* §. 4. *n.* 76. Quæ quidem lingua a Cardinali Bona *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. Chaldaica nuncupatur; unde ait in Occidente non inveniri, nisi antiquas Liturgias Latinas; in Oriente vero, quamvis multæ sint diversarum linguarum nationes, quæ Christiana professione censentur; veteres tamen Liturgias non habent nisi Græci, & Melchitæ; & Chaldaica lingua, qua Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ per varias provincias dispersi utuntur. Vocat vero ibi linguam Chaldaicam illam, quam alii Syriacam, vel Syro-Chaldaicam appellant, quæ scilicet ex lingua Hebraica & Chaldaica orta est, & qua Hebræi, ut dixi, Babylone degentes captivi loquebantur, & quæ a regione, in quam post captivitatem regressi sunt, Syriaca ab aliquibus dicta fuit, ab aliis vero Syro-Chaldaica, & denique a nonnullis etiam Hebraica, quia populo Hebraico vernacula erat. Et hæc satis sint pro hac celebri quæstione diligenter discussa ab Auctoribus Liturgicis.

XV. Gav. ead. lit. d— *Petrus ordinem præscripsit, Jacobus evulgavit.*) Contra eos, qui asserunt Jacobum primam Missam Jerosolymis celebrasse, docet hic Gavantus Petrum Apostolorum Principem, omnium primum Missæ ordinem præscripsisse; Jacobum vero posteà evulgasse. Nos superius ostendimus cum eodem Gavanto Petrum Jerosolymis in Cœnaculo Sion primum Sacrificium ante omnes alios Apostolos peregisse. Nunc Gavanto pariter consentimus, & dicimus, vere Petrum primum omnium Liturgiam, sive ordinem & Ritus præcipuos, quibus Missa celebratur, instituisse, Præsertim vero acerrime sustinemus Romanam Missam, seu Liturgiam divo Petro tamquam primo suo Conditori & Institutori referendam esse. Quæ quidem veritas, & auctoritatibus luculentis, & validis rationibus manifesta reddi potest: Sanctus enim Innocentius I. in epist. a nobis supra allegata ad Decentium Episcopum Eugubinum, præter alia, scribit hæc verba præcisa: *Quis enim nesciat, aut non advertat, id, quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjectas, nullum instituisse Ecclesias, nis eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes.* Ex quibus Innocentii verbis liquet Romanam Ecclesiam a S. Pietro suam Liturgiam, seu Ordinem, & Ritus, quibus Missa celebratur, accepisse; & in omnes Occidentis regiones, aut ipsius Petri, aut suorum primorum successorum studio eumdem Missæ ordinem fuisse deductum. Innocentio I. concinit pariter Vigilius Pontifex, cujus verba superius retulimus. Ita etiam sanctus Isidorus Hispalensis *Lib. I. Cap. XV.* de Ecclesiasticis Officiis, dicendo: *Ordo Missæ, vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit Orbis.* In eadem versantur sententia Etherius Episcopus Uxamensis, & Beatus Presbyter in libris adversus Elipandum Toletanum, & alii a nobis superius allegati, inter quos Walfridus Strabo, qui floruit circa annum Domini 840. in

lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. hæc tradidit: *Et Romani quidem usum observationum a B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quisque temporibus, quæ congrua sunt addiderunt. Quorum morem ideo in sacris Rebus tam multæ Gentes imitantur, quia & tanti magisterii ex Apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per Orbem Ecclesia æque, ut Romana ab omni fæce Hæresum cunctis retro temporibus pura permansit.* In eandem sententiam, nimirum Romanam Liturgiam, non quoad omnem suam partem, sed quoad præcipuas saltem, Divo Petro tribuendam esse defendunt pariter Edmundus Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus *cap.* 3. *art.* 2. §. 7. Grancolas in suo lib. de antiquis Liturgiis *pag.* 51. Le Brun Tom. 2. suarum Explicationum super Cæremoniis & precibus Missæ *dissert.* 2. *art.* 2. & Dominicus Gregorius in suo primo Volumine de Liturgia Romani Pontificis *lib.* 1. *cap.* 2. Hi tres recentissimi & eruditissimi viri concordes sunt in defendenda antedicta sententia quoad Romanam Liturgiam D. Petro, tamquam primario Conditori adscribendam, iisdem auctoritatibus innixi, quas mox allegavi. Congrua etiam rationi est hæc opinio: nam Petrum Apostolorum Principem Romam adventasse certissimum est, (quidquid oblaterent contra hanc irrefragabilem veritatem Heterodoxi, & pravæ mentis Auctores) Romanamque Ecclesiam rexisse, & ibi Apostolicam Cathedram ab Antiochia translatam, pro suis etiam successoribus in Romano Episcopatu, totiusque Ecclesiæ Magisterium & Principatum firmasse; quibus positis, nemo inficiari potest supremum antedictum Sacerdotem Romæ toto sui regiminis tempore certis statutis Ritibus, Cæremoniis, Precibus, Collectis, & sanctæ Scripturæ Lectionibus Missam celebrasse; qui quidem Missæ celebrandæ ordo ab ipso inceptus, institutus, & observatus profecto sive scripto consignatus, sive verbali traditione aliis Romanæ Ecclesiæ Presbyteris, & suis successoribus in Romana Cathedra communicatus fuit, & temporis successu aliis precibus, aliisque Ritibus adauctus. Sed hæ successivæ additiones non officiunt quin prædicta Liturgia Romana debeat D. Petro, tamquam suo primo Conditori, & Institutori, referri.

Sic Jacobum Apostolum esse illius Liturgiæ Institutorem, quæ ejus nomine inscripta est, acerrime sustinet Leo Allatius in Symmictis *pag.* 176. Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 8. *num.* 3. & alii, qui allegant in comprobationem suæ sententiæ perpetuam traditionem veterum, & Græcæ Ecclesiæ consensum, quæ prædictam Liturgiam, ut legitimam semper agnovit, & ut Jacobi genuinum opus recepit. Græcorum opinioni accedunt quoque Syri, qui teste Abrahamo Ecchelensi in notis ad Hebediesu de Scriptoribus Chaldaicis *pag.* 135. asserunt, primum omnium, qui Liturgiam scripserit, & aliis eas scribendi facem prætulerit, fuisse Sanctum Jacobum. Laudatus Abraham confirmat hoc testimonio Jo: Maronis, qui sexto vertente sæculo vivebat: Synodus quoque Trullana hanc sententiam approbasse videtur; nam *Can.* 32. ex Liturgia Sancti Jacobi probat vinum aqua mixtum in Sacrificio Missæ esse offerendum; ut refellat Hydropastarum errorem, qui solam aquam offerendam pertinaciter affirmabant. Manuel Malachus in nono Canone *cap.* 220. ait eamdem Jacobi Liturgiam in usu fuisse usque ad tempora Basilii Magni, ejusque meminit S. Proculus sæculi V. Auctor in tract. de traditione divinæ Liturgiæ, quod opus etsi nonnulli S. Proclo abjudicent, genuinum tamen ipsius fœtum esse erudite demonstrat noster Vincentius Richardus in notis ad eundem tractatum. Denique Cyrillus Jerosolymitanus multa profert in suis Mystagogicis Catechesibus, quæ ita sunt huic Liturgiæ similia, ut facile colligas ex ea fuisse deprompta. Eorum vero argumenta, qui Liturgiam hanc Divo Jacobo eripiunt, id unum ostendunt, alia reperiri in eadem Liturgia, quæ Jacobo tribui non possunt, neque illius tempori correspondent; sed nos non inficiamur a Jacobi successoribus aliqua addita fuisse, sicut contigit omnibus Liturgiis, & veteribus Sacramentariis, quæ tamen nihilominus adhuc suo principali Institutori adjudicantur, & in hoc sensu etiam sapientissimus Cardinalis Gotti in suo recentissimo & præclarissimo opere inscripto, *Veritas Religionis Christianæ tom.* 1. *cap.* 4. §. 9. inhærens sapientissimo pariter Cardinali Bellarmino, prædictam Liturgiam Jacobo asseri posse fatetur: & revera ita pariter Gelasio Summo Pontifici adscribitur Codex ille Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui, ut supra innuimus, cura & studio Cardinalis Thomasii in lucem emissus fuit, quamvis talem Codicem non ex integro præfatus Pontifex condiderit, sed solum illum ordinaverit, & præfationes, aliasque preces ei adjecerit. Rursus quamvis nonnulla præfato Codici post præfatum Pontificem apposita fuerint, quæ ipsum profecto non sapiunt; nihilominus semper ipsi adjudicatus fuit; & eodem modo, & ob easdem rationes Sacramentarium, quod usque ad præsens tempus Gregorianum appellamus, Divo Gregorio Magno tribuimus. Cur igitur, & his, & aliis validioribus rationibus suffulti, Romanam Liturgiam D. Petro, seu primo Institutori, & Conditori adscribere non debemus? & de hac Romana Missa inferius aliqua alia addemus, cum de multiplicibus Missarum generibus nobis discurrendum pariter erit, inter quas præcipuum locum Missa Romana promeretur.

Novæ aliæ Observationes in superioris Rubricæ Textum, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

XVI. Rubr. *Missa quotidie dicitur.* Quoniam in animum induximus, non solum Observationibus Gavanti Commentaria, sed etiam novis additionibus totum hunc suum Thesaurum illustrare, idcirco super præfatis Rubricæ verbis, quæ Gavantus

tus prætermisit in suis Commentariis, nos expositiones nostras prodere, operæ pretium ducimus. Tria autem pro recta explanatione dictorum verborum consideranda sunt, cum tria in ipsis contineantur. Primo indicatur obligatio, seu usus quotidie celebrandi: Secundo proponitur conformitas, quæ debet esse inter Missam & Officium: Tertio explicatur diversitas Missarum de Festo duplici, semiduplici, &c.

Quoad primum, nimirum *Missa quotidie dicitur*, doctissimus Joannes Mabillon in Præfatione ad sæculum secundum Ordinis S. Benedicti §. 4. *num.* 36. adnotat, viros pios nonnullos per sæculum septimum rem sacram quotidie frequentasse, id quod anterioribus sæculis non tam obvium videbatur. Idem clarissimus Auctor *Præfat.* 1. *in Sæculum* 3. §. 6. *num.* 52. adstruit Missæ quotidianæ celebrationem jam inde a sæculo sexto frequentatam a Sacerdotibus piis, circiter octavum sæculum amplius commendari cœpisse. Statutum vero de hac re nullum invenisse asseverat ante annum 855. quo Synodus Ticinensis ita decrevit *cap.* 2. *Statuimus, ut non tantum Dominicis diebus, & præcipuis Festivitatibus, Episcopi Missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent.* In Gallia etiam idem statutum eodem tempore emanavit; idque colligitur ex Ridulphi Svetonici Episcopi *cap.* 3. ita Presbyteros alloquentis: *Habete quæsumus studium in Psalmos cantando, in Divinos libros legendo, in Canonicas Horas constituendo, idest Primam, Tertiam, Sextam, Missarum quoque quotidiana celebratione.* Sed hæc statuta potius exhortationis, quam Legis, aut præcepti vim habuisse ibidem ostendere contendit præfatus Mabillonius.

Verum Edmundus Martene in rebus sacris, non minus, quam Mabillonius peritus *tom.* 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus *lib.* 1. *art.* 3. adstruit, & ostendit, quod quamvis primis Ecclesiæ temporibus dumtaxat die Dominico Missæ Sacrificium peractum fuerit; quia id satis innuit S. Justinus Martyr in Apologia 2. ubi agens de Christianis Conventibus, solius meminit Dominicæ: Sanctus tamen Epiphanius tradit tres in hebdomada dies ad id muneris statutos fuisse ab Apostolis, Dominicam scilicet, & quartam, sextamque Feriam. Hæc enim habet in expositione Fidei Catholicæ: *Sacri porro Conventus, & Synaxes, ab Apostolis instituti sunt his potissime diebus, quarta, sexta Feria, & Dominica:* eamque sententiam confirmare videtur Tertullianus *lib. de Oratione.* Hisce diebus Sabbatum adjecit S. Basilius *in epist.* 289. *ad Cæsaream Patritiam.* Verum tempore S. Augustini variæ erant Ecclesiarum consuetudines, ut ipse ait epist. 54. novæ editionis ad Januarium: *Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.* In Africa tamen jam tum quotidiani Sacrificii usum invaluisse colligitur ex ejusdem S. Augustini *Serm.* 58. *de Oratione Dominica ad Competentes*, in quo ait: *Oratio quotidie dicenda est vobis cum baptizati fueritis. In Ecclesia enim ad Altare Dei quotidie dicitur ista Dominica Oratio, & audiunt illam Fideles. Non ergo timemus ne minus diligenter eam teneatis; quia etsi quis vestrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit.* Idem confirmat in ep. 98. dicendo: *Nonne simul immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur?* Eumdem Missæ quotidianæ usum, etiam in Ecclesiis viguisse, eruitur ex hoc Concilii Toletani primi *ann.* 400. celebrati Canone: *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut Castello, aut Vico, aut Villa ad Ecclesiam, ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur.* Idem asserendum est de Ecclesia Constantinopolitana, quia in Homilia 3. Div. Joannis Chrysostomi in epistola ad Ephesios hæc leguntur: *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad Altare, nemo est qui simul participet.* Idem pariter eruitur ex Sermone 25. inter falso adscriptos Sancto Ambrosio in nova editione; unde probabilissimum est, etiam in Ecclesia Mediolanensi sacrum Mysterium quotidie peractum fuisse. Idem pariter evenisse in aliis Ecclesiis, & Monasteriis, vertente sæculo V. ostendit Martene loco suprac. in seqq. vero sæculis quotidiana oblatio in præcipuis etiam Ecclesiis usuvenisse, non est dubitandi locus, cum in ordine Gelasiano, & in Sancti Gregorii Sacramentario habeantur Missæ descriptæ pro omnibus Dominicis, & pro omnibus Quadragesimæ, & Paschalis hebdomadæ Feriis; quæ Dominicarum Missæ infra hebdomadam repetebantur, quando propria non occurrebat. Excipiendæ tamen sunt Dominicæ post Sabbatum quatuor Temporum, & Feria V. Quadragesimæ, quæ Officio proprio in præfatis ordinibus vacare reperiuntur ob illas rationes, quas adducit Martene.

Tertullianus de Jejuniis *cap.* 14. ait: *Nobis certe omnis dies, & etiam vulgata consecratione celebratur.* Et Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 18. §. 4. alium etiam a præfato tempore repetit usum quotidianæ celebrationis; Andreas etenim Apostolus, quotidie se Hostiam incruentam immolasse testatus est, ut referunt ejus Acta a Presbyteris Achajæ conscripta.

Innocentius I. *in epist. ad Exuperium Episcopum Toletanum* docet, ideo Sacerdotibus servandam pudicitiam, quia non præterit dies, qua a Sacrificiis Divinis vacent. S. Petrus Chrysologus *Serm.* 5. *de Christo* ait: *Hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidie, ac jugiter immolatur.* Sanctus Basilius quotidie *sacris operatus est*, ut scribit Amphilochius in ejus Vita, idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. D. Cyprianus *epist.* 14. ad Cornelium ait: *Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus,*

mus, Hostias Deo, & victimas præparemus. Alia testimonia veterum Patrum de usu quotidiani Sacrificii affert idem Cardin. Bona, etiam *citat. lib. 5. cap. 14.* in quo ex professo agit de usu perpetuo Missarum privatarum; & hinc occasio ei præbetur agendi etiam de usu Missæ quotidianæ.

Ex supradictis liquido constat contra cit. Mabillonium, non solum a Sæculo VI. sed etiam superiori valde tempore, Missæ quotidianæ celebrationem a piis Sacerdotibus frequentatam fuisse; immo Missas privatas quod attinet, si Feriam VI. & Sabbatum majoris Hebdomadæ apud Latinos, & omnes Ferias V. Quadragesimæ excipias, quibus adde Ferias VI. Quadragesimæ apud Ecclesiam Mediolanensem, & totum Quadragesimale tempus, præter Sabbata, Dominicas, & Festum Annunciationis apud Græcos; non solum fuit licita omnibus diebus quotidianæ Missæ celebratio, sed etiam pluries una die celebrare olim permissum fuit pro cujuscumque Sacerdotis arbitrio; ita ut alius bis, alius ter, alius quoties ei libebat, Missas in eadem die iteraret; credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur, ut tradit Walafridus Strabo *lib. de Rebus Eccles. cap.* 25. idque ex Fidelium Virorum relatione accepisse se adstruit; qui etiam refert Leonem III. Pontificem novies aliquando in eodem die Sacrificium celebrasse. Verum enarratæ Sacerdotum devotioni aliquos limites a sacris Canonibus præfixos fuisse legimus; nam trigesimus septimus inter eos, qui sub Ecdaro Anglorum Rege dati sunt, ita habet: *Docemus etiam, ut nullus Sacerdos Missam sæpius in ullo die celebret, quam ter ad summum.* Idem statuerunt Leges Presbyterorum Nortumbriensium *capit.* 18. & Concilium Salegustadiense *anno* 1022. *Canon.* 5. Postea vero Alexander Papa II. qui obiit anno 1073. decrevit, ne plus, quam una in die Missa ab uno Sacerdote celebraretur, ut legitur *in Decreto Gratiani de Consecrat. Dist.* 1. *Can.* 53. ubi habetur: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere; & valde felix est, qui unam Missam dignam celebrare potuit.* Addit nihilominus idem Pontifex ibidem: *Quidam tamen pro Defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.* Inter quos numerantur Sanctus Anselmus, & Sanctus Albertus, quorum Vita legitur apud Bollandum die septima Aprilis, in qua hoc narratur. Verum neque etiam pro Defunctis modo licet, præter aliam Missam celebratam in eadem die, & sacrum facere, & solummodo in solemni die Nativitatis Domini tres, ut olim, permissum est cuilibet Sacerdoti Missas celebrare, illis Ritibus & Cæremoniis quæ ab Ecclesia, & Sacr. Rituum Congregatione præscriptæ sunt. Ita Innoc. III. statuit *in cap. Consuluisti, de celebratione Missarum*, his verbis: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Et ibidem *cap. Te referente* Honorius III. *quacumque Sacerdos dignitate præfulgeat, plures eodem die Missas dicere non audeat;* & hæc est praxis totius Ecclesiæ, tam Orientalis, quam Occidentalis, & communis Theologorum sententia, a qua nemo potest recedere, quin reus evadat gravissimi criminis. Inter eruditos nullus ignorat, antiquitus non solum in die Nativitatis Domini, sed etiam in aliis solemnibus Festivitatibus plures Missas a sacerdotibus celebrata fuisse. Sic in die Circumcisionis Domini, seu Kalendis Januarii in vetustissimo Gellonensis Monasterii Sacramentorum libro, tres reperiuntur Missæ adsignatæ, quarum prima & secunda inscribitur *in Octava Domini*, tertia inscribitur *Missa ad prohibendum ab Idolis*. Secunda tamen est de B. Maria, ut indicant Orationes: & revera in veteri Frontonii Kalendario ante annum 900. exarato, duæ tantum Missæ indicantur; prima de Octava Nativitatis, secunda vero de S. Maria, quæ etiam tempore Durandi celebrabantur in dicta die, ut ipse asseverat *in Rationabili lib.* 6. *cap.* 5. Rursus in præfato Monasterii Gellonensis Sacramentario ante annos 900. conscripto non solum tres, ut in antiquis Sacramentorum libris, sed quatuor adsignantur Missæ cantandæ in solemnitate Nativitatis D. N. J. C.

Joannes Frontonus mox laudatus in suis eruditissimis prænotatis ad Calendarium ab ipso editum §. 10. asserit in die quoque Paschatis tres fuisse Missas: *Primam Sabbatinam de nocte, secundam de die, tertiam in concessionem ordinum, quæ non adnotatur, quia sumitur de Communi;* ita præfatur doctissimus vir. Verum in festo Paschæ non fuisse olim collatos sacros Ordines prætendit probare editor Sancti Leonis *in* 6. *Dissertatione* ad opera ejusdem Sancti Pontificis. In veteri Missali Gallicano a Cardinali Thomasio in lucem emisso per totam Paschæ Octavam adnotantur duæ Missæ, una matutinalis pro Neophytis, altera de die.

Tempore Sancti Augustini bis litabatur Feria V. in Cœna Domini; semel mane a jejunis, & semel sero a refectis; quod nec ipse improbat, respondens ad Januarium *epist.* 54. novæ editionis, qui eum ea de re interrogaverat. Verum in antiquo Codice Rhemensi S. Remigii, & in Noviomensi S. Mariæ, ac in Gellonensi, necnon in Ordine Gelasiano, tres adsignantur Missæ in eadem Feria V. in Cœna Domini. Prima pro reconciliatione pœnitentium; Secunda Chrismalis dicta pro confectione sacri Chrismatis; Tertia ad vesperum, de ipsa diei solemnitate. His quarta additur in veteri Codice Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ Annorum circiter 900. de qua sicut de supradictis mentionem facit eruditissimus Martene *loc. cit. num.* 81.

Ex eodem Martene eruitur, quod in optimæ notæ MS. libro Sacramentorum Ecclesiæ Turonen-

nensis ante annos 800. exarato, tres pariter describuntur Missæ in Vigilia Ascensionis Domini, præter eam, quæ est de Litania majori. In Ordine autem Gelasiano duæ adsignantur in Ascensu Domini; & in Codice Gellonensi duæ adduntur Missæ in Litania majori, idest in Rogat. primo die unica, secundo die duæ, & sic tertio die, præter eam, quæ est de Vigilia Ascensionis. Præterea in aliis etiam Domini, nec non Sanctorum solemnitatibus reperiuntur plures Missæ, quæ in dictis diebus cantabantur. Liquet igitur olim Missas non privatis modo, sed quoque solemnes, plures eadem die ab uno Sacerdote celebratas fuisse; de qua Missarum pluralitate erudite tractat supra citatus Edmundus Martene *lib.* 1. *de antiquis Eccles. Ritibus.* Cardin. Bona *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 5. *& seqq.* ubi agit de diebus, quibus in veteri Ecclesia plures Missæ celebrabantur; quos quidem dies ipse vocat Politurgicos, ad differentiam illorum dierum, in quibus nulla dicebatur Missa, quos vocat Aliturgicos; alios vero, in quibus unica tantum a quolibet Sacerdote dicebatur Missa, Liturgicos appellat. Præter allegatos, legi etiam possunt alii Auctores agentes de earum Missarum pluralitate in eadem die; præsertim vero Joannes Baptista Thiers in *tom.* 1. *lib. posthumi de Superstitione*, Giancolas *tom.* 2. *pag.* 371. Mabillonius in Præfat. ad Sæculum 2. Benedict. Christianus Lupus, qui de hac re fusissime agit in Scholis ad citatum Decretum Alexandri II. quod perperam a Burio Alexandro I. tributum fuit, Gervasius Dorobornenzs in *Actis Pontificum Eborac. pag.* 1649. Menardus *in notis ad Sacrament. Gregorianum pag.* 167. Sed talis Missarum multiplicitas in eodem die ab eodem Sacerdote celebrandarum, ut diximus, nunc suspensa omnino remanet, & solum permittuntur illæ tres, quæ in Nativitate Domini quolibet anno a quolibet Sacerdote peraguntur.

Cæterum restituendo sermonem Missarum quotidie celebratarum; quamvis eam opinionem amplexus fuerim, quæ docet priscis etiam Ecclesiæ Sæculis hunc morem invaluisse quotidie offerendi incruentum Sacrificium; non sum tamen is, qui asseram eumdem morem communem fuisse omnibus presbyteris; quinimo hæc consuetudo quotidie celebrandi neque post sextum Sæculum fuit universalis omnibus Sacerdotibus, ut optime ostendit Edmundus Martene *lib.* 2. *de Monachorum Ritibus cap.* 5. §. 2. ubi asseverat, quod olim nonnisi aliqui perfectiores Monachi multa cum laude, & religione quotidie sacris operabantur, inter quos recensentur S. Goar Eremita, cui, teste Wandelberto *in ejus Vita num.* 7. *Sæculo secundo Benedictino pag.* 282. erat solemnis consuetudo, ut omni die Missarum solemnia celebrans Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret. Ita pariter S. Geremarus Abbas Haviacensis, de quo Anonymus in ejus Vita ait: *Offerebat ille Sacrificium per singulos dies cum lacrymis, & contritione cordis.* Kalenses Monachi, quibus Bertissa Parchenonis Kalensis Abbatissa quotidie pro salvatione Animarum Fidelium, & recto statu Ecclesiæ Domino Hostias sacras jubebat offerre, & alii, quos loco cit. congerit Martene. Verum quamvis nonnulli olim quotidie celebraverint Presbyteri, idque ipsum solitariis permittere videatur Grimalaicus in Regula solitariorum *c.* 36. tamen paucorum erat ista virtus, peneque omnes Augustissimi Mysterii horror a quotidiano celebrandi ausu arcere solebat; nam præter Nivienses Monachos, apud quos ex octo Presbyteris unus duntaxat sacrosanctum Sacrificium offerebat, singularia hæc produximus aliquorum Monachorum exempla, qui quotidie offerrent, qui aliud docent, quam alios non ita frequenter celebrasse? Nam si generalis Missas dicendi consuetudo extitisset apud omnes Monachos, frustra isti hac de re tamquam de singulari facinore laudarentur, cum aliis omnibus foret commune. Hæc exscribere placuit ex laudato Martene, qui aliis pariter argumentis comprobat Monachos Sacerdotes etiam post sæculum sextum a quotidiana Sacrificii celebratione abstinuisse: sic de S. Rodingo Abbate Bellicolensi legitur in ejus Vita scripta a Richardo Abbate *num.* 12. quod festivis duntaxat diebus celebrabat; florebat autem Rodingus post medium sæculum septimum: sæculo vero octavo in Concilio Cloveshoniensi celebrato anno 747. *cap.* 14. sancitum fuit, ut Dominicus dies legitima veneratione a cunctis celebretur, sitque divino tantum cultui dedicatus, omnesque Abbates, ac Presbyteri isto sacratissimo die in suis Monasteriis, ac Ecclesiis maneant, Missarumque solemnia agant. Præfatum Concilium habetur apud Spelman. *tom.* 1. Concil. Angliæ. Ex quo colligitur aliis hebdomadæ diebus prædictos Monachos Sacerdotes a Sacrificio abstinuisse. Et sæculo X. S. Anstens Abbas Mertensis, ut habetur in Sæculo V. Benedictino *pag.* 388. *Omnibus Dominicis, & festivitatibus Sanctorum celebrioribus Missas publice dixit, ad hoc unaquaque IV. Feria privatim.* Præterea non videmus Cluniacenses ex Udalrico, Alemannos Monachos ex consuetud. Germaniæ, neque Cistercienses Presbyteros, quotidie Missas fecisse, immo de Cisterciensibus constat ex libro suorum usuum, Presbyteros sæpius in ipsis etiam Dominicis non celebrasse, sed privatim tantum communicasse. De Carthusianis vero exploratum est ipsis olim non fuisse licitum quotidie Sacrificium offerre, ut colligitur ex epistola, quam scripsit Petrus Blesensis ad Alexandrum Carthusianum novitium, ut eum in vitæ Monasticæ proposito retineret, quod ille abjicere volebat, eo quod Missam quotidie celebrare sibi fas non esset. Hæc consuetudo vigebat apud Carthusianos, etiam circa medietatem sæculi XV. ut patet ex Apparatu Petri Boetii ad Constitutionem Benedicti PP. XII. ubi ad *cap.* 27. ita loquitur: *Unde non quotidie, immo raro sacrificat Carthusiensis ordo; sicut enim solet generari ex assiduitate contemptus, sic attenditur ex ipsa ra-*

rati devotio. Aliam rationem reddit Guido in Statutis *cap.* 14. ubi ait: *Raro hic Missa canitur, quoniam præcipue studium, & propositum nostrum est silentio, & solitudini vacare, &c.* Ex quibus omnibus, & ex aliis, quæ refert Martene citat. loc. patet Sacerdotes Monachos non ita frequenter olim Missas fecisse, etsi nunc in omnibus Religiosorum hominum familiis singuli quotidie celebrare soleant Sacerdotes.

XVII. Rubr. *Secundum ordinem Officii.*) Procedendo ad explanationem aliorum verborum supradictæ Rubricæ: Missa regulariter debet esse conformis Officio, seu horis Canonicis, præsertim Missa principalis seu Conventualis. Dixi regulariter, quia dantur nonnullæ exceptiones, ex. gr. Sabbatis Adventus, & Vigiliis, quæ veniunt infra Octavas, Missæ non correspondent Officio, ut videbimus suo loco, nimirum Titulo 3. in Commentariis, & Additionibus ad illa verba Rubricæ, *Missa dicitur de Vigilia.* Et *Part.* 4. *Tit.* 1. in quo explicantur Rubricæ Missarum de Adventu. Ratio antedictæ conformitatis Missæ regulariter cum Officio videtur esse, quia ab Ecclesia destinantur singuli dies, vel in cultum, & honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii, & operis divini; & consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eumdem finem omnes sacras functiones cujuslibet diei, quales præcipue sunt Officium Canonicum, & Missa; sic enim integrum cultum, & non dimidiatum exhibet illis, quos intendit colere. Hinc Missa & Officium convenire debent non solum in ordine ad Deum ultimum finem, sed etiam in ordine ad finem proximum, videlicet ad cultum talis Sancti, vel talis mysterii venerationem. Ubi breviter advertendum, quod quamvis Sacrificium non debeat offerri nisi soli Deo, ob supremum Latriæ cultum, quem continet; nihilominus offertur etiam ipsi Deo in honorem Sanctorum, nempe in gratiarum actionem de illorum victoriis, ut loquitur Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 3. Itaque semper Deus in se principialiter adoratur, & colitur; vel ut mirabilis in Sanctis suis, vel ut sanctus in omnibus operibus suis.

Superest etiam alia ratio assignanda dictæ conformitatis Missæ cum Officio, nimirum quia Officium est præparatio, & dispositio ad Missam; unde in Rubricis præscribitur, ut saltem Matutinum cum Laudibus præmitti debeat celebrationi Missæ. Dispositio autem debet esse proportionata ultimæ, & sublimiori formæ, ad quam disponit; & idcirco Officium, & Missa regulariter debent habere conformitatem inter se.

XVIII. Rub. *De Festo duplici, vel semiduplici.*) Juxta hæc verba ejusdem Rubricæ: Missa dicitur vel de duplici, &c. vel de Dominica, vel de Feria, Ritu magis, vel minus solemni ob diversa, vel inæqualia merita Sanctorum, qui juxta Apostoli mentem differunt sicut stellæ in claritate, ut notat Durandus *in Rat. lib.* 7. *cap.* 1. vel propter beneficia per ipsos in Ecclesiam collata; unde Apostolus 1. *ad Timoth. cap.* 5. *v.* 7. *Qui laborave-runt verbo & doctrina, duplici honore digni habeantur.* Potest etiam non incongrue afferri illud ex Hymno in laudem S. Joannis Baptistæ.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis; duplicata quosdam:
Trina te fructu, cumulata centum
Nexibus ornant.

Quod alludit ad parabolam seminis Evangelici *Matthæi cap.* 13. producentis fructum vel trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum; in aliquibus enim Sanctis est fructus trigesimus, & simplex, cui correspondet Officium simplex; in aliis est sexagesimus, & duplicatus, cui correspondet Officium duplex; in aliis est semiduplex, qui medio modo se habet pro Officio semiduplici. Centesimus denique spectat ad meritum excelsum Sanctorum insignium, pro quibus fit Officium primæ Classis. Dicitur etiam Missa nedum de Sanctis duplicibus, vel semiduplicibus, de quibus mox locuti sumus, sed etiam de Dominica, vel de Feria, &c. de quibus dicemus infra sub suis Titulis.

Hæc collecta sunt ex nostro doctissimo Patre Quarti *part.* 1. Commentariorum in primum ordinem Rubricarum Missalis Romani *pag. mihi* 32. *& seqq. in Proœmio.*

Novæ aliæ Additiones, & Observationes ad præfatam Rubricam, & Gavanti Comment. in quibus referuntur, & explicantur varia genera Missarum, quarum aliquæ adhuc frequentantur; aliæ vero non sunt amplius in usu. Rursus aliquæ sunt præceptæ; aliquæ vero tantum permissæ; aliquæ etiam ab Ecclesia proscriptæ.

XIX. Posquam multa a nobis in præcedentibus Observationibus adnotata sunt de Missæ præsertim antiquæ Sacrificio; & iterum multa pariter dicenda remanent de hodiernæ Missæ partibus, Vestibus, Ritibus, & Cæremoniis: idcirco ut omnibus a nobis dicendi via sternatur, operæ pretium ducimus brevi, & clara methodo nonnulla Missarum genera in his Prænotionibus Liturgicis proponere, & explanare.

Primum Missarum genus, seu distinctio repetenda est ex parte Auctorum, aut Nationum præsertim Occidentalium, a quibus eædem Liturgiæ fuerunt institutæ, seu frequentatæ: hujusmodi autem sunt Missa, seu Liturgia Romana, Ambrosiana, Gallicana, Mozarabum, seu Mozarabica, Africana, Hibernica, Clementina, seu S. Clementis, Dionysiana, seu S. Dionysii Areopagitæ, Patriarchina, seu Aquilejensis, Illyrica, seu Sclavonica, Trevirensis, seu S. Simeonis Syracusani, Illyriciana, & Bobiensis.

XX. MISSA ROMANA est illa, quæ ut superius diximus, auctorem sui præcipuum S. Petrum Apostolorum Principem recognoscit, & quæ nunc est in usu apud omnes fere Orientales Ecclesias, & cujus celebrationem uno eodemque modo Latinæ

tinæ peragunt Ecclesiæ. Hujus Romanæ Liturgiæ triplex status, seu ordo, considerandus occurrit, ut optime advertit Joannes Mabillon *lib.* 1. *cap.* 2. *de Liturgia Gallicana num.* 4. Unus primigenius, qui ab Ecclesiæ nascentis exordio usque ad Gelasium fuit receptus. Alter Gelasianus, qui Auctorem, seu potius amplificatorem habuit Gelasium Papam hujus nominis primum. Tertius est ille, qui Gregorianus dicitur ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem coarctavit, correxit, & in meliorem formam redegit. Hic ultimus Missæ Romanæ ordo adhuc apud omnes fere Occidentales Ecclesias in usu est. Ordo Gelasianus, qui a tempore sui auctoris usque ad Gregorium Magnum perseveravit, & in aliquibus Ecclesiis, ut verisimile videtur, aliquanto post, deinde diu delituit; sed tandem unicum, quod supererat hujus ordinis exemplar nongentis annis vetustius, Romanis typis commissum fuit, & publici juris factum, ut superius diximus, summa pietate, & studio, numquam satis commendati nostri Venerab. Cardinal. Thomasii. Ordo vero purus, putusque Gelasianus a me ille putatur, quem clarissimus Blanchinius supralaudatus nupertime vulgavit *in 4. tom.* Anastasii Bibliothecarii editionis Vaticanæ, & de quo supra mentionem fecimus. Qualis autem fuerit primigenius hujus Romanæ Liturgiæ status, seu ordo, difficillime ob temporis injuriam constare potest, cum antiquior Codex, qui modo extet, præfati ordinis Missæ Romanæ sit Gelasianus mox memoratus, cæteri vero perierint. Hoc unum tamen certum est (ut præfatus Thomasius advertit in sua præfatione) Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum Codicem, qui Gelasii olim appellatione donatus fuit, non esse integrum ejusdem Pontificis opus; sed Leoni Magno, magna ex parte, ejusque Prædecessoribus Roman. Pontificibus, præsertim vero D. Petro, ut superius nnmer. XV. commonstravimus, ceu primo Conditori, qui ejusdem ordinis prima fundamenta jecit, tribuendum esse. Qui plura de Romanæ Liturgiæ origine, Ritibus & ordine scire desiderat, adire poterit Card. Bona *de Rebus Liturgicis lib.* 1. *cap.* 7. & 8. Mabillon. *de Liturgia Gallicana lib.* 1. *cap.* 2. §. 4. 5. & 6. Grancolas *de antiquis Liturgiis pag.* 400. Le Brun *tom.* 2. *diss.* 2. *art.* 3. Edmundum Martene *lib.* 1. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus art.* 51. in quo expositionem Missæ Romanæ ante annos nongentos scriptam refert.

XXI. MISSA, SEU LITURGIA AMBROSIANA, & quæ etiam Mediolanensis dicitur, est illa, quam Walafridus Strabo ante annos octingentos *lib. de Rebus Eccles. cap.* 22. D. Ambrosio Mediolanensis Ecclesiæ Antistiti adscribit his verbis: *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, tam Missæ, quam cæterorum dispositionem Officiorum suæ Ecclesiæ, & aliis Liguribus ordinavit; quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Joseph vero Vicecomes *lib.* 1. *de Ritibus Missæ cap.* 22. tueri conatur Ritus Ecclesiæ Mediolanensis a Sancto Barnaba Apostolo institutos fuisse, a B. Miroclete juxta Apostolicam institutionem auctos, a Beato vero Ambrosio eosdem Ritus illustratos, amplificatos, & meliorem in ordinem redactos; ideoque Ambrosianos post ejus obitum vocitari cœpisse. In eamdem sententiam videtur abire Le Brun *tom.* 2. *dissert.* 3. *art.* 1. in quo erudite disserit de Historia hujus Liturgiæ. Primæ tamen Strabonis sententiæ consentit Mediolanensis Ecclesia, & totius Italiæ traditio, a qua sine evidenti ratione, ut ait Card. Bona, recedendum non est. Verum quicumque talis Liturgiæ institutor fuerit, id pro certo habendum est etiam ipsam fuisse mutationibus obnoxiam, ut colligi potest ex diversis Missalibus illius Ecclesiæ, diversis temporibus editis, nempe anno 1560. jussu S. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi; anno 1594. jussu Caspari præfatæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi; & anno 1640. jussu Cæsaris Montii ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, & S. R. E. Cardinalis; & recentissime anno 1712. moderante præfatam Ecclesiam Josepho Archinto S. R. E. Cardinali. Prædictorum diversitatem, & mutationem referunt Edmundus Martene *lib.* 1. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus Ordine III.* necnon laudatus Le Brun citat. loc. Ordo antiquus vero præfatæ Missæ Ambrosianæ in lucem editus fuit a Pamelio inter sua Liturgica Latinorum, anno 1571. Rursus præter mox allegatos Auctores de Ritibus, ordine, & Historia hujus Missæ, tractant Mabillon, *lib. de Liturgia Gallicana cap.* 2. *num.* 8. Grancolas *de antiquis Liturgiis a pag.* 77. *usque ad pag.* 400. Card. Bona *lib.* 1. *de Rebus Liturgic. cap.* 10. Beroldus qui floruit circa annum Domini 1123. in suo Opere MS. quod caute asservatur in Archivio ejusdem Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ, & de quo mentionem faciunt Joannes Petrus Puricellus *in sua eruditissima Dissertatione Nazariana cap.* 97. Le Brun, & Vicecomes loc. supracit. De mystico sensu Rituum Ambrosianorum librum edidit Carolus Settala Episcopus Tortoniensis idiomate Italico. Rationale vero Cæremoniarum ejusdem Missæ Ambrosianæ, & modum eam celebrandi edidit Petrus Casola Canonicus Mediolanensis Ecclesiæ.

XXII. MISSA, SEU LITURGIA GALLICANA est illa, quæ in Galliis ante Pipinum, & Carolum Magnum usitata erat. Non unam tamen tantum, sed plura, & diversa fuerunt exemplaria Gallicanæ Liturgiæ; sed idem in omnibus servabatur ordo precum, licet Orationes diversæ legantur; unde liquet prædictarum Liturgiarum, non unum & eundem fuisse auctorem, sed plane plures, qui quidem, ut ait Mabillon, adhuc sunt ignoti etiam apud solertiores Rerum Antiquarum Investigatores. Sed puto memoratum Mabillon locutum fuisse de Liturgiis, quæ modo extant; de aliis enim quæ temporis injuria perierunt, aliter dicendum esse crediderim: nam D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum

rum tribuit Sancto Hilario Pictavorum Episcopo quemdam Missæ Ordinem, seu Liturgiam; de eo enim S. Antistite, ait: *Est ejus & liber Hymnorum, & liber Mysteriorum alius*, ubi pro Mysteriorum libro Codicem Liturgicum, seu Missale debere intelligi, fateri compellitur quicumque Missam à priscis Scriptoribus Mysterium nuncupatam fuisse non ignorat, ut alibi diximus. Gennadius pariter Massiliensis in Catalogo Scriptorum Illustrium tradit Voconium Castellani Mauriteni Oppidi Episcopum composuisse, præter alios libros, etiam Sacramentorum egregium volumen. Idem Gennadius adstruit Musæum Massiliensis Ecclesiæ Presbyterum, hortatu S. Venerii Episcopi multos exarasse libros, inter quos Sacramentorum egregium, & non parvulum volumen, cujus nomine liber Missalis intelligendus est, & hoc ex ipso Gennadio satis eruitur: ex Concilii quoque Rhemensis verbis idem magis commonstratur apud Burchardum *lib.* 3. *cap.* 97. ubi legitur: *Expleta Missa, Codex cum Patena, & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus sub sera recondantur*. Præfatis auctoribus calculos suos addunt Josephus Vicecomes, *vol.* 4. *de Missæ apparatu iib.* 7. *cap.* 19. necnon Bocquillot *in suo Tract. de Sacr. Liturg. lib.* 1. *cap.* 9. qui etiam subnectit Gregorium Turonensem *lib.* 1. *Historiæ cap.* 11. mentionem facere de quodam Missali a Sidonio composito, cui ipse quamdam præfationem adjecerat. Liturgiam Gallicanam a Romana fuisse diversam, nemo est, qui in dubium revocare possit: sicut etiam exploratissimum est veteres Liturgias, & Ritus in Gallicanis Ecclesiis abrogatos; & Romanos loco illorum introductos fuisse ante annum Christi octingentesimum, Carolo Magno in Galliis imperante, qui S. Gregorii Sacramentarium a Romana Ecclesia adhibitum recepit ab Hadriano PP. I. & Capitulare edidit, quo præscripsit, ut in posterum Gallicanæ Ecclesiæ ordine Romano uterentur in celebrandis Divinis Mysteriis: & hæc Liturgiæ Gallicanæ in Romanam mutatio tanta consensione universæ Galliæ Ecclesiarum facta est, ut regnante Carolo Calvo præfati Magni Nepote, Liturgiæ, & Gallicanorum Rituum notitia penitus in omnium mente deleta esset. Non obstante tamen tanto Gallorum neglectu, & tanto temporis intervallo elapso ab octavo Sæculo usque ad annum 1680. tandem tria Missalia Gallicana, Romæ in lucem emissa fuere a supra laudato Card. Thomasio. Primum ab eodem inscriptum fuit, Missale Gothicum, seu Gallicanum vetus; secundum vero Missale Francorum; tertium denique Missale Gallicorum vetus; redditque rationem clarissimus editor in sua præfatione, ob quam prædictis appellationibus adnotaverit mox memorata tria sacra volumina. Hæc tria Missalia Gallicana, Parisiis anno 1685. recusa fuere, una cum Lectionario Gallicano, tunc solum primum edito, accedente disquisitione de Cursu Gallicano, necnon eruditissimis notis, & observationibus: & omnia hæc opera & studio celeberrimi viri Joannis Mabillon, qui pariter quartam edidit Missam Gallicanam, quæ reperitur in primo Tomo sui Musæi Italici. De præfatis Gallicanis Liturgiis satis erudite tractat mox laudatus Mabillon in præfato suo volumine de Gallicana Liturgia; Cardinalis Bona *lib.* 1. *de Rebus Liturgicis cap.* 11. Card. Thomasius *in præfatione suorum Codicum Sacramentalium*; Le Brun *tom.* 2. *dissert.* 4. Grancolas *de antiquis Liturgiis a pag.* 419. *usque ad pag.* 560. Martene *lib.* 1. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap.* 3. *art.* 1. *num.* 9. *& sequentibus*, & Joseph. Vicecomes *de Missæ Ritibus lib.* 2. *cap.* 7.

XIII. MISSA MOZARABUM, SEU MOZARABICA est illa, qua olim Hispania, & vicinæ Regiones utebantur: antiquum Hispanum Officium fuit etiam *Gothicum* appellatum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur. *Mozarabicum* pariter vocitatum fuit, quia cum Arabes sæculo octavo Hispaniam pene omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id est mixti Arabibus, dicti sunt. Cardinalis Baronius ad annum 1063. prædicti Mozarabici Officii auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem, qui profecto si non ab initio instituit, saltem amplificavit, & illustravit; plures etenim alios Mozarabicæ Liturgiæ manus admovisse asserit Martene *lib.* 1. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap.* 2. *art.* 1. *num.* 12. Rursus de Institutore, Ritibus, & ordine ejusdem Missæ Hispanicæ, seu Mozarabicæ sermonem habent Vascus in Chronico, & ex illo Pamelius *tom.* 1. *sui Liturgicon Ecclesiæ Latinæ*: Cardinal. Bona *lib.* 1. *cap.* 11. Grancolas *de antiquis Liturg. pag.* 309. Le Brun *tom.* 2. *dissert.* 5. Mabillon *libr.* 1. *de Liturg. Gallicana cap.* 2. *numer.* 9. & recentissime Joannes Pinius Societatis Jesu, qui eruditissimum edidit Tractatum Historico-Chronologicum de hac Mozarabica Liturgia, eumque adtexuit ad Tomum VI. mensis Julii Antverpiæ impressum anno 1729. sua, aliorumque Patrum Societatis cura & studio, qui Acta Sanctorum, inhærendo Bollandi, & Henschenii vestigiis sapientissime, & Universo plaudente Orbe describunt. Ante præfatos omnes tamen de hac Liturgia Mozarabica tractavit Alvarus Gomecius *lib.* 2. *de Rebus gestis a Cardin. Ximenio Archiepiscopo Toletano*. Antiquum Mozarabicum Officium, quamvis a Viris Sanctis, & Orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab Infidelibus devastata, ita erroribus refertum erat, ut Elipandus Toletanus Episcopus ex ipsis Officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam hæresim, de Filiatione Dei adoptiva in Christo Domino adstruendam, ut asserit Albinus Flaccus in libro adversus eumdem Elipandum. Officium Mozarabicum viguit in Hispania, & in Gallia Narbonensi, aliisque Gothorum Regionibus, donec Alexandri II. Papæ auctoritate paulatim abrogari cœpit, ejusque loco Roma-

num

num substitui. Anno vero millesimo sexagesimo tertio, quo Remirus, seu Ranimirus in Aragoniam regnabat, congregata est Jaccæ in eodem Regno Synodus, in qua agente Remiro abrogatum est Officium Gothicum, seu Mozarabicum, & loco illius Romanum admissum, ut ostendit Antonius Pagius *in suis eruditissimis Adnotationibus Baronianis ad annum* 1060, *num.* 2. S. Gregorius VII. eodem anno, quo in Cathedram Apostolorum Principis adscitus fuit, nimirum *anno Dom.* 1077. cogitavit de penitus abrogando in tota Hispania Officio Mozarabico, & Romano inducendo. Hanc in rem Hugonem Cardinalem illum ipsum, qui Alexandro II. missus fuerat in Hispaniam, iterum destinavit, qui statim in Aragoniam cum quibusdam Monachis Cluniacensibus perrexit, & Episcopos apud S. Joannem Penatensem congregavit. Episcopi itaque ordinem Officiumque Romanum jam antea a Sanct. Ramiro Aragoniæ Rege, & eodem Hugone Card. Legato, in quædam loca introductum, anno millesimo septuagesimo Tertio Monachorum Cluniacensium opera recepere. Totum id liquet *ex epistola* 63. *lib.* 1. *Registri Gregoriani*; in qua Gregorius VII. Sanct. Ramirum de ejusdem Romanii Officii admissione gratulatur. Verum quamvis ab Aragonensibus fuerit facile admissum Officium Romanum, promovente Sanctio Rege hujus nominis Primo; majori tamen cum difficultate ab aliis Hispaniarum Regibus admissum fuit, licet ab Alphonso Legionis & Castellæ, & a Sanctio Navarræ Regibus id petiisset Gregorius VII. ut liquet *ex ejus epistola* 64. ejusdem libri 1. data 14. Kalend. Aprilis Indictione 12 (Ideoque eodem anno quo prior) qua Pontifex utrumque Regem hortatur, ut demum Romanam Ecclesiam, ceu matrem recognoscant, ejusdem Ordinem & Officium recipiant. Sed illud receptum non fuisse in iisdem Regnis ante Urbani II. tempora, nempe annum 1088. probare contendit Franciscus Pagius *in suo Breviario Pontificum Romanorum, &c. tom.* 2. *In Urbano II, num.* 8. Quamvis prædicto tempore, & curantibus præfatis Pontificibus in omnibus Hispaniæ Regnis ordo Mozarabicus jam descivisset, & loco illius fuerit introductus ordo Romanus: nihilominus Mozarabicum Officium iterum instauravit in Hispania mox memoratus Card. Ximenes, qui anno 1500. Missale Mozarabicum Toleti excudi mandavit, & instituit Sacerdotum Collegium, qui quotidie Divina Officia, & Missarum solemnia, usque in hodiernum diem, servato Ritu Mozarabico, in quinque Paræciis, & in Sacello a præfato Cardinali ædificato in majori Ecclesia Toletana celebrant. In prædicto Missali jussu Cardinalis Ximenes evulgato aliqua, immo multa adjecta sunt, quæ in antiquo Missali Mozarabico profecto non reperiebantur, nec reperiri potuerunt, ut observat Petrus Le-Brun *tom.* 2. *suarum explicat. dissert.* 3. *post artic.* 3. *pag.* 332. neque id diffitetur Cardinalis ipse Ximenes, qui in Epistola dedicatoria sincere affirmat nonnulla veteri Mozarabico Ritui ex Romano se addidisse; nunnulla a veteri expunxisse. Duo tam Missalis Mozarabici, quam Breviarii exemplaria, quamvis rarissima sint, hinc Romæ vidimus; unum in Bibliotheca Corsina, quam Clemens XII. feliciter Regnans mirum in modum auxit, locupletavitque: alterum in Bibliotheca Cardinalis de Altieris. Hæ sunt quatuor celebriores Liturgiæ, quæ in Ecclesia Occidentali frequentatæ fuere, & quæ, Gallicana excepta, adhuc in aliquibus Ecclesiis frequentantur, ut liquet de Missa Mozarabica, & Ambrosiana; quarum prima, ut mox diximus, in aliquibus Paræciis, & Sacello Ecclesiæ Toletanæ; secunda vero in Ecclesia Mediolanensi celebratur: Romana autem, seu Gregoriana nunc apud omnes Occidentales Nationes in usu est. Missa enim PP. Prædicatorum, & hinc similes Carthusiensium, & Carmelitarum aliæ a Gregoriana absolute censendæ non sunt, nec ob pauca, in quibus ab illa differunt, distinctæ Liturgiæ sunt appellandæ, ut ostendit Marcellus de Cavaleriis *in Statera Sacra tit. Præliminari* 2. *n.* 30. *& seqq.* & consentire videtur etiam Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 5.

XXIV. MISSA AFRICANA est illa, quæ antiquitus apud Africanos Christianos in usu erat, a Romana profecto diversa, quamvis Africanas Ecclesias sicut in Fide, ita & in Ritibus cum Romana primis Ecclesiæ Sæculis convenisse, aperte colligitur ex Cypriano, Optato Milevitano, & Augustino; præsertim vero Tertulliano hanc veritatem testante *libro de Præscriptionibus Hæreticorum* illis verbis: *Videamus, Romana Ecclesia quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis Ecclesiis concesserit*; & *libro de Jejunio*, ubi Romanum Pontificem alloquitur: *Vide quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Ista solemnia, quibus tunc præsens patrocinatus est sermo, nec quoque in diversis Provinciis fungimur, in spiritum invicem repræsentati, lex est Sacramenti.* Quod autem eædem Africanæ Ecclesiæ postmodum ab eadem Romana discreparint quoad Ritus in Officiis persolvendis, & in sacris operandis, Sacrificii tamen substantiam, quæ Rituum diversitates non labefactatur, inconcussa permansisse, exploratum omnibus est. Et quidem Marius Victorinus Afer *lib.* 1. adversus Arium citat sententiam haustam ex Liturgia Africana, quæ in ordine Romano non reperitur. *Sicut*, inquit, *& in oblatione dicitur: Munda tibi Populum circumvitalem amatorem bonorum operum circa tuam substantiam venientem.* Ita pariter Fulgentius Ruspensis in fragmentis editis a Sirmondo *cap.* 14. *in epistola* 1. *ad Corinth.* affert quoddam testimonium Liturgiæ Africanæ, quod in Romana non extat. Ex quibus, & ex aliis conjecturis suspicatur Cardinal. Bona *lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. Ritum Africanum tunc convenisse cum Mozarabico. Ita pariter Jacobus a Vitriaco *libr. de Historia universali cap.* 81. in eamdem venit sententiam, dicendo: Christianos, qui in Afri-

Africa, & Hispania suo tempore, idest Sæculo XIII. versabantur, Mozarabes nuncupatos, eadem Liturgia usos fuisse. Verum ex Isidoro Hispalensi *lib.* 1. *de Divinis Officiis*, *cap.* 13. & Divo Augustino *serm.* 227. Mabillon. *lib.* 1. *de Liturgia Gallicana*, *cap.* 2. §. 13. asserit apud Africanos antiquum Liturgiæ Ritum diversum fuisse etiam a Mozarabico. De prædicta Africana Missa, seu Liturgia, præter mox laudatum Mabillon, mentionem pariter faciunt Grancolas *a pag.* 262. *usque ad pag.* 299. necnon Joseph Vicecomes *lib.* 2. *de Missæ Ritibus cap.* 3. & Cardin. Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 7. *num.* 3.

XXV. MISSA HIBERNICA est illa, quæ antiquitus apud Hibernos, & Britones in usu fuit. Ritus hujus Missæ qualis fuerit, non plane compertum est; modum tamen sacrificandi talium populorum a Romano diversum fuisse, colligi potest ex D. Bernardo *in lib. de Vita Malachiæ cap.* 3. & 8. ubi Malachias barbaras consuetudines dictarum Gentium abrogasse, & Romanos Ritus introduxisse, necnon Canonicum Divinæ Laudis Officium invexisse in illas Ecclesias memoratur. Quæ pauca colligere potui ex Mabillon *lib.* 1. *cap.* 2. *de Liturgia Gallicana num.* 14. qui solus inter Auctores Liturgicos de præfata Hibernica Liturgia brevem hanc mentionem facit.

XXVI. MISSA CLEMENTINA, SEU S. CLEMENTIS LITURGIA est illa, quæ reperitur *in lib.* 8. *Constit. Apostolicarum*, & quæ Clementis Romani Pontificis, & Apostolorum Discipuli nomen præsefert. De hac Liturgia testimonium perhibet S. Proclus Archiep. C. P. *in Tractatu de Traditione Divinæ Missæ*, ubi in principio ait: *Multi quidem, & alii Divinæ Ecclesiæ Pastores, & Doctores, qui Sanctis successerunt Apostolis, sacrosanctæ Missæ editionem scriptis demandantes tradiderunt Ecclesiæ, quorum primi, iique præclarissimi censentur, B. nimirum Clemens summi illius Apostolorum Principis Discipulus, & Successor, qui sacris Apostolis ei dictantibus, illam edidit.* Hæc Sanctus Proclus, interprete doctissimo viro Vincentio Ricardo, qui in suo Commentario ad prædicta verba, sanctissimo Antistiti & Doctori subscribit, dicendo: *Iis primus* (nimirum B. Clemens) *sacrificandum Ritum Cæremoniasque scriptis demandavit, ut videre est lib.* 8. *Constit. Apostolicarum:* & in patrocinium sui assumpti advocat auctoritatem Marci Ephes. in exposit. Missæ dicentis: *Nam in Liturgia Sanctorum Apostolorum a Clemente conscripta.* Qui paucis interjectis subdit: *Hæc quidem Divi Apostoli per B. Clementi scriptionem Ecclesiæ tradiderunt.* Card. vero Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis anno 92. loquens de hac Clementina Liturgia ait: *de Sancti Clementis Liturgia idem fere dicendum occurrit, quod de Liturgia Sancti Jacobi, eam vero Clementis esse, sed a posterioribus auctam;* & paucis interjectis subnectit: *Meminerunt Liturgiæ Sancti Clementis Proclus Patriarcha C.P. lib.* 7. *de Traditione Divinæ Missæ; & Nicolaus Episc. Methenensis in libro de Veritate Corporis Christi, necnon Bessarion Cardinal. in lib. de Sacramento Eucharistiæ.* Labæus vero *in sua Dissertat. Historica* super eodem Auctore, & de eadem Liturgia loquens ait: *Non est quod quidquam modo addam iis, quæ Eminentissimi doctrina ac pietate, Cardinales Baronius, & Bellarminus aliqua jam observarunt.* Hæc Labæus, qui adhærere videtur huic sententiæ, quam pariter tradidit, ut ipse fatetur, sapientissimus Cardinal. Baronius ad annum 102. *num.* 23. In eamdem sententiam descendit pariter annatus *lib.* 4. *art.* 6. *num.* 7. sui Apparatus ad Theologiam Positivam. Quapropter etiamsi libri octo Apostolic. Constitutionum, qui Clementis nomine decorantur, sint suppositi, ut opinantur Præfati Bellarminus, & Annatus; non inde suppositur suppositiam pariter esse dictam Liturgiam Clementis nomine insignitam, & quæ dictis Constitutionibus inserta reperitur. Alii tamen Scriptores, qui negant Clementem Apostolicarum Constitutionum auctorem esse, ab eo pariter abjudicant Missam, quæ pars illarum notabilis est: sed quidquid sit de Auctore talium Constitutionum, liquet jam quod etiam illi, qui eas tamquam suppositias rejiciunt, Liturgiam tamen Beati Clementis in illis contentam veluti genuinam admittunt. Præterea etsi eadem sententia ferenda esset de hac Clementis Liturgia, ac de Constitutionibus Apostolicis suo nomine inscriptis; certum tamen apud omnes, & exploratum nunc est, ut ait Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 8. *num.* 5. quod si ab Apostolis immediate dictatæ non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores sunt, & in illis continetur Disciplina Ecclesiastica, qua Orientalis Ecclesia sub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Constantinum regebatur, ut eruditissimus vir Joannes Morinus docet *par.* 2. *de sacris Ordinationibus pag.* 20. cui adstipulatur Joannes Fronto *in Prænotatis ad Kalendarium Romanum* §. 5. Petrus de Marca *lib.* 5. *Concordiæ cap.* 2. auctorem præfatarum Constitutionum saltem sæculo tertio floruisse tradit, idque omnibus hodie persuasum esse adstruit. Firmum igitur remanet, quod Missa Clementis nomine inscripta, si non genuinus fœtus dicti Pontificis, saltem antiquissima est: & sic non præcise ab Apostolis tradita, ac ab eorum successoribus aucta, saltem ut a Patribus secundi, vel tertii sæculi usurpata admittenda est; & ideo ejus testimonio doctissimus Card. Bona frequenter utitur.

XXVII. MISSA DIONYSIANA est illa, quam Divus Dionysius Areopagita tradit *cap.* 3. *Eccles. Hierarchia*: quæ quidem Liturgia a pluribus tamquam Apostolica censetur; quia si Dionysius auctor talis Liturgiæ vere fuit Areopagita Athenarum Episcopus, & Sancti Pauli discipulus, consentaneum profecto est Sacrificii Ritus, & Cæremonias ab eo Apostolo accepisse, a quo Christianis Dogmatibus, & Evangelica doctrina imbutus fuerat. Idcirco autem nos hoc loco hujus Liturgiæ

giæ mentionem facimus tamquam Occidentalis, quia de eodem Sancto Dionysio fertur fuisse Parisiorum Antistitem, primumque omnium, qui in Galliam Christianam fidem invexerit; quo admisso, profecto ibidem sua Liturgia usum fuisse denegandum non esset.

Verum duo suboriuntur dubia, quorum primum est: utrum opera, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, sint ipsius vere genuina, aut alterius, ab eo longe recentioris, & quinti seculi, Auctoris. Alterum vero dubium est, utrum Dionysius Areopagita, de quo nunc agimus, fuerit vere Parisiorum Antistes. Primi inter Græcos, qui talia opera tanquam Dionysii Areopagitæ propria cum ipsius laude citarunt, fuere Leontius *lib. de Sectis, Act.* 3. *& lib.* 2. *contra Nestorium, & Eutichetem*; & Anastasius Sinaita *lib.* 7. *Anagogic. Contemp. in Hexameron*. Præterea certum est ejusdem Areopagitæ, suorumque operum primam mentionem factam fuisse in collatione habita Constantinopoli in Palatio Justiniani Imperatoris, anno 532. inter Catholicos, & Severianos, sive Acephalos, in collatione secundæ diei, & quamvis in eo congressu, utpote ab Hæreticis citata, tanquam spuria ab Orthodoxis rejecta fuerint, nihilominus postea præmisso maturo examine, agnoverunt eorumdem operum sanam & admirabilem doctrinam, eamque libenter admiserunt, & tributum Areopagitæ nomen auctori numquam deletum fuit. Inter Latinos autem auctores, primus qui præfatos libros tanquam Divi Dionysii genuinos citavit, fuit Sanctus Gregorius Magnus *Homilia* 34. cui plures alii deinde adstipulati sunt. De eorumdem librorum auctore nulla agitabatur quæstio, quæ postea excitata fuit a Criticis septimi, vel octavi Sæculi, quorum argumentis satisfecit Theodorus relatus a Photio *Cod.* 1. *Sed utinam* (ait Cardin. Bona *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 5. ex quo hæc collegimus) *aut ille extaret, aut epitomen responsionum ejus Photius excerpsisset; forsitan enim solidas Dionysii vindicias haberemus.* Sapientissimus Card. Bellarmino *de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum* 71. prædicta opera Divo Dionysio Areopagitæ pariter adjudicat, & congerit nonnullos antiquos Romanos Pontifices ultra Gregorium Magnum, necnon aliqua Concilia, quorum auctoritate suam comprobat sententiam. Post Bellarminum vero nonnulli alii etiam primi subsellii auctores; nimirum Baronius, Del Rio, Halloixius, Saussay, Menardus, Emmanuel a Schelestrate, Natalis Alexander, Petrus Annatus, & recentissime Cardinalis Cozza, aliique in ejusdem vulgaris, & communis sententiæ patrocinium scripserunt contra Erasmum, Laurentium Valla, Blondellum, Dallæum, Guglielmum Cave, Cocum, Rivetum, aliosque Hæreticos; necnon contra Morinum, Launojum, & alios paucos Catholicos, qui pariter in contrariam sententiam abierunt.

Quoad aliud dubium, nimirum utrum Dionysius Parisiorum Episcopus fuerit hic Areopagita, & antea Atheniensis Antistes a S. Clemente in Galliam missus ad annuntiandum Christi Evangelium; vel utrum Dionysius Parisiensis, in Gallias directus a S. Clemente primo Ecclesiæ sæculo fuerit alius ab Areopagita: rursus utrum ad medium Sæculum tertium hujus Dionysii missio referenda sit, ut sustinent nonnulli cum Gregorio Turonensi; est gravis controversia sæculo superiori a viris eruditis discussa, cujus hinc inde allata argumenta legi possunt in Dissertatione Historico-Critica Francisci Pagii, quam Antonius Pagius ejusdem Nepos præfixit *Tom.* 4. *Breviarii Historico-Chronologici Romanorum Pontif.* Videri pariter possunt ea, quæ adnotantur a Francisco Maria de Aste ex nostra Congregatione Archiepiscopo Hidruntino in suis eruditissimis Disceptationibus in Romanum Martyrologium, 7. Idus Octobris, ubi quæstionem hanc instituit, & suo more erudite pertractat. Præterire non debeo Hilduinum Abbatem Monasterii Sancti Dionysii in suo opere inscripto: *Areopagitica*, seu *de Rebus gestis, passione, & scriptis Sancti Dionysii Areopagitæ* fuisse in sententia Dionysium Parisiensem, Athenis primum fuisse Episcopum, ipsumque subrogato sibi alio Episcopo, Romam profectum esse, indeque a Santo Clemente PP. in Gallias directum fuisse, ubi postquam aliquot annos Parisiensem rexit Ecclesiam, martyrio coronatus est. Hanc suam sententiam eruit Hilduinus, non solum ex Actis Sancti Dionysii a Visbio teste illius martyrii oculato conscriptis, quæ vetustate pene absumpta, ab interitu vindicavit in suis Areopagiticis; sed etiam ex antiquis libris Missalibus ab eo in epistola ad Ludovicum Pium memoratis. Hilduino adhæret Natalis Alexander *in selectis Ecclesiasticæ Historiæ Capitibus tom.* 1. *dissert.* 13. ubi probat Sanctum Dionysium Parisiensem non esse ab Areopagita distinguendum.

Nostri instituti ratio non patitur has duas quæstiones ex professo discutere, & ingenii tenuitas pariter non permittit præfatas controversias a viris doctissimis agitatas, propositis hinc inde gravibus difficultatibus dirimere, & componere. Satis igitur erit eorumdem opiniones, & oppositas sententias innuisse, ut ostendatur a nobis fundamentum, cui innixi, præfatam Liturgiam inter Occidentales, saltem opinando, & sub dubio recenseri posse credimus, quia Dionysium Areopagitam (si vere is fuit talis Liturgiæ auctor, & Parisiensis Antistes) legitime inferri posset, ut diximus, eandem Liturgiam in tali Ecclesia introduxisse.

XXVIII. MISSA PATRIARCHINA, SEU AQUILEJENSIS est illa, quæ antiquitus in usu fuit apud Ecclesiam Aquilejensem Metropoliticam, & Patriarchalem. De hac Liturgia, & de Ritibus particularibus antedictæ Ecclesiæ scribit Walfridus Strabo *de Divinis Officiis cap.* 25. ubi hæc habet: *Traditur siquidem Paulinum Forojuliensem Patriarcham sæpius, & maxime in privatis Mis-*

sis circa immolationem Sacramentorum Hymnos vel ab aliis, vel a se ipso compositos, celebrasse. Ego vero crediderim, tantum, tantæque scientiæ virum, hoc nec sine auctoritate nec sine rationis ponderatione fecisse. Ughellius pariter in sua Italia Sacra *Tom.* 5. *pag.* 24. edit. Rom. hanc eandem veritatem confirmat, & *pag.* 235. enarrat: *Quod Comensis Ecclesia usque ad annum* 1598. *proprio canendi Ritu, ut vocant, honoris gratia Patriarchinum, quem postea Clemens VIII. sustulit, Romano indulto usa est; quæ omnia videntur testari a S. Hermagora, Cumenses fuisse institutos in fide, illorumque pastorem Aquilejensi, tanquam Metropolitano, fuisse subjectum.* In Archivio antedictæ Cathedralis Comensis conservatur adhuc Breviarium Patriarchinum nuncupatum secundum usum Ecclesiæ Comensis correctum, & auctoritate Apostolica approbatum, die 21. Octobris 1583. & copia hujus approbationis profertur a Le Brun *Tom.* 2. *in Appendice*, quæ est *post tertiam Dissertationem* §. 2. ubi pariter asseverat se omnem diligentiam adhibuisse, ut inveniret Codicem Liturgiæ Patriarchinæ; sed voti sui compos fieri nequivit. Ego vero exemplar unum typis traditum Missalis Patriarchini vidi apud doctissimum virum Bernardum Mariam de Rubeis Ordinis Prædicatorum ab ipso summa cautela custoditum. De hac Aquilejensi, seu Missa Patriarchina, cujus Ritus perduravit usque ad finem Seculi XIV. ut innuimus, nullus alius fusius scribit, quam mox memoratus Le Brun. loc. cit. & deinde in quadam additione, quam perhibet post §. 2. 2. *art. dissert.* 9. De hac etiam Liturgia nonnulla quamprimum edet in notis ad libros rerum Liturgicarum Car. Bona vir clarissimus D. Robertus Sala Ord. Cisterc. Congregationis Reformatæ.

XXIX. MISSA SEU LITURGIA ILLYRICA est illa, qua utuntur Roxolani, seu Moscovitæ, qui quamvis ab Episcopo quodam Græco, & Schismatico de cultu Idolorum ad Christi Fidem conversi fuerint, ab eodemque Græcorum Ritus acceperint, sermone tamen Illyrico in suis Officiis utuntur. Eadem lingua, ut tradit Cardinalis Bona *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 4. in usu est apud Christianos Tartaros circa Tauricam Chersonesum, apud Circassos, & quasdam Ponticas Nationes; itemque in Servia, Misia, Bosnia, Bulgaria, Russia Minori, Regi Poloniæ subjecta; in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lithuaniæ, & in aliis finitimis Regionibus, in quibus Græci Ritus pariter vigent. In Istria vero, in Liburnia, & in Dalmatia Littorali Missa & alia Officia lingua pariter Illyrica, seu Sclavonica celebrantur, sed servatur ibidem Ritus Romanus. Usus talis linguæ in sacris Ecclesiæ functionibus cœpit sæculo nono, quo Moscovitas Christianæ Religioni nomen dedisse sub Imperio Basilii Macedonis ostendit Baronius in Append. *Tom. VII. de Ruthenis a Sede Apostolica receptis:* alii tamen id serius contigisse opinantur, nimirum vertente sæculo decimo, imperantibus Basilio Juniore, & Constantino. Verum negari non potest quin ante prædictum tempus, nempe ante annum 872. ab Hadriano PP. Moravis permissum fuerit, ut lingua Sclavonica in Missis & Officiis uterentur, ut tradit in vita Sancti Cyrilli, & Sancti Methodii Bollandus. Rursus hanc eandem facultatem Divina Officia & Missam Sclavonica lingua celebrandi Moravis, ab Hadriano II. concessam, confirmavit Joannes PP. VIII. anno 800. *epist.* 847. ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem data, quæ refertur a Baronio eodem anno. In eadem tamen epistola dictus Pontifex statuit in omnibus Ecclesiis terræ Moravorum, propter majorem honorificentiam, quod Evangelium Latine legeretur, & postmodum Sclavonica lingua translatum, in auribus populi latina verbis non intelligentis, annuntietur.

Eandem, Sclavonica lingua, Missam, & Officium Divinum celebrandi licentiam confirmavit etiam Innocentius IV. anno 1248. cujus epistola, ad quemdam in Sclavonia Episcopum, legitur apud Odericum Rinaldum ad eundem annum *n.* 52. & vigore ejusdem privilegii in Ecclesia Sancti Hieronymi Illyricorum hujus almæ Urbis in die festo Sancti Hieronymi, dum celebratur Missa solemnis, canitur idiomate Illyrico Epistola in Choro ab uno ex Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ; Evangelium vero ab uno ex Canonicis, & a Subdiacono legitur eadem Epistola in idiomate Latino, sicut Evangelium in eodem idiomate a Diacono. Eadem facultate usam esse Ecclesiam Græcam erga Ruthenos, seu Moscos, postquam per prædicatores Constantinopoli missos Christi Fides eis illuxit; cum Græcis tamen Ritibus exercenda, scribit Papebrochius *in dissert.* 18. subjuncta Pontificatui Nicolai I. *in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Pontificum Romanorum, quæ est de lingua Sclavonica in sacris apud Bulgaros Moravosque recepta, & in Ephemeridibus Græcomoscis*, quas præfixit *Tom.* 1. Sanctorum Mensis Maij, docet id factum esse sub annum Christi millesimum, quando Ecclesia Constantinopolitana erat optime Romanæ unita.

Thomas Archidiaconus Spalatensis *in Historia Episcoporum Salmitanorum edita a Jo. Lucio cap.* 16 tempore Alexandri II. adstruit a Legato Sedis Apostolicæ coactam fuisse Synodum omnium Episcoporum Dalmatiæ, & Croatiæ, in qua statutum fuit, ne quis de cætero præsumeret Divina Mysteria celebrare in lingua Sclavonica, sed debere uti tantum Latina, vel Græca. Idem statuit Gregorius VII. Alexandri successor *lib.* 7. *epist.* 11. data ad Uratislaum Bohemiæ Ducem, in qua sic scribit: *Quia nobilitas tua postulavit, quod secundum Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrari annueremus Officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere;* & paucis interjectis subdit: *Unde ne id fiat auctoritate Beati Petri inhibemus, teque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.* In provinciis tamen supranominatis, ut notat

Car-

Cardinalis Bona dudum recepta consuetudo prævaluit.

XXX. MISSA TREVIRENSIS, SEU SANCTI SIMONIS SYRACUSANI est illa, quæ Treviris conservatur, & ideo Trevirensis nunc appellatur, prædicto tamen Divo Simeoni Syracusano adscribitur, & reputatur ante annos minimum 800. descripta. Is enim Religiosus vir una cum Reverendissimo Dom. Poppone Trevirensi Episcopo, ex Palæstina, quam Religionis causa cum ipso inviserat, in Galliam & Trevirim advenit; cui post reditum, idem Dominus Archiepiscopus Poppo in suo Episcopatu, si vellet, manendi facultatem præbuit; & libentissime concessit. Ex Revelatione autem Dei prospectans sibi locum, idem famulus Christi, ubi solus posset vacare orationi, in turri, quæ antea nigra Porta vocabatur, parvulum tugurium expetiit, ubi Dominus Præsul præsente Clero & populo, in festivitate Sancti Andreæ illum inclusit, & quasi mortuum, ut vere erat sæculo, devotissime sepelivit. Reclusus igitur vir Dei silentio & jejuniis attenuavit corpus: in primis aliquando solo pane, aliquando autem reficiebatur aqua infuso legumine; ibique tandem contemplationi & summæ abstinentiæ addictus sanctissime obiit, ut refert Evevinus Abbas Monasterii Dolejensis in vita, quam de eo scripsit, demandante supradicto Archiepiscopo Poppone, in qua tamen de prædicta Liturgia tributa D. Simeoni nullam mentionem facit; sicut pariter Octavius Cajetanus Soc. Jesu in suis animadvers. ad prædictam vitam Sancti Simeonis Syracusani nullum verbum de eadem liturgia profert. Nihilominus quia Treviris ostendebatur hæc cum summa veneratione; & eam refert Wilhelmus Lindanus Episcopus Gandavensis in Calce suarum Adnotationum in Liturgiam D. Petri Apostoli: rursus quia de ea pariter mentionem facit Gavantus, & in Indice Auctorum, quos ipse novit scripsisse de Sacris Ritibus verb. *Liturgia Sancti Petri &c. p.* 1. *tit.* 13. *in Rubric.* 2. *lit. R.* Itidem quia eam memorat Joannes Antonius Psallotta *in suo tract. Rituum Sacrorum, & Mysteriorum cap.* 23. & Marcellus de Cavalleriis Ordinis Prædicatorum *in sua statera Sacra Tit.* 29. *n.* 71. hinc de prædicta Liturgia non videtur dubitandi locus; sed solum in dubium verti potest ejusdem Liturgiæ antiquitas: ex quo enim præfatus Sanctus Simeon Syracusanus diem suum clausit Kalendis Junii 1057. intelligere non possum, quomodo Lindanus, & Gavantus supracit. reputent dictam Liturgiam vetustiorem octingentis annis, nisi dicatur Liturgiam illam non ab eo compositam, sed repertam, vel ab Oriente delatam.

XXXI. MISSA ILLIRYCIANA est illa, quam Mathias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium Princeps, & rigidorum Lutheranorum errorum sorde inquinatus, in antiquo codice MS. se reperisse tradit, eamque prælo commisit Argentinæ, anno 1557. sub hoc Titulo: *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa* 700. *Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto, authenticoque codice descripta.* Sed titulus mentitur; est enim ipsamet Missa Romana, sed mutila, & variis orationibus interpolata. Mutilam dixi, quia in ea desiderantur Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Evangelium, Offertorium, &c. Unde falsum est, quod ipsemet Illyricus opinatur in Epistola præliminari ad Principem Palatinum Rheni, nempe, eam liturgiam in usu fuisse in Occidente, præsertim in Gallia, & in Germania, antequam Romana Missandi ratio ubique recepta esset. Hujus Missæ ab Illyrico editæ varia fuit fortuna. Primo enim Triumphos de ea egerunt Lutherani, quasi per ipsam Catholica Dogmata convellerentur: unde Philippus II. Hispaniarum Rex, ut bacchantium Hæreticorum subsannationes reprimeret, ejus lectionem interdixit, & a Sac. Congregat. pariter in odium præsertim improbi editoris, qui perverso animo Ecclesiæ Catholicæ nocendi eam evulgaverat, ejus lectio prohibita fuit. Verum Lutherani videntes tandem Missam Illyricianam catholicis dogmatibus favere, suisque erroribus adversari, omnem impenderunt operam, ut illa supprimerent. Tunc Catholici proficientes ex hac Hæreticorum palinodia, eandem Liturgiam attentius perlustrarunt, eamque ad confirmanda Eucharistiæ, Confessionis, & suffragiorum pro mortuis Dogmata, perutilem invenerunt; & idcirco Catholicæ Ecclesiæ rem facere arbitrati sunt, si Missam Illyricianam a Lutheranis suppressam iterum typis committerent; sicut fecerunt Carolus Le Cointe in *tom.* 2. *suorum annalium Ecclesiasticorum Francorum ad ann.* 601. *n.* 20. cum variis notis & observationibus, necnon Card. Bona in calce sui præclarissimi operis de Rebus Liturgicis, & denique Edmundus Martene in *Lib.* 1. *de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap.* 4. *art.* 12. De hac Liturgia egregie tractat mox laudatus Cardin. Bona *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. *& seqq.* ubi discurrit de ejusdem Missæ antiquitate, usu, & auctoritate. Sermonem pariter eruditum super eadem Liturgia instituunt Grancolas *de Antiquis Liturgiis p.* 360. Martene *loco cit.* & Mabillon. *lib.* 1. *de Liturgia Gallicana cap.* 2.

XXXII. MISSA, SEU LITURGIA BOBIENSIS est illa, quam eruditissimus Joannes Mabillon reperit in Bibliotheca percelebris, & perantiqui Monasterii Boaiensis, & quam idem clarissimus auctor in fine *tom.* 1. *sui Musæi Italici*, ex integro refert, eamque intitulavit: *Liber Sacramentorum Ecclesiæ Gallicanæ*. Cujus tituli reddit rationem in Præfatione eidem Sacramentario præfixa num. x. quam infra dabimus. Codex prædictæ Liturgiæ scriptus apparet ante annos 1000. & quidem literis majusculis, ut ex apposito specimine in dicta Præfatione num. VIII. periti intelligere possunt. Laudatus editor prædictæ Liturgiæ num. IX. quærit cujus Provinciæ potuerit esse hoc Missale; & quamvis fateatur obvium non esse decidere hanc quæstionem, opinatur tamen forte fuisse ad usum maximæ Provinciæ Sequa-

norum, idest Vesontionensis, in qua situm est Luxoviense Monasterium, unde Columbanus Bobium migravit. Et huic conjecturæ favere dicit Missam de Sancto Sigismundo Rege Burgundiorum. Procedit ulterius ad asserendum hunc codicem certe non fuisse ad usum Monachorum Bobiensium, quia nihil in eo occurrit de SS. Bobiensibus Columbano, ejusque Discipulis; nihil item de rebus monasticis, non Benedictio Abbatis, non benedictiones pro Monasterii officinis, & alia hujusmodi. N. vero X. fatetur, quod hic codex potest dici *Liturgia Bobiensis*, & idcirco a nobis prædictæ Liturgiæ hic titulus præfixus est, quamvis præfatus Mabillon asserat, præferendum esse titulum, quem ille tali codici præfixit, nimirum: *Liber Sacramentorum Ecclesiæ Gallicanæ*, *&c.* propterea quod in fine codicis, ubi libri Sacri recensentur, extremo loco ponitur *Sacramentorum usus*. Quo nomine, ait Mabillon, librum de Re sacra majores nostri solebant designare, ut diximus etiam nos superius loquendo de Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano. Gallicanum vero appellat tale Sacramentarium, quia, ut superius innuimus, supponit illud translatum fuisse ex Provincia Vesontionensi, & ex Monasterio Luxoviensi a Sancto Columbano ad Monasterium Bobiense.

De prædictis Liturgiis occidentalibus hæc carptim delibavimus, sed fusiori sermone de iisdem, aliisque fragmentis earundem Liturgiarum latinarum disserendum promittimus in Collectione Liturgiarum omnium Occidentalium tam certarum, quam dubiarum, integrarum, & mutilarum, &c. quam, Deo dante, in lucem emittemus.

Præter mox recensitas Missas, seu Liturgias, quarum distinctio repetita fuit ex parte Auctorum, aut Nationum, a quibus frequentatæ fuerunt, & adhuc aliquæ frequentantur; nonnulla alia Missarum genera nunc dabimus, quarum distinctio repetitur ex variis Ritibus, & circumstantiis accidentalibus, quibus eædem Missæ peractæ sunt. Huic autem Missarum classi accenseri possunt Missa Solemnis — Dominica — Aurea — Cantata — Alta — Publica — Poplica — Communis — Conventualis — Secunda in Clero — Capitularis — Parochialis — Decensita — Privata — Bassa — Secreta — Familiaris — Peculiaris — Specialis — Singularis — Media — Solitaria — Occulta.

XXXIII. MISSA SOLEMNIS in communi sensu dicitur illa, quæ omnem solemnitatem habet, Cantus, Thuris, Ministrorum sacrorum, earumque Cæremoniarum, quæ præscribunt Rubricæ Missalis commentatæ a Gavanto *p. 2. a tit. 2. usque ad* 12. de quibus pariter discutit Castaldus *lib. 2. Sect.* 9. Bauldry *p. 3. tit. 3.* Bissus, & alii passim. Sacrificii Eucharistici solemnibus verbis, & sacro Cantu, Rituque ab Apostolis celebrati meminit S. Proclus Archiepiscopus C. P. de traditione Divinæ Missæ, ubi ait: *etenim postquam Salvator noster in Cœlum assumptus est, Apostoli priusquam per omnem Terram dispergerentur conspirantibus animis convenientes ad tota die orandum convertebantur, & cum multam consolationem in Mystico illo Dominici Corporis sacrificio positam invenissent, fusissime, & longa oratione Missam decantabant; hæc enim divina Sacra una cum docendi oratione conjuncta cæteris rebus anteponenda existimabant.* Quibus verbus (ait Antonius Caracciolus in suis eruditissimis notis ad nostras Constitutiones) & si Proclus non exprimit quoto die Apostoli Missam solemniter celebrarent, Lucas tamen significat *Actorum cap.* 2. frequenter Sacrum fecisse illis verbis: *erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & Orationibus.* Sanctus item Augustinus apud Ivonem Carnotensem *tom. 2. cap.* 119. tradit — diebus solemnibus publica Missarum sacra, coacto Clericorum Populique conventu, celebrata — unde deducit præfatus Caracciolus Ritum Dominicis, aut solemnibus potissimum diebus solemne sacrum celebrandi ab Apostolorum Ævo deduci. Sub hoc genere Missæ solemnis continetur Missa Papalis, de cujus Ritibus, & Cæremoniis tractat Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis in suo Libro inscripto: *Rituum Ecclesiasticorum, sive Sacrarum Cæremoniarum S. R. E.* Sub eodem genere continetur pariter Missa Pontificia Episcopalis, cujus Ritus, & Cæremoniæ describuntur in Cæremoniali Episcoporum. De iis tractant pariter Castaldus, Bauldry, Bissus, Gerlacus Vinitor; necnon Paris de Crassis olim Apostolicarum Cæremoniarum Magister, & Episcopus Pisaurensis in lib. cui tit. *de Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus:* in quo, ut ex prædicto titulo apparet, etiam de Cæremoniis, quæ ad Cardinales spectant, docte disserit. Denique sub hoc genere continetur Missa Pontificalis Abbatialis, de cujus Ritibus, & Cæremoniis agunt præsertim Zacharias a Mutina *in Cæremoniale Cassinensium;* Donatus Ramerius *in Rituali Monastico, Romano ritui, ac Cælestinorum usui conformi;* necnon Auctor Cæremonialis Canonicorum regularium Congregationis Sancti Salvatoris. Pro hac Missa Abbatiali videndum est pariter Decretum Generale emissum a Sac. Rit. Congregatione, approbante etiam Alexandro VII. anno 1659. 27. Septembris, datum in nostro Indice; & legenda pariter sunt alia Decreta sub die 12 Junii 1660. spectantia ad eosdem Ritus Abbatiales, & Monasticos. Sub hoc genere Missæ solemnis continetur etiam Missa, quæ dicitur Canonicalis, nimirum illa, in qua dignitate, vel Canonico solemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono inserviunt.

XXXIV. MISSA DOMINICA significat Missam majorem solemnem, in statutis enim Mss. Ecclesiæ Lugdunensis hæc habentur: *Nullus Clericus de Terra debet intrare Chorum per se solum ad Missam Dominicam in festivis diebus, ex quo Angelicus Hymnus inceptus est.* Et in ejusdem Ecclesiæ pariter statutis anni 1251. in quibus

bus describitur numerus Ministrorum, qui inservire debent Celebranti ad Missam solemnem, hæc leguntur: *Singulis diebus Dominicis festivis Sacerdoti Canonico Missam Dominicam celebranti debent assistere duo minores Sacerdotes Vicarii duorum Canonicorum Sacerdotum, unus a dextra parte Altaris, & alius a sinistra, &c.* Ex quibus patet Missam solemnem, seu majorem appellari Missam Dominicam.

XXXV. MISSA AUREA. Quoniam mox egimus de Missa solemni, quæ apparatissima pompa conficitur, ideo congruum arbitramur exponere hic Missam illam, quæ *Aurea* ab aliquibus appellata fuit. De hac sermonem habet Buschius de Reform. Monasterii apud Leibnit. *Tom.* 2. *Scriptorum Brunsuic. pag.* 484. *Hildensheim etiam Sabbato post Concionis* (*l. Communes, videl. Communio*) *quæ Conciones Dominica post Michaelis incipiunt, per hebdomadam perdurantes; aurea Missa ab omnibus Canonicis totius Civitatis, & a cunctis Prælatis, & Religiosis cujuscumque Ordinis, etiam Mendicantibus per tres, aut quatuor horas decantari solet de B. Maria Virgine in Organis. Unde cunctis præsentibus dantur notabiles præsentiæ Prælatis, sicut mihi pullus charitatis, pretiosis conditus, pullus assatus, dimidia stopa vini, cuneus sive albus panis, tam magnus, quam omnibus nobis ad mensam sufficeret, & quatuor solidi dantur. Singulis vero Fratribus dantur duo solidi Lubicenses pro præsentia.* Ex quibus verbis colligitur, quare talis Missa *Aurea* appellatur, nimirum ob suam maximam magnificentiam, id quod confirmat Chronicum Sancti Godeh, Hildensh, ibidem *pag.* 408. ubi habetur: *Item Missam singulis annis instituit de Beata semper Virgine Maria, quam ob suam magnificentiam Auream vocamus.*

XXXVI. MISSA CANTATA, prout distinguitur a solemni, sicut eam distinguit Joseph Vicecomes *de Missæ Ritibus lib.* 5. *cap.* 7. est illa, quam cum Sacerdote sine Ministris sacris celebrante, Cantores musico concentu alternant: patet igitur discrimen inter hoc Missæ genus, & aliud superius explicatum, nempe Missæ solemnis, cujus nomine venit rigorose Missa illa, quæ apparatissima pompa conficitur, cui Ministri sacri, & Clericorum ordines inserviunt. De hoc secundo Missæ genere iterum redibit sermo paulo infra, cum de Missa Media discurremus.

XXXVII. MISSA ALTA eadem ac Missa solemnis cum cantu: de hac fit mentio in Charta anno 1377. apud Rymer. *Tom.* 7. *pag.* 139. *usque summum Altare, ad Altam Missam celebrandam accesseram.*

XXXVIII. MISSA PUBLICA est illa, cui interesse utrique sexui promiscue licet, & quæ coram populo peragitur: hanc Missam Walfridus Strabo *cap.* 22. *legitimam appellat*: ab Amalario vero *cap.* 8. vocatur *Generalis*, & in Concilio Vasionensi *cap.* 20. appellatur *Missa publica*, quæ dicitur taiis non a loco publico, quia olim in cryptis, & abditis locis celebrabatur, & tamen publica appellabatur, ut mox dixi, sed a conventu Populi circumstantis, offerentis, & communicantis in tali Missa. Missas autem ejusmodi publicas ante horam diei tertiam non celebrari statuit Telesphorus PP. ut refert Anastasius, sive alius libri Pontificalis Auctor; quod quidem Decretum referunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 42. & Strabo *cap.* 22. sed hos deceptos fuisse a Pseudo Isidoro, qui primorum Pontificum Epistolas Decretales finxit, & consarcinavit, totique Ecclesiæ tamquam legitimas merces obtrusit, asserunt alii nonnulli eruditissimi viri, inter quos Cardinalis Bona, qui *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 21. *num.* 5. loquens de prædicto Telesphori constituto, ait: *Quid magis alienum a conditione illius Sæculi, quo Christiani, furentium Imperatorum gladios declinantes, summo studio latitabant, quam hujus legis editio, quæ nullo modo poterat observari?* Noctu, & in occultissimis locis convenisse Fideles ad Synaxim, Tertullianus *in libro de fuga in persecutione*, & alibi nos docet, qui aliquot annis post Telesphorum scribere cœpit, imperante Severo; Telesphorus autem Martyr occubuit Hadriano imperante, anno Christi 137. Probabilis igitur sententia est, & magis congrua, quam refert Baronius ad annum 382. hanc tertiæ horæ præfixionem ad Missam publicam celebrandam fuisse sancitam a Sancto Damaso, ex præscripto, ut ajunt, Canonis Nicæni, qui tamen non extat. De his plura alia tradit Cardinalis Bona loc. cit. Concilium etiam Aurelianense tertium *Canon.* 14. Bracarense anno 572. *Can.* 9. idem præscribunt: & Gregorius Turonensis de Vitis Patrum ait: *Facta quoque hora tertia, cum populus ad Missarum solemnia conveniret, &c.* Denique Theodulphus Aurelian. *in Capitulis cap.* 45. hæc habet: *us Missa, quæ per dies solemnes a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas Populus a publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur.* Ut fœminarum accessus in Monachorum Monasteria vitetur, habetur constitutum Gregorii Magni pro Monachis apud Baronium, anno 601. *num.* 15. *& lib.* 4. *epist.* 43. nimirum: *Missas quoque publicas ab eo* (Episcopo) *in Cœnobio omnino fieri prohibemus, ut in Servorum Dei recessibus, & eorum receptaculis nulla popularis præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus earum.* Idem Pontifex *lib.* 5. *epist.* 46. ad Episcopum Pisauriensem hæc scripsit: *Cum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit, ut locum ipsum absque Missis publicis dedicares.* Eadem leguntur in aliis ejusdem Pontificis Epistolis, & in Concilio Lateranensi I. anno 1122. *Canon.* 17. vetantur Abbates, & Monachi Missas publicas cantare.

XXXIX. MISSA PUBLICA. Hoc nomine appellabatur secunda Missa, quæ in Festo Sancti Laurentii assignata reperitur in Sacramentario San-

cti Gregorii ex Codice Gellonensi apud Marten. *de Ecclesiastica disciplina in Divinis recitandis Officiis pag.* 575. qui refert sic inscriptam esse. *Item ad Missam Poplicam in die ejusdem.* Prima vero sub hoc titulo prænotatur: *Natale Sancti Laurentii mane prima.* Monachi Sancti Mauri in suis eruditissimis Additionibus ad Glossarium Caroli Du-Fresne optime adnotant hoc loco manifestum contigisse errorem ponendo *poplica* pro *publica.*

XL. MISSA COMMUNIS eadem ac publica, ut colligitur ex Braulio Cæsaraugustano in epistol. Vitæ S. Æmiliani præfixa, ubi hæc habet: *De eadem quoque solemnitate, ut Missa recitaretur communis, injunxi dilecto filio meo Eugenio Diacono &c.*

XLI. MISSA CONVENTUALIS est illa, quam Rectores Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur solemniter cum cantu post Tertiam juxta temporis conformitatem, & Divini Officii recitationem. De hac Missa sermo habetur in Concilio Toletano habito anno 1565. inter Hispan. *Tom. 4. pag.* 76. ubi leguntur hæc verba: *Quoniam Missa Conventualis, ad quam omnes olim convenire solebant, magna celebritate peragenda est .... statuit Synodus, ne in diebus Dominicis, & Festis colendis a tempore decantatæ Epistolæ usque ad ipsam Communionem, Missæ privatæ in Ecclesiis celebrentur.* Thomas Franciscus Rotarius in sua Theologia Regularium *Tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *punct.* 4. *n.* 4. adnotat quod Missa Conventualis in variis Ordinibus Regularium diversum nomen sortitur: alii eam vocant Missam Canonicam, alii Missam Tertiæ, alii Majorem, alii Publicam, & alii Communem. De obligatione celebrandi hanc Missam Conventualem, & de aliis ad eam spectantibus agit Gavantus *part.* 3. *tit.* 12. *n.* 5. & nos fusius etiam disseremus in nostris Observationibus, & Additionibus eodem loco.

XLII. MISSA SECUNDA IN CLERO est illa, quam constituit Deusdedit Romanus Pontifex, qui initio septimi Sæculi regebat Ecclesiam. Ita tradit Auctor libri Pontificalis in vita prædicti Pontificis, cujus loci explicatio multorum vexavit ingenia. Petrus Urbevetanus in suis Scholiis hanc Pontificii constituti rationem assignat: quia tunc forsitan adinstar Græcorum non cantabatur in Ecclesia nisi una Missa, quod magis ædificabat secundum antiquos. Urbevetani explicatio Cardinali Bona non placuit, quia, inquit ipse *lib.* 1. *cap.* 14. *num. IV.* ex Leonis testimonio (quod legitur in epistola ad Dioscorum Alexandrinum) patet morem iterandi Sacrificium multo ante in Romanam Ecclesiam inductum fuisse. Baldinus, petita venia ab Eminentissimo Scriptore, Urbevetani sententiam amplectitur in notis ad Anastasium Bibliothecarium recentissime impressum hic Romæ *Tom.* 4. in Vita præfati Pontifici Deusdedit, contenditque constitutum ab eodem PP. ut in Clero post solemnem Missam, altera ex Clero haberetur; sive nova plebs in Basilicam conveniret, sive non; sive una esset, sive plures Basilicæ, hac ratione permotus, quod tunc certe primum inductus in Ecclesia Latina videatur Ritus, ut plures Missæ in eadem Ecclesia celebrarentur, & plura Altaria pro iis celebrandis construerentur. Nos petita a Baldino venia Cardinalis Bona opinioni adhæremus, & putamus cum P. nostro Berlendi in sua erudita Dissert. de Oblationibus §. 8. *n.* 4. *pag.* 98. & Christiano Lupo *in Scholiis ad Concilium Romanum Alexandri II. Pontificis Tom.* 5. *Venetæ editionis pag.* 153. Decretum PP. Deusdedit dirigi ad Cathedrales Ecclesias, & ab ipso imponi præceptum, ut incerta, aut Festorum inter se, aut ipsorum cum Dominicis, aut quibusdam Feriis concurrentia, obligetur ad duas solemnes Missas celebrandas, quod fortasse jam antea peragebatur, sed ex sola consuetudine, non tamen ex præcepto quod postmodum a Pontifice Deusdedit impositum fuit. Neque libri Pontificalis verba de privata Missa intelligi posse videntur; nam cum ait hunc Pontificem constituisse *secundam Missam in Clero*, satis innuit huic Missæ clerum interesse debuisse, ac proinde solemnem fuisse, non vero privatam; quæ confirmari possunt ex iis, quæ diximus in Missa Publica. Quod vero ait eruditissimus Baldinus hujus Papæ temporibus, tunc primum invectum esse Ritum in Ecclesia Romana, ut plures Missæ in eadem Ecclesia celebrarentur, non ita facile damus; etenim plures ante præfatum Pontificem Missas, uno eodemque die in eadem Ecclesia celebratas fuisse, etsi cætera deessent, id invicte probaret Sacramentarium a Josepho Blanchino vulgatum, in quo juxta majorem, minoremque Festorum solemnitatem, plures, aut panciores assignantur Missæ dicendæ; has vero Missas ab uno Presbytero celebratas fuisse nemo mihi persuadebit. Etsi vero unius Ecclesiæ quondam unum erat Altare, plures tamen in eo Missas unoquoque die celebrare fas erat, ait doctissimus Mabillon præfatione prima in Sæculum tertium Ordinis S. Benedicti *observ.* 12. *sub n.* 77. idque probat ex Concilio Antissiodorensi, quod anno 578. celebratum fuit, & in cujus *cap.* 10. habentur hæc verba: *Non licet super uno Altario in una die duas Missas dicere, nec in Altario, ubi Episcopus Missam dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Quibus sane verbis prærogativa quædam Episcopo supra cæteros Presbyteros tribuitur, ut scilicet in illo Altari, in quo Missam dixisset Episcopus, non liceret ea die Presbytero Sacrificium offerre: ergo (argute infert Mabillon) Presbyteris aliis post alios Missas in eodem Altari celebrare licebat, alias frustranea esset Concilii additio de Episcopis. Hoc assumptum illustratur facto Gregorii Turonici Episcopi, qui cum ab æmulis *apud Chilpericum esset accusatus maledicentiæ in Fredegundem, apud Brammacum Villam restitit, ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus Altaribus se de his verbis excusaret Sacramento.* Ad quid enim non in uno, sed in tribus Altaribus Gregorius celebravit Missas tres, nisi quia

uni

uni Sacerdoti id in uno Altari non licebat? Ex præfato *cap.* Concilii Antissiod. deducitur etiam in eadem Ecclesia non solum unum, sed plura fuisse altaria; quia si vetitum erat, Presbytero dicere Missam in altari, in quo celebrabat Episcopus, in alio igitur celebrare licebat. Et quidem Sæculo sexto Burdigalæ in Ecclesia Sancti Petri duplex erat Altare, ut scribit laudatus Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de Gratia Martyrum cap.* 33. Illustre etiam in hanc rem exemplum Palladii Sanctonensis Episcopi in Gallia, qui referente Gregorio Magno *lib.* 5. *epist.* 50. *vet. edit.* tredecim collocarat Altaria in Ecclesia, quam in honorem BB. Petri, & Pauli, Laurentii, & Pancratii ipse construxerat. Morem hunc non inchoasse Palladium, sed majorum exempla fuisse secutum, argumentis supra relatis ostenditur. Neque etiam credibile est Gregorium probaturum fuisse Palladii factum, si vetus illa primorum Ecclesiæ temporum consuetudo adhuc in Gallia, & in Occidente vigisset. Cæterum, si verum amamus, fatendum est morem plures Aras erigendi in una, eademque Basilica, jam a sæculo quarto in usu fuisse apud quasdam Occidentis Ecclesias, quod gravissimo Ambrosii testimonio probatum vidimus. Sanctissimus enim Doct. *ep.* 20. earum quæ prima Classe continentur ad Sororem suam, anno 385. scripta agens de Basilica, quam Ariani occupare tentaverunt, & quam ipse ab eorum aggressione defenderat: *Non ego*, inquit, *vallabor circumfusione populorum, nec Altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro Altaribus gratius immolabor.* Et in fine Epistolæ ait: *Nec mora, nunciatur Imperatorem jussisse, ut recederent milites de Basilica . . . . quæ tunc plebis lætitia fuit . . . . . certatim hoc nunciare milites irruentes in Altaria oculis significare pacis insigne*: quem locum de pluribus in una Basilica Altaribus intelligendum esse nemo non videt, nec ipsi Hæretici diffitentur: quamvis Basnagius celebris inter Heterodoxos ad annum Christi 226. peculiarem hanc Mediolanensium consuetudinem fuisse contendat.

XLII. MISSA CAPITULARIS dicitur illa, quæ celebratur diebus festivis solemniter cum Ministris paratis, & cum cantu in iis Ecclesiis, ubi est sufficiens numerus Capellanorum, seu Presbyterorum, & congrue fieri potest: de hac Missa mentionem facit Corsetus *tract.* 1. *part.* 3. *cap.* 25. *sect.* 3. *num.* 17.

XLIV. MISSA PAROCHIALIS est conventus Fidelium, in quo preces publicas, & Sacrificium offerunt Ministerio Pastoris, discuntque ab eo, quæ vitare, quæve præstare debeant ad propriam salutem, & proximi ædificationem. De hac Missa Parochiali Concilium Tridentinum *sess.* 22. *in Decreto de observandis, & evitandis in Missæ celebratione* declarat obligationem, qua tenentur Parochiani prædictæ Missæ Parochiali interesse, ait enim: *Moneant etiam* (Episcopi) *eundem Populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant.* Ex quibus verbis colligitur, quod Fideles tenentur Missæ Parochiali dictis diebus intervenire, nisi ratio honesta excuset. De hac Missa Parochiali tractat Bonaventura Berean Prædicator Capuccinus in suo opere inscripto: *parochopitus, seu de quadruplici debito in parochia propria persolvendo:* alius etiam Auctor lingua Gallica, anno 1669. Tractatum edidit de Missa Parochiali.

XLV. MISSÆ DECENSITÆ in Charta, anno 760. apud Baluz. *in append. ad Capitul. col.* 1393. *duas portiones tam de terræ vineis ... vobis visus fui condonasse, ut omni tempore Missæ ibidem Decensitæ esse debeant.* Quid veniat nomine Missæ decensitæ, valde obscurum est: monachi præfati Benedictini opinantur illud verbum significare Missas, quæ decenti cultu celebrari debent.

XLVI. MISSA PRIVATA, prout distinguitur a Missa solemni, est illa, quæ privatim, & peculiariter sine cantu, uno dumtaxat Clerico ministrante, sive in Ecclesia, sive in Oratorio privato celebratur. Quapropter hæc Missa, ut bene advertit Bocquillot *lib.* 2. *cap.* 7. potest esse publica, quando fit cum conventu populi offerentis, & communicantis, &c. De hujusmodi Missis privatis erudite disserunt Martene *de antiquis Monachorum Ritibus cap.* 6. necnon mox laudatus Bocquillot toto *cap.* 7. & 8. *lib.* 2. *in Tract. Historico de Liturgia.* Missa vero privata, prout distinguitur a publica, est illa, in qua solus Sacerdos sacramentaliter communicat: Hæretici Misoliturgi utramque Missam privatam prohibitam esse comminiscuntur. Verum utriusque generis privatas Missas, tamquam licitas probandas esse, & commendandas, Catholica Doctrina est, eamque demonstrat Cardinal. Bona *lib.* 1. *cap.* 14. ubi pariter refert varios veteres Auctores, quibus ostendit perpetuum Missarum privatarum usum. Concilium vero Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 6. docet, quod nullæ Missæ sint omnino privatæ, partim quod omnes a publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrantur; partim quod in omnibus communicare possint Fideles, saltem spiritualiter; partim, quod omnes fiant in gratiarum actionem pro morte Christi, quæ est commune beneficium. Usus tamen invaluit, ut quæ fiunt absque publico conventu, privatæ, seu peculiares dicantur, ut liquet ex *cap. & hoc attendendum de consecr. dist.* 1. vel quæ celebrantur solo Sacerdote sacramentaliter communicante; quæ tamen, ut dixi, non reprobantur, sed commendantur ab Ecclesia Catholica, quia Missæ celebratio potissimum fit ad Sacrificium Deo offerendum, eumque sic laudandum, honorandum, ac Populo propitiandum; non autem necessario ad Populum Sacramento reficiendum, unde quando præter Celebrantem nullus alius communicat, non fit frustra Sacrificium, quia semper obtinetur finis principaliter intentus in Sacrificio, quod offertur.

XLVII. MISSA BASSA eadem, quæ privata, seu quæ submissa voce celebratur, ut legitur apud

Lobinellum *Tom. 2. Hist. Britan. pag.* 1604. hoc est sine cantu; & in Charta Ferrici de Cluniaco apud Miræum *Tom. 2. pag.* 1545. legitur: *Alii vero quinque Beneficiati non hebdomadarii celebrabunt per turnum singulis hebdomadis viginti bassas Missas.* In aliis etiam Monumentis, quamvis reperiatur prædicta vox *Bassa* pro indicanda Missa privata, quæ submissa voce dicitur; nihilominus, ut adnotant eruditissimi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in novis suis Additionibus ad Glossarium Cangianum, seu Caroli Du-Fresne *Tom. 4. col.* 814. etiam de Missis privatis frequens est hæc formula *cantare Missam*, præsertim in Sancti Willelmi *Const. Hirsaug. lib.* 1. *c.* 86. ubi habetur: *Sacerdos si privatam Missam cantare voluerit, innuit converso cum signo Crucis, quod est signum cantandæ Missæ.* Rursus eadem Missa privata dicitur etiam *Plana*, sic eam appellat Cæremoniale Episcoporum, *lib.* 1. *cap.* 12. *n* 9. *Celebrant, in eo sive solemnes, sive planas Missas.*

XLVIII. MISSA SECRETA est eadem ac privata, seu Bassa, & hoc nomine appellatur in actis Episc. Cenoman. *pag.* 72, ubi habetur: *Numquam a die ordinationis suæ cognoverunt diem præterire, ut non Missam, aut publicam, aut secretam celebraret.*

XLIX. MISSA FAMILIARIS est etiam ex genere privatarum, & est eadem, quæ pro Familiaribus inscribitur in libro Sacramentorum Gregorii Magni *pag.* 256. edit. Menardi, vel est eadem omnino ac Missa privata, cui opponitur Missa publica. In hoc sensu facit mentionem de hac Missa Eadmer *lib.* 1. Vitæ Sancti Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis *cap.* 14. *Si aliquando a celebratione ipsius Sacramenti impediebatur, eos qui Missam Familiarem debebant, suam pro Anima Fratris Missam dicere faciebat.* Videtiam Ordinarium Canonicorum Regularium Sancti Laudi Rothomagens. apud Joannem Abrinc. Episcop. *de Ecclesiastic. Offic. pag.* 291. *Excepto, quod Missas familiares non dicant*, nimirum privatas: vide denique Udalricum *lib.* 1. Consuetudinum Cluniacensium *cap.* 7.

L. MISSA PECULIARIS pariter idem significat ac Missa privata: hac notione exprimitur in Capitulis Theodulphi Aurelianensi *cap.* 45. *Ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita publice fiant, ut per eas Populus a publicis Missarum sollemnibus, quæ hora tertia Canonice fiunt, abstrahatur.* Et in Concilio Lambethesi, anno 1282. *cap.* 2. *Sacerdotes insuper caveant universi, ac Missarum peculiarium, seu familiarium se celebrationi obligent, quo minus valeant Canonico commissam sibi Ecclesiam officiare, ut tenentur.* In Concilio vero Salegunstadiensi, anno 1022. *cap.* 10. & in Capitulari Anglicano incerti Auctoris *cap.* 4. superstitionis cujusdam mentio fit, qua quidem laici, ac maximæ matronæ *Missas peculiares, hoc est de Sancta Trinitate, aut de S. Michaele quotidie audiebant pro aliqua divinatione*, quæ ibi vetatur.

LI. MISSA SPECIALIS est pariter Missa privata, de qua mentionem faciunt Capitul. Theodorici Cantuariensis *cap.* 10. edit. Jacobi Petiti, in quo legitur; *Centum viginti Missæ speciales singulæ cum tribus Psalteriis, & cum trecentum Palmatis excusant annum, scilicet pœnitentiæ.* In epist. pariter Caroli Magni ad Fastradam Reginam de Victoria Avarica, hæc leguntur: *Et Sacerdos unusquisque Missam specialem fecisset, nisi infirmitas impedisset.* Et in Vita Alcuini *num.* 26. ut refert Du-Fresne in suo Glossario verb. *Missa specialis*, legitur: *Levitice se præparans, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum colebat solemnia specialium usque ad horam tertiam.*

LII. MISSA SINGULARIS, eadem quæ privata, seu specialis; de qua mox supra. Hoc nomine Missam privatam exprimit Eddius Stephanus in Sancto Wilfrido *cap.* 61. ubi habetur: *Nam omni die pro eo Missam singularem celebrare, &c.*

LIII. MISSA MEDIA dicitur illa, quæ participat de Missa privata, & solemni; nam cum solemni habet cantum; cum privata vero convenit in hoc, quod celebratur sine Ministris sacris, sed cum uno tantum, vel duobus Acolythis: unde patet hanc Missam non differre ab illa, quæ simpliciter cantata dicitur, de qua superius locuti sumus. De Cæremoniis, & Ritibus, quibus hæc Missa celebranda est, agunt Castaldus *lib.* 2. *sect.* 9. Bauldry *part.* 3. *tit.* 13. *cap.* 9. *& seqq.* Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 12. & 13. Totinius in Cæremoniali PP. Camaldulensium *libi* 1. *cap.* 18. *num.* 15. Joan. Merinerius in Cæremoniali Fratrum Minorum *part.* 2. & alii; sed omnium optime Benedictus XIV. qui ad cæteras præclarissimas dotes, quæ Pontificem summum ornabant, maximam Ecclesiasticorum Rituum peritiam adjecerat. Videatur opusculum ejus Italice inscriptum: *Auvertenze Pratiche Ceremoniali, &c. cap.* 2. ubi rem hanc exactissime tractat. De Ritibus servandis in hac Missa etiam nos agimus in nostris Additionibus, & Observationibus ad *tit. VII. part.* 2. *an. XLII.* usque ad *XLVI.* inclusive.

LIV. MISSA SOLITARIA, prout a Privata, & Plana distinguitur, intelligitur illa, quæ a solo Sacerdote, nemine præsente, & respondente fiebat olim in Monasteriis. Missæ hujusmodi solitariæ olim, ut dixi, celebrabantur ex Indulgentia in Cœnobiis, ut loquitur Edvensis, sive ex privilegio canonicarum sanctionum. Verum sublatis tunc hujusmodi privilegiis, districte prohibitum fuit, ne quis Sacerdos solus sine ullo Ministro Sacrum Mysterium conficiat. Hujusmodi autem Sanctiones Missam Solitariam prohibentes afferuntur a Josepho Vicecomite *lib.* 5. *de Missæ Ritibus cap.* 4. necnon a Card. Bona *lib.* 1. *c.* 15. *num.* 5.

LV. MISSA, SEU SACRIFICIUM OCCULTUM est Sacrificium Schismaticorum, qui se ab Ecclesia segregant, & in suis conventiculis Sacrificia offerre præsumunt. Ita explicat Eckius Div. Basilium *in Ps.* 115. prope finem, ubi ait:

Non

Non in latebris delitescens Sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium; nempe ad differentiam Sacrificii Schismaticorum, quod, ut dixi, appellabatur occultum. De hoc Sacrificio occulto Schismaticorum mentionem facit Bellarminus *lib.* 6. *de Missa cap.* 10. *in fine.*

Tertia Missarum diversitas desumitur ex iis, pro quibus Sacerdos Hostiam salutarem Deo offert; hujusmodi autem sunt Missa votiva — Adventitia — Nuptialis — pro Defunctis — Animarum — pro Vivis — Spontanea — Legata.

LVI. MISSA VOTIVA stricte accepta ea sola censenda est, quæ non convenit cum Officio diei, nec ab Ecclesia præscribitur dicenda; sed dicitur a Sacerdote juxta ipsius votum, seu voluntatem, puta de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Angelis & de aliis, prout infra in nostris Observationibus ad Tit. IV. §. 1. Late vero sumpta, Missa Votiva dicitur illa, quæ licet non sit ad arbitrium Sacerdotis, & non concordet cum Officio, præscribitur tamen dicenda tali die ab Ecclesia, non ratione Festi alicujus, sed voto, seu devotione ipsiusmet Ecclesiæ: talis est Missa B. M. dicenda in duobus prioribus Sabbatis Adventus, etiamsi non dicatur Officium de B. M., sed Feriale. Hæc Missa non dicitur stricte Votiva, quia non dependet ex voto, & delectu Sacerdotis; dicitur autem late Votiva, quia ejusmodi Missa licet non conveniat cum Officio, est tamen præscripta ab Ecclesia ex devotione ipsius Ecclesiæ erga B. V. Nequaquam vero est talis, nec ullo modo censenda est Votiva, Missa de Feria, seu de Vigilia, quæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis præter Missam Festi occurrentis dici debet: tum quia præscribitur ejusmodi Missa ab Ecclesia, nec pendet ex voluntate Sacerdotis; tum quia convenit etiam non Officio quidem, sed Commemorationi dictæ Feriæ, seu Vigiliæ eo die factæ. Qua item ratione Missa pro Defunctis die secunda Novembris, sicut & prima die cujuslibet mensis non impedita, Votiva non est; cum & præscribatur ab Ecclesia, & Officio, quod ipsis itidem fit, conveniat, alias semper est Votiva. Cæterum de hujusmodi Missarum Votivarum origine, ritu, &c. erudite tractant Joseph Vicecomes de Missæ Ritibus *lib.* 3. *cap.* 15. & *seqq.* Martene de Antiquis Monachorum Ritibus *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 41. Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. Grancolas *in* 1. *part. Antiqui Sacramentarii pag.* 433. Liber Sacramentorum Sancti Gregorii Magni *edit. Menardi pag.* 255. Antiquæ Definitiones Ordinis Cisterciensis *distinct.* 5. *cap.* 7. Carolus Guvetus *in sua Heortologia lib.* 4. *toto cap.* 21. Quarti *part.* 1. *toto tit.* 4. Gavantus vero de hujusmodi Missis Votivis tractat *part.* 1. *tit.* 4. *necnon Part.* 4. *tit.* 17. cujus doctissimis Commentariis nos quoque ibidem aliqua adjiciemus: denique prædictarum Missarum Votivarum genera varia pro diversitate personarum, vel pro diversis eventibus, & periculis celebrandarum describuntur in antiquis Sacramentariis, necnon in nostris recentibus Missalibus.

LVII. MISSA ADVENTITIA eadem, quæ Votiva in Epitome constitutionum Ecclesiæ Valentinæ *tom.* 4. Conciliorum Hispaniæ *part.* 171. inter alia agens de ordine, qui circa celebrationem Missarum tam Beneficiorum in Ecclesia fundatorum; .... *quam etiam Votivarum, & ut dicunt, Adventitiarum haberi debent.* Nunc autem Missa Adventitia eadem est ac Missa, quæ dicitur Manualis, nimirum quæ celebratur juxta mentem illorum, qui offerunt eleemosynas pro Missa celebranda.

LVIII. MISSA NUPTIALIS est illa, quæ celebratur in benedictione Nuptiarum, de qua Concilium Toletanum, anno 1323. inter Hispan. *tom.* 3. *pag.* 572. ubi hæc verba habentur: *Qui alieno Parochiano, absque alia testimoniali Sacerdotis proprii Missam celebravit Nuptialem, trecentos moropetinos nobis solvere teneatur.*

LIX. MISSA PRO DEFUNCTIS, SEU DEFUNCTORUM, est illa, quæ pro Fidelium Mortuorum suffragio celebratur juxta Rubricas in Missali descriptas. De hujusmodi Missarum Origine, Divisione, & Ritibus eruditissime discurrit Vicecomes de Antiquis Missæ Ritibus tot *lib.* 4. *a cap.* 1. *usque ad cap.* 21. Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 2. *& cap.* 15. *num.* 4. Grancolas in antiquo Ecclesiæ Sacramentario *p.* 1. *a pag.* 429. *usque ad pag.* 538. videndum est etiam Concilium Vasionense 2. *c.* 43. Vasense 3. *cap.* 3. Bracarense habitum anno 543. *Canone* 16. aliud Bracarense anno 1572. *Canone* 10. Alcuin. *lib. de Divinis Offic. cap. de exequiis Mortuorum;* Walafridus Strabo *de rebus Ecclesiast. cap.* 21. & Durand. *lib.* 5. *Rational. cap.* 5. *num.* 18. Noster vero Gavantus de Ritibus servandis in Missis Defunctorum agit in hac *p.* 1. *tit.* 1. *& p.* 4. *tit.* 18. cui inhærendo, etiam nos ibidem nonnulla addemus, & observabimus. Apud prædictos Auctores, necnon apud Codices Sacramentarios varia describuntur genera Missarum pro Defunctis, quæ ibi videri possunt.

LX. MISSA ANIMARUM eadem ac Missa, quæ cantatur pro Defunctis: de qua in Vita B. Metildis Reginæ *n.* 9. 10. & apud Durad. *lib.* 5. *Ration. cap.* 5. *n.* 18.

LXI. MISSA PRO VIVIS dicitur illa, quæ pro hominibus adhuc viventibus celebratur. Ratione autem circumstantiarum, quæ hominum vitam comitari solent, hæc Missa multifariam partitur, veluti cum pro gravi molestia affectis, vel peregre agentibus, vel pro agonizantibus, vel pro remissione peccatorum, &c. Sacrificium Deo offertur.

LXII. MISSA SPONTANEA vocatur illa, quæ sola dicentis Religione & pietate celebratur, & offertur vel pro Vivis, vel pro Defunctis.

LXIII. MISSA LEGATA est illa, quam Testamento, vel alio Instrumento aliquis Fidelium insti-

stituit: tam hæc, quam superior nunc sunt in usu: & ut ait Vicecomes *lib. 1. cap. 7.* habent veterum firmamenta; sed prima non indiget probationis; altera vero satis constat ex eo, quod Sanctus Ambrosius pro Anima Valentiniani Imperatoris Sacrificium instituit. Sed amplius liquet hoc genus Missarum Legatarum, ex more introducto dandi stipendium Sacerdoti propter Missæ celebrationem. De qua materia eruditissimum sermonem instituit *in 2. part.* suæ dissertationis Historico-Theologicæ *de Oblationibus ad Altare*, quam recentissime evulgavit noster P. Franciscus Berlendi, Venetiis, anno 1733.

Alia præterea sunt genera Missarum, quarum distinctio desumitur vel ex tempore, vel ex loco, vel sacris functionibus, vel ex aliis circumstantiis, in quibus tales Missæ celebrantur. Ad hoc Missarum genus reducentur Missæ, quæ appellantur de Tempore — Quadragesimalis — Paschalis — de Jejuniis — Lunatica — Dominicalis — Ferialis — Annualis — de Expectato — de Sanctis — Perfecta — Imperfecta — Catechumenorum — Sacramentorum — Fidelium — Præsanctificatorum — Sicca Nautica, seu Navalis — Bifaciata, Trifaciata, &c. — de Luce — de Aguinaldo — Matutinalis — Cardinalis — Minor — Peregrinorum — Vespertina — Nocturna — de Galli Cantu — Diei — Nova Novella — Scrutinii — de Traditione Symboli — Chrismalis — ad prohibendum ab Idolis — pro Decimis — pro Requie Sanctorum — Revocata.

LXIV. MISSÆ DE TEMPORE vocantur illæ quæ correspondent variis Anni Ecclesiastici temporibus, in quibus Vitæ, & Doctrinæ Christi Mysteria, Fideique nostræ Sacramenta recoluntur.

LXV. MISSÆ QUADRAGESIMALES vocantur illæ, quæ in Quadragesima dicuntur. Ita appellantur in Concilio Vasionensi *c.* 20. & Vasensi *2.* 3.

LXVI. MISSA PASCHALIS dicitur illa, quæ in singulis septimanæ Paschalis Feriis agitur, in Missali Gothico *pag.* 342. 352. & in Gallicano *pag.* 480.

LXVII. MISSA DE JEJUNIS vocatur illa, quæ die Jejunii celebratur; de hac mentio habetur apud Martene *tom. 4. Anecdotorum col.* 706. ubi ex Statutis Ecclesiæ Cadut. eam colligit. In ipsis enim leguntur hæc verba: *Missæ de Jejuniis in hora nona poterunt celebrari, aliæ vero antea celebrentur.* Hæc Missa Jejunii refertur etiam in Liturgia Gallicana, seu in Missali Gothico illustrato a Mabillon *pag.* 231. *& seq.*

LXVIII. MISSA LUNATICA est Missa, quæ celebratur die Lunæ; hæc memoratur in Statutis Confratriæ Clericorum apud Pontisaram.

LXIX. MISSA DOMINICALIS est illa, quæ Dominicis diebus cani solet: de qua fit mentio a Joanne Abricensi Episcopo *lib. de Ecclesiast. Offic. pag.* 23. Ita Du-Fresne supra. In Missali tamen Gothico *a pag.* 292. Missa Dominicalis dicitur illa, quæ cantabatur in Dominicis de Adventu; tunc enim Dominicæ Adventus septem numerabantur, quarum prima erat illa, quæ sequebatur Festum Sancti Martini. Qua ratione doctissimus Mabillon asserit in suis notis hujusmodi Missas assignatas fuisse pro Dominicis post Pentecosten, non de Adventu.

LXX. MISSÆ FERIALES dicuntur illæ, quæ singulis hebdomadæ Feriis canuntur; priscis quippe temporibus, ait Belethus *cap.* 51. & ex eo Durandus *lib. 4. ration. cap. 1. num.* 28. *hæresibus pullulantibus, & Trinitatem impugnantibus ex institutione Alcuini Magistri Caroli Magni, rogatu Bonifacii Archiepiscopi Moguntini statuentis, Prima Feria de Trinitate dicebatur, Secunda Feria de Sapientia, Tertia Feria de Spiritu Sancto, Quarta de Caritate, Quinta de Angelis, Sexta de Cruce, Septima de B. Virgine.* Cessante tamen tali caussa nunc Missæ Feriales non celebrantur juxta prædictam regulam; sed quando non dicitur Officium de aliquo Sancto, vel de aliqua octava, sed de Feria currente, tunc Missa Ferialis est, quæ correspondet Feriali Officio: unde si Feria non habet Missam propriam, sicut habent omnes Feriæ Quadragesimæ, Vigiliarum, &c. tunc pro Missa de Feria resumitur, & dicitur Missa de Dominica præcedenti; & hæc dicitur Missa Ferialis. Cur autem antiquitus in Septima Feria de B. M. V. Missa instituta fuerit, id initium habuisse tradit idem Belethus, & ex eo Durandus, a miraculo, quod in quadam Ecclesia Constantinopolis singulis Sabbatis contingebat, de quo Du-Fresne fuse in suo Glossario prædicto v. *Missæ Feriales.* Alicubi vero, ut recenter adnotant ibidem Monachi Sancti Mauri, Missæ Feriales solemnes & publicæ vocantur; Feriæ enim interdum dicti sunt dies Festi.

LXXI. MISSA ANNUALIS vocatur illa, quæ singulis diebus per annum dicitur: & talis denominatio colligitur ex statutis Cisterciensibus apud Martene *tom. 4.* Anteced. col. 1265. in quibus legitur: *Nulli Abbatum liceat amodo alicui personæ quotidianam Missam concedere, vel annualem.*

LXXII. MISSA DE EXPECTATO habetur in Missali Ambrosiano, in quo inscribitur *de Expectato, &* est illa, quæ celebratur solemniter in die, vigiliam Nativitatis Domini præcedente: cui Missæ in Missali Gothico, seu Gallicano respondet præparatio ad Vesperam Natalis Domini, ut notat Mabillon *lib. 2. de Liturgia Gallicana, c. 4.* optime corrigendo verbum *Præfatio*, sicuti habetur in prædicto Missali Gallicano loco dicendi *Præparatio ad Vesperum Natalis Domini.*

LXXIII. MISSÆ DE SANCTIS dicuntur illæ, quæ in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annua solemnitate recolitur. Etiam de his videri potest Vicecomes de Missæ ritibus *lib. 1. cap. 4. & seqq.* necnon Card. Bona *lib. 1. c.* 15. & Carolus Du-Fresne *in suo Glossario v. Missa pro Festo Sancti alicujus.*

LXXIV.

LXXIV. MISSA PERFECTA est illa, in qua perfectum conficitur Sacrificium, nempe quando Sacerdos consecrat & sumit Corpus, & Sanguinem Christi Domini.

LXXV. MISSA vero IMPERFECTA dicitur illa, in qua Corpus & Sanguis Christi non conficiuntur, ut est *Missa Præsanctificatorum*, & aliæ, de quibus infra.

LXXVI. MISSA CATECHUMENORUM est sub genere imperfectarum, cum sit illa pars Missæ, quæ constabat iis tantum Ritibus, qui peraguntur ab introitu usque ad Offertorium exclusive; & dicebatur talis, quia absoluto sermone post Evangelium, dimittebantur Catechumeni ab Ecclesia.

In varias tamen classes dividebantur Catechumeni; quidam enim ab infidelitate ad Fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia verbum Dei; & isti dicebantur *Audientes*. Alii audito sermone procumbebant in genua; & vocabantur *Substrati*, seu *genua flectentes*. Alii in Fide recte instructi Baptismum petebant, & appellabantur *Competentes*, nempe simul petentes. Qui vero ex istis in albo Baptizandorum descripti erant, nuncupabantur *Electi*. Verum a Sanctis PP. duæ classes tantum, nempe Catechumenorum & Competentium commemorantur; quia nomine Catechumeni, Audientes, & Substratos intelligunt; & Electos a Competentibus, ut plurimum non distinguunt. Et quidem Sanctus Isidorus *lib. 2. de Divinis Officiis cap.* 21. ait: *Competentes sunt, qui jam post Doctrinam Fidei, post Continentiam vitæ ad gratiam Christi percipiendam sustineant; ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes; nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt.* Sic etiam Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus *in Libro de Sacramento Baptismi ad Carolum Magnum cap.* 1. utrorumque prædictorum Catechumenorum discrimen sic proponit: *Differt sane inter Catechumenos, & Competentes: Catechumeni itaque sunt, qui primum de Gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Christo, audiunt Verbum Fidei, sed nondum appellantur Fideles; Competentes autem sunt, qui jam post Doctrinam Fidei, post Continentiam vitæ, gratiam Christi percipere festinant. Ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes.* Carolus tamen Du-Fresne in suo Glossario tres eorum ordines distinguit, scilicet Catechumenorum, Genuflectentium, & Competentium. De quarto nullam mentionem facit, nempe *Electorum*; sed hunc ultimum ordinem memorat Martene de *antiq. Eccl. Rit. part.* 1. *lib.* 1. *art.* 6. qui ex prædicto numero detrahendos esse arbitratur *Genuflectentes*, quia specialem ordinem non constituebant, sed erant Catechumeni simpliciter dicti, qui in pœnam commissi alicujus peccati, verbum Dei genuflexi audire cogebantur. Itaque juxta eundem, tres tantum distinguendi sunt Catechumenorum gradus, scilicet *Audientium*, *Competentium*, & *Electorum*, quos supra explicavimus. Catechumeni simpliciter dicti compellebantur ab Ecclesia exire statim post dictum Evangelium, vel peractum sermonem; Competentes vero dimittebantur ab Ecclesia solum immediate ante Consecrationem, cum pro ipsis aliquantulum a Fidelibus preces funderentur: unde ad orationem, quæ fit super Catechumenos, expectantes genua flectebant: quando autem pronunciatum fuerat a Diacono, *Catechumeni procedite:* tunc & ipsi exibant. Hæc asserit Macrius *in suo Hierolexico* v. *Catechumenus*, afferendo in comprobationem sui assumpti Canonem V. Synodi Neo-cæsariensis; in quo tamen non habetur sermo, nisi de pœnitentia danda Catechumenis pro delictis commissis in Curriculo Catechumenatus. Verum de hac multiplici expulsione Catechumenorum sermo habetur pariter *in lib.* 5. Constit. Apostolicarum. Rursus de eadem mentionem faciunt Claudius de Vert. *tom.* 1. *cap.* 1. *pag.* 21. necnon Card. Bona *lib.* 1. ubi ait: *Primi omnium voce Diaconi post Evangelium & sermonem admoniti exibant Infideles, & post illos Catechumeni primi generis, & pœnitentes secundi: his egressis monebat Diaconus Populum, quid peteret a Deo pro Catechumenis secundæ classis, qui substrati dicebantur, quibus etiam indicebat, ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus super illos recitatis, & ipsi exibant. Idem Ritus, his egressis, erga Energumenos servabatur; & his post preces dimissis, vocati aderant Competentes, & Electi; & postquam isti, oratione item super eos porrecta, recesserant, idem Diaconus, &c.* De hac Missa Catechumenorum eruditissime discurrit mox laudatus Card. Bona *lib,* 1. *c.* 10. Emmanuel a Schelestrate in suo celebri opere *de Disciplina Arcani, cap.* 6. ubi tractat de tempore, quo cœpit, & desiit disciplina solemniter dimittendi Cathecumenos ab Ecclesia; denique agunt etiam pererudite de hac Missa Catechumenorum Antonius Bellotte in suis observationibus Ecclesiæ Laudunensis *pag.* 366. & alibi: supra laudatus Macrius in suo Hierolexico v. *Catechismus;* Du-Fresne v. *Missa Catechumenorum;* Claudius de Vert loc. citat. & Jo: Grancolas *in 2. part. Antiqui Ecclesiæ Sacramentarii pag.* 1. *& seqq.* multa congerit, quæ spectant ad antiquam Catechumenorum disciplinam; in 1. vero *p. pag.* 571. agit etiam expresse de Missa Catechumenorum; & *pag.* 574. breviter tractat de Missa pœnitentium, & Energumenorum; de qua nos distincte non egimus, quia confunditur cum Missa Catechumenorum; Energumeni enim expellebantur ab Ecclesia post Evangelium, sicut Catechumeni. Tertii autem generis pœnitentes, qui substrati dicebantur, etiam ipsi cum Energumenis, & Catechumenis dimittebantur; ad pœnitentes vero primi, & secundi generis nihil pertinebat Missa Catechumenorum: primi enim extra Ecclesiam commorabantur; secundi vero, licet intra fores Ecclesiæ in propileo manerent, ibique lectionem Scripturarum audirent; quia tamen nullæ erant super eos manuum impositiones, nullæ orationes,

idcir-

idcirco ante Catechumenos expellebantur. Porro de variis pœnitentium gradibus v. Bona *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. & Bellotte in suis Observationibus *pag.* 69. *& seqq.*

LXXVII. MISSA SACRAMENTORUM est illa, quam Missæ Catechumenorum opponit Ivo Carnotensis *epist.* 219. in qua scilicet sacra Mysteria peraguntur, a quibus arcebantur Catechumeni, ut mox observabimus. Hoc nomine vocatur hæc Missa (de qua iterum infra sub nomine Missæ Fidelium) in vita Gregorii VII. PP. Sæculo Benedictino *part.* 2. *pag.* 455. *Unde contingit, ut ipse Salvator horrendam eum visione deterreret, cum forte post inchoatam Missam Catechumenorum resideret.... inter hæc urgente hora surgendi ad lectionem Evangelii multi Fratres innuerunt, ut excitaretur.... Itaque ventum est ad Missam Sacramentorum, & tunc necessario expergefactus celebrandi caussa Mysterii.*

LXXVIII. MISSA FIDELIUM est Missa perfecta, & eadem cum Missa Sacramentorum dicta, de qua supra; & ita dicebatur illa Liturgiæ pars, cui Fideles, & pœnitentes, qui *Consistentes* appellabantur, intererant, & complectebatur Offertorium, Præfationem, Hymnum Cherubicum, Canonem, Orationem Dominicam, Communionem, & Postcommunionem. De hac pariter fuse & erudite sermonem instituit mox laudatus Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 16. Utriusque Missæ, Catechumenorum videlicet, & Fidelium meminit, ut dixi supra, Ivo Carnotensis *epist.* 219. quarum priorem vocat Catechumenorum, alteram vero Sacramentorum, quia in hac sacra Mysteria peraguntur. Sermonem resumendo de Missis imperfectis, ultra Missam Catechumenorum, sub eorum genere continentur pariter sequentes Missæ: Præsanctificatorum — Sicca — Nautica — Bifaciata — Trifaciata, &c.

LXXIX. MISSA PRÆSANCTIFICATORUM, quæ continetur sub genere imperfectarum, vocabatur illa, in qua Sacerdos communicabat, sed non consecrabat, & cum caret consecratione, dicebatur Missa Præsanctificatorum, & Missa Imperfecta. Origo hujus Missæ repetenda ex Synodo Laodicæna, quam Baronius anni 114. Nicænum Concilium præcessisse ostendit. Sancitum enim in dicta Synodo fuit *Can.* 49. *Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominica tantum.* In Synodo vero Trullana *Can.* 52. sancitum est: *Quod in omnibus Sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die fiat Sacrum Præsanctificatorum.* In Ecclesia Orientali adhuc servatur hic mos præscriptus in Trullano Concilio. Occidentalis autem Ecclesia non utitur Præsanctificatorum ministerio, nisi Feria 6. Perasceves. De Ritu ac modo hujus Missæ Præsanctificatorum celebrandæ late & erudite discurrit Leo Allatius *in Epist. ad Naudæum*, quæ reperitur in calce operis sui eruditissimi *de Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione.* Consistit autem Ritus hujus Missæ Præsanctificatorum præsertim in hoc, quod die Dominica præter illius diei Oblationem, alii quinque panes consecrantur, seu Hostiæ pro totidem frequentibus Feriis, usque ad Sabbatum. Tunc singulis diebus sub Vesperam conveniunt Sacerdotes in Ecclesia, & in ipso vespertinarum precum Officio, panis particulam in Dominica præcedenti consecratam sumunt, præmissis quibusdam Psalmis, Lectionibus, & Orationibus; quas refert doctissimus P. Goar in suo Græcorum Euchologio. Mox laudatus Allatius alio modo describit hunc Ritum dicendo: *Dominico die quilibet Sacerdos venturæ hebdomadæ dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas panis in Oblatione abscindit, quot Missas dicturus est; eas cum particula eo die sumenda consecrat, & consecratas, Sanguineque Dominico intinctas, uti moris est, conservat in Pyxide; ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, & disco reponit, & in Altare majus advectam consumit:* hæc Allatius; sed Martene *part.* 1. *lib.* 1. *de antiq. Eccl. Ritib. cap.* 3. *num.* 15. optime adnotat, quod ea, quæ dicit Allatius de particulis consecratis in Sacra Pyxide conservandis, pretioso Sanguine intingendis, non observantur in omni Ecclesia Orientali, maxime vero Constantinopoli; ubi particulæ siccæ in Pyxide reconduntur. De prædicta Missa Præsanctificatorum late & erudite juxta morem suum disserit Card. Bona *l.* 1. *c.* 15. & Grancolas *Tom.* 2. antiquarum Liturgiarum, seu 1. *part. antiqui Sacramentarii pag.* 427. Claudius de Vert *tom.* 1. *p.* 80. *& seq.*

LXXX. MISSA SICCA vocatur illa, quæ caret non solum consecratione, sed etiam sumptione Corporis Christi Domini: unde non est nisi larva, & simulatio quædam veræ Missæ; & idcirco optime appellatur *Missa Sicca, & Jejuna*, loco Missæ veræ & perfectæ a privata quorumdam devotione introducta in gratiam infirmorum, eorumque, qui domo exire, & Missæ publicæ interesse nequibant. Ordo hujus Missæ describitur a Prudentio Trecentiæ Episcopo, qui floruit ante Annos octingentos in suo MS. Pontificali post Missam inscriptam: *Pro infirmo, qui proximus est morti.* Describit etiam ordinem hujus Missæ Guillelmus Durandus *in Ration. Divinorum Officior. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 23. necnon liber Sacerdotalis *cap.* 34. a Leone X. approbatus, & Anno 1523. sub Hadriano VI. Venetiis impressus, & iterum anno 1560. Venetiis recusus apud Joannem Variscum, & socios. Denique describit etiam ordinem hujus Missæ Joannes Burchardus in suo libro, cui titulus: *Ordo Missæ, &c.* Romæ impresso apud Antonium Pladum Impressorem Cameralem, anno 1559. *Rubr.* 16. *pag.* 40. *a tergo, & seqq.* Ejusmodi Missam maxime locum habuit in Regno Galliarum, ut tradit Guido de Monte Rocherii in Enchiridion Sacerdotum *tract.* 4. *c.* 7. Quod spectat ad hujus Missæ antiquitatem, de

de ea fit mentio juxta aliquorum sententiam apud Socratem *Historiæ Ecclesiasticæ lib.* 5. *c.* 22. *& Concilium Carthaginense* 3. *Can.* 29. eam videtur innuere, decernens: *Ut Sacramentum Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebretur; Defunctorum vero commendatio solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.* Ceterum de Ritibus, & antiquitate hujus Missæ præter Auctores supra allegatos, disserit etiam Bocquillot *l.* 2. *cap.* 7. dicendo cum Martene, quod Carthusienses adhuc frequentant in Cellis sæpius Missas Siccas, quarum unam de B. Maria videre est in eorum Breviario edito an. 1584. ut refert laudatus Martene *l.* 1. *cap.* 3. *art.* 1. *n.* 18. Hanc Missam tamen Siccam in Conc. Parisiensi, an. 1212. *cap.* 12. prohibitam nonnulli censent his verbis: *De Sacerdotibus, qui Missarum multitudine onerati conductitios alios Sacerdotes habent, vel Siccas Missas faciunt ... propter quæ ipsos oportet conductitios habere Sacerdotes, vel alia eis vendere facienda, ut a prædictis se exonerent, ne Siccas Missas faciant pro Defunctis, sub eadem districtione prohibentur, &c.* Mihi tamen videtur prædictum Concilium non absolute prohibere hanc Missam, sed solum declarare, hujus Missæ recitatione non satisfieri oneribus celebrandi Missas. Ante prædictum Concilium vetantur Presbyteri ejusmodi Missas celebrare absque Communione *in Capitul. Carol. M. l.* 1. *cap.* 6. ex qua prohibitione colligitur Missam Siccam non nuperam, sed antiquam fuisse. Hæc referuntur in Glossario Cangiano v. *Missa Sicca.* De Canone prædicti Concilii Parisiensis mentionem etiam facit Martene loco supra cit. *n.* 19. Improbant etiam hanc Missam Siccam Guillelmus, Estius *Orat.* 13. *Theologica*, & Laurentius Laudmeterus *l.* 1. *de veteri Clerico, & Monacho cap.* 84. Silvius *in* 3. *par. q.* 83. *art.* 2. *q.* 2. Marcerus *in tract. de Sacrific.* & alii. Eam tamen e contra laudat & commendat Genebrardus *in lib. de Liturgia Apostolica* Gallice conscriptus *c.* 30. qui etiam testatur se anno 1587. Taurini in Exequiis viri cujusdam nobilis, qui vespere sepeliebatur, hujusmodi Missæ cum Sacris Ministris solemniter celebratæ interfuisse, cui profecto dissentiri non ausim, cum de tali Missa Sicca habeatur Ordo descriptus in laudato libro Sacerdotali, in quo exhibetur totus Ordo celebrandi Missam Joannis Burchardi Doctoris Argent. & Cappellæ Pontificiæ Cæremoniarum Magistri: & cum talis Missa ibi constet, quod non solum secrete, sed etiam publice fuerit recitata, videtur non dubitandum, quod tunc fuerit permissa, & nondum prohibita. Quarti etiam *p.* 1. *tit.* 14. *dub.* 4. tenet per se loquendo, non videri illicitum Missam Siccam recitari coram infirmo, vel alio diu impedito ab auditione Sacri ob auctoritates supra allegatas: sed quia hoc tempore in desuetudinem abiit hæc Cæremonia, censet recitari non debere absque licentia Episcopi, ad quem pertinet cura legitima usus Sacrorum Rituum. Idem tamen Auctor procedit ad asserendum non videri licitum, nec permittendum recitari Missam Siccam in Ecclesiis, vel Oratoriis destinatis ad Sacrum faciendum, & ad verum Sacrificium offerendum, ne rudioribus detur occasio erroris, & confundendi Missam veram cum apparenti; & ne similiter detur occasio iniquis Sacerdotibus celebrandi loco veræ Missæ, Missam cum fictione, & absque Consecratione, quod est grave sacrilegium: quæ absurda (inquit ipse) cessant in navi, ubi scitur non posse dici veram Missam. Hæc autem Missa Sicca in navi celebrata, vocatur

LXXXI. MISSA NAVALIS, SEU NAUTICA, & dicitur talis, quia est Missa Sicca aliquando a Sacerdotibus recitata in loco fluctuante, & vacillante, ut in mari, & fluminibus, in quibus per continuam navium vacillationem adest periculum effusionis pretiosi Sanguinis e Calice; & idcirco loco Missæ perfectæ & integræ, ad satisfaciendum devotioni navigantium recitari solebat hæc Missa Sicca, cujus ordinem pariter describit Quarti loc. supracit. Hanc Missam S. Ludovicus Galliarum Rex quotidie celebrare faciebat, quando a partibus transmarinis in Galliam redibat. De hac Missa Nautica, seu Navali, & ejusdem Ritibus sermo habetur, & ordo describitur in laudato libro Sacerdotali a Leone X. approbato, in quo pariter continetur ordo Missæ Siccæ recitandæ coram infirmo. Ad prædictam Missam Navalem quod attinet, videri possunt ea, quæ tradit Card. Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 15. *n.* 6. *&* 7. & quæ adnotata sunt in Glossario Cangiano recentissime edito cum novis eruditissimis additionibus ad Joinvillam *pag.* 38. 39. Ceterum Missas perfectas etiam in ipsis navibus celebratas fuisse, tradunt Scriptores, inter quos Joannes Monachus in Vita S. Wlfrani *n.* 4. & Eusebius Priolus in Oratione funebri Petri Delphini apud Martene *tom.* 3. *amplis. Collect. col.* 1224. Hujusmodi tamen usus celebrandi perfectas Missas in navibus, plene non probatur per ea, quæ tradit Matthæus Paris, anno 1247. ubi de Cardin. Legato Apostolico scribit: *Cum navim ascensurus esset ... jussit cuidam Fratri de Ordine Prædicatorum in ipsa Missam celebrare, quod & factum est non sine multorum, qui hoc non præviderant, admiratione.* Sed de prædictis Missis imperfectis in navibus minime celebrandis sermonem fusiorem habebimus cum Gavanto *hac part.* 1. *tit.* 20. *lit. f.*

LXXXII. MISSA BIFACIATA, ET TRIFACIATA, &c. sunt pariter ex genere illarum, quæ omnino imperfecte & æquivoce tantum Missæ dici possunt. Pro harum intelligentia sciendum est, quod Sacerdotes olim a variis Missis celebrandis se exonerabant, plures scilicet sub uno Canone Missas peragendo. Et ita in quadam compositione inter Priorem de Ghisortio, & Romanum Presbyterum S. Gervasii de Ghisortio, anno 1181. facta, prædictus Prior de consensu Abbatis majoris Monasterii, approbante Mauritio Parisiensi Episcopo contentionis Arbitro & Judice, confirmante Retrodo Rothomagensi Archiepiscopo, licentiam celebrandi duas Missas sub uno Canone concessit Sacerdoti; quæ quidem compositio (ut refert Martene loc. supracit. n. XX.) conservatum in Archivio majoris

joris Monasterii. Ita etiam Eremita quidam sanctitate conspicuus in Diœcesi Belvacensi, an. 1191. quatuor Missas sub uno Canone, divinitus jussus, celebrasse dicitur apud Thomam Cantipratensem *lib. 1. de Actib. cap. 3. num. 9.* De hujusmodi Missis Gregorius Cassander in præfatione ad Ordinem Romanum hæc habet: *Ante pauca quoque Sæcula in Galliis multum usitatæ fuerunt Missæ vulgo dictæ Rifaciatæ, Trifaciatæ, Quadrifaciatæ, videlicet cum plures Missæ diversi argumenti usque ad Offertorium sæpius iteratæ, tandem uno Canone concludebantur: adversus quas studiose scribit Petrus Cantor in verbo Abbreviato, eas omnino obsoletas existimo.* Hucusque citatus Cassander. Originem hujus abusus adscribit, & refert mox laudatus Petrus Cantor Sacerdotum avaritiæ, qui cum scirent vetitum esse plures Missas in die celebrare, has plurium Missarum mutilationes invenerunt, ut devotioni plurium petentium Missæ Oblationem hoc modo satisfacerent sub unica tantum Consecratione & Canone, repetendo alias Missæ preces, ut plura pro uno Sacrificio stipendia hac fraude lucrarentur. Ejusmodi Missas barbaro vocabulo Bifaciatas, Trifaciatas, &c. Petrus Cantor appellavit, quia veluti duplicem, vel triplicem faciem habebant, easque ceu monstruosas, & contrarias Divinæ Institutioni, & Ecclesiæ consuetudini jure improbat & detestatur. Hujusmodi autem Missæ in superius citato Concilio Parisiensi Anni 1212. quod in MS. Codice reperisse fatetur Martene loco supracit. *num. 19.* probabiliter reprobatæ fuerunt; & forsan non approbando supra expositam compositionem, quam Martene refert loc. cit.

Hoc addendum superest circa ejusmodi Missas celebrandi rationem: quod plures aliquando uno tantum concludebantur Canone; sed interdum una etiam illarum duobus Canonibus peragebatur, reservata usque ad ultimum Canonem Communione. Hunc abusum acriter perstrinxit Synodus Toletana XII. *Can. 5.* his verbis: *Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis Sanctæ gratiam percipere, quot Sacrificia in una die videntur offerre, sed in uno die si plurima per se Deo offerant Sacrificia, in omnibus se Oblationibus a Communione suspendunt, & in sola tantum extremi Sacrificii Oblatione Communionis Sanctæ gratiam sumunt: nam quale est Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans participasse dignoscitur? ergo hoc modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque Sacrificans Corpus & Sanguinem Jesu Christi in Altari immolat, toties perceptione Corporis & Sanguinis Christi se participem præbeat.* Celebrationem etiam Sacrificii, omissa communione, aperte damnavit Canon nonus Apostolorum. Utraque autem hæc Missa Sæculo 13. reprobata fuit ab Augerio Episcopo Conseran. nam in suis MSS. statutis, anno 1280. exaratis hæc ait: *Nullus plures Missas sub uno Canone, vel cum uno Sacrificio, vel unam cum duobus Canonibus, vel Sacrificiis celebrare præsumat; quamvis sub uno Canone possint plures Hostiæ consecrari. Reprobandi ergo sunt, qui incæptæ Missa de die, vel alia, procedentes in ea usque ad Offertorium, & tunc incipiunt aliam forte de Spiritu Sancto.* De prædictis Missis Bifaciatis, & Trifaciatis agunt Card. Bona *lib. 1. cap. 15. §. 7.* Bocquillot *lib. 2. c. 7.* & Du-Fresne in suo Glossario.

LXXXIII. MISSA DE LUCE eadem ac Missa in Aurora: vide infra Missam de Galli Cantu.

LXXXIV. MISSA DE AGUINALDO: de ea Concilium Mexicanum, anno 1585. inter Hispan. *tom. 4. pag. 356.* ait: *Missæ vero, quas Hispanice de Aguinaldo vocant, antequam dies illuxerit, ut celebrentur, &c.* Sic autem dicta hæc Missa videtur, quod summo mane, quasi diei primitivæ Deo offerretur.

LXXXV. MISSA MATUTINA, SEU MATUTINALIS vocabatur illa, quæ celebrabatur sollemniter, vel post Primam æstate; vel hyeme post Tertiam: ideo autem dicebatur *Matutinalis* eo quod mane decantaretur, ut passim testantur Monasteriorum Benedictinorum tum editæ, tum manuscriptæ consuetudines, statuta Lanfranci, & Concordia Dunstani, ad differentiam alterius Missæ Solemnis, quam Conventualem appellabant, & quæ meridie celebrabatur. Hujus rei luculentum testimonium exhibet Charta Sancti Angilberti pro Monasterio Centulensi in ejusdem Monasterii Chronica *lib. 2. cap. 11.* ab Hariulpho relata, & habetur *tom. 4. Spicil. Dacher. pag. 470.* ubi hæc inter alia leguntur: Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque Sacrarum Missarum decantatione, videlicet, ut si non plus, vel XXX. a Fratribus diversorum Chororum per diversa Altaria Missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de Conventu, quæ mane & meridie solemnissime celebrantur. In Bobiensi Monasterio Sæculo X. hæc Missa dicebatur post Matutinos, ut colligitur ex libro Miraculorum S. Columbani Abbatis *c. 7.* Sæculo 2. Benedictino *pag. 44.* Ejusdem Missæ mentione facit Venerabilis Beda in Vita S. Benedicti Episcopi *num. 17. lib. 2.* & habetur in Sæculo 2. Benedictino, ubi refert Celfridum Abbatem, qui anno 716. obiit — primo mane Missam in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis .... quinta Feria communicantibus, qui aderant, cantasse. Hæc Missa in quamplurimis Monasteriis quotidie cantabatur, in aliis vero nunquam; & idcirco nulla Missæ Matutinalis mentio fit in Rituali, sive Ordinario Cassinensium, tempore Oderisii Abbatis descripto. Cistercienses, ut habetur in libro usuum Cisterciensium *cap. 60.* Dominicis tantum, certisque Solemnitatibus duas in Conventu Missas celebrabant, & idem nonnullis diebus faciebant quoque Bursfeldenses, ut habetur in eorum Ordinario *c. 47.* Cluniacenses vero, & alii communiter Nigri Monachi quotidie. Dicebatur autem hæc Missa vel pro Monasterii Benefactoribus, vel pro necessitatibus, personisque publicis: unde S. Angilbertus in sua pro Centulensibus Monachis Charta jubet, ut in duabus de Conventu missis, quæ mane & meridie solemnissime celebrantur: *Quotidie me-*

memoriam Sanctissimi Papæ Hadriani, & gloriosi Domini mei Augusti Caroli, conjugis, & prolis ejus teneatur. Prædicta Charta habetur *Spicil. Dacher. tom. 4. pag.* 470. & Sanctus Dunstanus in Concordia Regulari Monachorum, Sanctimonialiumque Angliæ præscribit *cap.* 1. ut — Eadem Matutinalis Missa pro Rege, vel quacunque necessitate imminente celebretur — In libro vero miraculorum S. Bercharii Abbatis *n.* 13. qui liber habetur in Sæculo 2. Benedictino, legitur, quod Adso Dervensis Monasterii Abbas jussit celebrari Missam Matutinalem pro Heriberto Comite gravi morbo laborante. De hujusmodi Missarum Matutinalium origine, usu, atque Ritibus videndi sunt Martene, ex quo supradicta collegimus *tom.* 1. *de Monachorum Ritibus lib.* 2. *cap.* 5. Vicecomes *de antiq. Missæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 27. necnon Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 22.

LXXXVI. MISSA CARDINALIS. De hac Missa hoc loco agimus, quia erat Missa matutinalis celebrari solita in Ara, quæ Cardinalis appellabatur. De hac Missa fit mentio in Sæculo 3. Benedictino *part.* 1. *pag.* 132. ubi referuntur Miracula S. Bertini, & in prædicta pagina inferuntur hæc verba: *Nam post Sanctum Paschalis Resurrectionis diem, transcursis duodecim diebus, die Dominico, hora, qua Cardinalis Missæ conventus publice agebatur, &c.* Quæ verba (ut optime ponderant Monachi Congregationis Sancti Mauri in suis Additionibus ad Glossarium Cangianum *tom.* 4. *col.* 817. sub dicto verbo *Missa Cardinalis*) accipienda videntur de publica, seu sollemniori Missa; quæ quidem est etiam Caroli Du-Fresne auctoris dicti Glossarii sententia in voce *Cardinalis*, ubi Altare Cardinale præcipuum interpretatur: haud gratis certe, cum ibidem *Altare Capitanum*, & apud Bonovem *Ara principalis* idem Altare vocetur. Censet tamen Jo: Mabillon (relatus ab iisdem Monachis) Sæculo supracit. *pag.* 146. *Altare Cardinale* idem esse, quod primum Altare in Apside, seu in fronte Basilicæ pone majorem Aram locatum (quæ Aræ ita locatæ in Apside Basilicæ pone majorem Aram adhuc reperiuntur in quatuor Romanis Patriarchalibus Basilicis) in quo Missa matutinalis celebrari solebat: id firmat cit. Mabillonius, necnon Martene loc. supra cit. *num.* 3.

LXXXVII. MISSA MINOR eadem pariter quæ matutinalis & refertur a prædictis monachis Sancti Mauri loc. suprac. & eadem col. 821. de qua etiam fit mentio in Sæculo 2. Benedictino *pag.* 44. ubi sermo habetur de miraculis Sancti Columbani, & sequentia leguntur: *Finitis vero matutinis, & ad minorem Missam venientibus ipse advenit; Diaconus vero in ambonem ascendens Evangelium pronuntiat, &c.* Martene quoque loc. supracit. vocat Missam matutinalem solemnem minorem, quia cantabatur sine Ministris, ad differentiam alterius Missæ Conventualis sub meridie decantatæ, quam appellat Missam solemnem majorem.

LXXXVIII. MISSA PEREGRINORUM erat pariter Missa matutinalis, ita probabiliter denominata, quia pro commoditate pauperum, & peregrinorum celebrabatur, & oblata eis tribuebantur. De hac Missa Gatid. *Disciplinæ Farf. cap.* 2. mentionem facit dicendo: *Post Capitulum aliquantulum intervallum factum sonent signum ad matutinalem Missam pro adunatione pauperum, & Sacerdos, qui alia hebdomada majorem Missam cantaverat, Missam Peregrinorum dicat, & oblata tribuat.* Hanc etiam Missam referunt laudati monachi supracit.

LXXXIX. MISSA VESPERTINA, seu Serotina, quæ etiam Quadragesimalis dicta est, erat illa, quæ sub vesperam celebrabatur, videlicet circa quintam, aut sextam horam post meridiem, ut observat Joannes Prævotius in suis notis ad librum de officiis Ecclesiasticis Joannis Abricensis Episcopi *n.* 273. De hujusmodi Missis erudite juxta morem suum disserit Vicecomes loc. supracit. *cap.* 28. *& seq.* in quibus diligenter inquirit; unde Missarum Vespertinarum usus originem duxerit, quibus diebus prædictæ Missæ dicerentur; & utrum post sumptum cibum, vel a jejunis celebrarentur. Casallus pariter de veteribus Christianorum Ritibus *cap.* 9. *pag. mihi* 96. *& seqq.* agit de hac Missa Vespertina. Macrius *in suo Hierolexico* v. *Missa Sicca pag. mihi* 367. censet Missam Vespertinam, seu Vespertinalem non fuisse veram Missam, sed tantum Siccam: quia in ea, ait ipse, a Sacerdotibus ante solutionem jejunii consecrata Hostia Dominicæ præcedentis sumebatur, adeoque conveniebat cum Missa Sicca, quia non consecrabatur Hostia; & ab eadem Sicca discriminabatur, quia in Vespertinali sumebatur Hostia consecrata, in Missa vero Sicca nulla habetur Hostiæ consecratio, neque Hostiæ consecratæ ulla habetur sumptio. Sed melius diceretur, posito quod in Missa Vespertina solum sumatur Hostia antecedenter consecrata, ejusmodi Missas Vespertinales convenire omnino cum Missis Præsanctificatorum. Præterire non debeo, quod prædictæ Missæ tam matutinæ, quam vespertinæ censebantur Privatæ, non vero Publicæ a Concilio Vasen. celebrato an. 329. propterea quod nulla Lex præcipiebat, quod in Missis Fideles interesse deberent. De Missis quoque Matutinis & Vespertinis reperiuntur Sanctiones in Concilio Agathensi *cap.* 30. & in Concilio Aurelianensi III. *c.* 28. Rursus de Missis Vespertinis mentio facta est etiam in Concilio Matisconensi *Can.* 9. ubi dicitur has Missas ordine Quadragesimali celebrari; quia nimirum in Quadragesimæ Feriis ad Vesperam differebantur; Concilium vero Bracarense II. *Can.* 9. iisdem Missis Vespertinis assignat horam nonam, vel decimam.

XC. MISSA NOCTURNA erat illa, quæ nocte tempore celebrabatur. Plures olim fuisse Missas Nocturnas, antiqua Monumenta declarant; at ex his ea sola permanent, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Reliquæ Missæ Noctur-

cturnæ prohibitæ sunt, & in desuetudinem omnino abierunt, quarum præcipua erat Missa Sabbati Sancti, pertinens ad diei sequentis noctem, in qua Christum resurrexisse creditur. Joannes Prævotius superius allegatus *num.* 272. asserit in Sabbatis quatuor Temporum celebratas fuisse Missas Nocturnas: ait enim, quod ob Officii prolixitatem, & Sacram Ordinationem, Missa sæpe usque ad noctem Dominicæ protendebatur. De his Missis Nocturnis videri potest Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 21. §. 4.

XCI. MISSA DE GALLI CANTU est eadem, quæ de Aurora hodie dicitur: de hac sermonem habet Gaufridus Vosiensis in Chronico *part.* 1. *cap.* 27. *tom.* 2. Bibliothecæ Labbeanæ, uti habentur hæc verba: *Missam de Galli Cantu Dominicæ Nativitatis in Ecclesia puellarum Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantavit* (Urbanus II. PP.) *Missam de Luce in Basilica Reguli apud Sanctum Martialem celebravit: inde triumphaliter coronatus ad Sedem Apostolicam Episcopalem.* Hinc Jo. Mabillon Missam de Galli cantu *tom.* 5. Annal. Benedictinorum *pag.* 362. interpretatus est esse primam Dominicæ Nativit. quæ celebratur in nocte, & *Missam de Luce* opinatus est eam, quæ dicitur in Aurora.

XCII. MISSA DIEI erat illa, quæ dicebatur post Missam matutinalem, orto jam die, de qua mentionem facit Joannes Episcopus Abrincensis *de Officiis Ecclesiast. pag.* 36. allegatus a Carolo Du-Fresne in suo Glossario v. *Missa.*

XCIII. MISSA NOVA: ita denominatur illa, quæ a novo Sacerdote prima celebratur, in Concilio Vallisoletano, anno 1322. inter Hispan. *tom.* 3. *pag.* 558. ubi habentur hæc verba: *Missam novam post consecrationem infra sex menses solemniter celebrant, nisi legitime fuerint impediti.* Et Concilium Taraconense, anno 1591. ibidem *tom.* 4. *pag.* 564. ait: *Atque etiam quæ in primo Sacerdotis cujuslibet Sacrificio, quas novas Missas vocant, &c.*

XCIV. MISSA NOVELLA eadem, ac prædicta Missa Nova, quæ sic *Novella* dicitur *in epist.* 125. Petri Delphini apud Martene *tom.* 3. *ampliss. collect.* 1061. *D. Benedictus Dominica proxima Missam Novellam celebraturus est, neque magno* (ut moris est) *apparatu.*

XCV. MISSA SCRUTINII erat illa, quæ in Feria IV. hebdomadis quartæ Quadragesimalis celebrabatur, & quæ ad Cathecumenos directa intelligebatur; nam incipiendo ab Introitu de illis est sermo in illis verbis (*cum sanctificatus fuero in vobis effundam soper vos aquam mundam*); in eo pariter sensu legitur epistola, ac clarius Evangelium, in quo habetur cæci nati miraculum, Natatoria Siloe visum recipientis; quod Symbolum revera Catechumeni est, qui spirituale lumen in Sacro Baptismatis fonte recipit, ut in Homilia ejusdem diei explicat Divus Augustinus. De hac Missa mentionem facit Macrius in suo Hierolexico v. *Scrutinium*, ubi etiam advertit, quod in Ordine Romano prædicta Feria antonomastice vocabatur *Feria Scrutinii.* Scrutinia in Ecclesia Romana septem in Quadragesima celebrata fuisse consentiunt omnes Auctores, qui de Ritibus Ecclesiasticis scripserunt; quæ quidem Scrutinia non erant nisi examina, & instructiones Catechumenorum, qui baptizari in proximo debebant. Primum ex dictis Scrutiniis fiebat in Feria IV. & secundum in Sabbato tertiæ Quadragesimalis hebdomadæ. Tertium vero, quartumque Scrutinium fiebat in iisdem diebus quartæ hebdomadæ sequentis: & quia tertium solemnius erat ceteris, testante Amalario *lib.* 1. *de Eccles. Officiis cap.* 8. *de secunda varietate quartæ hebdomadæ Quadragesimæ*, ubi loquendo de prædicta quarta Feria ait: *Eadem die agitur Scrutinium tertium, quod maximum est inter septem Scrutinia*, idcirco illa Feria appellabatur, ut diximus, antonomastice, Feria Scrutinii. Quintum autem, & sextum Scrutinium convocabatur in iisdem diebus quartæ, & quintæ Quadragesimalis hebdomadæ. Ultimum tandem erat in quarta Feria sextæ hebdomadæ. Verum juxta sententiam Vicecomitis *lib.* 3. *de Baptis. cap.* 23. quartum, quintum, & sextum Scrutinium nullum tempus certum, sed vario Episcopi arbitratu habuerunt. Juxta autem sententiam Edmundi Martene *lib.* 1. *de Ecclesiæ Ritibus art.* 11. *n.* 3. quartum, & quintum Scrutinium habebantur hebdomada quinta; sextum vero, & septimum hebdomada sexta. Sed in Epistola Jesse Ambianensis Episcopi ab eodem Martene citata, sextum, & septimum Scrutinium in aliis diebus fiebant. Denique juxta sententiam Card. Bona septimum Scrutinium habebatur in Vigilia Paschæ, & pro prædictis examinibus in qualibet præcedenti Dominica, vel alio die invitabatur universus Fidelium cœtus, & in Dominica Palmarum, ut mox dicemus, tradebatur Symbolum Competentibus; a quibus reposcebatur reddendum, vel in Feria quinta majoris Hebdomadæ, quæ vocatur in Cœna Domini, ut in Canone Laodicæni Concilii continetur, vel in Sabbato Sancto juxta Ordinem Romanum, ut testatur Amalarius supracitatus *c.* 12. De hujusmodi Scrutiniis, quæ præmittebantur Baptismo conferendo Catechumenis Competentibus, præter citatos Auctores, longum & eruditum sermonem instituit Menardus in suis commendatissimis notis, & observationibus in libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ *pag.* 118. ubi affert Libellum Theodulphi de Ordine Baptismi, & deinde *pag.* 136. *& seqq.* in quibus suis notis, & observationibus textum præfati Auctoris illustrat.

Prædicta tamen Scrutinia in sola Romana Ecclesia, aut in Ecclesis, quæ Ritum Romanum sequebantur, celebrata fuisse contendit Vicecomes *in l.* 3. *de Baptismi Ritibus c.* 21. sed Marrene *loc. superius cit. art.* 11. *n.* 2. observat quod suæ ipsius Ecclesiæ oblitus fuisse videtur doctissimus vir; nam Mediolanensis, uti & Africana, Hispanica, Gallicana, atque etiam Græca, quæ proprium, non Romanum Ordinem observabant, sua æque habuere Scrutinia. De Mediolanensi prædictus Martene locupletissimum dicit se perhibere te-

testem Divum Ambrosium *in lib. de Mysteriis c.* 1. ubi sic loquitur: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ iubalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis significavimus cum apertionis celebrantes Mysterium, diceremus, Ephetha, quod est adaperire, ut venturas unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret, quid responderet, meminisse deberet*: quibus verbis solemnissimum omnium Scrutinium, quod dicitur *in aperitione aurium* designat. De Africana, & de Hispanica, testes pariter locupletes producit laud. Martene. Ad Gallicanam vero Ecclesiam quo spectat, nullum dubitandi locum permittit vetus Missale Gallicanum a V. Card. Thomasio editum, cujus *c.* 9. inscribitur: *Ad faciendum Scrutinium:* & hæc sint satis de hac Missa Scrutinii. Qui plura scire cuperet de hac materia, adire poterit superius allegatos sapientissimos Auctores.

XCVI. MISSA IN TRADITIONE SYMBOLI erat illa, quæ adhuc habetur in Missali Gothico Gallicano *pag.* 318. & est septima Quadragesimæ. Ita vero inscribitur, quia illo die, nempe in Dominica Palmarum, tradebatur Symbolum Competentibus. Hi enim dicta Dominica se conferebant in Ecclesiam humiliata cervice, substracto cilicio, nudis pedibus, insufflabantur, ezorcizabantur, Satanæ renuntiabant ejusque pompis, & operibus, & Symbolum eis tradebatur, nimirum exponebatur, jejunia eis indicebantur, quæ usque ad Baptismi diem servare deberent cum abstinentia ab uxoribus; quæ omnia plana fiunt a S. Aug. *lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos c.* 1. *& lib. de Fide, & Operibus c.* 6. Et S. Ambr. *lib.* 5. *ep.* 33. ait: *Sequenti die (erat autem Dominica) post Lectiones, atque Tractum dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in Baptisteriis tradebam Basilicæ.*

Divo Augustino subscribit S. Isidorus *lib. de Offic. Eccl. Ecpl. c.* 27. de die Palmarum, ubi ait: *Hoc die Symbolum Competentibus traditur propter confinem Dominicæ Pascha Solemnitatem, ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, Fidem, quam confiteantur, agnoscant.* Hoc idem colligitur ex Concilio Agathensi apud Gratianum *dist. 4. de Consecr. Can.* 56. in quo sancitur: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis una die, idest ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in Ecclesia Competentibus prædicari.*

Asseverat Martene loc. superius cit. n. XI. eam fuisse consuetudinem Gallicanæ, Hispanicæ, & Mediolanensis Ecclesiæ, tradere nempe Symbolum prædicta Dominica in Ramis Psalmarum, sed n. XII. idem ait, longe alium fuisse Ecclesiæ Romanæ morem, idemque colligit ex Ordine Romano, traditum scilicet fuisse Symbolum, & etiam Orationem Dominicam, Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ, in solemnissimo omnium Scrutinio *in aperitione aurium* dicto. Alius etiam extitit usus Africanæ Ecclesiæ, in qua Symbolum tribus ante Pascha hebdomadis, scilicet Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ tradebatur reddendum octo post diebus, scilicet Sabbato ante Dominicam quintam, in qua tradebatur Oratio Dominica; & ipsa octavo post die reddenda, nimirum Sabbato ante Dominicam Palmarum: ac demum Sabbato Sancto redditum fuisse secundo Symbolum propter eos, qui prima vice illud memoria minus tenaciter retinuerant. Ita idem Martene *l. c. n.* 13. qui ulterius procedit n. XIV. ad afferendum aliam fuisse Ecclesiæ Bethlehemitanæ, & aliam Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuetudinem, quoad dies tradendi Symbolum.

Modus autem, qui servabatur in traditione Symboli, accurate describitur a Martene ibidem *n.* 16. Rursus optime etiam describitur in Ordine Romano, qui habetur in Collectione Hittorp. *in denuntiatione Scrutinii ad Electos*, & refertur a Card. Bona *lib.* 1. *c.* 16. §. 2. his verbis: *Præmissis Exorcismis, lectisque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipsis recitabatur, primum Græce, deinde Latine, addita Præfatione Parenætica, & subjuncta Appendice in ejusdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam nefas erat Catechumenis discere, vel recitare, sed eam audiebant post Symboli traditionem, adjecta singulis petitionibus brevi & solida expositione*, quam perhibet mox laudatus Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 15. & habetur etiam talis expositio in Codice Gelasiano a Cardinali Thomasio edito *pag.* 58. *& seqq.* In Missali autem Gallicano veteri, Romæ edito, curante eodem Card. Thomasio, & iterum recuso Parisiis opera & studio Joannis Mabillon num. XI. datur expositio, vel traditio Symboli, & num. XII. datur expositio Evangeliorum in aurium aperitione ad electos.

Ad dies vero reddendi Symbolum quod attinet, certum est in Ecclesia Romana assignatum fuisse Sabbatum Sanctum, ut liquido constat ex S. Gregorii Papæ lib. Sacramentorum a Pamelio edito, in quo prædicta die legitur Orario *Ad reddentes* cum hac Rubrica: *Dicit Dominus Papa post: Pisteves?* ΠΙΣΤΕΥΕΣ, idest *credis?* qua interrogatione Symbolum reddentibus facta incipiebant. In Ecclesia autem Africana octavo (ut superius innuimus) post illius traditionem die, Symbolum reddebatur, ut præter Augustinum docet Ferrandus Diaconus *in ep. ad S. Fulgentium*, quæ inter Fulgentianas est undecima. In Concilio vero Laodicæno *Can.* 46. decernitur, ut baptizandi Fidei Symbolum discant; & quinta Feria ultima septimanæ Episcopo, vel Presbytero Competentes reddere debeant. Ita etiam Martinus Bracarensis *cap.* 47. idem statuit his verbis: *Oportet autem in ipsis diebus, ut ei, qui baptizandi sunt, Symbolum discant: & quinta Feria novissimæ septimanæ Episcopo, vel Presbytero reddatur.* Sed ex Ordine Gelasiano id tantum præstabant Sabbatorum die mane. Gelasio consentiunt antiqui Codices MSS. Geloniensis, Rhemensis, Sancti Remigii, Noviomensis, Regius Gallicanus, & alii. De hu-

jusmodi Missa in Symboli traditione breviter loquitur superius laudatus Joannes Mabillon lib. de Liturgia Gallicana in suis notis, & observationibus, quæ habentur §. XXXII. post legenda in Dominica Palmarum.

Circa præfati Symboli traditionem quæstio esse posset: utrum baptizandis traderetur Symbolum Nicænum, an vero Constantinopolitanum? Edmundus Martene *lib.* 1. *de antiq. Rit. Eccles. cap.* 1. *art.* 11. *num.* 10. existimat post Concilium Constantinopolitanum primum Cathecumenis, antequam baptizarentur, traditum esse Symbolum Nicænum; & suam opinionem probat auctoritate Concilii Constantinopolitani sub Menna, anno quingentesimo trigesimo sexto celebrati, ubi actione 6. hæc leguntur: *Nam specialiter Symbolum trecentorum decem, & octo SS. Patrum, in quo baptizantur, ipsæ tres sanctæ Synodi consonæ confirmarunt.* Sed cum Symbolum Constantinopolitanum in Nicæni locum suffectum fuerit, nomine non mutato; unde omnes Constantinopolitana posteriores Synodi, & Patres quoties de Nicæno Symbolo loquuntur, passim intelligunt Constantinopolitanum, neque tamen Constantinopolitanum, sed Nicænum vocant; & etiam hodie nos, quod ad Missarum solemnia cantamus, Nicænum dicimus, cum tamen sit Constantinopolitanum, ut observavit Lupus *tom.* 1. *Conc. c.* 4. cum, inquam, Constantinopolitanum Symbolum Nicænum appellatum fuerit: suspicandi locus datur in prædicto loco, & aliis locis a Martene citatis, sermonem esse de Symbolo Constantinopolitano, quod, ut adnotavi, dicitur Nicænum; quia in illo Nicæna Fides magis exposita fuit, & confirmata: hinc ipsemet Martene fatetur in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelasiano, in Pontificali Salisburgensi, in vetustissimo Codice Rhemensi annorum 900. & in primo Ordine Scrutinii Codicis Gelonensis notari Constantinopolitanum Symbolum, non Nicænum; & sane convenientius videtur, ut optime etiam observat Franciscus Pagius in suo Breviario Historico sæculo IV. num. 18. Constantinopolitanum Cathecumenis traditum fuisse, ut de Divinitate Spiritus Sancti edocerentur, quæ in Symbolo Nicæno clare expressa non erat, ut fuit in Constantinopolitano.

XCVII. MISSA CHRISMALIS erat illa, quæ dicebatur quando conficiebatur Sacrum Chrisma, de qua fit mentio in libro Sacramentorum S. Gregorii Magni in Codice Rhemensi, & a Menardo in suis notis, & observationibus *pag.* 77. necnon a Carolo Du Fresne in suo Glossario v. *Missa.* Talis Missa sic inscripta habetur etiam in supracitato Codice Gelasiano *pag.* 68.

XCVIII. MISSA AD PROHIBENDUM Ab IDOLIS, de qua fit mentio in Codice Rhemensi apud Menardum, est illa, quæ celebratur in die Circumcisionis Domini ad evellendas, quæ olim Kalendis Januarii ab ipsismet Christianis observabantur, Paganorum superstitiones. De hac pariter mentionem facit mox allegatus Du-Fresne, in suo Glossario v. *Missa*, & de qua nos etiam locuti sumus superius, ubi egimus de pluralitate Missarum in eadem die. Hæc pariter Missa sic inscripta reperitur in supracit. Codice Gelasiano *pag.* 19.

XCIX. MISSA PRO DECIMIS SOLVENDIS erat illa, in qua Episcopus prædicare debebat, ut plebs decimas redderet. De hac Missa habetur Sermo 277. in nova Appendice Sermonum Sancti Augustini Cæsario adscriptus: & habitus est paulo ante Nativitatem Sancti Joannis Baptistæ. Quibus ex rebus darentur Decimæ, patet ex *n.* 1. *Decimæ tributa sunt egentium animarum: redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus: quod si Decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcumque te pascit ingenium Dei est: & inde Decimas expetit unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde Decimas.* Huc spectant epistolæ Episcoporum Provinciæ Turonicæ ad Plebem scriptæ in Concilio Turonensi II. & *Can.* 5. secundæ Synodi Matisconensis: videri etiam potest liber Cypriani de Lapsis, editionis Oxoniensis sub finem libri. Hujus Missæ fit mentio in antiquissimo Lectionario Gallicano, edito a præclarissimo Mabillon *in lib.* 2. de Liturgia Gallicana sub num. LXXVII. ex cujus notis, & observationibus collegi ea, quæ mox exposui.

C. MISSA PRO REQUIE SANCTORUM OBLATA est illa, quæ habetur in Missali Mozarabico, intitulata: *Pro spiritibus Pausantium, seu Confessorum*: fiebat enim antiquitus Missæ oblatio, etiam pro requie eorum, qui Sancti credebantur, nimirum, ut pro eorum requie gratiæ Deo redderentur. Huic faciunt omnia ea, quæ adnotat Pamelius in librum Tertulliani ad Martyres *n.* 22. ubi referens verba S. Cypriani, quæ habentur *in ep.* 16. *ad Confessores, & Martyres*, & ea quæ habentur *in epist.* 6. *n.* 7. *num.* 37. *in* hunc modum scribentis: (loquendo de aliquibus Martyribus) *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater noster . . . scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere Beati fratris nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitus transeunt, ut & celebrentur hic a nobis Oblationes, & Sacrificia, ob Commemorationes eorum, quæ cito vobiscum, Domino prosperante, celebrabimus.* Rursus *epist.* 34. *Sacrificia pro eis semper, ut meminiscis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies, Anniversaria Commemoratione celebramus.*

Præterea laudatus Pamelius ibidem allegat Divi Augustini Textum (qui tamen Augustini non est) ex libro de Virginibus excerptum, in quo indicatur Ecclesiæ consuetudo Sacrificium pro Martyribus offerendi, his verbis; *Perhibet præclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua Fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ab Altaris Sacramenta reciten-*

rentur. Post quæ verba Sancti Doctoris subdit Pamelius *cit. loc. Gratulatoriæ ergo preces erant, quibuscum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contulisset: tum simile donum cælitus sibi dari concordibus notis flagitabant, ceu adhuc canit Ecclesia Gaudeamus in Domino, & reliqua.* Ita pariter Tertullianus *in lib. de Corona Militis*, ait: *Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus*: quæ posteriora verba Pamelius, in suis eruditissimis adnotationibus, pro Natalitiis Martyrum intelligit, & eodem modo explanat, quo paulo ante, nimirum quod celebrabantur Sacrificia ad reddendas Deo grates pro Martyrum Corona illis concessa, quorum Annua Natalitia recolebantur. Ex quibus omnibus liquet, in quo sensu antiquitus offerebatur Missa etiam pro Requie Sanctorum. De qua Missa mentionem pariter fecit superius laudatus Mabillon eodem loco.

CI. MISSA REVOCATA dicebatur illa, in qua populus antea dimissus, denuo ad Sacrificium revocabatur. Favet huic interpretationi Gregorius Turonensis *in lib. 1. de Gloria Martyrum c. 51.* ubi eodem loquendi modo utitur: *Vade, & vigila totam noctem in honore, ac revoca Missas, & liberaberis a Plaga.* Idest (ut notat doctissimus a Mabillon *lib. 1. de Liturgia Gallicana §. 4.*) celebra Missas; nam familiare est Gregorio, ut Missæ etiam a laicis celebrari dicantur. De hac Missa Revocata mentionem facit Fortunatus in libello de Vita Sancti Germani Parisiorum Episcopi *cap. 60.* itemque *in lib. 1.* de Vita S. Radegundis, cujus verba referuntur a Mabillon loco superius citato.

Ultimo loco recensebimus genus illarum Missarum, quæ prohibitæ, & proscriptæ fuerunt ab Ecclesia, quarum aliquas jam supra exposuimus, inter quas numerari possunt Missa Occulta — Solitaria — Vespertina, — Bifaciata, &c. Nocturna (non autem illa, quæ celebratur nocte Nativitatis): nunc vero descendimus ad paucas frequentes explicandas, quales sunt Missa Revelata — Judicii — & pro morte Inimicorum.

CII. MISSA REVELATA erat quædam Missa superstitiosa, quæ sequenti Canone proscripta fuit in Concilio Valentino, anno 1565. inter Hispan. *tom. 4. pag. 73. Synodus præcipit superstitiosum cultum Missarum, quæ dicuntur Revelata, & S. Amatoris, & aliarum quarumcumque similium aboleri: certum etiam candelarum numerum, qui speciem superstitionis habet, rejiciendum esse duxit.*

CIII. MISSA JUDICII erat illa, quæ celebrari olim consueverat cum aquæ fervidæ, seu ferventis, vel etiam ferri candentis examine, & judicio, quando veritas ab aliquo erat eruenda, qui Ritus solemnis erat etiam Sæculo XI. Sancta enim Cunegunda, Sancti Henrici II. Cæsaris conjux, hoc improbo examine ferri candentis purgata fuit: sed talis Missa postea fuit abrogata, & proscripta. Ritus hujus Missæ in eum, qui ad purgationem damnatus erat, describitur a Dunstano Archiepiscopo Dorobernensis Ecclesiæ his verbis: *Cum homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes: accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis, cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre.* Totus Ordo hujus Missæ retertur a doctissimo P. nostro Aloysio Novarino *in lib. 5. Sacrorum Electorum c. 50. pag. 225.* necnon a Macrio *in suo Hierolexico* v. *Missæ Judicii pag. mihi 364.* Plures etiam ejusdem Judicii Missas, ex variis Codicibus MSS. collegit, & evulgavit Edmundus Martene *tom. 3. lib. 2. de antiquis Ecclesiæ Rit.*

CIV. MISSA PRO MORTE INIMICORUM erat illa, de qua in Canone *quicumque Sacerdotum, Dist. 26. quæst. 1.* sic habetur: *Plerique etiam Sacerdotum sauciati inimicitiæ dolo, Missam pro Requie Defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus, ut is pro quo ipsum offerunt Sacrificium, mortis incurrat periculum.* Hæc Missa antiquitus frequentabatur in Hispania, sed jure merito, tamquam superstitiosa, & vindicativa, condemnata, & prohibita fuit sub gravissimis pœnis, *anno 694. in Concilio Toletano Can. 5.* De hac pariter Missa mentionem facit Macrius in suo Hierolexico, v. *Missa pro Morte Inimicorum*, pagina mihi 366.

Ecce præcipua, & diversa Liturgiarum, & Missarum genera, quæ summo labore ex variis Ecclesiasticis monumentis, necnon ex selectis Auctoribus colligere potui, ut nihil desideretur ad coronidem harum Prænotionum. Fateri compellor me quidem in his Liturgicis Prænotionibus, & veluti Præliminaribus observationibus nimium diu moratum esse: sed erudito Lectori hoc, ut spero, gratum accidet, cui tamen ne molestus sim, in seqnentibus Observationibus, & Additionibus contractiorem stylum, & concisiorem methodum me adhibiturum promitto.

RUBRICA.

De Duplici I.

Missa dicitur de duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota, duplex, & in Festis mobilibus quandocumque Officium est duplex, in duplicibus dicitur (f) *una tantum Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut propriis Missis assignatum est. Quando dici debeat, Gloria in excelsis, & Credo, ini ferius ponitur, in propriis Rubricis.*

GAVANTUS.

(f) *Una tantum Oratio.* Vide infra *tit. 9.* de Orationibus, cur una tantum.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Missa dicitur de duplici illis diebus &c.*) Missa regulariter respondet Officio: unde illis diebus, in quibus recitatur Officium duplex, sive sub Ritu duplici, debet respondere Missa pariter de duplici: idem dicendum est de Dominica, quæ in hac re æquiparatur duplicibus. Exceptiones ab hac regula dabimus infra in titulo de Feria, & Vigilia, & etiam in titulis de Missis votivis, & Defunctorum. Hoc loco tamen observandum est, quod Sacerdos dicto licet Officio de duplici, vel de Dominica, si celebret ex obligatione, vel ex devotione in Ecclesia aliena, ubi colitur Festum aliquod solemne v. g. Patroni vel Dedicationis, &c. vel aliud quoque Festum cum solemnitate, conformare se debet in Missa celebranda tali Ecclesiæ, adeoque Missam dicere de tali Festo, sed ex Missali Romano, & quæ generaliter pro omnibus est approbata; alioquin de Communi, & cum Ritu illius Ecclesiæ dicere *Gloria*, *& Credo*, & unicam tantum Orationem sine Commemoratione Officii a se recitati, nisi sit dies Dominica, vel Feria major, de quibus semper fit Commemoratio. Hæc eruuntur ex Decretis S. R. C. sub die 11. Junii 1701. & quæ dantur in nostro Indice *sub n.* 558. *& seq. & sub n.* 434. ex quibus etiam colligitur, quod si quis celebret in Dominica infra Octavam talis Festi in ea Ecclesia, celebrato Officio de Dominica, dicere quidem debet Missam de ea, sed cum colore Paramentorum convenienti Octavæ; & si velit cum Commemoratione de Octava, omissa tunc Oratione tertia: quod constat ex Decreto dato in nostro Indice *sub n.* 560. Eruuntur pariter hæc omnia etiam ex Pisart in sua expositione supra prædictum titulum, qui *num.* 5. proponit hoc dubium: Quid debeat facere Sacerdos, si habens Officium æque solemne, inveniat se foris in Ecclesia aliena, ubi v. g. agitur de Dedicatione, vel alio simili Festo? Et respondet, quod quamvis se pariter huic Ecclesiæ conformare possit in celebranda Missa, faciendo Commemorationem Officii sui; communius tamen videtur, ut de suo v. gr. Patrono, Missam dicat absque Commemoratione Festi ibidem celebrati: in colore tamen Paramentorum debet se conformare Ecclesiæ, in qua celebrat: & allegat auctoritatem cujusdam S. R. C. Consultoris, & Primarii SS. D. N. Clementis XI. Cæremoniarum Magistri, qui ad prædictum quæsitum ita respondit.

II. Rubr. & Gavantus lit. f. — *Una tantum Oratio, &c.*) Quarti *part. tit.* 1. *de duplici* assignat duplicem rationem litteralem, cur in duplicibus una tantum Oratio dicatur, nisi facienda sit aliqua commemoratio. Prima est singulare meritum Sanctorum, quos Ecclesia veneratur sub Ritu duplici, quorum singularem virtutem & sanctitatem unica & singulari designat Oratione. Altera ratio est, ut prædictos Sanctos majori attentione, & fervore devotionis colant Fideles unica Oratione, ne distrahantur ad plura.

Festa duplicia, de quibus agitur in superiori Rubrica, quædam dicuntur primæ Classis, quædam secundæ: rursus aliqua sunt quæ majora dicuntur, & alia quæ minora appellantur; ut patet ex Tabellis in Breviario Romano appositis post Rubricas generales, & explicat late Castaldus *lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. *& seqq.* necnon Gavantus *tom.* 2. hujus sui Thesauri *sect.* 3. *cap.* 3. ubi etiam nos aliqua adjiciemus.

Quarti supracit. *part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 5. proponit quæstionem: utrum de Sancto Titulari alicujus Cappellæ possit in eadem Cappella, vel Altari celebrari Missa sub Ritu duplici: quæ quidem quæstio procedit præsertim de Sancto, de quo non fit Officium, & de die ipsius Festo. Huic dubio cum prædicto Quarti, respondendum est negative: quia cum Sanctus prædictus non sit descriptus in Calendario, non potest propria auctoritate, neque Ordinarii loci, celebrari Missa de die, quæ non est conformis Officio recitato: in Decretis enim Breviario Romano præfixis habetur, locorum Ordinarios addere non posse Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, & consequenter nec Missas, & docet id etiam Gavantus *sect.* 3. *cap.* 12. *n.* 15. quod si idem Sanctus sit descriptus in Calendario sub Ritu semiduplici, vel simplici, sub eodem Ritu celebrandum de eo erit, & non sub altiori Ritu, quia hoc ipsum prohibetur in Decretis prædictis. Si tamen prædictus Titularis alicujus Cappellæ esset Sanctus canonizatus, vel in Martyrologio Romano descriptus, de eo juxta ejusdem Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 7. sententiam, quæ est etiam communis inter Doctores, posset dici Missa Votiva: & quia celebraretur in die festivo ejusdem Sancti, talis Missa posset celebrari cum *Gloria in excelsis*, quia licet sit Missa Votiva, & non conveniat cum Officio diei, sitque ad arbitrium Sacerdotis, est tamen de Festo, seu de Sancto ipso, die ejus Natali: unde cum Gavanto *infra tit.* 9. *n.* 16. *lit.* i. potest dici Missa ex utroque, votivo scilicet, & festivo mixta. Ita etiam docet Guyerus *libro* 4. *capite* 21. *quæst.* 10. qui optime subnectit (& sequitur ex supradictis a nobis) quod si prædicta die occurrat Festum aliquod duplex, vel Dominica, vel alia dies impedita, non posset celebrari dicta Missa Sancti titularis alicujus Cappellæ, quia, ut diximus, non potest dici sub Ritu duplici, sed solum tanquam Votiva. Utrum autem de Sanctis locorum Episcopis non descriptis in Calendario possit celebrari Missa cum Officio sub Ritu duplici, & sic etiam de Sanctis, quorum habetur Reliquia, resolventur a nobis hæc dubia cum Gavanto *in* 2. *tom.* ubi agemus de Rubricis Breviarii Romani.

RU-

RUBRICA.

De Semiduplici, & Simplici. II.

Missa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octavas. In Semiduplicibus tam Festis, quam Dominicis, & infra Octavas dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in Rubrica de Orationibus. (g) *Infra Octavam dicitur Missa sicuti in die Festi,* (h) *nisi propriam Missam habuerit; in Dominicis vero sicut in propriis locis assignatur. De Simplici dicitur Missa, sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.*

GAVANTUS.

(g) *Infra Octavam.* Octava namque est ejusdem Festi prorogatio, *teste Radulpho Tungrensi de Canonum observat. propos.* 19. (h) *Nisi propriam Missam habuerit.* Unde infra Octavas Paschæ, Pentecostes, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli accidit.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Præterea in Dominicis &c.* Inter Festivitates, quas Ecclesia celebrat sub Ritu semiduplici, nempe sub ritu medio, inter Ritum duplicem, & simplicem, primum obtinent locum illæ, quæ magis immediate ad Christum Deum, ac ad ejus vitæ Mysteria pertinent: unde ab Ecclesiæ exordio specialiter dicata fuit in ejus cultum prima dies hebdomadæ, quæ per antonomasiam dicitur dies Domini, seu Dominica: & rationes adduntur *in sexta Synodo Generali cap.* 8. Prima, & potissima est, quia hanc diem ipse Christus sua Resurrectione consecravit: secunda, quia hac eadem ille descendit Spiritus Sanctus in Apostolos: tertia ob Creationis initium, & Mundi exordium: unde canit Ecclesia: *Primo die, quo Trinitas Beata Mundum condidit, vel quo resurgens Conditor; &c.* de quibus Mysteriis diei Dominicæ tractant D. Augustinus *serm.* 154. & 251. *de Tempore;* & D. Leo *epist.* 5. *ad Dioscorum cap.* 2. unde etiam dedicata est hæc dies in honorem Sanctissimæ Trinitatis, ut patet ex *cap. Quoniam de Feriis;* & ex Ritibus, Hymnis, & Responsoriis, quibus utitur Ecclesia diebus Dominicis, Lege Durandum in Rationali *lib.* 6. *cap.* 114. Recolitur autem singulis Dominicis per annum memoria prædictorum Mysteriorum sub Ritu semiduplici; in propriis vero Festivitatibus Paschæ, & Pentecostes, &c. sub Ritu duplici primæ Classis, ut dignum est.

II. Rubr. & Gav. lit. g — *Infra Octavam &c.)* Octavarum usus est in Ecclesia antiquissimus, de quibus agit Durandus *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 45. & introductæ fuerunt ad majorem Solemnitatem præcipuarum Festivitatum. Hinc Radulphus Tungrensis *propos.* 19. ait: *Magnitudo Festi a Nobis exigit ut prius illud incipiamus, & tardius terminemus. Prævenimus Vigilia; prorogamus cum ad Octavarum diem Festum protendimus: præveniamus ergo, & prorogemus, ut ardentius quod debemus recolamus, quæque una die minus possumus, reliquis diebus compensemus.* Ex Paulo Quarti *part.* 1. *tit.* 2. plura de Octavarum antiquitate, & origine dicemus in nostris additionibus ad *tom.* 2. *Gavanti Sect.* 3. *cap.* 8.

III. Rubr. *De Simplici dicitur Missa &c.)* Quarti *part.* 1. *titul.* 14. *dub.* 3. instituit quæstionem: utrum possit dici Missa integra de S. Simplici, quando juxta Rubricas Missalis fieri debet de eo sola Commemoratio, ratione v. g. occurrentis Festi Semiduplicis, seu alicujus Feriæ majoris Adventus, vel Quadragesimæ &c. vel diei infra aliquam Octavam non privilegiatam &c. & resolvit in dicto casu Sacerdotem vel ex sua particulari devotione, vel ex alia causa, si voluerit, utique de Sancto illo Simplici posse recitare Missam de suo Communi, si non habeat propriam sub Ritu Semiduplici cum Commemoratione Officii currentis, de quo legit Horas Canonicas. Ita eamdem sententiam tenet Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 2. *in Adnotationibus.* Juxta igitur hanc sententiam potest dici Missa integra de Sancta Thecla in die Sancti vigesima tertia Septembris; & ita pariter Missa SS. Triphonis &c. Martyrum in die Sancti Andreæ Avellini decima Novembris cum debitis Commemorationibus. In tali autem Missa Festi Simplicis concedit Quarti posse dici Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis, &c.* quia est partim Festiva, partim Votiva, eamque appellari posse Semifestivam, asserit idem Auctor: quia neque omnino concordat cum Officio, neque omnino discordat; cum fiat in Officio ejusdem S. Simplicis Commemoratio. Potest etiam dici talis Missa Semifestiva: quia celebratur in die Natali ejusdem S. Simplicis, juxta ea, quæ diximus in nostris Observationibus ad Titulum præcedentem sub n. II.

RUBRICA.

De Feria, & Vigilia. III.

1 *Missa de Feria dicitur quando non occurrit Festum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariæ. In Feriis tamen Quadragesima, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi Duplex, vel Semiduplex Festum* (i) *vel Octava occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis* (k) *cantantur duæ Missæ, una de Festo post Tertiam, & alia de Feria post Nonam.*

GAVANTUS.

Missæ de Feria fit mentio in Lectionario Sancti Hieronymi.

(i) *Vel Octava.* Idest, dies Octava * quidam explicant de quolibet die infra Octavam; ita ut occurrente Feria ex prædictis in die infra Octavam, dici debeant duæ Missæ, de Octava, & de Feria: sed in Missali, in Vigilia SS. Petri & Pauli, quando occurrit in Sabbato (occurrente nimirum Sancti Leonis Festo in Dominica) item & in Vigilia Assumptionis B. V. non præscribuntur duæ Missæ, de Octava, & de Vigilia; ergo neque in aliis similibus Feriis erunt dicendæ. Neque dicas, esse casum iis locis omissum: tum quia in recognitione Missalis notatæ sunt diligentissime, me præsente, duæ Missæ, quando debent dici, in propriis locis; tum quia diversa est ratio inter Festum, ac diem Octavam, & diem infra Octavam: Festum enim semel accidit in anno; dies Octava est æquali fere Ritus cum suo Festo: at die infra Octavam sæpius occurrit, & sine injuria omitti potest, de qua propria sequitur Rubrica *num. sequenti.*

(k) *Cantantur duæ Missæ.* Idem habetur infra *tit.* 7. *num.* 2. qua de re commodius; cum de defectibus *tit.* 11. *num.* 7. & *seqq.*

Duarum autem Missarum de Festo & de Feria meminit *Micrologus de Eccles. observat. cap.* 48. & 58. Cur altera post Tertiam, altera post Nonam, dicemus *infra tit.* 15.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *Missa de Feria dicitur &c.*) Dies hebdomadæ Feriarum nomine distinguuntur ex antiquissimo usu Ecclesiæ, quem S. Silvester Papa suo Decreto firmavit, ut notatur in lectionibus Breviarii in Festo ejusdem Sancti: unde patet Feriam proprie dici a feriando. Durandus *in Rationali libro 7. cap.* 1. *num.* 12. assignat rationem, propter quam etiam Dominica prima Feria dici potest, quia dies immediate sequens Feria secunda vocatur, estque nomen Sacrum, non ex Ritu Gentium, sed ex Sacra Scriptura desumptum. Durandus *supra*, & ex eo Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *de Feria, & Vigilia.* De Feriarum nomine, & etymologia erudite discurrit juxta morem suum sapientissimus Joseph Vicecomes de Missæ Ritibus *lib.* 3. *cap.* 10. ubi non approbat sententiam Rabbani asserentis Sylvestrum Papam auctorem fuisse Feriarum nomina diebus imponendi. Cætera apud eundem clarissimum auctorem videri possunt.

II. Gav. lit. i — *Non præscribuntur de Octava, & de Vigilia.* Quamvis in Feriis Majoribus, scilicet Quadragesimæ, in Feriis quatuor Temporum, & Vigiliarum dicantur duæ Missæ, nempe Conventuales in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, cadente Festo, &c. ut in Rubrica, & cadente die Octava: tamen hoc non verificatur in die infra Octavam, quia tunc juxta Gavantum *supra*, & Quarti *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 1. & *num.* 2. Turrinum *part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1. & alios communiter, unica tantum dicitur Missa Conventualis, nempe de Vigilia.

Nec urget contra hanc praxim & Doctrinam, quod eadem Missa, quæ celebratur infra Octavam, celebretur etiam die Octava: ac proinde sicut cadente Feria hujusmodi in die Octava, duæ dicuntur Missæ; sic etiam cadente in die infra Octavam, dici debeant duæ Missæ, non minus ac die Octava. Non urget, inquam, quia ut paulo infra, magnum discrimen interest in hoc casu, inter diem infra Octavam, & inter diem Octavæ. Deinde etiamsi eadem sit Missa materialiter, idest quoad Orationem, Evangelium, & alias sui partes; non est tamen eadem formaliter, & quoad Ritum: dies enim infra Octavam est sub Ritu Semiduplici, dies vero Octavæ sub Duplici. Deinde quatenus hæc ratio non sufficeret, totam profecto dirimit controversiam, ob identitatem rationis, Rubrica peculiaris superior in Vigilia Assumptionis, & in Vigilia SS. Petri & Pauli cadente in Sabbato, quando dies Sancti Leonis cadit in Dominica; quibus in casibus non præscribuntur duæ Conventuales: quapropter idem dicendum de omnibus Vigiliis cadentibus infra Octavas.

III. Rubr. & Gav. lit. k — *Cantantur duæ Missæ &c.*) De hujusmodi Missis Conventualibus agit fusius Gavantus *part.* 3. *de Defectibus tit.* 11. *n.* 7. quo loco etiam nos fusius & commodius agemus, adducendo ibi varia Decreta spectantia, nec non Doctrinas pertinentes ad Missas Conventuales.

RUBRICA.

2. *In Vigiliis autem, & Feriis Quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum, quæ veniunt infra Octavam, (l) Missa dicitur de Vigilia, vel Feriis supradictis, cum Commemoratione Octavæ: præterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Missæ, una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam: in Missis autem Privatis dicitur Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Feriis fiat Officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa de Festo cum Commemoratione Octavæ, & Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primæ Classis, in Missa non fit Commemoratio de ea, sicut nec in Officio.*

GA-

GAVANTUS.

(l) *Missa dicitur de Vigilia.* In his casibus discordat Missa ab Officio, quia his Missis propriis convenit, ut cedat ea Missa, quæ infra Octavam sæpius repetitur; Populus etiam, quia ad Missam, non ad Officium convenire solet, cum Missa de his Feriis ad luctum movetur, & animatur.

Dubitabatur de Vigilia Sancti Joannis Baptistæ infra Octavam Corporis Christi, quæ excludit Semiduplicia Festa: sed hoc non obstabat, quia semiduplex transfertur cum Officio & Missa; Vigilia vero non transfertur, & Missam tantum habens non tollit Officium de Octava, neque Missam de eadem, quæ sæpius infra Octavam dici solet.

Communior erat etiam hæc sententia anno 1628. ut patet ex Calendariis diversis ejusdem anni, quo occurrerunt Vigiliæ S. Joannis, & SS. Apostolorum infra Octavam Corporis Christi, quod nimirum Missa de Vigilia dicenda esset cum Commemoratione Octavæ juxta Rubricam antiquam, contra quam neque urgebant ea, quæ afferebantur: non auctoritas P. Ruiz, seu Alcozer Missam de Octava cum Commemoratione Vigiliæ, gratis, & sine majorum Decreto præscribentium: non aliorum congruentiæ; quia ajebant dependi Indulgentias concessas Octavæ Corporis Christi, omissa de Sacramento Missa, an deperduntur in Festo Duplici infra eam Octavam occurrente? Neque quia concordare debebat cum Officio Missa; quod non est verum, cum infra eandem Octavam possint dici Missæ Votivæ, & de Requiem, quocumque die non est Duplex. Neque quia Missa de Sacramento magis excitaret ad pietatem Populos, quam Missa de Vigilia, quæ certe, ex Alcuino in Parasceve, excitat ad imitandas passiones Martyrum.

Hæc ex vi Rubricarum priorum: sed nova Rubrica opus fuit, ut legitime Missa dici posset de Octava cum Commemoratione Vigiliæ: quæ nuper, ut supra, decreta fuit in recognitione Missalis sub Urbano VIII. ubi dictum, ne infra Octavam Corporis Christi diceretur Missa Votiva, vel de Requiem; item ne fieret infra ipsam de Duplici vere translato.

Quæres ex prædictis; cur in Cathedralibus & Collegiatis non dicuntur duæ Missæ, una de die infra Octavam, alia de Vigilia; sicut infra Octavam Omnium Sanctorum; una dicitur de die infra Octavam, alia pro Defunctis in Commemoratione omnium Defunctorum? At ecce disparitas, potest enim in Missa Vigiliæ fieri Commemoratio de die infra Octavam, de qua non potest fieri in Missa Defunctorum.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

IV. Gav. lit. l — *In his casibus discordat Missa ab Officio, &c.*) Optime dici docet Gavantus, quod occurrente Vigilia, vel Feria aliqua majori infra aliquam Octavam, Missæ non solum Conventuales, sed etiam Privatæ, debent dici de tali Vigilia cum Commemoratione Octavæ. De Octava vero in tali casu nulla debet dici Missa, tanquam propria illius diei, sed solum potest dici in gradu Missæ Votivæ: unde verissimum est quod docet idem Gavantus, quod tali die Missa non est conformis Officio; Officium enim est de Octava, & Missa est de Vigilia, vel de illa Feria majori; sic v. g. die 14. Augusti, in qua occurrit dies quarta infra Octavam Sancti Laurentii, & Vigilia Assumptionis B. M. V. recitatur quidem Officium de Octava S. Laurentii, Missa vero non debet dici de tali Octava, sed Vigilia Assumptionis, cum Commemoratione Octavæ: ita ut non solum Missa Conventualis, sed etiam Missæ Privatæ talis diei debeant esse de Vigilia Assumptionis cum Commemoratione Octavæ Sancti Laurentii. Cur autem discordet in hoc casu Missa ab Officio, ratio est, quia infra Octavam sæpius repetitur eadem Missa illius Festi, de quo fit Octava: & idcirco dispositum fuit, ut cedat Missa de Octava Missæ propriæ de Vigilia, vel de alia Feria majori, quæ in illa die dici debet tamquam propria illius diei. Deinde, ut populus, qui frequentius ad Missam convenire solet, quam ad Officium, moneatur obligationis jejunii per Missam de Vigilia. Et eadem est ratio de Feriis quatuor Temporum, de Feria II. Rogationum, infra aliquam Octavam occurrentibus. Discutit prolixe hanc quæstionem Lucas Josephus Ceracchinus *tom.* 1. suorum Dubiorum super Rubricas Missalis, & Breviarii *dub.* 8. & valide propugnat hanc communem & certissimam sententiam: verum non subsistit id quod asserit *pag. mihi* 170. de Decreto edito a S. R. C. sub die 24. Januarii 1682. in quo supponit concedi Monachis Cassinensibus, ut tempore Quadragesimæ celebrantibus ex privilegio Festum Sancti Benedicti cum Octava, possint diebus occurrentibus infra dictam Octavam dicere solam Missam Conventualem de Feria; cæteras vero Missas Privatas debeant celebrare de dicta Octava cum *Gloria*, & *Credo*: nam in Directorio Divini Officii persolvendi juxta Ritum Monasticum ab omnibus sub Regula Sancti Benedicti militantibus, & præcipue Congregationi Cassinensi specialiter accommodato; & Patavii edito, anno Domini 1733. die 25. Martii, quæ est dies infra octavam prædicti Patriarchæ, præscribitur, quod *Missa Conventualis, necnon Privata (non exclusis Missis Votivis, & de Requiem) dicatur de Feria currenti.* Ergitur quod ipsimet PP. Cassinenses fatentur non habere hoc privilegium celebrandi diebus infra dictam Octavam, quando occurrit in Quadragesima, Missas Privatas de Octava cum *Gloria*, & *Credo*; sed solum possunt dicere memoratas Missas Privatas in tali casu, & talibus diebus, in gradu Missæ Votivæ, nimirum sine *Gloria* & *Credo*, cum Commemoratione Feriæ, & cum

Evangelio Sancti Joannis in fine. Ex Decreto igitur diei 24. Januarii 1682. & dato in nostro Indice sub *num.* 460. In quo præscribitur *quod dicti privilegiati debent dicere Missam Conventualem de Feria;* solum permittitur exinde, quod possint dicere Missas Privatas de Sancto, cujus celebrant Octavam, Ritu votivo; nunquam vero præscribitur in tali Decreto, quod dicat solam Missam Conventualem de Feria, & alias Privatas de Sancto Benedicto; sed innuitur quod reliquæ Missæ privatæ vel debeant dici de Feria, vel possint dici de Requiem, vel Votivæ de aliquo Sancto. Hoc loco adnotandum est quod juxta sententiam Caroli Guyeti *lib.* 4. suæ Heortologiæ *cap.* 5. *quæst.* 5. *in fine;* in dicta Missa Vigiliæ occurrentis infra aliquam Octavam debet dici *Credo* etiam extra Dominicam, si talis Octava illud habeat: non enim talis Vigilia est simplex, seu ferialis, ut sunt aliæ Vigiliæ communes: sed Festiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli aliunde debiti. Hæc Guyetus, cujus sententia est Gavanto contraria, ut videbitur infra in Titulo XI. de Symbolo lit. *n.* in fine: & Gavanti sententiam etiam nos amplectimur in nostris Observationibus ibidem n. XIV.

V. Gavant. ead. lit. *l.* — *Communior erat hæc sententia, &c.*) Olim ante recognitionem Missalis Romani, auctoritate Urbani VIII. factam, non levis erat controversia inter Rubricarum Interpretes: utrum occurrente Vigilia, ex gr. S. Joannis Baptistæ infra Octavam Corporis Christi, dici deberet Missa de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, vel e contra Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Gavantus hoc loco in prima editione sui præclarissimi operis asserebat dicendam esse Missam de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, inhærendo regulæ in superiori Rubrica traditæ. Castaldus vero in sua Praxi Cæremoniarum *lib.* 1. *sect.* 6. *num.* 9. edita ante Gavanti Thesaurum, sustinebat dicendas esse Missas Privatas de Octava cum Commemoratione Vigiliæ, & in Collegiatis cantari debere duas Missas, unam de Octava, & alteram de Vigilia, &c. & sustinebat hanc sententiam ob privilegia particularia talis Octavæ Corporis Christi. Tandem sublata fuit omnis controversia, & lata sententia in favorem hujus secundæ opinionis, ut patet ex superiori Rubrica, in qua addita fuit hæc exceptio: *Præterquam infra Octavam Corporis Christi.*

Ex hoc usque dictis sequitur claram esse rationem, cur in prædictis Vigiliis occurrentibus infra aliquam octavam, unica tantum debeat dici Missa Conventualis, nimirum de Vigilia, cum Commemoratione Octavæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis: si enim non potest dici Missa Privata de illo die infra Octavam, multo minus de eadem Octava poterit Missa Conventualis celebrari. Sed e contra, si in diem infra Octavam, in qua simul cadit Vigilia, incidat festum novem Lectionum, eo casu duæ Missæ Conventuales cantandæ sunt in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis; prima de Festo cum Commemoratione Octavæ, sed sine Commemoratione Vigiliæ; altera vero de Vigilia cum aliis duabus Orationibus juxta Rubricarum dispositiones. Huc optime facit, quod in Calendariis Urbis, & in novo Missali edito Romæ, anno 1714. sicut habetur die 14. Decembris: *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor Temporum, Missæ dicuntur de Feria cum Commemoratione Octavæ, & tertia Oratio de Spiritu Sancto, cum Præfatione de Octava*, cui quidem Rubricæ consonum est Decr. datum in nostro Indice *n.* 687. Die vero 15. Decembris: *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor Temporum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, dicuntur duæ Missæ, una de Octava, altera de Feria cum Commemorationibus assignatis, & in hac Missa dicitur Præfatio communis.* En igitur semper magis confirmatum iri, quod occurrente Vigilia, vel Feria majori infra aliquam Octavam, licet Officium recitetur de illa die infra Octavam; Missæ tamen dicuntur de Feria, & nulla dicitur de Octava. E contra vero in die Octava ejusdem Festi, Missæ quidem dicuntur de Octava, & unica tantum de Vigilia, & idcirco in Cathedralibus, & Collegiatis in tali casu, cantantur duæ Missæ Conventuales in die Octavæ; sed in die infra Octavam, unica dicitur Missa Conventualis de Vigilia, vel Feria illa majori cum Commemoratione Octavæ.

Gerlacus Vinitor in suis adnotationibus super hanc Rubricam *part.* 1. *tit.* 3. §. 3. adnotat in Missa Vigiliarum, & Feriarum majorum infra Octavam, nunquam dici *Gloria in excelsis*, neque *Credo*, & semper dici Præfationem communem, quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus, præterquam in Missis Litaniarum majorum, quæ Paschalem Præfationem habent. Verum cum in supradicta prima Rubrica Missalis editi Romæ anno 1714. dispositum fuerit, quod die 14 Decembris, quæ est infra Octavam Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, si occurrat Feria IV. Temporum, Missa dici debeat de Feria cum Commemoratione non solum, sed etiam cum Præfatione de Octava Conceptionis; infertur non subsistere doctrinam Vinitoris quoad Præfationem communem dicendam semper in talibus Missis Vigiliarum, & Feriarum majorum, quæ infra aliquam Octavam dici debent, in quibus fit Commemoratio talis Octavæ: e contra vero subsistit talis Doctrina in Missis Conventualibus Vigiliarum, & Feriarum majorum (juxta dispositionem secundæ Rubricæ supra expositæ) quia in illis Missis, sicut non fit Commemoratio Octavæ, ita neque dicitur Præfatio ejusdem, si habeat propriam.

RUBRICA.

3. *Si Festum habens Vigiliam celebretur Feria secunda, Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium, exceptis Vigilia Nativitatis Domini, & Epiphaniæ.*

GA-

GAVANTUS.

Ad Rubricas Breviarii spectat hujus Rubricæ sensus, & est *Radulph. prop.* 19. Sicut etiam jejunium anticipatur, quod ab Hebræis fieri solitum pridie Sabbati, in quo jejunandum esset, testatur *Moyses Ægyptius de Temp. c. de Sab. &c. de jejunio*, neque Dominico die jejunare debemus *dist.* 76. *cap. utinam*, & passim dicitur a Sanctis Patribus.

RUBRICA.

4 (m) *Missa Vigiliæ in Adventu occurrentis, dicatur cum Commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non sit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta.*

GAVANTUS.

(m) *Missa Vigiliæ.* Dicitur eadem ratione, quam supra diximus de Vigilia infrà Octavam, quia propriæ Missæ cedere debet minus propria diei.

Occurrit alicubi Festum novem Lectionum in Vigilia intra Adventum, & quæsitum est: quo ordine in Missa de Festo dicantur Orationes de Adventu, & Vigilia, & an Evangelium Vigiliæ legatur in fine; Respondi Orationem de Adventu dici ante Orationem Vigiliæ, quia licet de Missa Vigiliæ alius sit ordo, in Missa tamen alia dignior est Oratio, quæ dicitur in Officio: similem fere casum habes in Festo Sancti Leonis 28. Junii, in cujus Missa Oratio de Vigilia posterior est, licet in Sabbato Missa Vigiliæ præferatur Missæ de Octava Sancti Joannis. Evangelium vero non legitur in fine: quia nec in Officio legitur, neque in Missa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quæ occurrit in ea.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VI. Gav. lit. m — *Evangelium vero non legitur in fine.*) Si occurrat alicubi Festum novem Lectionum in Vigilia intra Adventum v.g. si Festum S. Saturnini alicubi celebretur sub Ritu Duplici, vel Semiduplici, & occurrat intra Adventum, cum eadem die occurrat etiam Vigilia S. Andreæ, quæritur an Evangelium dictæ Vigiliæ legi debeat in fine Missæ; & huic quæsito respondere Gavantus supra negative, dicendo: *Evangelium vero non legitur in fine*, adducendo hanc rationem; quia nec in Officio, neque in Missa quatuor Temporum legitur de Vigilia, quæ occurrit in ea. Cæremoniale Monasticum *l. 4. c. 11. n.* 10. consentit Gavanto asserendo: *quod in dicto casu in Missa de Sancto, secunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quamvis alioquin Missa Vigiliæ præferatur Missæ Adventus; in fine vero dicetur Evangelium S. Joannis, atque idem fiet in Vigilia S. Thomæ, nisi in quatuor Temporibus occurrat: tunc enim dicetur Missa de quatuor Temporibus cum Commemoratione Vigiliæ, sed sine Evangelio ejusdem in fine.* Rationem suæ sententiæ affert Gavantus etiam *tit.* 13. *lit.* 1., ubi asserit in Feriis Quadragesimæ, & quatuor Temporum, ideo in fine Missæ non debere dici Evangelium Vigiliæ, si quæ occurrat in dictis Feriis, quia de ea lecta non est Homilia in Officio. Guyetus tamen *lib. 4. cap. 6. quæst. 4.* sustinet in casu supra exposito Festi occurrentis in aliqua Vigilia intra Adventum, &c. legendum esse Evangelium Vigiliæ in fine Missæ, hoc argumento ductus, nimirum, quia quamvis ratio a Gavanto allata, quoad Ferias Quadragesimæ, & quatuor Temporum, valere possit; haud tamen idem est in Casu proposito Festi occurrentis: nam ideo in Festo prædicto non legitur Homilia Vigiliæ, quia de ea non fit Commemoratio ad Laudes; quæ si fieret, haud legeretur Homilia ad Matutinum, cum nihil impediat: unde per accidens est, quod non legitur. Ratio vero, cur occurrente Vigilia in Feriis Quadragesimæ, & quatuor Temporum, non recitetur Evangelium in fine Missæ, non est ea, quam tradit Gavantus non dissentiente Guyeto, nimirum, quia omissum fuit ad Matutinum: sed quia tunc duæ Missæ Conventuales dici non præscribuntur, in quo tantum casu legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ privatæ. In nostra autem hypothesi non impedit tempus Adventus, quin dicantur duæ Missæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, una de Festo, alia de Vigilia, ut præscribit superior Rubrica *num.* 1. quæ sic habet: *in Feriis tamen Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi Duplex, vel Semiduplex Festum occurrat... cantantur duæ Missæ, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.* Idem etiam præscribitur in Rubrica 7. *num.* 2. ex quibus omnibus infertur, quod etiam in Missis Privatis dici debet Evangelium Vigiliæ in fine, par siquidem est utriusque ratio. Huic Guyeti Sententiæ consonat etiam praxis Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, quæ hac die 29. Novembris præsentis anni 1734. quo hæc scribo, celebrat Festum translatum Sancti Gregorii Tertii PP. sub Ritu Duplici, & post Nonam, Missam solemnem Conventualem celebrat de Vigilia, & in Privatis Missis legit Evangelium Vigiliæ Sancti Andreæ, ut in ejusdem Basilicæ Calendario hac eadem die legere mihi occurrit, quod etiam factum fuerat anno 1729. in Vigilia ejusdem Sancti Andreæ occurrente pariter infra Adventum, & cum Festo translato Sancti Nicolai PP. I. sub Ritu Duplici. In hoc solum casu Evangelium prædictæ Vigiliæ omitti deberet, quando Evangelium Feriæ, vel Vigiliæ idem omnino esset cum Evangelio Festi occurrentis, ut contingeret in Festo Expectationis B. Mariæ Virginis, quando incideret in Feriam quartam quatuor Temporum: tunc enim Rubrica ejusdem Missæ diserte præscribit omittendum fore Evangelium Feriæ in fine Missæ. Prædictæ Guyeti, & nostræ sententiæ favet etiam

Bissus *lit. E. n.* 157. §. 6. ubi ait cum Guyeto, quod si in dicta Vigilia occurreret Festum aliquod Duplex, vel Semiduplex, in fine Missæ de tali Festo non debet legi Evangelium Feriæ, quæ non habet proprium, sed Evangelium Vigiliæ: quamvis hoc Evangelium lectum non fuerit in Officio, in quo ideo lectum non fuit, quia neque ad Laudes facta est Commemoratio Vigiliæ: e contra vero, sicut in Missa fieri debet post Feriam talis Commemoratio, ita in fine convenienter legitur ejusdem Vigiliæ Evangelium.

RUBRICA.

3 *Si in Quadragesima, & quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.*

GAVANTUS.

Missa in his casibus concordat integre cum Officio, & cessat ratio, quam supra diximus: propriam Missam cedere debere Missæ non ita propriæ: neque Populus eget monitione ad jejunium, quod significatur per Missam propriam Quadragesimæ, seu quatuor Temporum.

RUBRICA.

4 *Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec in Vigilia Epiphaniæ.*

GAVANTUS.

Cur non jejunatur in his Vigiliis; dicimus non jejunari, quia lex nulla est de his ob lætitiam Natalis Domini, & Resurrectionis ejusdem.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VII. Pro coronide Observationum, & Additionum spectantium ad hunc Titulum de Feria, & Vigilia, lubet colligere Decreta, quæ a S. R. C. emanarunt, pertinentia ad Vigilias Festorum in communi, & in particulari.

Vigilia S. Mathiæ Apostoli occurrens in Feria 3. post Dominicam Quinquagesimæ non potest anticipari cum jejunio, ita S. R. C. in Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 508.

Quadragesimæ, Adventus, & vigiliarum temporibus, necnon in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo Duplici, vel Semiduplici, non licet post Primam celebrare Missam prædictarum Feriarum, sed servandæ sunt Rubricæ: ita eadem S. R. C. in Decreto dato a nobis *sub num.* 548.

Occurrente Vigilia S. Joannis Baptistæ in Festo Corporis Christi, licet jejunium anticipetur die 22. Junii; tamen in Missa & Officio nihil fit de eadem Vigilia: ita S. R. C. in Decreto *sub n.* 602.

Vide etiam aliud Decretum *sub num.* 281.

In Vigilia Epiphaniæ Missæ Votivæ, & Defunctorum celebrari non possunt: ita in Decreto dato *sub num.* 635. Vide etiam Decreto *sub n.* 514. Et aliud *sub n.* 607.

De Missis (*n*) Votivis Sanctæ Mariæ, & aliis. IV.

GAVANTUS.

(*n*) *Votivis.* Large hic sumitur votum pro voluntate, & desiderio Missæ: igitur quæ voluntate dicuntur, Votivæ nuncupantur: non tamen debet esse voluntas irrationabilis, puta, ut Sacerdos breviorem celebret Missam, &c. Votivarum autem Missarum est mentio *in Vita S. Germani Antisiodor. cap.* 16. *apud Sur. tom.* 4.

RUBRICA.

1 *In Sabbatis non impeditis Festo Duplici, Semiduplici, Octava, Vigilia, Feria Quadragesimæ, vel quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicæ, quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de S. Maria secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur.*

2 *In Adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa Principalis de ea cum Commemoratione de Adventu, nisi fuerint quatuor Temporum, vel Vigilia, ut supra.*

GAVANTUS.

Sabbatum dicatum esse constat B. Virgini Deiparæ. Missæ vero S. Mariæ in Sabbato dicendæ auctor fuit Albinus Caroli Magni præceptor, qui rogatu Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, eam instituit una cum aliis de Trinitate, de Angelis, de Spiritu Sancto, & de Cruce, quæ adhuc sunt in usu. Meminit hujus Ritus Michrologus *cap.* 60. Urbanus II. *in Conc. Claromontano* 1096. Officium in Sabbato B. Virgini destinavit *Radulphus prop.* 20. & a Monachis Ecclesiæ Occidentalis inductum esse hunc Ritum, anno 1056. *scribit Baronius. Durandus autem in Ration. l.* 4. *c.* 1. quinque affert causas. Prima est, & secundum eumdem originaria, quod olim Constantinopoli, cum ante quamdam Imaginem B. Virginis penderet velum, quod eam velabat, in sesta Feria post Vesperas recedebat velum, nullo movente, & Cælum versus deferebatur, ita ut a Populo imago tota conspici posset: celebratis autem in Sabbato Vesperis, descendebat ipsum velum, & velabat imaginem, ut prius, usque ad sequentem Feriam sextam: quo miraculo sancitum est, ut eo die semper de B. Virgine cantaretur. Altera est, quia in Sabbato post mortem Christi tota Fides in sola Virgine mansit; quæ tamen ratio a modernis Theo-

lo-

logis, & merito reprobatur. Tertia, quia dies Sabbati est quasi janua ad Dominicam diem, quo significatur æterna vita; Maria vero Janua Cæli, & Porta lucis fulgida. Quarta est, ut conjugatur Festivitas Matris cum Solemnitate Dominica, quæ est Filii. Quinta, ut sit festivus dies ille, quo Deus ab omni opere quievit, requievit autem in Maria, ut in tabernaculo suo.

Et licet in Adventu Rubrica præscribat Missam Conventualem de B. V. non excludit tamen Privatas Missas; immo a fortiori in ferialibus eas concedit; cum eæ quotidie dici queant, quando non est Dominica, neque Duplex: & eo casu, scilicet in Sabbato, etiam in Privatis Missis dicitur Hymnus Angelicus, *ex tit.* 8. *n.* 4. Ex prædictis orta est quæstio, an Missa de B. V. in Sabbato ratione Officii de eadem, dicenda sit Votiva? affirmat Castaldus in Praxi *lib.* 3. *sect.* 6. *c.* 4. *n.* 2. cum Ruiz ibi citato: quia, inquit, Officium B. V. in Sabbato est ex voto Ecclesiæ. Potior esset ratio, si diceret, de ea tradi sub titulo, *de Missis Votivis*, de quo nunc agimus. Negant alii; quia de ratione Votivæ Missæ est, quod non correspondeat Officio, ut dicitur infra *tit.* 15. *n.* 5. at hæc correspondet Officio: ergo non est Votiva. Sed quæstio est de nomine: nam votivum quidem dicitur, quod a voto habet originem; sed minus proprie dicitur votivum, quod in Sabbato ex antiquo voto Ecclesiæ dicitur. Hodie namque est in præcepto Officium cum Missa B.V. in Sabbatis non impeditis, ut supra, & probamus *tom.* 2. *sect.* 8. *cap.* 9. *n.* 1. Proinde igitur illud est votivum, quod est mere voluntarium, & ad libitum fit, sine peccato: namque proprie Missa de B. V. in Sabbato ratione Officii, quod est in præcepto, potest dici Votiva. Titulus autem de Missis Votivis comprehendit omnes, etiam minus proprie Votivas: unde supra *n.* 2. facit Ecclesia de præcepto Votivam Missam de eadem B. V. in Sabbatis Adventus, ubi cantatur Conventualis Missa, quæ cum non respondeat Officio de Adventu, Votiva est, non tamen ad libitum mitti queat, ob illud verbum, *dicitur*, quod est præceptivum: & confirmatur, quia Missa de B. V. in Sabbato ratione Officii Simplicis, debet cantari post Sextam, ut infra *tit.* 15. *n.* 2. Votiva autem post Nonam, *ibid. num.* 5. Non est ergo Votiva.

Novæ observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *In Adventu autem*, &c.) In Sabbatis Adventus non impeditis Officio, aut Festo novem Lectionum, quamvis non recitetur Officium de S. Maria in Sabbato, sed dicatur Officium de illa Feria, Missa tamen Principalis dicitur de Beatissima V. M. (nempe Votiva illa, quæ est in Missali *de S. Maria ab Adventu usque ad Nativitatem Domini*, quæ incipit: *Rorate*) unde etiam in hoc casu Missa discordat ab Officio, diciturque talis Missa in Paramentis albis, cum Commemoratione Feriæ de Adventu, &c. nisi tamen fuerint quatuor tempora, vel Vigilia v. g. S. Andreæ, vel S. Thomæ Apostoli, & multo magis Vigilia Nativitatis Domini: his enim in ejusmodi Sabbatum incidentibus, dicitur Missa Principalis non de S. Maria, sed de Sabbato quatuor Temporum, vel de Vigilia occurrente. Porro in Missa hujusmodi S. Mariæ in Sabbato tempore Adventus, dicitur *Gloria* sine *Credo*, Oratio secunda de Feria Adventus, tertia de Sancto Spiritu, aut de Festo Simplici, si tale occurrat, Præfatio consueta de S. Maria, nempe *Et te in Veneratione* &c. In fine *Ite*, &c. & Evangelium S. Joannis. Quamvis autem in hujusmodi Sabbatis, in quibus Officium, & Missa discordant, color paramentorum sacerdotalium debeat esse conformis Missæ Votivæ de S. Maria, nempe albus; color tamen Altaris, nempe antependii correspondet Officio, saltem dum recitantur Horæ Canonicæ; atque ideo debet esse violaceus: sed dum cantatur Missa, inhærendo nostro Gavanto *tit.* 18. hujus primæ partis in fine, & praxi omnium Basilicarum Urbis, color debet esse albus. Ex supradictis colligitur etiam quinam color adhiberi debeat in Missis Vigiliarum, quæ dicuntur in diebus infra aliquam Octavam occurrentibus, de quibus supra fuit sermo.

II. Gavant. lit. n. — *Non excludit tamen Privatas Missas*, &c.) Ex quo superior Rubrica præscribat in prædicto casu, quod Missa principalis, seu Conventualis dicenda sit de S. Maria, videtur non excludere Missas Privatas de Feria, ut etiam docet Gavantus supra; quæ si dicantur, resumi debet Missa Dominicæ præcedentis sine *Gloria*, & *Credo*, & sine *Alleluja*, & versu sequenti post Graduale: & in ea secunda Oratio erit, *Deus qui de B. M. V.* tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, nisi facienda sit Commemoratio *simplicis*: tunc enim secunda est de Simplici, tertia *Deus, qui de B. M. V.* Præfatio communis, in fine *Benedicamus*, &c. & Evangelium S. Joannis. Halden in Ephemerologio Ecclesiastico *part.* 1. *tit.* 64.

III. Gavant. eadem lit. n. — *Cum non respondeat Officio de Adventu* &c.) Ex quo prædicta Missa de S. Maria Sabbatis Adventus non correspondeat Officio, in hoc sensu Votiva dici potest, ut notat Gavantus supra: verum quia talis Missa non est ad libitum, sed præcepta a Rubrica superiori; & quia debet cantari post Sextam, ut docet idem Gavantus supra, & etiam infra *tit.* 15. *num.* 2. non potest absolute & stricte dici Votiva: Votivæ enim cantantur post Nonam, ut infra videbimus.

RUBRICA.

3 *Aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum,* & *Vi-*

& Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis Votivis, etiam in Principali Missa, quæ vocatur Conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum Commemoratione Feriæ, de qua factum est Officium. Quæ tamen Missa, & omnes aliæ Votivæ in Missis Privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium (o) *non est Duplex, cum Commemoratione ejus, de quo factum est Officium, & Commemoratio item Festi Simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri Commemoratio in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest,* (p) *cum Officio conveniat.*

GAVANTUS.

Ab Albino institutore Votivarum Missarum alius decretus fuerat Ordo; nam in Dominica dicebatur Missa de Trinitate, Feria secunda de Sapientia, Feria tertia de Spiritu Sancto, Feria quarta de Charitate, Feria quinta de Angelis, Feria sexta de Cruce, Sabbato de S. Maria, *Microl. sup.* nunc autem Feria sexta, & Sabbato immutatis, & remanentibus, ut prius in Feriam secundam translata est Missa de Trinitate, quæ est proprior Dominicæ, Missæ de Angelis, & de Spiritu Sancto Ferias inter se commutavere: Feria scilicet tertia data Angelis; quia natura proximiores Trinitati; Feria quinta Spiritui Sancto, & Sanctissimæ Eucharistiæ; nisi quidem fortasse, qui die quinta creationis aquæ, super quas Spiritus Dei ferebatur, omne reptile, & omne volatile produxerunt; huic autem, quia eo die instituta fuit a Christo Domino. Missa de Sapientia non est amplius in usu, & Missæ de Charitate suffecta est Missa Apostolorum Petri & Pauli flagrantium præ aliis amore, & charitate, vel quia ea Feria Romam sunt ingressi, *ut ab erudito viro se didicisse scribit Vicecomes lib. 3. de Rit. Missæ cap.* 18. Denique Missa de Cruce, cui addita est alia de Passione, assignata fuit Feriæ sextæ, in qua Christus Cruci affixus fuit, cujus Ritus auctores facit Monachos Occidentales anno 1056. Card. Baronius. Sed Alcuinum censeo potius assignasse certis diebus Missas Votivas, quia Pelag. II. meminit Præfationis de Trinitate; & S. Gregorius habet Introitum Missæ de eadem in suo Antiphonario.

(o) *Non est Duplex.* Utrum in Dominicis dici poterunt Votivæ? nequaquam, quia supra dicitur: *Aliis diebus infra hebdomadam,* hoc est a Dominica ad Dominicam, & expressius dicitur hoc idem circa finem Missalis, in Rubrica posita inter Missas Votivas post Missas de B. V. in hæc verba: *Aliæ Missæ Votivæ pro diversis rebus, quæ dici possunt quocumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium Duplex*: eadem enim est omnium Votivarum ratio, unde & præcedentes Votivæ Missæ Feriis particularibus (nulla Dominicæ) fuerunt assignatæ in Rubrica ante easdem, & de Dominica quidem, quia festiva est, congrua est Rubrica, & hoc recte quidem, tum quia Duplex Solemnitatem habet; tum quia in Festis inferioris gradus pluralitas Orationum, & in præparatione, graviarumve actione post Missam, non duplicatæ Antiphonæ minus incongruunt Missæ Votivæ, quam in Festis Duplicibus, in quibus una tantum Oratio dicitur, & prædictæ Antiphonæ duplicantur, ex quo consequenter dicendum est, prohiberi Votivas in iis etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, argumento a fortiori sumpto: nempe infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria 4. Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes, & ita decrevit S. R. C. die 28. Augusti 1627. Tamen pro re gravi, de qua infra, poterunt cantari Missæ Votivæ, etiam in Festis non majoribus, cantata item altera de die.

Neque putes huic Rubricæ derogari in Pontificali Romano, in ordinatione Presbyterorum, quibus in fine præscribitur, ut post primam Missam celebrent alias de Spiritu Sancto, & B. Virgine, & pro Defunctis; id enim intelligitur, salvis Rubricis Missalis; alioquin absonum esset, celebrata prima Missa in Natali Domini, in tribus Festis sequentibus recitare Missas Votivas prædictas, & pro Defunctis, ut patet.

Dubitatum est, an exceptio Missarum Votivarum in Dominicis intelligatur etiam quando in die feriali sit Officium de Dominica anticipata post Epiphaniam, seu Pentecosten, seu Octavam Nativitatis Domini, sed vere verba Rubricæ sonant ipsum diem Dominicum, qui colitur a Populo, cui non convenit Missa Votiva Privata.

(p) *Cum officio conveniat.* Rubrica loquitur de Privatis Missis, nam Conventualis Missa debet semper concordare cum Officio, *cap. cum creatura, de celebr. Miss.* ubi verbum, *mandamus,* obligat ad mortale; *ex Bonacina de leg. disp. 1. qu. 1. punct. 7. §. 4. n. 7. cum communi, & in cap. quidam, & in cap. & hoc, de consec. dist. 1. Leg. Azor. l. 10. c. 32. q. 7.* & nota quod neque omitti potest pro Missa Defunctorum *in dict. c. cum creatura.*

* Ex quibus S. R. C. die 25. Junii 1611. & die 28. Januarii 1612. decrevit, teneri Canonicos omnino ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. Et die 16. Januarii 1627. duo respondit, alterum, quod ob Missam Votivam, seu pro Defunctis non potest omitti Missa Conventualis; quod intellige, salva eadem hac Rubrica de Votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis cum Officio de Feria, & pro Defunctis *tit. sequenti n. 1. & 2*; alterum est, quod neque potest introduci consuetudo in contrarium Ritum; & quoad illud primum perstitit in eadem sententia die 12. Julii 1628.

Conventualis igitur Missa erit semper de die, vel in feriali Officio erit Votiva, ut supra, secundum ordinem dierum assignatum in fine Missa-

salis, non autem Votiva ad libitum Cleri, seu Laicorum: Privatæ vero Missæ poterunt dici Votivæ quæcumque, in diebus non Duplicibus, neque Dominicis non servato dicto ordine dierum, arbitrio rationabili Celebrantis: non tamen convenit, puta infra Octavam B. V. dicere Votivam de eadem, tum quia magis colitur Beata Virgo cum Missa de Octava; tum quia secunda Oratio esset de eadem B. V. cujus recitatur Officium, tum quia fit satis obligationi pro Missa Votiva, si recitetur longior Missa Festiva.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

IV. Rubr. & Gavant. lit. o — *Non est Duplex &c.*) Agunt hoc loco Rubrica, & Gavantus de Missis Votivis, de quibus vide ea, quæ a nobis tradita sunt supra in nostris prænotionibus Liturgicis num. LVI. sed de hujusmodi Missis Votivis, nos, ut ibi innuimus, inhærentes Gavanti vestigiis, nonnulla hic trademus: & quia multa sunt, quæ pro earum praxi & Ritu colliguntur ex Auctoribus; ideo operæ pretium ducimus clara & distincta methodo procedere in hac materia. Sit igitur

§. I.

De Missarum Votivarum multiplici genere.

V. Missæ Votivæ sunt triplicis generis. Primi generis sunt illæ, quæ dicuntur de aliquo Sancto, vel de aliqua Solemnitate, de qua juxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur dies Festus. Quænam autem Missæ dicendæ sint de prædictis Sanctis, & Solemnitatibus, & quo Ritu sint celebrandæ, dicemus infra suo loco.

Secundi generis Missæ Votivæ (sequendo ordinem a Castaldo descriptum *lib. 2. sect. 6. cap. 4.*) sunt illæ, quæ habentur in Missali Romano post Commune Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiæ. Hujusmodi autem Missæ singulis diebus per hebdomadam assignatæ, octo recensentur, videlicet: Feria secunda de SS. Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apostolis, Feria quinta de Spiritu Sancto, vel SS. Sacramento, Feria sexta de Sancta Cruce, vel de Passione, Sabbato de Beata Maria Virgine.

VI. Hujusmodi autem Missæ octo secundi generis possunt dici loco Missæ Conventualis in diebus ferialibus, juxta dispositionem superioris Rubricæ, quæ habetur *num.* 3. Ceterum in aliis diebus, & loquendo de aliis Missis Votivis, non potest Missa Votiva suffragari pro Conventuali: & hoc clare constat ex Decretis a S. R. C. emissis, quæ dantur in nostro Indice *sub num.* 198. *& sub num.* 204.

Adnotandum tamen est, quod in Feria secunda pro Missa Conventuali potest etiam dici Missa Defunctorum loco Missæ Votivæ SS. Trinitatis: ut habetur in Rubrica Missalis præfixa his octo Missis Votivis.

Tertii generis Missæ Votivæ, quæ olim erant tredecim, modo quatuordecim enumerantur, quæ habentur in fine Missalis Romani, videlicet: Prima pro eligendo summo Pontifice, Sede vacante; Secunda in die Creationis, & Coronationis Papæ, ejusdemque Anniversario; Tertia in Anniversario Consecrationis Episcopi; Quarta ad tollendum schisma; Quinta pro quacumque necessitate; Sexta pro remissione peccatorum; Septima ad postulandam gratiam bene moriendi; Octava contra Paganos; Nona tempore belli; Decima pro pace; Undecima pro vitanda mortalitate, vel tempore pestilentiæ; Duodecima pro Infirmis: Decimatertia pro Peregrinantibus, vel iter agentibus; Decimaquarta pro Sponso, & Sponsa.

VII. Nuperrime huic tertio Missarum generi addita fuit illa, quæ septimo loco posita est, nempe ad postulandam gratiam bene moriendi, pro qua extat Decretum a S. R. C. editum die 30. Martii 1706. & datum est in nostro Indice *sub n.* 599. quæ quidem Missa composita fuit a Ven. Cardin. Thomasio, demandante Summo Pontifice Clemente XI. san. mem.

§. II.

De diebus, in quibus possunt, vel non possunt celebrari Missæ Votivæ.

VII. Missarum Votivarum tertii generis, prima, secunda, tertia, & decimaquarta, dicuntur Votivæ, quia non sunt de die, non tamen dici possunt quocumque tempore: sed prima, sede vacante tantum: secunda & tertia in anniversaria die Creationis Papæ, vel Episcopi tantum; decimaquarta in Benedictione Nuptiarum. Prima quæ est de Electione, & secunda quæ est pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, celebrari possunt etiam in Dominicis, & aliis Festivis diebus, ut tradit Castaldus *loc. cit.* & Gavantus *part. 4. tit. 17. num. 18.* Verum quoad primam, nempe, quæ dicitur pro eligendo summo Pontifice, Gerlacus Vinitor, qui *p. 1. tit. 4. in adnotat.* §. 11. & 12. convenit cum Castaldo §. 13. loquitur cum aliqua exceptione, asserendo cum Gavanto, quod Missa pro eligendo Summo Pontifice, prima vice tantum dici potest etiam in Dominica, seu Festo Duplici.

Secunda pariter ex dictis Missis tertii generis, quæ est pro Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, etiam in Dominicis, & Festivitatibus dici potest, ut tradit Castaldus *cit. loc. num.* 5. occurrentibus nempe in die Anniversaria Creationis & Coronationis Papæ, quam sententiam tenet pariter Turrinus *part. 2. sect. 1. cap. 2.* citans pro ea Gavantum *part. 4. tit. 17. num. 18.* qui tamen subobscure loquitur, confundens veluti hanc Missam cum illa de eligendo Pontifice, quæ solum prima vice juxta ipsum potest celebrari

brari in Dominica, seu aliis diebus Festivis. In Anniversario autem Episcopalis Consecrationis, quamvis Castaldus idem sentiat, nempe de tertia Missa præfati tertii generis; nihilominus Turrinus loc. cit. contra Castaldum asseverat inhærens Gavanto loc. loc. non posse celebrari dictam Missam tertiam diebus Dominicis & Festivis; sed prædictis diebus dicendam esse Missam de Dominica, vel die Festivo, cum Commemoratione pro Episcopo, prout clare disponit Cæremoniale Episcoporum *l. 2. c. 35.* & Concilium Provinciale Mediolanense IV. *de his quæ pertinent ad Sacrificium &c.* De quo videri etiam potest Decr. S. R. C. die 4. Aprilis 1705. & datum in nostro Indice *sub n. 593.*

IX. Utrum autem unica tantum Missa solemnis, vel etiam Privatæ Missæ dici debeant his diebus Coronationis, & Creationis Papæ, & Consecrationis Episcopi, est dubium a præfato Turrino discussum: in cujus decisione resolvit, quod etiam Missæ Privatæ in Consecrationis Episcopi Anniversario, dici debent: hac ratione motus, quia in Rubrica Missalis sic habetur: *In die &c. dicitur Missa:* ergo cum Rubrica non limitet, nec nos limitare debemus. Secundo, quia in Missali habemus, quod in eadem Missa dicitur *Credo*; loquendo autem de Missa Solemni hoc videtur superfluum: ergo de privatis intelligendum est, dicit Turrinus: nec approbat quod docet Castaldus *lib. 1. sect. 10. num. 41.* nempe Sacerdotes tantum Cathedralis, non vero alios Diœcesis teneri ad prædictam Missam Anniversariam celebrandam: Concilium quippe Mediolanense IV. quod in margine citat pro se, hoc non exprimit; immo *cap. de his quæ pertinent ad Sacrificium Missæ*, contrarium sentit; ubi dicit in Calendario notandam hanc diem, ut a Sacerdotibus, & reliquo Clero (& indefinite loquitur) Sacrificiis recolatur.

Procedit ulterius Turrinus, asserendo, quod in Anniversario Creationis, & Coronationis Papæ, etiam Missæ Privatæ debeant dici de tali Creatione &c. ab omnibus Sacerdotibus, supponens quod in aliis Diœcesibus celebretur hoc modo ab omnibus Sacerdotibus Anniversa. Consecrationis Episcopi; & revera si subsisteret hæc sententia, non posset reji alia prior; cum Papa sit Episcopus universalis Ecclesiæ. Verum circa hanc quæstionem, omne submovet dubium praxis Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, & aliarum Basilicarum Urbis, in quibus in anniversaria die tam Creationis, quam Coronationis Summi Pontificis, cantatur post Nonam, adeoque post Missam Conventualem, unica tantum Missa solemnis, quæ est de Creatione, vel Coronatione &c. & assumitur illa, quæ est in Cathedra Romana 18. *Januarii*, cum unica Oratione tantum, quæ est pro Papa, nempe *Deus omnium Fidelium Pastor, &c.* cum *Gloria*, & *Credo*, & *Præfatio de Apostolis*, in colore albo. Præter hanc Missam solemnem dicendam etiam in diebus Festivis, ut supra, ab aliis Sacerdotibus, etiam earundem Basilicarum, nulla dicitur Missa Privata, neque ulla fit Commemoratio de tali Anniversario Creationis, & Coronationis Papæ: & puto sic fieri respective in aliis Diœcesibus in die Anniversario Consecrationis sui Episcopi; cum revera nihil aliud præscribatur *a Cærem. Episc. loc. suprac.* Pro Missa Anniversaria Consecrationis Episcopi, vide etiam, quæ traduntur a Gavanto *p. 4. tit. 17. n. 20.* & ea quæ ibidem *sub num. 4.* adnotantur a nobis.

X. Decima vero quarta Missarum Votivarum tertii generis, quæ est pro Sponso, & Sponsa, his præsentibus, potest celebrari qualibet die, exceptis diebus Dominicis, & aliis Festis de præcepto; ut colligit Gavantus *loc. cit. n. 22.* & Rubrica talis Missæ in Missali præfixa: immo Halden *part. 7. tit. 7. pag. mihi 254.* addit, exceptis etiam diebus Duplicibus; nam, si Benedictio Nuptiarum facienda sit die Dominico, vel Festo Duplici, tunc juxta Missale, & Rituale Romanum *tit. de Matrimonio*, dicitur Missa de Dominica, vel Festo, *cum Gloria in excelsis, & Credo*, si illa Missa id requirat; cum Commemoratione tamen Missæ pro Sponso & Sponsa, ac reliquis quæ pro eorum Communione, & complemento Benedictionis, in eadem Missa habentur in Missali; quod inter alia monet, in fine Missæ Dominicalis, aut Festivis dicendum tunc esse pro more Evangelium S. Joannis; color, qui ad Missam tunc adhibetur, Dominicæ, vel Festo illi Duplici, aut diei privilegiato convenire debet. Quæ autem porro sint observanda in praxi circa Benedictionem Sponsorum, vide apud Gavant. *part. 4. tit. 17. an. 23.* usque ad 26. inclusive.

XI. Decem vero Missæ, quæ remanent dicti tertii generis, & aliæ Missæ Votivæ primi, & secundi generis, dici possunt quacumque die, Dominica non occurrente, aut Duplici, vel Officio, quod Duplex excludat, v. g. occurrente Officio Vigiliæ Nativitatis Domini, Feriæ IV. Cinerum, Vigiliæ Pentecostes &c. Magis tamen convenire videntur Missæ Votivæ his diebus infra hebdomadam per annum, habentibus Officium feriale, dummodo non sit resumenda Missa Dominicæ impeditæ, & ob paritatem rationis, ait Turrinus *part. 2. sect. 1. cap. 2.* etiam dummodo non sit anticipanda aliqua Dominica, cujus sedes ab aliquo Festo, vel Dominica majori occupetur, puta secunda post Ephiphaniam, cujus officium fiat in Sabbato, quando Septuagesima vindicat sibi diem proximum sequentem. Verum cum Gavanto supra *hoc titulo IV. lit. o* §. *Dubitatum est*, advertimus absolute loquendo, etiam prædictis diebus resumitur Missa Dominicæ, posse dici Missam Votivam. Solum igitur in illis Feriis, in quibus resumitur Missa Dominicæ non potest cantari Missa Votiva ex illis octo, quæ sunt secundi generis, correspondens tali Feriæ, quæ suffragetur pro Missa Conventuali: quia in dicto casu Missa Conventualis debet esse de illa Dominica, quæ fuit impedita.

XII. Ex his omnibus, & ex Rubrica Missali præ-

præfixa Missis octo, quas nos secundi generi appellamus, liquet, quod quamvis illæ Missæ assignentur, prima de Trinitate pro Feria 2. secunda de Angelis pro Feria 3. &c. nihilominus pro Sacerdotis devotione, quacumque die dici possunt per hebdomadam, dummodo Festum Duplex non occurrat &c. Verum si cantentur in diebus a Rubrica assignatis, possunt suffragari pro Missa Conventuali, ut patet ex superiori Rubrica, & ex Decretis Sacr. Congr. a nobis supra allegatis.

Quamvis Missæ Votivæ Privatæ dici non possint currente Officio Duplici, vel Dominica &c. pro re tamen gravi, vel publica Ecclesiæ causa, Missa Solemnis quacumque die, etiam Dominica, ac Duplici cantari potest, non tamen in majoribus solemnitatibus. Quænam autem sit res gravis pro licita Votivæ Missæ decantatione, exprimitur in Decreto Sacr. R. C. sub die 19. Maii 1607. quod datur in nostro Indice *sub num.* 58. & explicabimus §. XI. in quo agemus de Missa Votiva solemni.

Ratio autem, ob quam Ecclesia inducatur ad tolerandas Missas Votivas Privatas, diebus infra hebdomadam per annum habentibus Officium feriale, potius quam in ferialibus diebus Adventus, Quadragesimæ, Vigiliæ, vel in Festo Semiduplici, vel Simplici, est, ut tradit Turrinus supra *cap.* 2. Primo, quia in ferialibus diebus extra Adventum, Quadragesimam &c. non assignatur Missa peculiaris, sed de præcedenti Dominica; ac proinde dicendo Missam Votivam, nulla Missa in libro Missali posita sic omittitur; omitteretur autem si facile concederentur Votivæ in Feriis, quibus dicenda est Missa Dominicæ impeditæ, vel ferialis Adventus, Quadragesimæ, aut Vigiliæ, vel Festis ex supradictis, quæ omissio non facile permittitur. Hæc Turrinus. Sed in eo, quod spectat ad Ferias Adventus, omnino fallitur: nam illæ non habent Missam propriam, sed in iis resumitur Missa Dominicæ præcedentis, sicut in aliis Feriis per annum. Secunda Turrini ratio est, quia diebus ferialibus non impeditis per annum, Missa Votiva ab Officio diei minus discordat, quam eadem Votiva ab Officio feriali Quadragesimæ, Semiduplicium, &c. quæ Officii discordantia maxime ab Ecclesia cavetur. Quapropter etiamsi in prædictis Feriis Quadragesimæ, & aliis diebus, in quibus Semiduplex Officium recitatur, absolute loquendo, Missæ Votivæ celebrari possint; tamen hæ dici non debent, nisi intervenient aliqua rationabili causa: unde qui ut cito se expediant, vel simili aliqua levi occasione permoti, Missam currentem in Votivam permutarent, contra Rubricæ dispositionem profecto operarentur.

De Missa autem Votiva alicujus Sancti eo die, quo ille obiit, vel quia Titulus est Altaris, seu Cappellæ; quomodo, & quando possit celebrari, dicemus infra in §. 7. *de* Ingressu ad Missam Votivam, & diximus supra *tit.* 1. *num.* 2. nostrarum Observationum.

XIII. Superest nunc, ut hoc loco colligamus S. R. C. Decreta, declarantia quibus diebus Missæ Votivæ Privatæ vel Solemnes non possunt, vel possunt celebrari.

Missæ Votivæ acceptatæ pro diebus Duplicibus, vel aliis privilegiatis, auctoritate Apostolica permittitur, ut possint transferri in alios dies non impeditos. S. R. C. 19. Maii 1614. Et datur in nostro Indice *num.* 143.

Missarum ob multitudinem jam acceptarum, & pro quibus satisfaciendi non sufficiunt dies non impediti; ex speciali gratia Sanctissimi conceditur, ut sufficiat applicare valorem Missæ currentis, & ordinariæ pro Vivis, & Defunctis, qui postulaverunt Missas Votivas. S. R. C. 19. Maii 1614. Et datur in nostro Indice *sub num.* 144.

XIV. In diebus, in quibus non potest fieri de Festo Duplici, prohibentur Missæ Votivæ &c. Ita declaravit S. R. C. die 28. Augusti 1627. Et datur in nostro Indice *sub num.* 217.

Conceditur tamen privilegium Monachis Congr. Vallis Oletanæ canendi singulis diebus Missam Votivam de B. V. S. R. C. 19. Novembr. 1633. Et datur in nostro Indice *sub num.* 273.

Missæ Votivæ, quas ex obligatione Capitulum tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præscriptis, in quibus multoties occurrit Festum de præcepto, debent transferri in alteram diem non impeditam de præcepto. S. R. C. 9. Decembris 1634. Et datur in nostro Indice *sub n.* 277.

Missæ Votivæ non possunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. Et datur in nostro Indice *sub num.* 289.

Missa Votiva de B. V. in Vigilia Pentecostes non potest dici. S. R. C. 19. Augusti 1651. Et datur in nostro Indice *sub num.* 306.

Missa Votiva de B. M. V. cum *Gloria*, & *Credo* potest celebrari ob publicam causam, & ratione concursus. S. R. C. 8. Junii 1658. Et datur in nostro Indice *sub num.* 328.

Missa Votiva Solemnis de B. M. V. potest celebrari in die Dominica ratione concursus Populi. S. R. C. 20. Novembris 1662. Et datur in nostro Indice *sub num.* 397.

Missa Votiva Cantata de B. M. V. *cum Gloria*, & *Credo* potest celebrari in die Dominico causa voti, seu alia causa. S. R. C. 16. Junii 1663. Et datur in nostro Indice *sub num.* 411.

Missa Immaculatæ Conceptionis qualibet die Sabbati non conceditur. S. R. C. 20. Julii 1669. Et datur in nostro Indice *sub num.* 437.

Non possunt celebrari Missæ Votivæ infra Oct. Corporis Christi. S. R. C. Junii 1670. Et datur in nostro Indice *sub n.* 442. Et aliud 15. Septembris 1714. Et datur in nostro Indice *sub n.* 627.

Missa Festivitatis Conceptionis non potest celebrari in Sabbato, ut Votiva. S. R. C. 30. Decembris 1679. Et datur in nostro Indice *sub n.* 453.

Religiosi, aut Religiosæ professio sub re gravi numerari non potest, ita ut cani possit Missa Votiva solemnis: & licet sit consuetudo cantandi

in

in tali casu Missam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus; esse tamen abusum declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. Et datur in nostro Indice *sub num.* 462.

Missæ Votivæ de Venerabili, vel de B. M. V. in cantu fundatæ, non possunt dici in Duplicibus, aliisque diebus Duplicia excludentibus; sed cantari debent Missæ de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, sicque satisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quam abusum esse declaravit Sacr. Rit. Congregat. 24. Julii 1683. Et datur in nostro Indice *sub n.* 463.

Missæ Votivæ prohibentur infra Octavam Nativitatis Domini. Sacr. Rit. Congregat. 25. Septembris 1706. Et datur in nostro Indice *sub num.* 603.

Et iterum die 15. Septembris 1714. Et datur in nostro Indice *sub num.* 628.

In Vigilia Epiphaniæ Missæ Votivæ celebrari non possunt. S. R. C. 10. Decembris 1718. Et datur in nostro Indice *sub num.* 635.

Præterea occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti, pro Oratione continua quadraginta Horarum Clemens XI. in Constitutione 9. quæ habetur in ejus particulari Bullario *part.* 2. & quæ incipit Italice: *Essendo state fatte, &c.* §. 10. præscribit: Quod ad Altare, ubi exponitur Sanctissimum Sacramentum, non celebretur alia Missa, quam Solemnis pro expositione. & repositione: & ultra Conventualem (in Ecclesiis, in quibus adest obligatio eam cantandi) celebretur post Nonam Missa Sanctissimi Sacramenti Votiva pro re gravi; exceptis tamen omnibus illis Dominicis, quæ sunt primæ vel secundæ Classis, & omnibus diebus, quibus ratione Calendarii, tam universalis, quam particularis illius Ecclesiæ, in qua fiat expositio, fiat Officium itidem primæ, vel secundæ Classis: ac excepta etiam Feria 4. Cinerum, Feriis 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ; & item in omnibus diebus infra Octavas Paschatis, & Pentecostes; Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, & de die Octava Epiphaniæ; in quibus Dominicis, aliisque diebus, & Feriis exceptis, cantetur Missa Conventualis cum Oratione Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione: & ita servari mandavit in omnibus Ecclesiis tam Sæcularium, quam Regularium. Die vero media celebratur Missa Votiva Solemnis de Pace, ut enunciatur in dicta Constitutione, quæ datur etiam a nobis inter nostras Observationes ad tit. 14. secundæ Partis. Ex dispositione contenta in præfata instructione inferunt communiter recentiores non posse celebrari Missam solemnem Votivam pro re gravi in diebus primæ & secundæ Classis.

§. III.

De quibus Sanctis, vel Solemnitatibus dici possint, vel non possint Missæ Votivæ.

XV. De tempore, e. gr. de Dominica, de Adventu, de Quadragesima, &c. Item in Festis mobilibus, v. g. de Paschate, Ascensione Domini, &c. Missæ Votivæ certissimum est quod non celebrantur. Verum de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Passione Domini, de SS. Corporis Christi Sacramento, &c. Missæ Votivæ dici possunt: attamen non eæ, quæ in suis Festivitatibus habentur, ut videbimus infra; sed eæ, quæ in fine Missalis assignantur ut Votivæ de præfatis Mysteriis, & Solemnitatibus; Castaldus *lib.* 2. *sect.* 4. *n.* 2. Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 4. §. 3. Hagerer in Appendice de Missis Votivis *tit.* 2. §. 1. De supradictis Mysteriis Christi Domini, Resurrectione, vel Ascensione, seu Nativitate, aut quovis alio; quamvis non habeatur Missa Votiva propria, sicut habetur de Trinitate, &c. nihilominus si de præfatis Mysteriis exigatur Missa, censet Guyetus *l.* 4. *c.* 21. *q.* 2. posse dici Votivam de SS. Trinitate, seu etiam, ut vult Cæremoniale Monasticum *l.* 3. *c.* 13. *n.* 6. diei occurrentis, cum intentione venerandi Festivitatem, seu Mysterium, cujus petitur Missa. Quæ enim incommoda, Gavantus *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 8. sequi, ait, ex mutationibus faciendis, si exigatur Missa de Assumptione, vel Nativitate B. V. v. g. in Introitu *Gaudeamus omnes in Domino* vocis illius *diem Festum in Commemorationem*, & aliis similibus; ea longe plura, & incongruentiora occurrunt in Missis Mysteriorum Christi Domini, puta in omittendis *Alleluja* in Introitibus Paschæ, Ascensionis, &c. in substituendis Graduali, Tractu, aut duplici versu pro ratione temporis, &c. Similiter si exigatur Missa Votiva de Reliquiis ejusdem Christi Domini, puta *de Fasciis, de Corona Spinea, de Lancea, de Clavis, de Sacra Sindone, &c.* item & *de Nomine Jesu*, dici potest Missa de Cruce, vel de Passione, vel diei occurrentis cum intentione venerandi prædictas Reliquias; nisi forte de eisdem habeatur Missa propria legitime approbata; sicuti in aliquibus Missalibus, & pro aliquibus locis reperitur *Missa de Lancea & Clavis Domini*, approbata, & concessa a Bonifacio VI. & Innocentio VI. ut dicatur per Germaniam proxima Feria 6. post Octavam Paschæ non impedita Festo novem Lectionum: sic etiam reperitur particularis Missa de Corona Spinea approbata pro toto Ordine Cisterciensi, & dicenda etiam in Ecclesiis Monialium ejusdem Ordinis utentium Breviario Romano, necnon in Ecclesia Canonissarum Lateranensium Viturclen. Diœcesis Balneoregiensis: rursus habetur quoque Missa peculiaris de Sacra Sindone ab Eminentissimo Card. Bona compacta, & concessa pro toto Serenissimo Sabaudiæ Dominio: & denique Missa SS. Nominis Jesu approba

bata, & dicebant nunc in tota Universali Ecclesia, Dominica II. post Epiphaniam.

De Sanctis vero non descriptis in Calendario, quamvis non possit celebrari Officium Divinum ad satisfaciendum propriæ obligationi, nisi adsit specialis concessio, & consequenter non possint dici Missæ propriæ eorumdem Sanctorum secundum ordinem Officii: possunt nihilominus dici Missæ votivæ de quocumque Sancto, de cujus Canonizatione constat, vel ex Martyrologio, vel aliàs: cui sententiæ favere videtur Gavantus *p. 4. tit.* 17. *n.* 15. Guyetus *lib. 4. cap.* 21. *q.* 2. præsertim Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 7. ubi citat pro sua sententia nonnullos Theologos, præsertim vero Bellarminum *tom.* 1. *Controv. lib.* 1. *cap.* 7. Ratio autem præter alias, quas adducit in comprobationem hujus communis sententiæ, est, quia juxta Rubricas possunt dici Missæ votivæ de Sanctis, absque ulla exceptione. Hanc quæstionem tractat etiam noster Pasqualigus *tom.* 1. *de Sacrif. Missæ qu.* 270. Diximus posse dici Missam de quocumque Sancto, de cujus Canonizatione constat, &c. ex quo infertur hoc nomine non venire Sanctos toleratos tantum, hoc est illos, de quorum Canonizatione nec ex Martyrologio, nec alias constat; sed solummodo, vel ob miracula patrata, vel aliunde ab hominibus, sciente, & non contradicente Ecclesia, Sancti appellantur, & coluntur privato, non vero publico & universali cultu ab Ecclesia concesso.

XVI. Gravis agitatur quæstio inter Theologos: utrum possint dici Missæ votivæ de Beatis, nondum canonizatis. Prima sententia concedit posse dici prædictas Missas votivas de Beatis a quocumque, & quomodocumque, & quavis die, scilicet in qua sit permissa celebratio Missæ votivæ: quia hoc ipso, quod Sedes Apostolica Beatorum Fastis aliquem adscripsit, & dignum, in cujus honorem semel celebrari possit Missa; quilibet recitans Missam, quacumque die, & in quacumque Ecclesia in honorem illius Beati, id facit auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ abstulit impedimentum, &c. Ita Pasqualigus *tom.* 1. *de Missæ Sacrificio qu.* 277. *num.* 3. *& seqq.* & alii Auctores quos congerit Quarti *part.* 1. *titul.* 4. *dub.* 6. *v. Prima sententia, & sequent.* Communior tamen sententia, & vera (quam sequitur idem Quarti *loc. cit. v. Secunda sententia*) negat in honorem Beati nondum canonizati posse dici Missam extra diem assignatam, vel ab aliis personis, vel in aliis Ecclesiis, non expressis in diplomate Beatificationis: idque deducit ex *cap.* 1. *de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*, tum ex Decreto S. R. C. die 10. Septembris 1652. & quod exhibentur in nostra Appendice nostri Indicis Decretorum, ubi habetur: *Non posse tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis & instituti excedere limites verbales Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, Officii cum Octava, &c.* Præterea veritas hujus secundæ, & communis sententiæ confirmari etiam poterit ex aliis Decretis Sacræ R. C. quæ dantur in nostro Indice *sub n.* 331. & *sub num.* 363. necnon 366. ex quibus omnibus eruitur neminì licere aliquem venerari cultu publico absque licentia Sedis Apostolicæ. In casu autem nostro de Beatis, licentia non est concessa eos publice colendi recitatione Divini Officii, & oblatione Sacrificii, nisi determinatis personis, & pro diebus & locis determinatis; ergo non est licitum prædictos limites excedere, & quacumque die, in quacumque Ecclesia, pro cujuslibet devotione Missam votivam alicujus Beati celebrare. Huic communi sententiæ subscribunt etiam Bissus *tit. M n.* 231. §. 26. necnon Guyetus supracitatus.

Superest nunc, ut mentionem faciamus Decreti S. R. C. sub die 8. Aprilis 1628. in Una Urbis, & dati in nostro Indice *sub num.* 228. in quo prohibeatur Missa specialis *de quindecim Auxiliatoribus*, quæ impressa erat olim Venetiis: sic pariter in eodem Decreto rejecta fuit Missa *de Patre Æterno*, Matriti olim edita, nec non Missa S. Gregorii intitulata *pro Vivis, & Defunctis.*

Convertendo vero sermonem ad Missam de quatuordecim Auxiliatoribus, nempe de Sanctis Georgio, Vito, Blasio, Dionysio, Pantaleone, Erasmo, Cyriaco, Christophoro, Achatio, Eustachio, Ægidio, Catharina, Margarita, Barbara; si celebretur Missa votiva de istis Sanctis, quamvis non possit dici illa, quæ fuit proscripta a S. C. cujus mox innuimus Decretum: nihilominus, si specialis devotio petentium requirat Missam de his Sanctis, censet Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 2. *num.* 3. posse dici Missam de pluribus Martyribus ex Communi Sanctorum: tum quia plures ex prædictis Sanctis Martyrii palmam adepti sunt; atque adeo major pars trahit ad se minorem; tum quia cum nullus in his Apostolus contineatur, proximi dignitate sunt ipsi Martyres; atque adeo ex hoc capite merito de ipsis potius quam Confessoribus, & de Virginibus Missa legitur: maxime cum pro pluribus Martyribus Missæ in Missalibus descriptæ extent; non item pro pluribus Confessoribus in eo extantes reperiantur.

Rursus si quis habeat onus celebrandi Missam votivam de Sanctissimo Rosario, vel S. M. de Monte Carmelo, quamnam Missam votivam celebrare debeat, agit Gavantus *part.* 4. *tit. XVII. n.* 9. & nos cum eodem ibidem sermonem habebimus in nostris Additionibus *num.* II. Interea recolantur Decreta data in nostro Indice *sub n.* 189. & *sub n.* 229. In quorum primo statuitur Missam propriam Sanctissimi Rosarii non nisi PP. Prædicatoribus esse concessam; in secundo vero decernitur Missam S. M. de Monte Carmelo pariter non nisi a quibusdam Regularibus posse dici, ut paulo infra *sub num. XXX.*

§. IV.

Quæ, & qualeſ Miſſæ Votivæ dicendæ, vel non dicendæ ſint de illis Sanctis, vel Solemnitatibus, ſeu Myſteriis, de quibus conceſſum eſt ab Eccleſia Miſſas Votivas celebrari.

XVII. Præmittimus ante omnia Decretum Sac. R. C. in quo mandatur, non amplius dici debere quasdam Miſſas Votivas de aliquibus Sanctis, & de aliquibus Solemnitatibus.

Sacra Rituum Congregatio de ordine Sanctiſſimi mandat non amplius dici quasdam Miſſas Votivas, in quibus Ritus & veritas verborum violatur, prout in ſequenti Decreto, videlicet: Sanctiſſimus Dominus Noſter Paulus Papa V. vivæ vocis oraculo, declaravit, & ſancivit, amplius recipi, aut dici non debere quasdam Miſſas Votivas, ſeu Collectas, quæ propriæ ſunt Solemnitatum, aut in Miſſali Romano designantur; ejusmodi ſunt Miſſæ Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis D. N. J. C., Nativitatis, Purificationis, Aſſumptionis B. M. V. Sancti Joannis Baptiſtæ, & aliæ ejusmodi, quæ proprios habent Introitus, vel Collectas extra proprios dies, vel Octavas, absurdum eſſet dicere: quæ vero Miſſæ hujusmodi jam permiſſæ eſſent, aut receptæ, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ut illis omiſſis ſatisfaciat dicendo Miſſam de tempore occurrenti.

Miſſæ autem Votivæ aliorum Feſtorum, aut Solemnitatum, in quibus veritas & Ritus verborum non violatur, nihil prohibet, quin dici poſſint, ſed quantum fieri poteſt curare debent Sacerdotes, ut omnes Miſſæ Votivæ, ad eas, quæ in Miſſali aſſignatæ ſunt, reducantur, ne Eccleſiæ Ritus ad cujuslibet arbitrium, propriæ devotionis prætextu temere mutentur.

XVIII. Lubet hic exhibere Indicem Miſſarum Votivarum, in quarum celebratione apprime ſervatur Ritus verborum, & veritas: qui quidem Index, tamquam a Sac. R. C. editus, refertur in Appendice prima Synodi Diœceſis Balneoregienſis habitæ Anno Domini 1710. & impreſſæ Viterbii *pag.* 84.

Ægidii Abbatis 1. Septembris.
Ambroſii Epiſcopi & Doctoris 7. Decembris.
Antonii Abbatis 17. Januarii.
Apparitio S. Michaelis Archangeli 8. Maii.
Auguſtini Epiſc. Doct. 28. Auguſti.
Bernardi Abbatis 20. Auguſti.
Barnabæ Apoſtoli 11. Junii.
Calliſti Papæ & Mart. 14. Octobris.
Chryſogoni Mart. 24. Novembris.
Cypriani & Juſtinæ Mart. 26. Septembris.
Damaſi Papæ & Confeſs. 11. Decembris.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli 29. Septemb.
Dominici Confeſs. 4. Auguſti.
Fabiani & Sebaſtiani Martyrum 20. Januarii.
Felicis & Adaucti Martyr. 30. Auguſti.
Franciſci Confeſs. 4. Octobris.
Franciſci de Paula 2. Aprilis.
Gregorii Nazianzeni Epiſc. 9. Maii.
Hieronymi Conf. & Doct. 30. Septembris.
Hilarii Epiſc. & Confeſs. 14. Januarii.
Hilarionis Abbatis 21. Octobris.
Ignatii Epiſc. & Martyr. 1. Februarii.
Inventio S. Crucis 3. Maii.
Joannis ante portam Latinam 6. Maii.
Joannis Chryſoſt. Epiſc. & Confeſs. 27. Januarii.
Lucæ Evangeliſtæ 18. Octobris.
Ludovici Regis Francorum Confeſs. 25. Auguſti.
Marci Papæ & Confeſs. 7. Octobris.
Mariæ Magdalenæ 22. Julii.
Matthæi Apoſtoli 21. Septembris.
Mathiæ Apoſtoli 24. Februarii.
Nazarii & Sociorum Mart. 28. Julii.
Petri Martyris 29. Aprilis.
Pontiani Papæ & Mart. 19. Novembris.
Quadraginta Martyrum 10. Martii.
Septem Fratrum Martyr. 10. Julii.
Sergii, Bacchi, & Sociorum Martyrum 7. Octob.
Stanislai Epiſc. & Mart. 7. Maii.
Thomæ de Aquino Conf. 7. Martii.
Timothei Epiſc. & Mart. 24. Januarii.
Vincentii & Anaſtaſii Mart. 22. Januarii.
Viti & Modeſti Mart. 15. Junii.
Zephyrini Papæ & Mart. 26. Auguſti.

EX COMMUNIBUS.

Unius Martyris Pontif. Introit. *Statuit.* Oratio *Infirmitatem, &c.*
Martyris tempore Paſchali, Introitus *Protexiſti, &c.* Quando dicitur Oratio *Infirmitatem.*
Doctoris introit. *In medio Eccleſiæ.* Oratio *Deus qui Populo, &c.*
Abbatis Introitus *Os Juſti meditabitur.* Oratio *Interceſſio nos, &c.*
Virginis Martyris Introitus, *Me expectaverunt, &c.* Oratio *Indulgentiam, &c.*

Poſt editionem hujus Indicis, & publicationem allegati Decreti editæ fuerunt aliæ Miſſæ, quæ pariter dici possunt etiam in gradu Miſſarum Votivarum, quin varietur veritas & Ritus verborum, quæ in dictis Miſſis habentur.

Ex Decreto allegato a prædicta Synodo liquet, quod loquendo de Miſſis Votivis primi generis, nempe de Miſſis Votivis Sanctorum, quando dicitur Miſſa Votiva alicujus Sancti, debet assumi Miſſa propria illius Sancti, si habeatur in Miſſali, vel in proprio illius loci, in quo Miſſa dicitur, dummodo tamen veritas, & Ritus verborum non violetur; & ideo excluduntur aliquæ Miſſæ aliquot Feſtivitatum a claſſe Votivarum.

Si tamen poſſit variari v. *Hodie*, ubi reperitur, & mutari in Oratione vox *Natalitia*, *Feſtivitas*, *Solemnitas*, & alia hujusmodi in vocem *Commemoratio*, aut *Memoria*; tunc potest assumi Miſſa Feſtivitatis dicti Sancti; desumptis, si opus fuerit,

vel

vel Tractu; vel altero versu post Pascha, vel Graduale extra tempus Paschale, ex Missa de Communi: vel si non potest ob dictam rationem dici Missa de Festo talis Sancti, cujus celebrari debet Missa Votiva; tunc tota hæc Missa dicatur de suo Communi, prout ratio temporis, sive Paschalis, sive non Paschalis exigit. Ita Gavantus *par. 4. tit. 17. Rubr. 1. num. 13.* Guyetus *lib. 4. c. 21. q. 3.* Cærem. Monast. *lib. 3. cap. 4. num. 1.* Hagerer in Append. *tit. 1. num. 19. & 20.* Sic autem dictum illud temperat Guyetus loc. cit. totam Missam de Communi posse accipi pro ratione temporis Paschalis, vel non Paschalis; ut tamen, quæ Sancti alicujus propriissima sunt, ea quocumque tempore dicantur, puta versus S. Andreæ, S. Martini, S. Francisci; Communio S. Ignatii, S. Agathæ, & similia. Missæ autem quædam in quibusdam Missalibus ad calcem additæ aliquorum Sanctorum, quæ sunt vel proscriptæ, vel non legitime approbatæ, nunquam debent assumi pro dicendis Missis Votivis talium Sanctorum, de quibus tales Missæ titulum præseferunt.

Si petatur Missa Votiva alicujus Sancti infra Octavam ejusdem, si de eo fiat Octava, sed in die, in quo Officium non fiat de die infra Octavam, sed de alio Sancto Semiduplici, puta si infra Octavam S. Georgii, ubi celebratur cum Octava, peteretur Missa ejusdem Sancti, sed die 26. Aprilis, quo die cadit Festum Semiduplex Sanctorum Martyrum Cleti & Marcellini, in eo casu debet dici Missa S. Georgii juxta Ritum Missæ Votivæ: non enim dicenda est Missa S. Georgii more diei infra Octavam: quia cum discordet ab Officio, & dicatur pro libito, utique debet esse Missa Votiva; ut colligitur ex Decreto S. R. C. 2. *Decembris* 1684. dato in nostro Indice *sub n.* 479. Neque obstat quod Octava reputetur unum & idem Festum; id enim est verum quando perseverat Officium Octavæ; secus vero quando interrumpitur, eo quod fiat Officium alicujus Festi: tunc enim pro ea die non perseverat Officium Octavæ. Rursus neque obstat, quod fiat Commemoratio Octavæ, & etiam ratione Octavæ dicatur *Credo*, in Missa de Festo Semiduplici, si talis Octava illud exigat: quia inde non sequitur, quod Missa infra Octavam dicenda in gradu Missæ Votivæ, tunc concordet cum Officio: & ideo semper censenda est Missa Votiva; ex Bisso *tom. 2. tit. M. n.* 181. §. 12. & ex Hagerer *in Append. tit. 1. §. 2. n. 9. & §. 1. num. 10.* ubi adnotat hoc idem dicendum de Missa votiva B. M. V. celebranda infra aliquam octavam ejusdem Beatissimæ Virginis, in die in quo fit de aliquo Festo Semiduplici: quod etiam confirmatum remanet ex Decreto mox allegato, his verbis ... *Qui celebrat Missam de B. M. V. eo die, quo fit de aliquo Festo Semiduplici infra Octavam ejusdem B. M. V. debet dicere Missam de Octava, sed more Votivo sine* Gloria, *& sine* Credo, *nisi fuerit Sabbatum, quia tunc dicenda erit* Gloria, *sine* Credo: cui concordat aliud ejusdem Congr. Decretum datum sub nostro Indice *n.* 474.

Non sequitur tamen ex hucusque dictis quod occurrente aliqua Vigilia infra aliquam octavam, v. g. vigilia Assumptionis infra octavam S. Laurentii, ut diximus supra in titulo de Feria, & vigilia; si exigatur Missa votiva S. Laurentii, non sequitur, inquam, tunc posse dici in tali Missa votiva, Hymnum Angelicum *Gloria, &c.* quia quamvis Officium recitatum fuerit de S. Laurentio, Missa tamen propria illius diei est Missa vigiliæ Assumptionis; non vero Missa infra octavam S. Laurentii: unde licet Missa votiva, quæ dicitur de S. Laurentio, correspondeat Officio; attamen quia non est Missa præscripta a Rubrica, tamquam dicenda illa die, sed est Missa, quæ dicitur pro libito Sacerdotis, semper est in gradu Missæ votivæ, adeoque sine *Gloria.*

XIX. Si ab aliquo petatur Missa votiva in honorem plurium Sanctorum Martyrum, vel Confessorum, vel Virginum, quorum quilibet, vel saltem aliqui habent aliam, vel propriam, vel de Communi sumptam Missam, vel saltem Orationem; tunc Missa videtur bene celebranda de Communi talium Sanctorum respective, & secundum tempus: ita ut si petatur Missa in honorem Martyrum Pontificum, vel non Pontificum, &c. tunc sumenda sit Missa de Communi talium martyrum tempore Paschali, vel extra illud, prout nempe tempus, & Sanctorum qualitas exigit. Et quandoquidem, ut supponitur, locus determinatus non sit, poterit eligi ex primo, vel secundo loco, prout placuerit, & devotio suggesserit: nec quidquam in ipsa Missa mutatur, nisi quod ea, quæ in orationibus ponuntur in singulari, dicantur in plurali, sicut etiam præscribitur in Rubrica Breviarii, *in Comm. Pontif. & Confess.* Quod ultimum intelligendum est si petatur Missa votiva in honorem *plurium Confessorum Pontificum, & non Pontificum: Virginum tantum, ac nec Virginum nec Martyrum;* nam cum in Missali habeatur Commune plurimorum *Martyrum*, Commune plurimarum *Virginum & Martyrum*; non habetur tamen Commune plurimorum *Confessorum, &c.* Ita Hagerer *loc. cit. §. 2. n. 6.*

XX. Si dicenda sit Missa votiva de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ insignes; si fuerint omnes ejusdem qualitatis, puta omnes Martyres, vel omnes Confessores, Missa dicatur de Communi martyrum, vel Confessorum, ut supra. Si vero fuerint martyres alii, alii vero Confessores, aut Virgines, Missa erit dicenda de Communi martyrum; nisi quod in orationibus tacenda erit qualitas martyrum, vel sumendæ erunt orationes de Missa S. Callysti Papæ & martyris 14. Octobris. Ita Guyetus *lib. 4. cap. 21. qu. 3.*

XXI. Tandem si sit celebranda Missa votiva de omnibus Sanctis, erit dicenda Missa de Festo omnium Sanctorum, excepto quod loco Introitus *Gaudeamus, &c.* apte satis reponi posset Introitus *Timete Dominum, &c.* ut in Festo S. Cyriaci, &c. mart. 8. Augusti. Oratio vero erit *Concede quæsumus, &c.* quæ est prima inter orationes

nes diversas ad libitum. Quod si supradicta Missa votiva de omnibus Sanctis sit celebranda tempore Paschali, poterit dici Missa, quæ ponitur in Missali pro Communi plurimorum martyrum tempore Paschali; idest *Sancti tui*, &c. cum oratione *Concede quæsumus*, &c. Ex Guyeto, & Bisso locis citatis.

XXII. Pro Missa votiva S. Joannis Baptistæ poterit dici Missa, ut in Festo Nativitatis ejusdem: verum cum hac exceptione, quod Oratio, Secreta, & Postcommunio ex ejusdem Sancti Vigilia commodius assumi poterunt absque ulla mutatione; & sic servabitur Decretum Sac. Congregat. a nobis supra expositum. Tractus talis Missæ post Septuagesimam erit *Desiderium*. Versus alter tempore Paschali *Justus germinabit*, ex Missa posita secundo loco in Communi Confessoris non Pontificis. De ejusdem Sancti Præcursoris Decollatione poterit dici Missa votiva eadem, quæ est in ipsomet Festo: at tempore Paschali, *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, retentis orationibus, Epistola, & Evangelio, &c. Ex Guyeto supra, &c.

XXIII. Si requiratur Missa votiva in honorem Sanctorum Innocentium tempore Paschali, poterit dici Missa, quæ habetur in Missali pro pluribus martyribus tempore Paschali, cujus Introitus incipit: *Sancti tui, Domine*: sed Psalmus erit *Laudate pueri Dominum*, &c. retinendo tamen semper ea, quæ in Missa propria sunt peculiaria huic Festo, puta orationem, & versum post Epistolam, omissis verbis *Hodie*, *Festivitatis*, *Solemnitatis*, &c. Bissus *tom. 2. lit. M. n.* 181. §. 11.

§. V.

Quæ Missæ Votivæ secundi generis dicendæ sint, de quibus supra.

XXIV. Postquam §. antecedenti exposuimus quænam Missæ votivæ dicendæ sint de illis Sanctis, de quibus in primo Missarum genere celebrari possunt Missæ votivæ, nunc procedimus ad proponendas Missas votivas illorum Mysteriorum, Festivitatum, & Sanctorum, de quibus in secundo Missarum votivarum genere brevis sermo a nobis habitus fuit.

Igitur, ut ad aliqua particularia de his Missis secundi generis descendamus, initium desumimus a Missa de Sanctissima Trinitate, quæ inter prædictas Missas secundi generis, primum locum sibi vindicat. Missa igitur votiva de hoc Sacrosancto omnium primo, & incomprehensibili mysterio, eadem dicenda est, quæ celebratur in Dominica, & Festo ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, sed sine *Gloria*, & *Credo*. In ea oratio secunda erit diei currentis: tertia vero illa, quæ alioquin esset secunda in Missa diei currentis, Præfatio ea, quæ est propria in Festo SS. Trinitatis.

In Missa vero illa votiva de Sanctissima Trinitate, quæ dicitur pro gratiarum actione, sub una eademque conclusione, cum oratione prima dicitur alia oratio tantum, *Deus, cujus misericordiæ*, &c. in Missis Solemnibus cantandis pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa; in Missis vero Privatis, secunda oratio erit officii de more, & tertia de gratiarum actione, quæ incipit, ut supra, *Deus cujus misericordiæ*, cum suis solitis conclusionibus. Gavantus *part. 1. tit. 7. n. 7. lit. n*, Bissus *lit. M. n.* 233. §. Guyetus *lib. 2. c. 21. qu.* 13. §. 2. Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 7. num. 7.* §. 7. Hagerer *loc. cit. n.* 7. Halden *pag. 3. tit. 7.* In Feria 2. cujuscumque hebdomadæ, in qua officium fit de Feria, Missa Principalis, ut dixi-mus, potest etiam esse Missa pro Defunctis, quæ dicenda est ut in quotidianis Defunctorum cum tribus orationibus, ac sine Sequentia. Secundo loco describitur Missa votiva de SS. Angelis in fine Missalis dicenda in Feria 3.; sed semper cum *Gloria*, & *sine Credo*, quacumque die, dicatur secunda oratio diei currentis; tertia vero illa, quæ alioquin esset secunda in Missa diei currentis, Præfatio communis.

Si petatur Missa votiva S. Michaelis Archangeli, poterit dici Missa, servatis servandis, ut in ejus Dedicatione 29. *Septembris*. Sic etiam de Angelis Custodibus, poterit dici Missa votiva, ea, quæ habetur in Missali *die 2. Octobris* in Festo dictorum Angelorum. Eodem modo discurrendum est de Missis Sanctorum Archangelorum, Gabrielis, & Raphaelis, quæ sunt a S. Romana Ecclesia approbatæ; in quibus omnibus Missis Præfatio erit de Communi.

XXV. Tertia inter Missas votivas secundi generis, quæ assignatur dicenda in Feria 4. est de Sanctis Apostolis Petro & Paulo (quæ extra tempus Paschale dicenda, ut habetur in fine Missalis) semper sine *Gloria*, & *Credo*, & cum aliis duabus Orationibus, ut supra, & cum Præfatione Apostolorum. Illo autem tempore, quo dicitur Oratio *A cunctis*, dici debet in hac votiva loco *A cunctis*, alia Oratio de Sancta Maria, nempe *Concede*, &c. ne scilicet bis fiat explicita mentio in Orationibus Sanctorum Petri & Pauli. Halden loc. cit. Si vero sit dicenda Missa votiva dictorum Apostolorum tempore Paschali, tunc ea assumi debet, quæ ponitur in Festo S. Marci occurrentis die 25. Aprilis; retentis tamen Oratione, Epistola, & Evangelio ex propria Missa votiva supradicta SS. Apostolorum Petri & Pauli, quæ est in fine Missalis, & incipit *Mihi autem*, &c. Si petatur Missa votiva alterius Apostoli a SS. Petro & Paulo, tunc erit dicenda Missa, quæ habetur in proprio Festo talis Apostoli, juxta ea, quæ diximus supra, mutato nomine *Nativitatis in Commem.* & omisso verbo *Hodie*, si in Missa Festi habeatur, demptis etiam *Gloria*, & *Credo*.

XXVI. Si petatur Missa votiva de omnibus simul Apostolis; cum de omnibus simul Apostolis,

nulla

nulla sit Missa Communis obvia est Votiva de SS. Pietro & Paulo, dempta prima Oratione, cujus loco dici poterit Oratio ex Festo SS. Simonis & Judæ, 28. Octob. omisso ly *Simonem & Judam*, prout etiam in Secreta, & Postcommunione; vel omittenda sunt verba *Petri & Pauli*; vel his retentis, addenda sunt verba *& aliorum Apostolorum*, ut facit ipsa Ecclesia in Oratione *Protege*, quæ habetur in Laudibus, & Vesperis Officii parvi B. V. M. Ratio est, quia integra Missa Apostolorum Petri & Pauli Votiva (Oratione dempta) convenire censetur etiam cæteris Apostolis, prout consideranti patet. Ita Hagerer *loc. cit.* §. 18. Verum Guyteus loc. suprac. asserit in tali Missa Votiva de omnibus Apostolis posse sumi Epistola de Festo S. Thomæ: *Jam non estis hospites, & advenæ, &c.* tempore autem Paschali, quæ aliunde supplenda sunt, sumantur ex Missa S. Marci, prout præscribit Rubrica Missalis post Missam SS. Petri & Pauli Votivam. Et quod dictum est de omnibus Apostolis, si in honorem quorumdam tantum Apostolorum Missa Votiva petatur, idem intellige, nisi iidem Missam habeant Communem e. g. SS. Simon & Thaddæus, vel SS. Philippus & Jacobus, aut ratio manifesta aliud suadeat. Ex Hageror loc. cit.

Si vero petatur Missa votiva de S. Petro tantum, aut de S. Paulo solum, etiam tunc dicitur Missa votiva communis utrique Apostolo, cum intentione venerandi Apostolum, cujus Missa votiva petitur: numquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjungit. Gavantus *part. 4. titul. 17. n. 6.*

Si quis petat Missam votivam in honorem Conversionis S. Pauli: vel dicatur Missa votiva communis utrique Apostolo, ut supra, & ut docet Gavantus supra eodem tit. & num. vel si dicatur Missa Conversionis S. Pauli, fiat Commemoratio S. Petri, ut docet idem Gavantus supra, necnon Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 7. §. 9.* & Hagerer supra §. 15.

Denique advertimus, quod si occurrat celebrari Missam Votivam post Septuagesimam; in eo casu post Epistolam dicatur Tractus, ut notatur in Missa Votiva SS. Apostolorum Petri & Pauli; vel *Desiderium*, ut in Festo S. Mathiæ. Guyetus *lib. 4. cap. 21. quæst. 3.*

XXVII. Quarta Missa Votiva secundi generis dicenda in Feria 5. extat in fine Missalis post tertiam præcedentem, & est *de Spiritu Sancto*, in qua omittitur *Gloria*, & *Credo*; & secunda Oratio dicitur diei currentis; tertia, illa, quæ alioquin foret secunda; Præfatio dicitur propria, ut in Pentecoste, omissis tamen extra tempus Pentecostes verbis illis *Hodierna die.* Porro circa Orationem primam hujus Missæ, notandum occurrit quod si Missa Votiva *de Spiritu Sancto* (seu Solemnis, seu privata) in ordine ad postulandam Sancti Spiritus gratiam dicatur, tunc loco Orationis *Deus qui corda Fidelium*, dicenda sit Oratio *Deus, cui omne cor patet, &c.* quæ cum correspondente sibi Secreta, & Postcommunione, habetur in fine Missæ Votivæ de eodem Sancto Spiritu. Gavantus *suprac. part. 4. tit. 17. n. 16.* Bissus *tit. M. n. 236.* §. 2. qui inhærendo Rubricæ Missalis post Missam de SS. Trinitate addit, quod Missa Votiva Spiritus Sancti dici etiam potest pro gratiarum actione; & tunc, ut ipsemet docet eadem *tit. M. num. 235.* in ea addenda est Oratio, *Deus cujus misericordiæ, &c.* In Missis quidem Solemnibus sub unica conclusione cum prima Oratione; in Missis vero Privatis secunda Oratio dicenda erit Officii de more, & tertio loco, prædicta, *Deus cujus misericordiæ, &c.* sub conclusione separata a conclusione primæ Orationis, ut fit si pro gratiarum actione celebretur Missa de SS. Trinitate, sicut supra adnotavimus: & idem servari debet, quando pro gratiarum actione dicitur Missa de B. M. ut infra, quæ pariter, ut supradicta Rubrica tradit, potest dici pro gratiarum actione.

XXVIII. Nonnulli existimant quod in Missa Votiva de Spiritu Sancto dicenda sit secunda Oratio *de Sancta Maria:* quia in Missa Votiva de Sancta Maria, dicitur Oratio *de Spiritu Sancto:* sed ut ait Bissus *tit. O. num. 77. §. 3.* ex simplicitate, & ex ignorantia Rubricarum, præfati loquuntur: etenim Missa Votiva de Spiritu Sancto, quoad Orationes ab aliis non discrepat; ideoque in ea Oratio secunda erit de Officio diei, & tertia *A cunctis:* vel alia, quæ pro tempore occurrit, sicut recte docet Quarti *part. 1. tit. 4. dub. 1. §. 4.* & Tornellius *in Miscellaneis ad Missam n. 17.*

XXIX. Quintum locum inter prædictas Missas secundi generis vindicat sibi Missa Votiva de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento dicenda in Feria 5. & reperitur in Missali post Missam Votivam præcedentem de Sancto Spiritu. Hæc pariter Missa votiva dicitur sine *Gloria*, & *Credo*, secunda Oratio diei currentis, tertia, illa, quæ alioquin esset secunda diei currentis, Præfatio eadem, quæ in Festo Nativitatis Domini, sed sine hujus *Communicantes*. Hoc loco notandum occurrit, quod qui ex indulto Apostolico, qualibet Feria 5. non impedita Officio novem Lectionum, recitant Officium SS. Corporis Christi, licet dicant Officium, ut in die Festo; Missam tamen debent celebrare non ut in die Festo, sed hanc Communem, seu Votivam, ut censuit S. R. C. in Decreto 12. Juiii 1664. & in nostro Indice *sub num. 418.* Verum tunc hæc Missa non dicitur more Votivæ, sed tanquam correspondens Officio recitato, adeoque cum *Gloria in excelsis.* Rursus eadem Sacra Rituum Congreg. die 4. Julii 1705. in Decreto dato in nostro Indice *sub num. 595.* declaravit, quod in hac Missa votiva Sanctissimi Sacramenti, secundo loco dici debeat Oratio temporis occurrentis; non vero illa, quæ assignatur infra Octavam Corporis Christi. Unicum superest advertendum, quod in hac Missa de V. Sacramento, inclinandum est caput ad illa verba Collectæ, *Deus qui nobis sub Sacramento, &c.* Ita apud P. Gobat *tract. 3. num. 731. lit. e,*

tradit Pater Didacus de Avendanno ob rationes ibi allatas.

Sicut pro Feria quinta habentur in Missali duæ Missæ Votivæ, nempe *de Spiritu Sancto*, & *de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*; sic Feria sexta eodem Missali exhibentur duæ pariter Missæ, nempe *de Cruce*, vel *de Passione Domini* dicendæ; pro quibus debent servari eædem Rubricæ, ac de aliis supra: sed ambæ hæ Missæ particularem habent Præfationem de Cruce, etiam tempore Paschali. Si dicantur vero hæ duæ Missæ Votivæ tempore Passionis, in his dicendis non omittitur Psal. *Judica me Deus*, cum suo *Gloria Patri*, sicut omittitur in Missis de tali tempore Passionis: & hoc colligitur ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 440. edito die 31. Augusti 1669. Aliud enim Decretum, quod allegatur ab Hagerer supra §. 3. vulgatum die 10. Februarii 1647. a nobis non allegatur; quia in Regestis Sacr. R. C. reperiri non potuit. Cæterum non esse omittendum præfatum Psalmum in Missis Votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis, censent etiam Bissus *lit. P. n.* 255. §. 1. & Bauldry ab eodem allegatus: hac ratione ducti, quia tales Missæ sunt Votivæ, non vero de tempore Passionis; in quibus a Dominica Passionis inclusive ad Sabbatum Sanctum exclusive, omittitur præfatus Psalmus juxta dispositionem Rubricarum.

Octavo loco inter Missas secundi generis, juxta ordinem a nobis expositum, ponuntur in Missali quinque Missæ Votivæ B. M. V. pro temporis diversitate. Orationes autem, quæ in hac Missa Votiva de B. M. V. dicuntur, sunt secunda Oratio de Officio diei, tertia vero de Spiritu Sancto; quæ tamen omittitur, si occurreret Commemoratio alicujus Simplicis, Vigiliæ, vel Feriæ majoris, quia completus est numerus ternarius Orationum: Guyetus *lib. 4. cap. 22. quæst. 12.* nisi alias Orationes ad majorem numerum libeat addere, ut fieri potest in Festis Simplicibus, &c. In Sabbato autem, quando de S. Maria factum est Officium, tunc secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. Si loco alicujus ex his Orationibus facienda esset aliqua Commemoratio, quæ fieri debet secundo loco, tunc tertia Oratio diceretur de Spiritu Sancto, aliis, nempe Ecclesiæ, vel pro Papa, omissis.

In Adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato (etiam in casu, quo Festum novem Lectionum non occurrit) sed de currente Feria Adventus; dicitur tamen, ut supra adnotavimus, etiam tunc Missa Principalis de B. M. nempe ea, quæ inter ejus quinque Votivas primum locum sibi vindicat, cum Commemoratione Adventus, & cum tertia Oratione de Spiritu Sancto: nisi tamen fuerint quatuor Tempora, vel Vigilia, ut supra; quia tunc Missa Principalis non dicitur de S. Maria, sed de illa Feria 4. Temporum, aut Vigilia, ut suo loco dictum est.

Qui in Adventu celebrat Missam Votivam de B. V. v. g. Missam Votivam de Doloribus B. M. V. a Sede Apostolica pro universa Ecclesia approbatam; tunc secundam Orationem assumet de Officio diei currentis, de Festo, v. g. Semiduplici, si tale eo die occurrat; tertiam vero de Adventu. At si fuerit factum eo die Officium de Feria; tunc secunda Oratio in ejusmodi Missa Votiva de B. V. erit de Adventu, tertia de Spiritu Sancto, quarta, si dicatur, erit pro Ecclesia, vel pro Papa, quinta ad libitum Celebrantis. Halden *part. 3. tit. 7.* & Pisart ab eo allegatus in *Sacerd. Evangel. part. 4. tit. 1.*

XXX. Oritur dubium inter Rubricarum explanatores; quænam Missa sit legenda, quando petitur Missa Votiva *de SS. Rosario*, vel *S. Maria de Monte Carmelo*. Certissimum enim est, inhærendo Decretis S. Congr. quæ dantur in nostro Indice *sub num.* 189. & *sub num.* 229. non posse dici Missas proprias concessas Ordini Prædicatorum & Carmelitis. Quænam ergo in casu posito dicenda sit pro Votiva *SS. Rosarii*, & *S. Mariæ de Monte Carmelo*, respondet noster Gavantus *part. 4. tit. 17. num. 9.* consulendam esse Sac. R. C. quæ aliquando pro dictis Missis concessit Missam Votivam, ut in Missali. Verum quoniam post hæc concessæ sunt pro universa Ecclesia Missa *SS. Rosarii* pro prima Dominica Octobris, in qua ejus Festum celebratur; necnon Missa *S. M. V. de Monte Carmelo* die 16 Julii: videtur nunc prædictæ obligationi posse ab omnibus satisfieri, dicendo respective dictam Missam *SS. Rosarii*, & aliam *S. Mariæ de Monte Carmelo*, servatis servandis pro solitis Ritibus Missæ Votivæ. De hujusmodi Missis sermonem etiam facimus in nostris Observationibus *ad tit. 17. part. 4. num. 2.*

Præterite non debeo Missam assignatam Festivitati Concept. B. M. V. non esse dicendam in Sabbatis, ut liquet ex Decreto S. R. C. 30. Septembris 1679, & est in nostro Indice *sub num.* 453. Denique licet in his Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam Votivam de B. V. singulis diebus Sabbatis, possit hic pius usus, seu Populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo Duplici impeditis: non est tamen omittenda Missa Conventualis; ut pariter colligitur ex Decreto ejusdem Congregat. 2. Decembris 1684. & dato in nostro Indice *sub n.* 468.

XXXI. In præfatis Missis Votivis B. V. tunc solum dicendus est Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* (attamen sine *Credo*, etiam in Missa Cantata Principali) quando eæ dicuntur, aut cantentur in Sabbato; non autem si dicantur, aut cantentur extra Sabbatum: tunc enim secluso speciali privilegio, dicuntur sine *Gloria*, & *Credo*; nisi sit pro gravi, aut publica Ecclesiæ causa, cantetur solemniter cum unica Oratione per modum Missæ Votivæ Solemnis: nam tunc, quocumque die cantentur, cantantur cum *Gloria*, & *Credo*; juxta inferius dicenda, & juxta Decretum S. R. C. 8.

C. 8. Junii 1658. & datum in nostro Indice *sub num.* 328. sicut etiam potest dici *Gloria*, & *Credo* in Missa Votiva B. V. cantata ex voto die Dominico, ut superius diximus, & constat ex Decreto a nobis dato *sub num.* 401.

Quod autem Angelicus Hymnus recitandus sit in Missis Votivis etiam Privatis B. M. V. quæ dicuntur in Sabbato, diserte colligitur ex Rubr. VIII. Missalis *num.* 4. in qua hæc habentur: *In Missis Votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa B. M. in Sabbato.* Gravis tamen oritur difficultas inter Auctores, quomodo intelligendum sit illud *in Sabbato*; nimirum an de iis Sabbatis tantum, in quibus Officium ipsum, adeoque Missa dicitur de B. M.? an vero etiam de aliis, quibus non dicitur Officium. B. M.? Postremum a Gavanto defenditur *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. *lit.* z; e contra doctissimus Guyetus *lib.* 4. *c.* 21. *quæst.* 11. Innocentii III. Pontificis auctoritate permotus, contendit Hymnum Angelicum in eo tantum Sabbato esse dicendum, in quo B. M. V. recitandum esset Officium; aut in quo perinde Missa de ipsa dicitur, atque si factum fuisset Officium, quod contigit in duobus prioribus Sabbatis Adventus. Utriusque opinionis fundamenta Hierurgiæ suæ Bissus inseruit *lit. G. num.* 35. §. 1. 2. & 3. ea lectori examinanda relinquens, ut prudenter sententiam eligat, licet se a Gavanti doctrina non recedere fateatur. Sed prudens, & probus lector eliget Gavanti sententiam, quam & Rubricæ verba docuisse, & S. R. C. Decreta confirmasse, certo cognoscimus. Profecto si alia fuisset Rubricæ auctoris intentio, ab illa regula debuisset excipere ea Sabbata, in quibus non fieret Officium de B. M. ne nobis occasionem errandi præberet; at cum diserte præscribit, nulla Sabbatorum facta distinctione, Hymnum Angelicum in Missa Votiva B. V. esse dicendum, satis ostendit regulam illam ad quæcumque Sabbata referri debere. Atque ita intelligendam esse Rubricam, Sac. R. C. non uno Decreto probavit: anno enim 1607. 19. Maji *in Placentina*, hæc statuit prædicta Congregatio: *Gloria in excelsis Deo dicitur in Missis Votivis B.V. tam in Sabbatis Feriarum, quam in Sabbatis Adventus, licet ipsa die Officium non fiat de Beata Virgine.* Quod Decretum habes in nostro Indice *sub num.* 67. Similia decrevit eadem Congregatio, anno 1609. 29. Julii *in Segobien.* Hæc Decreta si Guyeto, & Bisso cognita fuissent, nec ille a Gavanti placito recessisset, nec iste liberum lectori fecisset, quam vellet amplecti sententiam. Præterea si vera esset opinio Guyeti, non posset quis in Sabbato infra aliquam Octavam B. M. V. recitans Officium de aliquo Sancto Semiduplici, celebrare Missam Votivam de B. V. *cum Gloria in excelsis*, cum de ea non fiat Officium: attamen S. R. C. contrarium aperte decrevit, anno 1684. 2. Decembris. Vide nostrum Indicem *sub n.* 474. & 479. Ex quibus perspicuum est Gavantum nostrum, jure optimum Rubricarum interpretem a Guyeto nuncupatum, optime interpretatum fuisse prædictam Rubricam; ex quo ejusdem Gavanti interpretationem S. R. C. non uno tantum, sed multiplici Decreto confirmaverit. Innocentii autem III. quæ opponitur auctoritas a Guyeto allata, nihil profecto officit Gavanti, & communi sententiæ: cogimur enim dicere Ritum Innocentii ævo vigentem, a recentioribus Rubricæ dispositionibus, & Sac. R. C. iteratis Decretis fuisse mutatum.

Hoc loco observandum occurrit, quod si quis in Vigilia Assumptionis B. M. V. in Sabbatum incidente peteret Missam Votivam de B. M. V. Sacerdos celebrans satisfacere posset suo oneri, celebrando dictæ Vigiliæ Missam, non tamen cum *Gloria in excelsis*, ratione coloris violacei (quo in tali Missa uteretur) juxta Rubr. XVIII. Missalis *num.* 1. & juxta Decretum datum in nostro Indice *sub num.* 57. Quod si magis placeret Sacerdoti celebrare tunc veram Missam Votivam de B. M. V. eidem tempori convenientem, posset utique eam celebrare, sed cum colore albo, & dicere Hymnum Angelicum, sed absque Commemoratione dictæ Vigiliæ, ne bina in eadem Missa B. M. V. diceretur Oratio: attamen primus modus satisfaciendi tali oneri magis arridet Josepho de Brend allegato ab Hagerer superius citato §. 1. *num.* 11. In eadem sententia est Guyetus *lib.* 4. *c.* 21. *quæst.* 9. dicendo, quod in prædicto casu, licet dicatur in Missa Vigiliæ Præfatio Communis; quia tamen tota illa Missa Vigiliæ est de B. V. alia perperam Votiva assumeretur.

XXXII. Item dicimus, quod infra aliquam Octavam B. M. V. qui debet Missam Votivam de eadem B. M. V. celebrare, eam dicat de illa Octava cum *Gloria*, & *Credo*, non autem Votivam; nec eam de Festo more votivo (ut diximus supra cum Gavanto ibi citato) supposito tamen, quod etiam diei Officium eo die sit de Octava, seu melius de die infra Octavam. Quod si celebretur Missa de B. V. M. eo die, quo fit de aliquo Festo Semiduplici infra Octavam ejusdem B. V. tunc quamvis dicatur Missa de dicta Octava, tamen dicitur sine *Gloria*, & *Credo*, sed more votivo, nisi tamen fuerit Sabbatum; quia tunc ratione Sabbati dicetur *Gloria*, sed sine *Credo*, juxta Decretum Sacræ R. C. 2. Decembris 1684. & datum in nostro Indice *sub num.* 474.

XXXIII. Præterea tametsi quando Missæ Votivæ de B. V. Privatæ dicuntur in Sabbato, dicantur cum *Gloria*; non tamen dicitur etiam tunc in iis *Credo* extra casum superius dictum, quod dicantur solemniter pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, cum unica Oratione. Gobat *tract.* 3. *num.* 712. & Haldeno citato loco §. *Notandum tertio.* Quando in Sabbato factum est Officium de S. Maria in Sabbato, licet Missa, quæ dicitur de S. Maria in ejusmodi Sabbato, sit una ex supradictis quinque Votivis de S. Maria tempori occurrenti conveniens; attamen, quia tunc non dicitur per modum Votivæ, ut-

pote concordans cum Officio diei; ideo tunc Oratio secunda est *de Spiritu Sancto*; tertia vero *Ecclesiæ*, *vel pro Papa*, prout ambæ notantur in fine Votivarum *de S. Maria* in recentioribus Missalibus; nisi in hujusmodi Sabbato occurrat Festum Simplex, aut ratione Mensis, dicenda sit Oratio *Fidelium*; tunc enim secunda Oratio *de Simplici*, aut *Fidelium*; tertia autem *de Spiritu Sancto*: nisi & hæc ob aliquam ulteriorem faciendam Commemorationem omittatur, ut contingit quando in Sabbato, quo fit de Sabbato, duo Festa Simplicia occurrunt: aut præter Commemorationem faciendam de Simplici, simul ratione mensis, dicenda sit Oratio *Fidelium*, de qua suo loco. Quando vero sive in Sabbato, sive alio infra hebdomadam die dicitur de B. V. una ex supradictis quinque Missis Votivis per modum Votivæ (v. gr. in Festo Semiduplici, aut in aliqua Vigilia, &c.) tunc secunda Oratio semper dicitur de Officio illius diei, vel de Vigilia; tertia vero erit *de Spiritu Sancto*: nisi propter aliam Commemorationem faciendam loco hujus tertiæ, alia Oratio ponenda sit; ut fieri potest, si Missa Votiva B. V. dicatur in die, in quo occurrit Festum Semiduplex, & aliud Festum Simplex, vel aliqua Vigilia, seu Feria major. Halden supra eodem loco.

XXXIV. Animadvertendum denique est, quod in Missis tam proprie Votivis B. M. v. quam non Votivis de eadem B. M. in Sabbato dictis, Præfatio est de B. V. *Et te in veneratione*, *&c.* ac in earum fine dicendum est *Ite Missa est*; & Evangelium S. Joannis, &c. In Missis vero Votivis B. M. V. extra Sabbatum dictis, dicitur quidem eadem Præfatio, necnon in fine earum pariter Evangelium S. Joannis, sicuti in omnibus Missis Votivis, non tamen *Ite Missa est*: eo quod extra Sabbatum, etiam illæ Votivæ, quæ dicuntur de B. M. dicuntur sine *Gloria*. De coloribus autem adhibendis in Missis Votivis B. M. & aliorum Sanctorum, seu Solemnitatum, dicemus §. sequenti.

XXXV. Quæ Missæ Votivæ sint dicendæ pro diversis rebus, & quæ spectant ad tertium Missarum genus, nullum verbum facimus, quia hæ describuntur satis in Missali: & quod spectat ad earum Ritus & partes, colligi potest & ex iis, quæ superius diximus de talibus Missis tertii generis, necnon secundi, & primi; & ex iis, quæ dicemus infra agendo de coloribus, & partibus omnium Missarum Votivarum.

§. VI.

De coloribus adhibendis in Missis Votivis.

XXXVI. In Missis Votivis primi generis, nempe de Sanctis, aut Festivitatibus, quæ anniversaria celebritate recoluntur ab Ecclesia, idem adhibetur color, ac in die eorumdem Festorum, & Sanctorum. Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 4. *v.* 14. & deducitur ex Rubrica XVIII. Missalis *n.* 1. *& ti in fine*. Ab hac regula tamen excipi debet Missa votiva de SS. Innocentibus, in qua, si ut votiva dicatur, colore rubeo utendum est; quamvis in die Festo, extra Dominicam, violaceus adhibeatur. Ita ex Rubrica Missalis citata *n.* 5. quæ absolute docet; *Rubeo colore utitur in Missis Votivis supradictorum Festorum*: inter quæ numeratur etiam Festum SS. Innocentium. Quod autem in Festo eorumdem Innocentium color violaceus adhibendus sit, rationem reddit, ut videbimus, Gavantus infra in hac prima parte *tit.* 18. seu Rubrica *num.* 5. dicens: quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio: *Vox in Rama audita est*, *&c.*

In aliis Missis votivis secundi, & tertii generis, juxta ordinem a nobis assumptum, & quæ exhibentur circa finem Missalis, adhibendus est color, ut sequitur. In Missa de Cruce color rubeus, in Missa de Passione color violaceus. In Missis vero votivis de SS. Trinitate, de Angelis, SS. Eucharistiæ Sacramento, & de B. M. color albus est adhibendus. At in Missa de Spiritu Sancto color rubeus & de Apostolis, ut in eorum die Festivo.

Ad Missas votivas tertii generis quod attinet: pro eligendo Summo Pontifice: si dicatur Missa de Spiritu Santo, sive illa quæ exhibetur in fine Missalis pro dicta causa, color rubeus est adhibendus. Pro Creatione, & Coronatione Papæ, albus; & similiter pro Anniversario Consecrationis Episcopi. Pro Missis ad tollendum Schisma, & aliis ibi in Missali contentis, usque ad Missam pro iter agentibus inclusive, color violaceus: ita colligitur ex Rubrica Missalis, & tradit Quarti loc. cit. Item in Missa pro felici morte impetranda, novissime concessa, color violaceus est adhibendus: & hoc patet etiam ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 599. ex quo etiam habetur, quod prædicta Missa in Missali debet inseri post Missam pro remissione peccatorum; unde decimum quartum locum talium Missarum occupabit Missa, quæ est pro Sponso, & Sponsa; in qua celebranda color albus est adhibendus. Halden *loc. cit.* §. *Reliquæ decem Missæ*.

XXXVII. Etiam in Missa votiva, quæ cantatur pro re gravi, debet ille color adhiberi, quo utimur in Festo, cujus Missa celebratur: & hoc constat ex Decreto, quod datur in nostro Indice *sub num.* 431. Cæterum, quamvis in Missis votivis paramenta Celebrantis debeant esse convenientia Missis, quæ celebrantur; nihilominus Altaris paramenta debent correspondere Officio, quod recitatur in Choro; nisi forte Missa votiva sit pro re gravi, & publica Ecclesiæ causa, cum ea solemniter celebretur: nam tunc, etiam Altaris paramenta cum Missis convenire debent. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. & Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 18. *in adnot.* §. 1.

§. VII.

§. VII.

De ingressu ad Missam Votivam, & aliis usque ad Orationes.

XXXVIII. In omnibus Missis Votivis, quæ non sunt de *Requiem*, dicitur Psalmus *Judica me Deus*, & terminatur cum *Gloria Patri*, tam ad introitum, quam etiam in fine Psalmi *Lavabo*, etiam in Missis Votivis *de Passione*, vel *de Cruce*, vel aliis quibuscumque, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis; & hoc deducitur ex Decreto a nobis supra allegato, & dato in nostro Indice *sub num.* 440. & in hoc etiam conveniunt omnes Sacrarum Rubricarum interpretes; quia, ut diximus, Psalmus *Judica*, & *Gloria Patri* ad Introitum, nec non ad finem Psalmi *Lavabo*, solum in Missis de tempore, hoc est illis, quæ sunt de Dominica, aut Feria currente; non autem in Missis de Festis, aut Votivis, etiamsi sint de Passione, tempore Passionis omittuntur.

Rursus in quacumque Missa Votiva tempore Paschalis in fine Introitus, dicuntur duo *Alleluja*, & in fine Offertorii, & Communionis additur *Alleluja* ubi non habetur.

XXXIX. In Missis Votivis Privatis, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, juxta Rubricam Missalis, hac *par.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. etiam in Missa Votiva de Titulari, vel Patrono, juxta Decretum datum in nostro Indice *sub num.* 323. non est dicendus Hymnus Angelicus sive *Gloria in excelsis*, nisi fuerit Missa Votiva Angelorum; quo nomine veniunt etiam Missæ propriæ S. Michaelis, & S. Gabrielis, &c. dicitur autem *Gloria* in Missis omnibus Votivis Angelorum, quia Angeli hunc Hymnum in medio pastorum cecinerunt; ut ait Durandus *lib.* 5. *cap.* 13.

Ita etiam idem Hymnus recitatur in Missa Votiva de B. V. M. in quolibet Sabbato, sicut dicimus supra agendo de hujusmodi Missis Votivis B. M. V. & constat ex Decretis datis *sub n.* 67. & *sub n.* 474. & *sub num.* 479.

XL. Ita a prædicta regula excipiendæ sunt Missæ etiam Votivæ solemnes, quæ pro re gravi aut publica Ecclesiæ causa cantantur: nam in his tam *Gloria*, quam *Credo* dicuntur; modo Missa Votiva non sit talis, quæ debeat dici in paramentis violaceis: nam si talis Missa Votiva, etiamsi Solemnis dicatur in violaceis paramentis, cujusmodi v. gr. est illa, quæ inter Votivas tertii generis intitulatur *pro quacumque necessitate*; etiam in illa nec *Gloria* dicitur, nec *Credo*, nisi decantetur in Dominica, quia tunc ratione Dominicæ dicitur quidem *Credo*, non tamen *Gloria in excelsis*: uti habetur tum in propria Rubrica pro talibus Missis Votivis in fine Missalis præfixa; tum etiam in Rubrica generali Missalis in ne; nec non in Decretis datis in nostro Indice *sub num.* 57. & *sub num.* 431. Sic etiam in Missa Votiva de B. V. celebrata ob publicam causam, & ratione concursus, potest dici *Gloria* cum *Credo*, juxta Decretum datum in nostro Indice *sub num.* 328.

XLI. Denique quando dicitur Missa Votiva de aliquo Sancto eo die, quo idem obiit, vel quia Titulus est Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, potest dici ejus Missa Votiva cum *Gloria*: ita colligitur ex Gavanto *hac prima part. tit.* 9. *in Rubr. num.* 16. *lit.* i §. *in Missa de Sancto.* Ita pariter docet Quarti *part.* 1. *tit.* 14. *dub.* 3. qui vocat hanc Missam Semifestivam: quia, ut bene notat Gavantus, est partim Votiva, & partim Festiva, sive mixta ex votivo, & festivo: ex votivo, quia discordat ab Officio; ex Festivo, quia eo die obiit Sanctus, de quo dicitur Missa. Prædictam sententiam tenent etiam Arnaud *par.* 1. *tit.* 3. Lohner *par.* 4. *tit.* 2. §. 3. *n.* 1. Hagerer supra §. 3. & Macrius *V. Missa Votiva.*

§. VIII.

De Orationibus dicendis in Missis Votivis.

XLII. In Missis Votivis Privatis secunda Oratio ordinarie est de eo, de quo fit Officium, sive illud sit Festum, sive Feria; tertia vero, quæ aliunde secundo loco diceretur in Missa correspondente Officio diei: & ut diximus, supra, aliquando rationes alicujus Octavæ, vel Feriæ majoris, & Sancti Simplicis, possunt, & debent dici etiam quatuor, vel quinque Orationes, &c. Non est tamen necesse in Missa Votiva, sicut etiam in Missa de Semiduplici, vel de Simplici, dicere plures Collectas semper impares numero, puta tres, quinque, vel septem, & hoc constat ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 476. unde non admittitur doctrina Hagerer *suprac. loc.* §. 4. & nonnullorum aliorum, qui pro certo supponunt semper in Missa Votiva, vel de Semiduplici & Simplici dicendas esse Collectas impares numero.

Dixi regulariter loquendo, secundam Orationem in Missa Votiva dicendam esse de eo, de quo factum est Officium, sive illud sit Festum, sive sit Feria. Sed ab hac regula excipienda est Missa votiva *de SS. Petro*, vel *Paulo* Apostolis; tunc enim secunda Oratio dicitur de alterutro dictorum, juxta qualitatem Missæ, quæ dicitur; tertia vero de die, vel Festo currente, &c. Bissus *lit.* O. *num.* 77. §. 4. & Hagerer *cit. loc.* §. 4. *num.* 2.

XLIII. Quænam Orationes sint dicendæ in Missa Votiva B. M. V. ne eadem inutiliter repetantur, legantur ea, quæ supra diximus agendo de talibus Missis Votivis Beatæ Mariæ Virginis, de qua cum possit pariter celebrari Missa solemnis pro gratiarum actione, necnon privata; in his dicendæ sunt Orationes eo modo, & numero, quo dicuntur, quando pro gratiarum actione celebratur Missa *de Sanctiss. Trinit.* vel *de Spir. Sancto.*

Cæterum in illa regula generali supra tradita, quod

quod tertia Oratio Missæ Votivæ Privatæ debeat esse, quæ secundo loco diceretur in Missa correspondente Officio diei currentis, satis explicatur quæ Orationes sint dicendæ in Missis Votivis, quæ dicuntur ab Adventu usque ad Nativitatem Domini; ab Octava Epiphaniæ usque ad Festum Purificationis B. M. V. a Festo prædicto Purificat. B. M. V. usque ad Dominicam Passionis, &c. unde ne in longum protrahamus sermonem, omittimus omnia ea, quæ prolixe tradit Hagerer *loc. cit. a num.* 3. *usque ad num.* 10. qui semper discurrit cum falso supposito, quod in Missis Votivis, sicut in aliis de Semiduplici necessario Orationes debeant semper esse numero dispares.

XLIV. Hoc unum tantum advertimus, quod tempore Passionis, nempe a Dominica Passionis, &c. si dicatur Missa Votiva, tunc in ea, secunda Oratio erit de Feria; tertia vero *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*: possunt enim absolute dici eo tempore tres Orationes, aut plures, ut videbimus infra in Missis, quæ non sunt de tempore Passionis, sed Votivæ, vel de aliquo Festo Semiduplici: & in hoc convenit etiam Halden *loc. cit.* §. *Si tempore.*

Quamvis in Missa Privata Votiva tres saltem debeant esse Orationes; in Missa tamen Votiva Solemni, quæ celebratur *pro re gravi*, vel *publica Ecclesiæ causa*, unica tantum Oratio est dicenda, Bissus *supracit. loc.* §. 5. Sed Missæ *pro gratiarum actione* additur alia Oratio, ut supra etiam diximus, & ambæ dicuntur sub unica conclusione. Observat Bissus cum Cuyeto *loc. cit.* quod in Missis Solemnibus *pro re gravi*, vel *pro publica Ecclesiæ causa*, a Rubrica non præcipitur Oratio de Officio diei: quia supponitur hanc Missam esse cantandam præter Missam Conventualem, quæ cantanda est de Officio diei. Cæterum si sola Missa *pro re gravi* cantaretur, satis probabiliter idem Cuyetus Cæremoniali Monast. inhærens *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 8. ait: quod in dicta Missa Votiva pro re gravi, in dicto casu facienda esset Commemoratio diei currentis, & aliæ Commemorationes, quæ fierent in Festo Solemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Festa majori occurrente, &c. Bissus supra. Sequitur etiam ex hoc, ut observat Bissus ibidem, quod in Missa Votiva, quæ cantatur pro expositione, & repositione SS. Sacramenti in Oratione quadraginta Horarum; si cantetur sola Missa de eodem, & non cantetur alia Missa de Officio, tunc præter orationem Votivam de Sacramento, addenda esset Oratio de Officio illius diei currentis.

§. IX.

De Graduali, Tractu, & Credo dicendis, vel non dicendis in Missis Votivis.

XLV. Tempore Adventus, quando in Missis ferialibus omittitur *Alleluja* in *Graduali* cum suo *versu*, in Missis tamen Votivis quibuscumque, etiam in colore violaceo dictis, illud non omittitur. Gavantus *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 11. Hagerer *supra* §. 15. *&c.* & Halden *loco citato nempe part.* 3. *tit.* 7. *de Missa Votiva pag. mihi* 229. Idem intellige, si extra Septuagesimam dicendæ sunt Missæ Votivæ diebus quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur: ita desumitur ex Gavanto, ex Hagerer locis citatis, & ex Halden locis cit. quia Missæ Votivæ non sunt Missæ de tempore, & participant aliquid de Festis, quorum sunt Votivæ; in his autem post *Graduale* decet extra Septuagesimam audiri *Alleluja* ad exprimendam aliqualem lætitiam. Gavant. & Halden. loc. cit.

A Septuagesima usque ad Pascha in Votivis semper dicitur *Tractus*, etiam his diebus, quibus non dicitur Missa Feriæ: Lonhet *part.* 4. *tit.* 2. §. 3. *num.* 4. & Hagerer supra §. 5. *num.* 2. Exemplum habetur in Missis Votivis B. M. V. quæ positæ sunt in fine Missalis.

Unde autem in Votivis *Alleluja*, cum suo versu tempore Paschali, vel extra illud, *Tractus* in Septuagesima in defectu desumendi sint, tradit Gavantus *infra part.* 4. *tit.* 17. *Rubr.* 1. *n.* 10. Notat Halden citato loco, quod si Missa Votiva alicujus Sancti dicatur eo tempore, quo alioquin post Epistolam, seu Lectionem dicendum est in Missa *Graduale*, vel post Graduale *Tractus*, vel omisso Graduali, *duo versus cum quatuor Alleluja*, & Missa illa Votiva, quæ dicenda est, horum aliquo careat; tunc *Graduale*, vel *Tractus*, vel *versus illi cum quatuor Alleluja* desumi pro ea debent de Communi illorum Sanctorum, de quibus Missa Votiva celebratur.

Ex eodem Halden loc. cit. habetur quod si infra Octavam Paschæ *pro re gravi*, aut *publica Ecclesiæ causa* cantanda sit Missa Solemnis, non est in ea dicendum *Graduale*, sed quatuor *Alleluja* cum *duobus versibus*: eo quod *Graduale* conveniat quidem Missis illius *Octavæ Paschalis*; non tamen Missæ Votivæ Paschali, quæ infra illam dicitur. Hæc Halden ex Ruiz, & ex Gavanto, qui addit, neque in fine talis Missæ Votivæ dicendum esse ad *Ite Missa est* duplex *Alleluja*.

XLVI. Quoad Symbolum, sive *Credo* dicendum in Missis Votivis, certissimum est apud omnes, quod in Missis Votivis Privatis nunquam dicitur *Credo*, etiam si celebrentur infra aliquam Octavam: & patet hoc ex Rubrica Missalis, quæ habetur hac *part.* 1. *tit.* 11. In Missis vero Votivis solemnibus *pro re gravi*, vel pro *publica causa*, dicitur *Credo*, etiamsi dicantur in paramentis violaceis, sed in Dominica; & hoc constat ex supradicta Rubrica. Potest etiam dici *Credo* in Missa Cantata de B. V. M. in die Dominico, ratione voti: ita ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 401. Sic etiam in Missa Votiva de eadem B. V. M. cantata ob publicam causam, vel ratione concursus potest dici *Credo*: ita ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 323. & *sub num.* 470. nec non *sub num.* 474. & denique

que *sub num.* 479. constat; quod in aliis casibus particularibus nunquam potest dici *Credo* in Missis Privatis Votivis.

§. X.

De Præfationibus, & reliquis Missæ Votivæ partibus.

XLVII. In Missis Votivis tam Privatis, quam solemniter cantatis *pro re gravi*, & *publica causa*, quæ propriam habent Præfationem, dicitur semper propria Præfatio: si vero non habeant Præfationem propriam, dicitur Præfatio Communis, vel de tempore, vel de Octava infra, quam contigerit Missas Votivas celebrari: ita colligitur *ex Rubrica IV. tit.* 12. hujus primæ partis. Verum Pisart. in libello, cui titulus: *Cæremonia Ecclesiæ certis quibusdam diebus, &c. pag.* mihi 12. & Halden *part.* 3. *tit.* 7. *de Missis Votivis pag.* mihi 250. excipiunt ab hac regula Missas Votivas, quæ dicuntur infra Octav. Nativitatis Domini: nam juxta ipsos infra hanc Octavam in Missis etiam Votivis Rubricæ non permittunt aliam dici *Præfationem*, nisi de Nativit. Domini, cum ejusdem *Communicantes*. Sed quia in Decreto edito *die* 25. *Septembris*, *anno* 1706. & dato in nostro Indice *sub num.* 603. & alio approbato a Clemente XI. dato in nostro Indice *sub num.* 628. Sacra Rituum Congregatio statuit quod — infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ Votivæ Privatæ & pro Defunctis — Ideo certissimè hæc opinio non habet amplius locum in Missis Privatis Votivis infra eamdem Octavam: in Missis vero Votivis solemniter pro re gravi, infra eamdem Octavam celebrandis, dicenda est Præfatio juxta cit. Rubricam generalem 12. *num.* 4. Hinc fit, quod etiam in dicta Octava, inhærendo tali Rubricæ, si cantetur Missa Votiva Solemnis pro re gravi, &c. quæ habeat propriam præfationem, non est dicenda Præfatio Nativitatis, sed Præfatio propria dictæ Missæ Votivæ; quæ tamen non excludit *Communicantes de Nativitate*: ut patet ex Decreto edito 28. Augusti 1627. & dato in nostro Indice *sub n.* 216. Hanc nostram sententiam tenet etiam Hagerer *pagina mihi* 219. allegans supradicta Decreta; & Joannes Baptista Pittonus in Collectione Decis. ad Sacros Ritus *pag.* 427. de qua re vide etiam quæ dicemus infra *part.* 4. *tit.* 3. in nostris Observationibus *num.* 15.

Et revera hoc etiam evenit, & admittitur ab omnibus in Missis Votivis habentibus propriam Præfationem, si dicantur infra Octavam Ascensionis quæ habet propriam *Præfationem*, & proprium *Communicantes*; nam in dicto casu, in Missa illa Votiva, dicetur *Præfatio* propria illius Missæ Votivæ; *Communicantes* vero dicetur de Ascensione, etiam in casu, quo nulla fuerit facta commemoratio de Octava Ascensionis: adeoque datur casus, in quo separari debet *Communicantes a sua Præfatione*. Id quod contingit in aliis casibus v. g. in Festo SS. Philippi & Jacobi, & in Festo Inventionis S. Crucis, si occurrant infra Octavam Ascensionis, ut dicemus suo loco, & hoc est etiam juxta Decretum quod emanavit die 16. *Junii* 1663. *in una Granaten.* & datum in nostra Appendice ad Indicem Decretorum.

In Missis autem Votivis, quæ propriam *præfationem* non habent, tunc dicitur *Præfatio* de tempore, nempe vel Quadragesimali, vel Passionis, vel Paschali: nam extra hæc tempora dicenda est Præfatio Communis, sive ultima, ut in ordine Missæ, nisi occurrat aliqua Octava. Nam si missa aliqua Votiva, non habens propriam Præfationem, quocumque tempore dicatur infra aliquam Octavam; tunc Præfatio etiam Missæ Votivæ infra illam Octavam dictæ, dicenda est de Octava; & hoc colligitur *ex Rubrica generali tit.* 12. *num.* 4. *hujus primæ partis*; nec non ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 628.

Quod si Festum, cujus Octava celebratur, habeat insuper proprium *Communicantes*, vel etiam proprium *Hanc igitur*; etiam hæc dicenda erunt in eadem Missa Votiva infra illam Octavam dicta: & hoc colligitur ex superius dictis. Excipiendæ sunt ab hac regula Missæ de *Requiem*: nam in Missis Defunctorum non dicitur alia *Præfatio*, quam Communis, sive ultima; nec aliud *Communicantes*, aut *Hanc igitur*, quam Commune, ut est certum apud omnes.

XLVIII. Qui tamen in Sabbato recitat Officium B. V. si celebret Missam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere, ut dicimus, *Gloria in excelsis*, sed neque *Præfationem* de B. V. quamvis de ea Commemorationem facere debeat: idque constat ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 475. Ita pariter quando fit per annum a privilegiatis Officium de Conceptione Immaculata, vel etiam Sanctæ Mariæ in Sabbato, ut diximus, vel de Sanctissimo Sacramento; si dicatur Missa Votiva non habens *Præfationem* propriam, *Præfatio* talis Missæ debet esse de Communi, vel de tempore, ut supra, nempe Quadragesimali, vel Paschali &c. ita pariter colligitur ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 108.

XLIX. In Missa Votiva de Spiritu Sancto, quæ habet *Præfationem* propriam, omittenda sunt in tali *Præfatione*, ut diximus etiam supra, illa verba *hodierna die*; cum hæc non congruant extra Octavam Pentecostes.

L. Expleto Canone, & aliis omnibus usque ad communionem, ea peracta, etiam in Missis Votivis dicitur *Communio*, cui tempore Paschali additur *Alleluja*. Dicuntur præterea *Orationes post Communionem* eodem modo, & ordine, ut in principio Missæ, & repetito *Dominus Vobiscum*, in Missis privatis Votivis semper dicitur *Benedicamus Domino*; quia regulariter in iis non dicitur *Gloria in excelsis*. Excipiendæ itaque sunt ab hac regula Missæ illæ Votivæ, nempe *Angelorum* quotidie, B. M. *Virginis in Sabbato* tantum, in quibus

bus dicitur *Gloria in excelsis*, quia in his repetito *Dominus Vobiscum*, dicitur *Ite Missa est*, non vero *Benedicamus Domino*. Uno verbo semper ac in Votivis dicitur *Gloria in excelsis*, sive solemnibus correspondere debet *Ite Missa est*, non vero *Benedicamus Domino*.

LI. Quoad ultimum Evangelium omnium Missarum Votivarum, tam Privatarum, quam Solemnium, semper dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio erat verbum &c.* Hæc colliguntur ex Rubrica *tit.* 13. *hujus primæ partis.*

§. XI.

De Missa Votiva Solemni.

LII. Sæpius memoravimus supra Missas Votivas Solemnes, quæ aliquando dicuntur etiam in diebus Duplicibus, vel Festivis; sed tantum pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa. Quid autem sub verbis *pro re gravi* intelligendum sit, colligi potest ex Decreto evulgato die 29. Maii 1607. dato in nostro Indice *sub num.* 58. Videlicet — Res gravis pro licita Votivæ Solemnis decantatione ea est, pro qua convenit Clerus cum Episcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis generalibus, seu provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorumdem judicio gravi — in prædicto Decreto, verba illa, *pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo*, subintelligenda sunt, ubi hic reperitur; ut notat Hagerer loc. cit. in additione pro Missis Votivis Solemnibus. Causa autem publica, qua interveniente potest cantari Solemnis Votiva, apud Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 1. *num.* 7. vocatur ea, pro qua pariter totus Clerus cum Episcopo (iterum intellige ubi reperitur) convenire solet, quales sunt: si votum, pro malo gravi avertendo factum, sit exsolvendum; aut gratiæ pro accepto aliquo magno beneficio solemniter sint agendæ; aut cum precatio quadraginta Horarum instituta sit: item si pro acquirendo gravi, & publico beneficio, vel avertendo malo, quod rationabiliter timetur, supplicetur. Ex quibus colligitur, non quamlibet causam gravem, vel publicam sufficere ad hoc, ut missa Votiva Solemnis cum *Gloria*, & *Credo* dici possit: sed eam, quæ concernit, vel per se vel per accidens notabiliter Communitatem, vel saltem notabilem ejus partem. Item nobilem, & præcipuam quamdam familiam, ex cujus conservatione Communitati publicæ multum utilitatis recidere potest. Item ex conservatione personæ Regis, Principis, aut etiam Filii unigeniti familiæ illustris: quia ejusmodi casus concernunt totam Communitatem. Hæc omnia ita collecta tradit pariter Hagerer *loc. cit. num.* 2.

LIII. Non sufficere autem pro re gravi, & multo minus pro publica Ecclesiæ causa professionem alicujus Religiosi, vel Religiosæ, jam diximus supra: & colligitur ex Decreto ibi citato, nempe, dato in nostro Indice *sub n.* 462. Sed quod ait Gavantus infra *tit.* 8. *lit.* b, & quod traditur in Decreto dato in nostro Indice *sub n.* 58. eam rem dici gravem, pro qua, ut diximus, convenit Clerus cum Episcopo, quæ verba non sic accipienda sunt, quasi ipse conventus Cleri cum Episcopo faciat esse rem gravem; sed quod signum sit, ex quo arguitur esse talem. Cæterum quamvis posset æque esse necessitas privata, & singularis de re gravi, haud tamen pro ea convenire solet Clerus cum Episcopo ut pro publica: ideoque Rubrica utrumque simul junxit, dicendo: *Pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa*, quod & Rodericus *tom.* 1. *quæst.* 43. *art.* 15. sic fusius exponit: *Quando*, inquit, *fit aliqua processio, quæ nunquam fit nisi pro re gravi; vel quando aliquæ Missæ dicuntur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, vel Parochialibus, pro salute Principis, vel totius Reipublicæ; vel pro aliqua intentione temporali bonum commune immediate concernenti; vel quando fit in gratiarum actionem pro aliqua re gravi petita, & obtenta, veluti pro victoria parta, &c.* Hæc collegimus ex Guyeto *lib.* 4. *cap.* 21. *quæst.* 4.

LIV. Prædictæ Missæ Votivæ Solemnes pro *re gravi, vel publica causa* dici possunt in omnibus Festis etiam Duplicibus, dummodo non sint primæ Classis: ita Gavantus hoc *tit. lit.* o, quem sequitur Diana, Lohner *p.* 4. *tit.* 2. §. 1. *num.* 7. Arnaud *p.* 1. *tit.* 4. *num.* 13. quapropter cum excipiantur solum Festa primæ Classis, sequitur juxta hos Auctores, quod dictæ Missæ possunt celebrari etiam in Dominicis privilegiatis, dummodo non sint primæ Classis. E contra Missæ Votivæ Solemnes pro causa gravi non possunt dici Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum cum tota hebdomada Sancti; in Dominica Resurrectionis, & Pentecostes cum seqq. duobus diebus; in Dominica in Albis, in Dominica SS. Trinitatis, in Dominica prima Adventus: quia præfatæ Feriæ, & Dominicæ sunt primæ Classis. Hæc colliguntur ex Quarti *part.* 1. *tit.* 4. §. *nota* 2. & ex Fagioli in Calendario perpetuo Rationale *in adnotat. in Mense Februarii num.* 13. & ex Hagerer supra §. 4. vide tamen quæ diximus supra §. 2. in fine. Prædictæ autem Missæ Solemnes Votivæ pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, quando celebrantur, debent cantari regulariter post Nonam, Gavant. *supra hoc tit. lit.* n *in fine*; & *Rubr.* 15. *de hora cantandi Missam num.* 5. Multa alia, quæ spectant ad hanc Missam Solemnem Votivam *pro re gravi*, nempe quot Orationes in ea dicendæ sint; utrum possint suffragari pro Missa Conventuali: quando non possit dici *Gloria in excelsis*, & *Credo*, sparsim a nobis supra satis superque tradita sunt.

De

De Missis Defunctorum V.

RUBRICA.

1. (q) *Prima die cujusque Mensis (extra Adventum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impedita Officio Duplici, ve Semiduplici, dicitur Missa Principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, & Benefactoribus, & aliis. Si vero in ea fuerit Festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habet Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit: in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis (r) dicantur duæ Missæ, una pro Defunctis, alia de Festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Missa de die cum Commemoratione generaliter pro Defunctis.*

GAVANTUS.

(q) *Prima die.* Suffragiorum pro Defunctis in Kalendis mentio est *apud Alcuinum de Divin. Offic.* qui excludit tempus Pasch. *cap. de Exequiis mortuorum.*

(r) *Dicantur duæ Missæ.* Cur duæ Missæ in occursu cum Festo Simplici, vel Feria prædicta? quia in Missa de Defunctis non potest fieri Commemoratio de Festo, neque de Feria: neque omitti debet semel in Mense, quoad fieri potest, Missa principalis pro Defunctis in Collegiatis, neque item omitti Feria prædicta, vel Festum Simplex. Heu, negligitur hæc Rubrica, quæ tamen habet verbum: *Dicantur:* quod est præceptum.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. & Gav. lit. q. — *Prima die, &c.*) Agitur in hoc titulo de Missis Defunctorum, postquam in præcedenti de Missis Votivis sermo habitus fuit. De veteri consuetudine dicendi Missas pro Mortuis, erudite disserit juxta morem suum Joseph Vicecomes *volum.* 1. *de Ritibus Missæ lib.* 4. *cap.* 2. in quo ostendit prædictam consuetudinem, usque ab Apostolicis temporibus ductam esse. *Cap. vero sequenti* auctoritatibus antiquorum Patrum comprobat Missas oblatas fuisse pro pluribus, sive omnibus Defunctis; & capitibus seqq. nempe 7. discurrit de Missa pro mortuis die obitus celebrandæ, antequam quis sepulturæ mandetur: *cap. vero* 8. sermonem habet de Missa pro Mortuis, 5. die post obitum in Ecclesia olim frequentatissima, hujusque etiam causam & originem demonstrat: *& cap.* 9. progreditur similiter ad ostendendam originem, & causas celebrandi Missas pro Mortuis die 7. ab alicujus obitu, *& cap.* 11. eodem modo erudite tractat de Missis Mortuorum die 30. ab eorum obitu celebrandis, *Cap. vero* 13. ostendit antiquitatem, & causas Missarum celebrandarum pro Mortuis in Anniversario eorum die; quapropter, qui curiositati satisfacere desiderat, evolvere poterit ea, quæ præfatus sapientissimus Auctor ibidem tradidit: necnon ea quæ edidit circa eandem materiam Grancolas in *tom.* 1. antiqui Sacramentarii Ecclesiæ a *pag.* 492. usque ad *pag.* 538.

RUBRICA.

2. *Præterea* (f) *Feria secunda cujuscumque hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Missa Principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut supra, in Missa de die fiat Commemoratio (ut dictum est) pro Defunctis. Excipiatur tamen* (t) *Quadragesima, & totum* (u) *tempus Paschale: & quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex; quibus temporibus non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis* (x) *(nisi in die depositionis Defuncti, & in* (y) *Anniversario pro Defunctis) neque pro eis fit Commemoratio. Missæ autem Privatæ pro Defunctis* (z) *quocumque die dici possunt;* (a) *præterquam in Festis Duplicibus, & Dominicis diebus.*

GAVANTUS.

(s) *Feria secunda.* Fecit enim eo die Firmamentum Deus, quod & Cælum appellavit, quo Defunctorum animas transferri quamprimum hac eadem die petimus. Vide miram Sanctæ Matris Ecclesiæ pro defunctis sollicitudinem, quæ initio Mensis & hebdomadæ pro iisdem orat; quinimo eos purgantes honorat Feria secunda post diem Dominicum, quo Ecclesiæ triumphanti tributa jam solvit, sequentibus diebus militantem juvat. Ortum habet hic Ritus in Feria secunda a Monachis Gamungensibus *ex Petro Damiano* 1050. *& idem in Annal. notavit Baronius Anno eodem.*

(t) *Quadragesima.* Ergone dicitur Officium Defunctorum in Quadragesima absque ulla eorumdem Commemoratione in Missa? sit quidem Commemoratio in Missa, sed in tertia Oratione, quæ communis est Vivis & Defunctis. Cur autem non excipitur Adventus? quia Feriæ secundæ non habent Missas proprias, ut in Quadragesima: & convenit, quia dicitur in Adventu Officium Defunctorum, quod respondet Missæ.

(u) *Tempus Paschale.* Mortuorum memoria mœstitiam habet, quæ non congruit lætitiæ summæ Paschali, & ad unum Christum tunc est attendendum. *Durand. lib.* 6. *c.* 72.

(x) *Nisi in die depositionis.* Non deberet corpus

pus sepeliri defuncti sine Missa, *Durand. lib. 7. de Offic. Mortuorum*, quod erat in usu, *teste Tertull. lib. de anim. cap. 51. & August. 9. Conf. Cap. 12. de funere Monicæ matris*: & omni tempore cadavere præsente, potest celebrari pro Defunctis; nisi in Parasceve, quo die Corpus Christi immolari non debet; & eo casu differendæ sunt Exequiæ in crastinum, in quo post Missam Sabbati Sancti posset alia Missa celebrari pro Defuncto: quod intellige juxta patrios mores Durandi; ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi Defunctos simul cum Missa, & nunquam sine ea absque scandalo. Si quis autem in die Paschæ moriatur, corpus ejus reservetur in sequentem diem ob reverentiam Paschæ. *Idem ibidem*, & *Rit. Rom. Pauli V.* in Dominicis, & Festis Missam Defunctorum insepulto corpore concedit S. R. C. 23. Maij 1603. Festa hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis, non tamen magnæ Celebritatis, ut verbis utar Ritualis Rom. puta primæ Classis; & esse debet præsens corpus in Ecclesia: sed & Rubrica loquitur de Missa Solemni; non autem de Privatis, quæ etiam insepulto, hoc est præsente corpore in Ecclesia, non possunt dici in Dominicis, neque in Duplicibus.

(y) *Anniversaria*. Anniversaria dies Defunctorum habet usum antiquissimum, *Clem. lib. 6. Constitut. Apost. c. 48. & Tertull. de cor. militis*, ut sicut Sanctis ea dies prodest ad gloriam, ita Defunctis ad salutem, *Amal. lib. 3. cap. 44.* Unde, si contingat Anniversaria dies in Festo celebrari, debet mutari in præcedentem diem, ut citius Defunctis consulatur, *Durand. loc. cit.* quæ ratio militat etiam in tertio, septimo, & trigesimo. Sed in sequentem diem non impeditam sæpius transtulit Anniversarias pro Defunctis, seu alias pro iisdem Missas, Sacra Rituum Congreg. *die 27. Septembris 1608. & die 19. Maji 1614.* Quomodocumque vero fiat mutatio (si de perpetua in alium diem mutatione agatur) ab eo faciendam puto, qui commutare potest ultimas voluntates, *ex Clem. quia contigit, de relig. dom.*

(z) *Quocunque die*. Concil. Cabillon. *de cons. d. 1. visum*: quotidie vult orari, & sacrificari pro Defunctis. *Sancta enim est, & salubris cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. 2. Machab. 12.*

(a) *Præterquam in Festis, &c.* Ne minuatur Solemnitas Festi Duplicis, & lætitia Paschalis, quam repræsentat dies Dominicus, dierum princeps. *S. Ignat. Epist. ad Magnesianos*. Adde consequenter, & a fortiori, neque in iis diebus, in quibus de Duplici fieri non potest, quamquam in primo triduo majoris hebdomadæ hortatur nos Constitutio Apostolica *lib. 5. cap. 13.* ad orandum pro iis, qui pereunt: quæ verba importare solent Sacrificium apud Sanctos Patres. Sed potest etiam fieri Sacrificium sine Missa de Requie pro Defunctis. Qua ratione Ritus antiquus, & novus non discordant.

Sacra tamen Rit. Congreg. tolerari posse censuit Missas de Requie in Duplici Festo, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur. 1. *Septembris 1607. & rursus 20. Junii 1626.* non ait, ad arbitrium vivorum, quod bene nota, sed pro implenda lege Defunctorum. Dixi: *quod non est de præcepto*: quia etiam in Festo de præcepto si cadat illud in diem assignatum pro Altari privilegiato, puta Feriam secundam, extra quam privilegium Altaris pro Defunctis est nullum, non potest adhuc Missa dici de Requie; uti decrevit eadem Sacra Congregatio *die 14. Aprilis 1627.*

Quod non sit omnino dicenda Missa de Requie Privata in Festis Duplicibus, Sac. Congr. annuente Summo Pontif. Alex. VII. noviter suo Decreto firmavit die 5. Augusti 1662. quod habetur in fine hujus primi tomi.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

II. Gavant. lit. x. — *Omni tempore cadavere præsente, &c.*) Asserit hoc loco Gavantus, cadavere præsente, omni tempore posse celebrari Missam pro Defunctis, excepto die Parasceves: & eo casu dicit differendas esse Exequias in crastinum, in quo post Missam Sabbati Sancti posset (ait ipse) celebrari alia Missa pro Defunctis juxta sententiam Durandi; maxime ubi viget consuetudo sepeliendi Defunctos simul cum Missa. Verum nullo modo potest in Sabbato Sancto *Missa de Requie in die obitus*, etiam præsente cadavere, celebrari: & hoc ex duplici capite, nimirum, quia Sabbatum Sanctum est Duplex primæ Classis; & idem juxta Decretum inferius dandum, non potest celebrari Missa Defunctorum in ea die; deinde quia juxta aliud Decretum die 21. *Februarii*, & 11. *Martii 1690.* & datum in nostro Indice *sub num. 493.* in Sabbato Sancto, celebrationes Missarum Privatarum omnino prohibentur in quibuscumque Ecclesiis, &c. & unica tantum Missa Conventualis una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebrari præcipitur. Quapropter nullo modo potest ad praxim deduci prædicta Durandi sententia, quam Gavantus videtur admittere, seu saltem non improbare.

Quoniam vero omni tempore, cadavere præsente, dixit Gavantus posse Missam Defunctorum celebrari, hoc loco congruum est exhibere nonnulla S. R. C. Decreta declarantia, quibus diebus possint, vel non possint celebrari Missæ Privatæ, vel Cantatæ de Requie.

Non possunt cantari Missæ de Requie in Festis Duplicibus primæ Classis, etiam præsente cadavere; & multo minus dicenda est una Missa Privata. Ita S. R. C. 5. Julii 1698. & in nostro Indice *sub num. 525.*

Missæ Defunctorum in die depositionis Defuncti, possunt solemniter celebrari in diebus, in quibus cadit Festum Duplex alicujus Sancti, dummodo Festum non sit de præcepto, juxta Rubricas.

cas Breviarii Rom. S. R. C. die 19. *Septembris* 1654. & in nostro Indice *sub num.* 315. *Hoc decretum intelligendum est, non præsente cadavere: nam etiam in Festis de præcepto, dummodo non sint primæ Classis, potest celebrari Missa Solemnis Defunctorum cadavere præsente.*

In Dominicis, & Festis potest celebrari Missa de Requie pro Defunctis insepulto cadavere. S. R. C. 23. Maji 1603. & in nostro Indice *sub n.* 16. *Hoc Decretum intelligendum est de Missa unica Solemni: nam Missæ Privatæ in diebus Festivis celebrari non possunt, etiam præsente cadavere.*

In diebus, in quibus non potest fieri de Festo Duplici, prohibentur Missæ *de Requie*, nimirum, infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Feria 4. Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes: 28. Augusti 1627. & in nostro Indice *sub num.* 217. Prohibentur Missæ Privatæ Defunctorum, in Festo Duplici, &c. ut patet ex Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 396. Eædem Missæ Privatæ prohibentur etiam præsente cadavere; ut colligitur ex Decreto dato *sub num.* 505. nec non ex alio *sub n.* 622.

In Vigilia Epiphaniæ prohibentur Missæ de Requie; 21. Aprilis 1697. & in nostro Indice *sub n.* 514. & 10. Decembris 1718. & in nostro Indice *sub num.* 635.

Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ Privatæ pro Defunctis: 25. Septembris 1706. & in nostro Indice *sub n.* 603.

Infra Octavam Corporis Christi prohibentur Missæ Defunctorum, 21. Junii 1670. & in nostro Indice *sub num.* 442.

Durante expositione Sanctissimi Sacramenti, occasione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non potest Missa Privata de requie &c. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice *sub n.* 472.

Dum Sanctissimum Sacramentum est expositum, occasione quadraginta Horarum, non possunt Missæ Defunctorum celebrari, etiamsi ex præscripto Testatorum essent celebrandæ; sed ab iis congruentius est abstinendum, 27. Aprilis 1697. & in nostro Indice *sub n.* 511.

Sacerdotes habentes Officium Semiduplex, Simplex, aut Feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia, in qua fiat de duplici non, possunt dicere Missam de Requie. S. R. C. 11. Junii 1701. & datum in nostro Indice *sub n.* 158.

Regulares in alienis Ecclesiis, in quibus celebrant Missam Votivam vel de Requie, ad satisfaciendum oneribus, possunt & ipsi easdem ibi Missas celebrare; quamvis in suis Ecclesiis occurrat Festum, aut Officium Duplex. S. R. C. 2. Junii 1701. & in nostro Indice *sub n.* 558.

Missæ non possunt celebrari pro Animabus Purgatorii una hora post meridiem 24. Novembris 1663. & in nostro Indice *sub n.* 415.

Ex quo in primo ex Decretis a nobis hic expositis sancitum sit, quod in Festis primæ Classis non possit celebrari Missa Solemnis Defunctorum, etiam præsente cadavere; censerem non posse celebrari dictam Missam in prima Dominica Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes, cum duobus diebus seq. die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Festo Corporis Christi, & in aliis Festis primæ Classis. Non me latet aliquos concedere celebrationem talis Missæ Solemnis Defunctorum præsente cadavere, tota hebdomada majori (præterquam in Feria 6. Parasceves,) & a fortiori, in Feria 4. Cinerum &c. Verum quia in Rubrica VI. de Translatione Festorum *num.* 1. Præscribitur, quod de Sancto Titulari alicujus Ecclesiæ, quando majori aliquo Festo, vel Dominica occurrente, debet transferri in alium diem; præscribitur, inquam, in tali Rubrica, quod nihilominus in tali Festo Solemniori, vel Dominica possint cantari duæ Missæ Solemnes, una de dicto Festo Solemniori, vel Dominica; altera vero de dicto Festo titulari Ecclesiæ, quod transferri debet; sed exceptis diebus supradictis, nempe Dominica 1. Adventus, Feria 4. Cinerum, Dominica 1. Quadragesima, & Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori &c. hinc sequi videtur, quod si in dictis diebus prohibetur Missa Solemnis de illo Festo translato, & quæcunque etiam alia Missa Votiva Solemnis pro re gravi, ut notat Bauldry *part.* 3. *titul.* 6. *de Translatione Festorum;* pariter prohibita sit Missa Solemnis Defunctorum, etiam præsente cadavere. Nam si hoc non permittitur ex vi primi Decreti allegati in diebus primæ Classis, verb. gr. in Festo Assumptionis B. M. V. in Festo omnium Sanctorum; & aliunde in prædictis Festis non prohibetur Missa Solemnis prædicti Sancti Titularis Ecclesiæ, si transferri debeat: a fortiori debet censeri prohibita Missa Solemnis Defunctorum, etiam præsente cadavere, in omnibus illis diebus primæ Classis, in quibus non potest cantari Missa Solemnis prædicti Sancti translati; cum hæc videatur magis privilegiata, quam dicta Missa Solemnis Defunctorum præsente cadavere. In dicto autem casu, cum non possit Cantari Missa Solemnis Defunctorum, debet applicari pro Defuncto, cujus cadaver est præsens, Missa illa Solemni, quæ cantatur de die Festo, vel Dominica illa primæ Classis &c.

III. Gavant. eadem lit. x. — *Quæ etiam insepulto, hoc est præsente corpore, in Ecclesia non possunt dici in Dominicis, neque in Duplicibus.*) Gavantus inhærendo Rubricis, asserit hoc loco Missas Privatas Defunctorum, etiam insepulto, & præsente cadavere, non posse dici in Dominicis, neque in Duplicibus: & revera hæc est communis sententia inter Rubricistas, quæ confirmari potest Decretis supra allegatis S. R. C. Nihilominus recentissime proposita fuit hæc quæstio a Reverendissimo Patre D. Cæsare Benvenuti Abbate Privilegiato perpetuo inter Canonicos Late-

ra-

rarenses; & impressa reperitur ejus decisio in sui calce Operis continentis Ritum Missæ Solemnis: & resolvit in Festis Duplicibus posse dici Missas *de Requie* Privatas, præsente corpore, sub quibusdam moderationibus ab eodem expositis; usque dum Sacr. Congreg. aliter decernat. Sed cum revera Sacr. Congreg. hoc jam decreverit, idque præsertim in Decreto diei 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*, respondendo ad decimum quartum dubium, in quo declaravit tanquam abusum abolendum — consuetudinem illam dicendi Missas Privatas *de Requie* corpore præsente, & insepulto; dum cantatur Missa Solemnis diebus, quibus fit de Officio Duplici — quod quidem Decretum, ut supra innuimus, datur in nostro Indice *sub num.* 505. hinc censeo prædictam sententiam Abbatis Benvenuti non posse habere locum, & in praxi non esse admittendam etiam ob Decretum datum *sub n.* 622.

IV. Gav. lit. y — *Anniversaria dies Defunctorum habet usum antiquissimum &c.*) Breviter ostendit hic Gavantus antiquitatem celebrandi Missas pro mortuis Anniversario die illorum obitus, sed fusiori calamo de hac antiquitate, & origine Anniversariorum pro Defunctis, ut superius innui, disserit Joseph Vicecomes de antiquis Missæ Ritibus, *volum.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13.

V. Gav. lit. z — *Si contingat Anniversaria dies in Festo celebrari, debet mutari in præcedentem diem.*) Optime docet hic Gavantus, quod si Anniversaria dies alicujus Defuncti contingat in Festo celebrari, debeat mutari in præcedentem diem, ut citius Defunctis consulatur. Verum hic, & Durandus, & Gavantus loquuntur de Festis de præcepto, in quibus revera non potest celebrari Missa Solemnis in die Anniversario: nam si sermo sit de Festis Duplicibus tantum, prædictæ Solemnes Missæ in Anniversaria die non excluduntur. Sed ut facilius innotescant S. R. C. Declarationes, & Decisiones super dubia proposita in diebus Anniversariis pro Defunctis, congruum mihi videtur subnectere sequentia Decreta spectantia ad prædictam materiam.

Officium Anniversarium, vel Septennarium, vel Tricenarium Defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel Festivo, transfertur in diem sequentem, cum eadem Solemnitate 23. Maji 1603. & in nostro Indice *sub n.* 20.

Anniversaria & aliæ Missæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito possunt transferri in diem sequentem 26. Septembris 1608. & in nostro Indice *sub num.* 92.

Hoc idem colligitur ex alio Decreto edito die 19. Maji 1614. dato in nostro Indice *sub num.* 143.

Anniversaria, & Missæ *de Requie*, quæ ex voluntate testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus incideret in Festo Duplici majori 23. August. 1669. & in nostro Indice *sub num.* 625.

Anniversaria Mortuorum infra Octavam Corporis Christi, non sunt facienda, nisi præsente corpore 12. Septembris 1671. & in nostro Indice *sub num.* 448.

Durante expositione SS. Sacramenti occasione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non potest Missa Privata de *Requie*, licet occurrat Officium hujusmodi Missas admittens; neque cantari potest Missa Defunctorum pro adimplenda mente testatoris, sive Anniversario satisfaciendo. S. R. C. 2. Decembris 1684. & datur in nostro Indice *sub num.* 47. & id confirmatum etiam fuit a Clemente XI. in sua instruct. pro dicta expositione quadraginta Horarum Vulgata anno 1705.

Anniversaria, seu Missæ quotidianæ Cantatæ de *Requie* relictæ ex dispositione Testatorum pro certis diebus, iisque impeditis die Dominico, seu Festo de præcepto, cantari possunt in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Festo Duplici majori, non tamen de præcepto. Ita S. R. C. indulsit Canonicis Lateranensibus hoc dubium proponentibus die 4. Maji 1686. & datur in nostro Indice *sub num.* 483.

In Anniversario translato ob Festum de præcepto, recitanda est Oratio prout in Missali, scilicet non omittendo illa verba *cujus Anniversarium Depositionis diem commemoramus.* 4. Maji 1686. & in nostro Indice *sub num.* 485.

In Anniversario occurrente in Festo Duplici secundæ Classis, non potest cantari Missa de *Requie.* 5. Julii 1698. & in nostro Indice *sub num.* 524.

In die Anniversarii, & Depositionis, non potest cantari Defunctorum Missa loco Conventualis. 5. Junii 1698. & in nostro Indice *sub num.* 527.

Si Anniversarium anticipetur, & postponatur post aliquos dies, potest dici Missa, ut in Anniversario. 5. Julii 1698. & in nostro Indice *sub num.* 529.

Ex privata devotione Parochianorum petentium sæpius per annum Anniversaria pro Defunctis parentibus, fratribus &c. potest cantari Missa de *Requie* in ruralibus Ecclesiis, in Festo Duplici minori, & altera Missa Cantata de Festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes; dummodo sermo sit de die vere Anniversaria a die obitus. 19. Junii 1700. & in nostro Indice *sub num.* 547.

Sicut autem Anniversarium, sic si trigesima, vel septima, vel tertia dies ab obitu Defuncti incidat in diem Dominicam, potest anticipari, vel transferri in diem immediate sequentem; ut docet Gavantus supra, & cum eo Turrinus *par.* 2. *sect.* 1. *cap.* 4. & in his Missis Solemnibus translatis, eadem Solemnitas servanda est, quæ adhiberetur, si in propria die celebraretur. Quod si Anniversarium, ut bene advertit Turrinus cit. loc. vel tertia, aut septima &c. caderet in Dominica Palmarum, tunc transferenda esset talis Missa usque ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, & cum eadem Solemnitate celebranda ob eamdem rationem.

VI. Gav. lit. a — *Ne minuatur Solemnitas Festi Du-*

Duplicis, &c.) Supra a nobis nonnulla fuerunt exposita Decreta declarantia, quibus diebus possint, vel non possint dici Missæ de Requie: unde ea iterum revolvenda sunt, ut perfecte intelligatur sensus hujus Rubricæ, & Gavanti Commentarium.

VII. Gav. ead. lit. a — *Sacra tamen Rituum Congr. tolerari posse declaravit, &c.*) Affert Gavantus Decretum S. R. C. editum die 1. Septembris 1607. & refertur etiam in nostro Indice *sub n.* 71. in quo habentur hæc præcisa verba - Tolerari possunt Missæ de Requiem in Duplici Festo, quod non est de præcepto, ut Testatorum voluntates adimpleantur —. Verum huic Decreto derogatum fuit per alia posteriora Decreta; præsertim vero per illud diei 5. Augusti 1662. & datum in nostro Indice *sub num.* 396. ubi habetur — Omnibus, & singulis Sacerdotibus, &c. præcipitur, ut Missas Privatas pro Defunctis in Duplicibus nullatenus celebrare audeant. Quod si ex Benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in Festum Duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam; ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit; sed dicantur de Festo currenti, cum applicatione Sacrificii; juxta mentem eorumdem Benefactorum, &c.

VIII. Gavant. ead. lit. a — *In diem assignatam pro Altari privilegiato &c.*) Docet Gavantus quod si Festum de præcepto cadat in diem assignatum pro Altari privilegiato, puta Feriam secundam; non potest adhuc Missa dici de Requie, ut decrevit S. R. C. ab eo citata, cujus Decretum datur in nostro Indice *sub num.* 206. Quoniam hic sermo habetur de Missis in Altari privilegiato celebratis, opportunum est tradere hoc loco omnia Decreta pertinentia ad Missas, quæ pro Defunctis celebrantur in Altaribus privilegiatis.

Non licet celebrare Missam pro Defunctis, nimirum de Requie, in Altari privilegiato, in Feriis 5. & 6. si occurrat Festum primæ, vel secundæ Classis. 25. Septembris 1649. & in nostro Indice *sub n.* 298.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia, &c. 13. Augusti 1667. & in nostro Indice *sub n.* 432.

Missæ de Festo Duplici celebratæ in Altari, pro Animabus perpetuo privilegiato, & in quo proinde etiam in Duplicibus sint celebrandæ Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro Defunctis, juxta formam privilegiorum, &c. 22. Januarii 1667. in nostro Indice *sub n.* 430.

Prædictum Decretum Alexandri VII. extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum privilegiata, &c. S. R. C. 23. Septembris 1669. approbante Clemente IX. & dato in nostro Indice *sub n.* 439.

Prædicta Decreta Alexandri VII. & Clementis IX. circa Missas Defunctorum in Altari pro Animabus privilegiato, non celebrandas aliquibus diebus, licet loquantur tantum de Festis Duplicibus, intelligenda tamen sunt, & locum sibi vindicant, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, &c. aliisque Anni diebus; quibus Missæ Defunctorum juxta Ritum & morem Ecclesiæ, ac Rubricarum celebrari nequeunt; quatenus nimirum Missæ, quæ iisdem diebus celebrari possunt, si ad præfata Altaria privilegiata celebrentur, per ipsas ita celebratas satisfiat injunctis obligationibus: & quod Indulgentias per dicta privilegia Apostolica concessas, Animabus Fidelium Defunctorum, in Purgatorio existentibus, suffragantur prædictæ Missæ, perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum. 3. Maii 1688. & in nostro Indice *sub n.* 490.

Videantur etiam eadem Decreta iterum confirmata a Clemente XI. in nostro Indice *sub n.* 623.

Ex Decretis mox expositis clare constat, quod Missæ etiam de Officio duplici celebratæ ad Altare privilegiatum, eo die, quo recitatum est Officium Duplex, eodem modo suffragantur Animabus in Purgatorio existentibus, ac si dictæ essent *de Requie.* Oritur tamen dubium: utrum Sacerdos ille, qui juxta Calendarium proprium, Officium recitavit de Duplici, celebrans in Ecclesia aliena, in qua recitatum est Officium de Semiduplici, vel de Feria; celebrans in Altari privilegiato, dicere debeat Missam de Requie ad hoc, ut privilegium Defunctis suffragetur: an vero satisfaciat, si celebret Missam correspondentem Officio Duplici, quod recitavit? Huic dubio respondendum esse crediderim, quod cum ex Decreto S. R. C. sub die 11. Julii 1701. & dato in nostro Indice *sub n.* 558. possit dictus Sacerdos in tali casu celebrare in prædicta aliena Ecclesia Missas Votivas, vel de Requie ad satisfaciendum suis oneribus; hinc fit, quod in prædicto casu tenetur celebrare Missam de Requie; ut privilegium præfati Altaris, in quo celebrat, suffragetur Defunctis, pro quibus offert Sacrificium: privilegium quippe Alexandri VII. solummodo habet locum in illis Missis de Festo Duplici, vel die occurrenti celebratis, in quibus non possunt juxta Rubricas, & specialia Decreta celebrari Missæ de Requie. Cum igitur in præfato casu, & inhærendo antedicto Decreto, prædictus Sacerdos in aliena Ecclesia celebrans, possit dicere Missam de Requie, ut satisfaciat suæ obligationi, & Indulgentias Altari privilegiato concessas pro Animabus in Purgatorio existentibus acquirat, debet profecto Missam non de suo Officio Duplici, sed de Requie celebrare. Ita etiam præscindendo a tali Decreto, sentit Hagerer *in sua appendice tract. 2. n. 10.*

IX. Gav. ead. lit. a — *Quod non sit omnino dicenda Missa de Requie Privata in Festis Duplicibus.*) Ex Decretis S. C. a nobis supra expositis, satis liquet hæc veritas, quod in Festis Duplicibus, etiam præsente cadavere, non possint dici Missæ Privatæ Defunctorum.

RUBRICA.

3 *In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depositionis, & in Anniversario Defuncti dicitur una tantum Oratio; & similiter* (b) *in die tertia,* (c) *septima,* (d) *trigesima, & quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur: in aliis Missis, plures; ut de Feriis, & Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.*

GAVANTUS.

Oratio, *Fidelium*, erit ultima, *Burchard.* ubi plures dicuntur Orationes.

(b) *In die Tertia.* Præter diem obitus, seu depositionis, & Anniversarium, qui celebriores reputantur, Solemnes habiti sunt tertius, septimus, & trigesimus, constanti Ecclesiæ ab Apostolis traditione. Caveant igitur ii, qui nominant in Missa alios dies quartum, quintum, vigesimum, & ejusmodi; quia neque in Rituali novo, prout neque in Missali, ponuntur alii dies a prædictis. Et Tertii quidem meminit *Clem. lib.* 6. *Const. Apost. c.* 48. propter eum, inquit, qui tertia die resurrexit, vel ut purgetur anima, quæ triplicis est naturæ, irascibilis, concupiscibilis, & rationalis, vel ut in ea S. Trinitatis imago integre reparetur. *Alcuinus loc. cit.* vel ut absolvatur a peccatis, quæ patravit cogitatione, verbo, & opere, *Durand. loc. cit.*

(c) *Septima.* Mysteria Septimæ diei scribit *Ambros. Orat. de Fide Resurrect.* quia symbolum est futuræ quietis. Addit *Alcuinus*, ut anima suo corpori reconcilietur; illa namque (ut diximus) tripliciter peccare solet; & corpus item quadrupliciter ob humores quatuor, quibus constat. *Durand.* vult significari vitæ totius purgationem, quæ septem diebus in orbem ducitur. Fortasse *ab Eccles.* 22. hic Ritus ortum habet: *Luctus mortui septem dierum:* vel a Joseph Ægypti Prorege, qui septem implevit dies luctus super defunctum patrem suum. *Gen.* 50.

(d) *Trigesima.* Trigesimum diem commendat *S. Ephrem in suo Testamento apud Saurium tom.* 1. derivaturque Ritus a morte Aaron, & Moysis, quos flevit Populus triginta diebus. *Num.* 30. *Deuter. ult.* Vel quia Dominus baptizatus est annum agens trigesimum, *Alcuin.* Vel quia in hac mensura ætatis Christi resurgemus omnes. *Idem.* Vel quia hac ætate Adam creatus fuit, secundum communiorem Doctorum sententiam; vel ut quidquid in Decalogo legis Defuncti deliquerint, in S. Trinitatis misericordia deleatur, *Hugo de Miss. observ. lib.* 3. *c.* 37. nam ter decies constituunt triginta. Trigesimum numerum observant alii, ea ratione, ut per triginta dies fiat Missa pro Defunctis; solemnius autem tertia die, septimaque, intra triginta, & ipsamet trigesima. *Amalar. lib.* 4. *c.* 42. Ritus autem triginta dierum a Sancto Gregorio Papa, 4. *Dialog.* 55. præscribitur Abbati Pretioso pro Monacho Justo iis verbis: *Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quos pro absolutione illius, Hostia salutaris non offeratur.* Ex quibus intelligere possunt celebraturi Missas, quas vocant Sancti Gregorii, hoc est, institutas, aut approbatas a S. Gregorio, quod primo non est necesse, ut idem Sacerdos per Mensem celebret diebus triginta; sed necesse est, ut offeratur Hostia per Mensem, sive ab uno, sive a pluribus, ut patet ex iis verbis: *stude offerre;* neque addit Abbati *per te*, quod esset onus grave. Secundo, sufficit offerri Sacrificium, non autem omnes Missæ dicendæ sunt Ritu proprio de Defunctis, quin in Dominicis intercurrentibus prohibetur. Tertio, continuis diebus fieri debet, *ut nullus omnino præmittatur dies*, remota superstitione, quam vetuit *Trident. sess.* 22. ratione numeri; neque discontinuantur ob triduum majoris hebdomadæ, quo ex usu Ecclesiæ probato non debet celebrari. Doctores autem, qui volunt eas posse discontinuari, vel uno dici die omnes 30. concludunt valere, tamquam triginta Missas; sed non ut eæ, quas instituit S. Gregorius, ut ex ejusdem verbis patet.

* Dubitatum aliquando fuit, edito Decreto Sacr. Congreg. de quo infra, prohibente quasdam Missas S. Gregorii pro Vivis, & Defunctis: an prohibitæ censeantur prædictæ triginta Missæ S. Gregorii? at negavit S. R. C. *die* 18. *Octobris* 1628. & prælo datum est Decretum, petentibus Monachis S. Gregorii de Urbe.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

X. Rubr. *In die Commemorationis omnium Defunctorum, &c.*) Hæc superior Rubrica præscribit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, qui Solemnis habetur pro Defunctis, unicam tantum Orationem, in Missa pro iisdem celebrata, esse dicendam. Quoniam vero hic sermo habetur de hac Solemni die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, opportuna se offert occasio adtexendi hic collecta in unum omnia S. R. C. Decreta quæ ad Missas Defunctorum, in tali die celebrandas, spectant.

Missa, ut in die obitus præsente corpore, ultra Missam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Sacra Rituum Congreg. 14. Aprilis 1646. & in nostro Indice *sub n.* 291.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. 4. Augusti 1663. & in nostro Indice *sub num.* 411.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia,

sia, &c. 13. Augusti 1667. & in nostro Indice *sub num.* 432.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, si alicubi occurrat Officium Duplex minus, Missæ sunt celebrandæ de Requie, juxta Decretum diei 5. Octobris 1686. & in nostro Indice *sub num.* 488.

Ita etiam juxta Decretum aliud die 19. Junii 1700. & in nostro Indice *sub num.* 543. S. R. C. statuit in tali casu Officium faciendum esse de Duplici; sed Missas celebrandas esse de Requie. Verum per aliud Decretum editum die 12. Julii 1716. & datum in nostro Indice *sub num.* 631. derogatum esse videtur duobus antedictis Decretis; cum in tali casu præscribatur a S. C. quod Officium Duplex minus sit transferendum in primam diem non impeditam, & quod celebrentur Missæ, ut in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum. Sed licet derogare videatur, attamen reipsa non derogat, nam sub illo Decreto Sac. Cong. providit pro Ecclesia particulari ob specialem solemnitatem Reliquiarum insignium, ut ex ipso Decreto constat. Sed cessante speciali solemnitate standum est antedictis Decretis; & firmatur assertio nostra ex novissimo Decreto ab ipsamet S. R. C. dato sub die 5. Maii 1736. ut in nostro Indice *sub num.* 683.

In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quotannis occurrente in aliqua Ecclesia die Octava Dedicationis ejus, Missæ Privatæ sunt celebrandæ de Defunctis; sed dicendæ sunt duæ Missæ Conventuales, quarum una sit de Octava, altera de Defunctis juxta Rubricas. Si vero talis dies Octava incidat in Dominicam, omnes Missæ sunt celebrandæ de die Octava; cum Commemoratio omnium fidelium Defunctorum in tali casu transferatur in diem sequentem, S. R. C. 2. Augusti 1698. & in nostro Indice *sub num.* 536.

Advertendum est hoc Decretum posse subsistere cum Decreto superius exposito, die 12. Julii 1716. Quia dies Octava, &c. non potest transferri in alium diem, sicut transferri potest Officium illud Duplex minus, de quo sermo est in antedicto Decreto. Vide etiam Guyetum *lib.* 5. *cap.* 8. *qu.* 5. *num.* 5.

In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, non potest celebrari Missa Solemnis de Requie post Primam, sed servandæ sunt Rubricæ. 22. Januarii 1701. & in nostro Indice *sub num.* 549.

XI. Gavant. lit. b — *Præter diem obitus, seu depositionis, &c.*) Non solum in die Commemorationis omnium Defunctorum, sed etiam in die depositionis, & Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio; & similiter in die 3. 7. & 30. qui, ut notat Gavantus, celebriores, & solemnes reputantur: in quibus diebus talis Missa Solemnis dicitur post Nonam, juxta Rubricam XV. *num.* 3. de qua infra.

Denique unica dicitur Oratio, quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur. Verum hæc regula non habet locum in Missis Solemnibus Defunctorum; quæ dicuntur in die prima Mensis non impedita, vel Feria 2. dum Missa Principalis fit pro Defunctis, ut habetur in Rubricis primæ Missæ inter Missas Votivas secundi generis. Pro prædicta exceptione citatur a Pisart, in expositione hujus Rubricæ *pag. mihi* 10. Decretum Sac. Congr. sub die 20. Martii 1681. in quo habetur — Licet in Missa Solemni in die obitus, & Anniversarii solemnis, dicenda sit unica Oratio; hoc tamen non habet locum in prima Mensis, vel Feria 2. dum Missa Principalis fit pro Defunctis — Sed hoc Decretum ita conceptum, & saltem sub prædicta data, non extat in Regestis S. R. C. quapropter non ex vi talis Decreti, sed aliunde probatur dicta exceptio, nimirum ex regula tradita pro Missis Conventualibus ferialibus, in quibus regulariter tres saltem Orationes debent dici, & etiam pro peculiari regula talis Missæ Mensualis Defunctorum; ut optime notat Turrinus *part.* 2. *sect.* 1. *c.* 4.

Resumendo sermonem de Missa solemni celebranda in die obitus alicujus Defuncti, notandum est, quod non solum in die obitus potest celebrari Missa Solemnis; sed juxta Decretum diei 4. Maii 1686. datum in nostro Indice *sub num.* 484. Cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa de Requie in Festo Duplici etiam majori, quod non sit de præcepto — Hoc Decretum habetur in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub dicta die, & reperitur etiam inter Rubricas Breviarii Franciscani *tit.* 3. *de Offic. Simpl. sub num.* 47. unde videtur hoc Decretum esse universale pro omnibus. Gavantus autem ante prædictum Decretum *part.* 4. *tit.* 18. *in suis Commentariis num.* 15. asserebat, pro eo, qui proxime obiit, longe tamen a nobis, prima vice potest dici Missa, ut in die tertio, omisso verbo *tertio*: cui sententiæ lubens subscribit etiam Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæst.* 28. subdens, quod cum in tertio die præscribatur Missa, ut in die obitus, dicenda ergo est in dicto casu prima Missa, juxta statum, & conditionem personæ defunctæ. Bissus pariter docuit dicendam esse in tali casu Missam, prout in die obitus *lit. M. num.* 243. §. 3. *& seqq.*

In die obitus Summi Pontificis dicitur ea Missa, quæ prima habetur in Missali inter Missas Defunctorum, idest illa, quæ ponitur pro die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, cum unica tantum Oratione, quæ erit *Deus, qui inter summos Sacerdotes, &c.* ut ponitur in Missali. Pro defuncto Cardinali Episcopo, dicitur eadem Missa, ut supra, cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos, &c.* dicendo *Episcopum Cardinalem.* Si vero fuerit tantum Presbyter, dicitur *Presbyterum Cardinalem.* Si autem erit solum Diaconus, Missa erit ut supra, & Oratio *Inclina, Domine, &c.* in qua dicitur *Diaconi Cardinalis, &c.* Pro defuncto Episcopo in die obitus, seu depositionis, dicetur eadem Missa, ut supra, cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos, &c.* Pro defun-

cio Sacerdote, quamvis Rubrica nihil disponat; tamen in die sui obitus, seu depositionis, dicenda videtur eadem Missa, ut supra, cum Oratione, ut in Missali, pro Sacerdote assignata. Ita Bissus *lit. M. n.* 243. §. 3. *seqq.* Pro aliis Defunctis vero, sive Clericis, sive Laicis in die obitus, dicitur illa Missa, quæ secundo loco habetur intra Missas Defunctorum, cum unica Oratione congruente personæ defunctæ, quæ regulariter erit *Deus, cui proprium est, &c.* Bissus *cit. loc.* Ex quibus deducitur, quænam pro dictis Defunctis Missæ dicendæ sint in die tertio, septimo, & trigesimo, & Anniversario eorumdem obitus, qui dies solemnes reputantur; & quæ post horam Nonam, ut diximus, celebrantur. Oratio vero pro personis laicis, &c. in die tertia, septima, & trigesima erit *Quæsumus Domine:* in Anniversario *Deus indulgentiarum:* quæ Oratio etiam dicitur si pro tota ex. gr. familia Anniversarium celebretur; quamvis Episcopi, vel etiam Summi Pontifices sub ea comprehendantur, secus si pro pluribus Summis Pontificibus, vel Episcopis, &c. celebretur Missa: quia in his casibus Orationes propriæ, in plurali tamen numero dici debent; ut videre est in fine Missalis.

XII. Rubr. *In aliis Missis plures &c.*) Quamvis in supradictis Missis celebratis in præfatis diebus solemnibus pro Defunctis, vel pluribus, vel pro uno tantum, unica dicatur Oratio, conveniens, ut diximus, conditioni personæ, vel personarum, pro qua, vel pro quibus dicitur Missa; in Missis tamen quotidianis tres dicuntur Orationes, quæ sunt in Missali assignatæ: unde in his Missis quotidianis de *Requie*, quoad numerum Orationum, servatur eadem regula, ac de Feria, & Simplicibus, seu Semiduplicibus. Quando Missa applicatur generaliter pro Defunctis, regulariter dicuntur illæ Orationes, quæ in Missali pro Missis quotidianis positæ sunt. Verum si Missa celebretur pro aliqua, vel pro aliquibus determinatis personis, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur; secunda, & tertia, quæ secundo, & tertio loco ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum. Lohner *part. 4. tit. 3. §. 2. n. 4.* Sacerdos tamen celebrans poterit secundo loco aliam quoque Orationem dicere, ex. gr. pro parentibus suis, seu pro suo patre, vel matre sua. Quarti *part. 1. tit. 5. dub. 1. vers. Respondeo, num.* 7. Quando plures dicuntur Orationes in Missis Defunctorum, ultimo loco semper dicenda est Oratio *Fidelium*, quæ est generalis pro Defunctis. Gavantus *part. 4. tit. 15. n.* 19. Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 5. §. 11.* & Hagerer in appendice *tit. 2. de Missis Requiem, §. 2. num.* 5. Dictum est autem *in Missis Defunctorum:* nam si in aliis Missis eadem Oratio, vel alia pro Defunctis per modum Collectæ, seu Commemorationis dicatur, tunc semper ponitur penultimo loco: & habetur in *Rubrica sequenti tit. 7. num.* 6.

Ex dictis sequitur, in Missis quotidianis pro Summo Pontifice dicendam esse Orationem *Deus, qui inter Summos Sacerdotes &c.* pro Cardinalibus; Orationes assignatas *post Missam quotidianam Defunctorum*; pro Episcopo, *Da nobis Domine;* pro Sacerdote, *Præsta quæsumus*, vel Oratio *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c.* quæ omnia colliguntur ex Gavanto *part. 4. tit. 18. num.* 12.

Supra satis innuimus, quod in Missis quotidianis celebratis etiam pro una certa, & nota persona, non unica tantum, sed plures, nempe tres dicendæ sint Orationes; quarum prima eligenda est ex numero illarum, quæ post Missam quotidianam in Missali Defunctorum descriptæ ponuntur; ut ab aliis eligiantur quæ necessariæ sunt pro varietate personarum, ad recitandas Collectas. In prædicto igitur casu eligiatur prima Oratio conveniens conditioni personæ, in cujus suffragium offertur Sacrificium; secundo loco dicatur alia Oratio pro libito Sacerdotis celebrantis: tertia vero semper *Fidelium*, ut diximus supra.

RUBRICA.

4 (e) *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depositionis Defuncti, & quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.*

GAVANTUS.

(e) *Sequentia.* Prosa, sive Sequentia, hoc est *Dies iræ, dies illa*, significat autem jubilationem: & hoc nomine quamcumque Sequentiam vocat Ordo Romanus; ut idcirco cantari debeat, cum solemnius celebretur pro Defunctis. Sequentia quoque appellatur, quia per cantus amœnitatem ad sequentia præparat, *Hugo Victor. de Offic. Eccl. lib. 2. cap.* 19. vel quia sequitur, *Alleluja*, in aliis Missis Festivis, *Cornelius Sculvingius*, qui & Prosam eam dici putat, quia, lege metri caret.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

XIII. Rubric. & Gav. lit. e — *Sequentia.* Prosa, hoc est, *Dies iræ, dies illa, &c.*) De hac Sequentia, quæ dicitur in Missis Defunctorum, quinam fuerit illius auctor variæ sunt Scriptorum opiniones. Leander Albertus, Latino Cardinali Ursino Ordinis Prædicatorum adscribit; Lucas Wadingus, Thomæ de Celano Ordinis Minorum; alii apud eundem Wadingum, S. Bonaventuræ, vel Matthæo Aquasparto, Exgeneralibus Minorum, & Cardinalibus. Possevinus in Appar. Sacro tribui ait Augustino Bugellensi Pedemontano Ordinis S. Augustini, subdens ibidem, verum auctorem esse Humbertum quintum Generalem Ordinis Prædicatorum. Arnaldus Vojon, *lib. 5. ligni Vitæ cap.* 70. a quibusdam asserit adjudi-

dicari S. Gregorio Magno, nec desunt denique, qui etiam D. Bernardo eam tribuant. Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis *lib. 2. cap.* 115. improprie dici sequentiam in Missis Defunctorum, quia hoc Officium, nec *Alleluja*, nec *Sequentiam* debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ, nam sequentia neumati post *Alleluja* additio sufecta est, neumata autem sunt distinctiones, ut vocant Musici, notæ illæ, quæ in fine prædictæ vocis *Alleluja* prolixe decantantur. Ex eo deducitur hanc sequentiam nulli ex antiquis Auctoribus referendam esse, sed alicui ex recentioribus, cum Ritus Ecclesiastici immutari cœperunt, ut censet Card. Bona *de Rebus Liturgicis lib. 2. cap. 6. num.* 6. ex quo hæc omnia collecta sunt, & ipsi profecto est adhærendum: nam in antiquis libris, qui *Processionales* vocantur, a Beato Humberto supra allegato ordinatis, sequentia hæc inserta non reperitur, & in Missalia Venetiis excusa, pro PP. Prædicatoribus, primo inductam fuisse, asseverat P. Joannes de Palentia in notis ad Ordinarium PP. Prædicatorum, ex quibus colligit etiam Marcellus de Cavalleriis *in Statera Sacra tit.* 17. nec B. Humbertum, nec alios Latinos Card. Ursino antiquiores, prædictam sequentiam composuisse. De prædicta sequentia dicenda in Missis Defunctorum rursus fuse loquitur Gavantus *in par. 4. hujus primi tomi tit.* 18.

Prædicta autem sequentia pro Defunctis, sive *Dies iræ*, *&c.* dicitur in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depositionis Defuncti, & quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Missis pro Defunctis dicitur ad arbitrium Sacerdotis, ut patet ex supradicta Rubrica. Quoad reliquas partes Missæ Defunctorum, quocumque tempore in tali Missa dicitur *Præfatio Communis*: & hoc habetur *in titulo, seu Rubrica 12. hujus primæ partis num. 4.* Idem etiam est dicendum de *Communicantes*, & *Hanc igitur &c.* quæ nunquam variantur in Missa Defunctorum; Gerlacus Vinitor *part. 1. tit. 12. §. 1.* In fine Missæ non datur *Benedictio*, neque dicitur *Benedicamus Domino*, sed ut videbimus in titulo, seu Rubrica 13. secundæ partis, *De iis quæ omittuntur in Missis Defunctorum*, loco *Benedicamus Domino*, dicitur *Requiescant in pace*, & in fine Missæ, nunquam aliud Evangelium legitur, quam S. Joannis, *In principio erat Verbum &c.*

Cætera, quæ spectant ad Ritus & Cæremonias talis Missæ, sive solemnis, sive Privatæ Defunctorum, legi possunt in Commentariis Gavanti *ad prædictum tit. 13. & ad tit. 17. quartæ partis*, quibus etiam ibi adjiciemus ea, quæ nobis videbuntur opportuna, & necessaria pro Ritu exacto celebrandis dictas Defunctorum Missas, quæ semper debent celebrari in colore nigro, vel saltem violaceo, ut patet non solum *ex Rubrica, seu tit. 18. hujus primæ partis, de coloribus paramentorum*, sed etiam ex Decreto S. R. C. die 21. Junii 1670. dato in nostro Indice *sub n. 444*

De Translatione Festorum. VI.

RUBRICA.

1 *In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum duplicium, & semiduplicium, quando majori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesiæ, vel concursus Populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo, excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Festo Corporis Christi.*

GAVANTUS.

De Translatione Festorum & nos docebimus in Rubrica Breviarii. Vide hoc loco solutiores leges Missæ, quam Officii Divini, quia Populus concurrit ad audiendum potius Missam, quam Vesperas, & alias Horas, ideo conceditur posse fieri alteram Missam solemnem de Festo translato. Excepti dies in Rubrica nova sub Urbano VIII. apertam habens causam, & rationabilem, ut Populus attentior fiat ad mysteria eorumdem dierum, in fine vero prædictarum duarum Missarum, Evangelium dicitur S. Joannis, non aliud Feriæ, vel Festi occurrentis.

Prædictæ item duæ Missæ ea ratione cantandæ erunt, ut altera de die post Horam congruentem, *de qua infra tit. 13. num. 2.* altera de Festo (cum nullam habeat cum Officio connexionem) post Nonam: si hoc accidat in temporibus Pentecostes, ambæ quidem post Nonam; sed illa prius de die, quæ cum Officio concordat; postea de sexto, ad cujus Missam Populus eo libentius, quo tardius, convenire solet: & licet in hoc casu nulla Hora sit media inter utramque Missam, quod *tit. seq. n. 2.* convenire docebimus: tamen est casus unicus, & privilegiatus ob concursum Populi.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubr. *In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesiæ, &c.*) In diebus a superiori Rubrica expressis, nempe Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, &c. non solum non possunt dici, nec cantari Missæ Votivæ, licet pro re gravi; sed etiamsi Festum Titularis Ecclesiæ occurrat his diebus, quamvis cum Populi concursu, non potest ultra Missam diei cantari Missa dicti Titularis Ecclesiæ, cujus Officium transfertur.

In aliis autem diebus, in quibus ex concessione superioris Rubricæ possunt cantari duæ Missæ Solemnes ratione Tituli Ecclesiæ, vel Festi alicujus Solemnis cum magno concursu Populi; prima de Officio diei dicitur post Tertiam: altera vero de tali Festo translato post Nonam, cum unica Oratione, *Gloria in excelsis*, & *Credo*, si illud tale Festum admittat; immo etiam cum propria Præfatione, si eam habeat. Guyetus *lib. 4. c. 8. quæst. 5.* Bissus *lit. T. n. 73. §. 22.* quibus adjicere lubet, quod etiamsi prædicto Festo non conveniret Symbolum, nihilominus si Missa Solemnis prædicti Sancti cantaretur in aliqua ex Dominicis non exceptis, Symbolum adhuc esset dicendum, seu cantandum ratione Dominicæ; eo modo, quo in titulo de Missis Votivis præscribitur dicendum esse Symbolum in Missa Votiva Solemni pro re gravi, etiam in colore violaceo celebrata, si dicatur in die Dominico; & hoc ratione dictæ Dominicæ.

In fine autem prædictæ Missæ Solemnis Festi translati, dicitur semper Evangelium Sancti Joannis, *In principio*, *&c.* Cætera quæ spectant ad hanc materiam de Translatione Festorum, inhærentes nostri Gavanti vestigiis, fusiori calamo trademus, quando de eadem re nobis agendum occurret, in explanandis Rubricis Breviarii Romani. Solum hoc loco damus sequentia S. R. C. Decreta, quæ ad aliquas dirimendas quæstiones, & decidenda dubia inservire poterunt.

Missa Solemnis de Sancto Josepho, quando ejus Festum incidit in Feriam 2. 3. & 4. majoris hebdomadæ, non potest cantari. Ita Sacra Rituum Congreg. die 4. Augusti 1663. & datur in nostro Indice *sub n.* 402.

Nulla est disparitas inter translationem Festorum Apostolorum, & illam Evangelistarum. 18. Septembris 1666. & in nostro Indice *sub n.* 427.

In Ecclesiis, ubi quotidie non cantatur Missa, si occurrat Festum Patroni, seu Titularis, diebus, quibus non potest de eo fieri Officium, nihilominus potest diebus non exceptis a Rubrica Missalis *tit.* 6. de Translatione, cantari Missa de Patrono, seu Titulari: licet non cantetur altera Missa concordans cum Officio. 28. Augusti 1704. in nostro Indice *sub n.* 586.

Translato Festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. S. R. C. 30. Septembris 1679. & habetur in Catalogo Decretorum, spectantium ad Breviarium Romanum.

Hoc Decretum intelligendum est nisi ex speciali privilegio aliter decernatur; sicuti revera aliter decretum, & concessum fuit ex speciali privilegio ab Innocentio Papa XI. pro festo translato S. Benedicti; ut constat ex ejusdem Pontificis Bulla, edita die 26. Septembris 1679. & quæ habetur in Officiis propriis Sanctorum Monastici Ordinis S. Benedicti, impressis Patavii Anno 1715.

De Commemorationibus. VII.

RUBRICA.

Commemorationes in Missis fiunt, sicut in Officio, De Festo Simplici fit Commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes, in Missa Solemni (f) *non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum Privatis.* (g) *Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit Commemoratio, etiam in Missis Privatis de Festo Simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit Commemoratio, quando in ea agitur de Festo Duplici. De Octava fit Commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod Festum; nisi illud Festum fuerit de exceptis in Rubrica Breviarii de Commemorationibus. Item quando infra Octavam fit de Dominica.*

GAVANTUS.

Pendet hæc Rubrica a simili in Rubricis Breviarii *tit.* 9. ubi eam examinabimus.

(f) *Non fit Commemoratio.* Quod fit, ut Festum secundæ Classis distinguatur a Festis Duplicibus minoribus, in quarum Missa solemni fit de Simplici Commemoratio, a Festo vero primæ Classis distinguitur, quia nec in Missis Privatis Festum primæ Classis Commemorationem de Simplici admittit.

(g) *Excipitur Dominica*, *&c.* Discordant hæ duæ Missæ ab Officio, ut abunde patet in Lectione Passionis pro Evangelio, ratione cujus Passionis, de Sanctis non est facienda mentio, & licet Feria 3. & 4. fiat in Missa Commemoratio de Simplici occurrenti, Officium tamen earum Feriarum non est tam solemne, quam Dominicæ Palmarum. Unica autem Oratio Solemnitatem significat majorem. Ita Vigilia Pentecostes discordat ab Officio in Collecta, & colore paramentorum. Præterea hæ duæ Missæ pendent ex Benedictionibus solemnibus Palmarum, & Fontis Baptismalis, ut imitari debeant solemnitates majores, unde nunquam omittuntur, cedentibus omnibus aliis Festis, etiam primæ Classis.

Novæ Observationes, & Additiones &c.

I. Gav. lit. f — *Quod fit in Festo secundæ Classis.*) Asserit hic Gavantus inhærens Rubricæ, quod in Festis secundæ Classis fit Commemoratio Festi simplicis in Missis tantum Privatis, non vero in Missa solemni, & hoc semper verum est, dummodo de dicto simplici facta sit Commemoratio ad Laudes, ut contingit in Festo San-

Sti

cti Jacobi Apostoli die 25. Julii, in cujus Officio *ad Laudes* fit Commemoratio Sancti Christophori Martyris, & ideo de eodem fit Commemoratio in Missis Privatis, non vero in Missa solemni. Quia autem Missa media, quæ cantatur sine Ministris sacris, non reputatur solemnis, ut diximus supra, idcirco etiam in ea debet fieri dicta Commemoratio Sancti Simplicis, id docentibus etiam Benedicto XIII. in suis Opusculis, *opusc.* 11. *pagina mihi* 174, & Bisso *v. Missæ Solemnis num.* 237. §. 3. aliter tamen dicendum est, si Missa illa media reputetur tamquam solemnis.

II. Gav. ead. lit. f. — *in Missis Privatis Festum primæ Classis &c.*) Quamvis verum sit, quod in festo primæ Classis nulla fiat Commemoratio Simplicis, neque in Missis Privatis; attamen ab hac regula excipiendam esse secundam Missam Nativitatis Domini, in qua ex speciali dispositione fit Commemoratio S. Anastasiæ *Virg.* & *Mart.* non solum Missis Privatis, sed etiam solemnibus, putat Bissus *lit. C. n.* 365. §. 2.

Fallitur tamen, non enim fit S. Anastasiæ Commemoratio, quia fit Festum simplex, sed quia secunda illa Missa in Ecclesia S. Anastasiæ celebrabatur, ut colligitur ex antiquiori Ordine Romano apud Hytorp. qui Ritus adhuc sæculo decimoquarto in Ecclesia Romana vigebat, teste Jacobo Cajetano in Ordine suo, in quo hæc leguntur *pag.* 327. *Summo igitur mane Pontifex indutus Missalibus vestimentis vadit ad S. Anastasiam, ut celebret ibi Missam secundam.* Idem legitur in Ordine Amelii *n.* 10. ex quo etiam discemus, quod absente Pontifice ab Urbe, hanc Missam celebrabat Cardinalis, Titulum habens S. Anastasiæ, & in ejus defectu primus Cardinalium Presbyterorum. Placet hoc loco innuere, quod in antiquo Codice Turonensis Ecclesiæ annorum 800. a Martene relato de antiqua Ecclesiæ disciplina *cap.* 12. Collecta de S. Anastasia præmittitur Orationi de Nativitate Domini. Immo antiquissimus Codex Parthenonis B. Mariæ Calensis ab eodem Scriptore laudatus, duas habet Præfationes, unam de Nativitate, alteram de S. Anastasia. Ex quo fortasse conjici posset antiquitus secundam Missam in die Natalis Domini fuisse de S. Anastasia, quod tamen absque gravi testimonio certo non affirmarem. De hac re iterum sermonem agemus, cum loquemur de secunda Missa in Festo Nativitatis Domini.

In prædictis Festis primæ classis, quamvis non sit facienda commemoratio Festi Simplicis, fit tamen commemoratio, I. de die Octava alicujus Festi, quæ possit occurrere cum tali Festo primæ classis, II. De Dominica, nisi sit vacans, seu talis, de qua nec in Officio, nec in Missa aliquid sit, ex. gr. si Festum Nativitatis Domini in diem Dominicam incidat, III. fit commemoratio de Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi, ut colligi potest ex Rubrica Breviarii post tabulam Occurrentiæ *n.* 2. 3. 5. IV. de Feriis fit commemoratio in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, & Rogationibus, ex Rubrica hujus tit. *num.* 2. infra ponenda, v. de Dominica anticipata in Sabbatis ante Dominicas Septuagesimæ, & ultimam post Pentecosten, utpote, quæ non habent rationem Vigiliæ, sed quasi Feriæ majoris, prout colligitur ex Rubrica Breviarii *tit.* 4. *num.* 4. ubi præscribitur absque ulla limitatione, quod si tota hebdomada impedita sit Festis novem Lectionum etiam translatis, &c. tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia Dominicæ, & de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum, & consequenter etiam in omnibus Missis, dum ibi nulla habeatur exceptio.

E contra vero in dictis Festis primæ classis, ut bene notat Hagerer in *sua Appendice tit.* 3. *num.* 4. nulla debet fieri commemoratio, de aliis diebus infra Octavas occurrentibus, e. g. in Festo Ss. Petri & Pauli occurrente infra Octavam S. Joannis Baptistæ, nulla fit commemoratio de S. Joanne Baptista, nisi tamen de speciali privilegio, vel indulto constet: II. nec de Simplici occurrente, ut supra diximus: III. neque de Vigilia, ut ex Rubrica, quæ habetur supra *tit.* 3. *num.* 2. excepta Vigilia Epiphaniæ, de qua in Rubrica *tit.* 9. *num.* 2. commemoratio fieri jubetur; IV. neque dicitur Oratio imperata a superiore velut *Deus Refugium*, &c. ut habetur ex Decreto diei 28. Augusti 1617. dato in nostro Indice *sub. num.* 219. & ut colligitur ex alio Decreto diei 2. Decembris 1783. dato in nostro Indice *sub. num.* 471. in quo eadem collecta prohibetur etiam in Festis secundæ classis.

In Festis autem secundæ classis præter commemorationem de Festo simplicis in Missis Privatis tantum, debent fieri commemorationes, quæ fiunt in festis primæ classis, ut supra.

Item de Vigilia occurrente, & de eadem, si propter Festum ex. gr. S. Jacobi in Feria secunda occurrens, Vigilia in Sabbato præcedenti anticipanda sit. Deinde fit commemoratio de Octavis in Duplicibus secundæ classis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Domini, ut notatur in Breviario, & Missali, quia habent speciale privilegium.

Non fit tamen commemoratio in diebus secundæ classis de aliis Octavis, idest de diebus infra Octavas, nisi vel ex Rubrica, vel privilegio specialiter exprimatur. Nec urget contra hanc regulam, quod si fiat commemoratio de simplici, multo magis deberet fieri de die infra Octavam, cum sit nobilior festo simplici; nam, ut optime advertit Bissus *lit. C. num.* 363. §. 12. de die infra Octavam fit commemoratio sæpius, quam de festo simplici: & ideo non officit, quod aliquando omittatur commemoratio diei infra Octavam.

Quænam autem commemorationes faciendæ sint in Festis Duplicibus, semiduplicibus, &c. facile colligi potest ex Rubricis tum Breviarii, tum Missalis; & ex iis, quæ tradit Gavantus in suis Commentariis ad Rubricam nonam hujus primæ partis, quibus si opus fuerit aliqua adjiciemus ad explananda dubia, quæ possunt occurrere in hac materia.

Circa Commemorationes, quæ debent fieri in Missis Votivis, satis superque diximus in nostris Observationibus ad *tit.* 4. in quo agitur de præfatis Missis.

RUBRICA.

2. *De Feria fit Commemoratio in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigiliis, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibus occurrente. Sed in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Feriis, Rogationibus, & Vigiliis prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, una de Festo, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia,* (h) *absque ulla utrorumque Commemoratione: in Festis tamen majoribus primæ Classis nihil fit de Vigilia occurrente, ut dictum est supra.*

GAVANTUS.

Omnia patent ex supradictis, & licet Missa Vigiliæ sumatur a Communi, dicitur tamen propria Vigiliæ, cui assignatur, & ideo non omittenda.

Sed quæritur: Cur occurrente Festo in prædictis Feriis dicantur duæ Missæ Conventuales; occurrente autem Festo Duplici in Dominica, quæ est dignior prædictis Feriis, non dicantur duæ Missæ, altera de Festo, altera de Dominica? Respondet *Francolini, aliud agens, de tempore Horarum Canonicarum, part.* 1. *c.* 16. *n.* 18. in prædictis Feriis unam cantari post Tertiam, aliam post Nonam, & horæ mediæ sunt præparatoriæ ad sequentem Missam: Missæ vero Dominicæ, & Festi Duplicis cantandæ essent ambæ post Tertiam. At secundum hunc Auctorem incongrue cantantur Missæ duæ, nulla mediante Hora Canonica, quæ est quasi ad Missam præparatoria. Addo ego, resumi posse Missam Dominicæ in sequenti hebdomada; Populumque item non teneri nisi ad unam Missam audiendam; quam igitur audiet? Audiat unam de Festo, & Dominica simul cum duobus Evangeliis merito a Populo audiendis. Sed dato quod non possit resumi Missa Dominicæ infra hebdomadam, non videtur hæc omittenda, cum sit dignior, quam Missa de Feriis prædictis; ergo saltem in eo casu cantandæ forent duæ, de Festo, & Dominica, & altera immediate post alteram, cantata Tertia, sicuti in quatuor Temporibus Pentecostes post Nonam possunt duæ Missæ cantari, de Feria, & de Sancto Titulari Ecclesiæ ob Festum, & concursum Populi, juxta Rubricam superiorem de Translatione Festorum. Nihilominus tamen est ille casus peculiaris, ratione Festi, & dispar est ratio in Missis de Dominica, & de Feriis majoribus; nam in his inteadit Ecclesia sine præjudicio Festi excitare Clerum, & populum ad actus humilitatis, & pœnitentiæ cum genuflexione ad Orationes in Missa, & Officio proprio earum Missarum: qui actus non conveniunt Dominicis, in quibus ob memoriam Dominicæ Resurrectionis stamus ad Orationes, neque genuflectimus: & ideo omitti non vult integras Missas de Feriis prædictis: de Dominicis autem vult tantum Commemorationem cum Oratione, & lectione Evangelii, si a Festo majori impediantur. Porro Francolini ratio adeo vera est, ut idcirco nulla sit Rubrica de duabus Missis dicendis, & de quatuor Temporibus, & de Vigiliis S. Matthæi & S. Thomæ, si in eumdem incidant diem, quia essent ambæ cantandæ post Nonam, ut dicemus *tit.* 15. *n.* 2. nulla Hora media inter illas; quod est valde notandum. Omnino vero negamus, nomine Feriarum, de quibus in hac Rubrica, comprehendi etiam Dominicam: tum quia est contra sensum, & usum communem; tum quia S. R. C. nomine Festi novem Lectionum intelligit etiam Dominicam: 12. Martii 1618. ergo non est Feria prima; neque in ea duæ Missæ sunt cantandæ, ut in Feriis, & Sabbato prædictorum temporum in Rubrica.

(h) *Absque ulla utrorumque.* Adverte, quod si præterea facienda sit Commemoratio festi simplicis, vel de die infra Octavam; hæc Commemoratio facienda erit in Missa de Festo, *ut habet in Missali die* 28. *Junii*, 17. *&* 20. *Septembris*: & similiter, puta in Adventu, si alicubi occurrat Festum in Vigilia S. Thomæ Apostoli, cantandæ sint duæ Missæ, & de Festo, & de Vigilia; Commemoratio Feriæ Adventus fiet in Missa de Vigilia, quia sunt ejusdem rationis; tertia Oratio deinde erit, quæ secundo loco alias diceretur.

RUBRICA.

3. *Quando infra hebdomadam dicuntur Missæ Votivæ, post primam Orationem semper dicatur Oratio ejus* (i) *de quo fit Officium; ut supra explicatum est in propria Rubrica.*

GAVANTUS.

(i) *De quo Officium.* Ut aliqua vel minima ratione concordet cum Officio Missa Votiva, debet de Officio fieri Commemoratio. *Joannes Burchard.* Tertia vero erit ea, quæ alia secundo loco diceretur, *ut infra indicatur tit.* 9. *n.* 14. in his verbis: *dicuntur plures, ut in Festis Simplicibus*, de quibus ibidem *n.* 16.

RUBRICA.

4. *Quando fit Commemoratio de Feria quatuor Temporum, pro Feriæ Commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.*

GAVANTUS.

Patet ratio, ut concordet cum Officio. *Burchar.*

RUBRICA.

5 *In faciendis Commemorationibus servetur ordo ut in Breviario. De Dominica ante diem infra Octavam; de die infra Octavam ante Ferias prædictas; de Feriis prædictis ante Festum Simplex; de Festo Simplici ante Orationes, quæ secundo, vel tertio loco dicendæ assignantur: & hæ dicuntur* (k) *ante Orationes Votivas; in quibus Votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de S. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sacramento, de S. Cruce ante Votivam, de B. Maria, & de Angelis, & S. Joanne Baptista ante Apostolos & similiter in aliis.*

GAVANTUS.

(k) *Ante Orationes Votivas.* Præcedunt quæcumque Orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum. Votivæ, ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, posteriorem occupant locum: & sicut Votiva, v. g. de Spiritu Sancto, cedit Commemorationi Festi Simplicis; ita cedere debet Oratio, *A cunctis*, vel aliis, quæ secundo, vel tertio loco jubentur dici. Cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus est Oratio. *Ita Burch.* Videtur durum aliquibus, sed rationabile est legem communem præponi arbitrio, hoc est, legi privatæ, quam facit sibi Sacerdos in Orationibus Votivis, quæ non concordant cum Officio.

RUBRICA.

6 *Si facienda sit Commemoratio pro defunctis, semper ponitur* (l) *penultimo loco. In Missis autem defunctorum nulla fit Commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset* (m) *Communis pro vivis, & defunctis.*

GAVANTUS.

(l) *Penultimo loco.* Ratio Innocentii Papæ Tertii *de Mysteriis Missæ lib. 2. cap. 27.* est, quia finis ad suum debet torqueri principium: non igitur dignitatis ergo, sed, ut a Vivis, de quibus in prima Collecta, ad Vivos, de quibus in ultima, fiat regressus, (m) *Communis pro vivis, &c.* Hoc sancitum est post tempora Innocentii III. qui concedebat, *loc. cit.* Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul, & Mortuorum, &c.* in Missis etiam Defunctorum. Sed plane æquum est Defunctis suffragia dari in Missis Vivorum, *ut supra num. 6. dictum est: & in* Missis Defunctorum solis Defunctis operam dare, exclusis Vivis in Collectis; quibus omni tempore, & in primo *Memento*, secrete satis superque est provisum, etiam in Missa de Defunctis. Significatur etiam non posse Defunctos in Purgatorio juvare viventes. *Durandus lib. 4. cap. 15.* cujus sententia est probabilior. *S. Thomas 2. 2. quæst. 83.* quem sequitur *Navarr. de Orat. cap. 20. num. 19. contra Medinam.*

Novæ Observationes & Additiones, &c.

III. Rubr. & Gavant. lit. l — *Penultimo loco, &c.*) Præscribit hic Rubrica, quod si in Missa Officii alicujus diei facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper penultimo loco fiat. A Sacra autem Rituum Congr. 3. Decemb. 1684. statutum est, quod in Missa Privata de Festo Semiduplici, vel Simplici, &c. possit in penultimo loco dici Collecta, etiam pro particulari Defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus, &c.* & datur in nostro Indice *sub num. 473.*

Lubet nunc exhibere hic alia Decreta S. R. C. spectantia ad hunc titulum de Commemorationibus faciendis in Missis; ut inde facilius resolvantur dubia, quæ possunt suboriri.

In Collecta, Episcopus non potest cogere Regulares, ut faciant Commemorationem ipsius. S. R. C. 19. Junii 1602. & datum in nostro Indice *sub num. 2.*

Missa de Dominica, seu de Festo Duplici, si illa die occurrat, debet dici cum Commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis; quando debet fieri a Canonicis particularis Processio cum SS. Sacramento in diebus Dominicis cujuslibet Mensis. S. R. C. 7. Decemb. 1655. *in Fænen.* & in nostro Indice *sub num. 313.*

Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, occurrente die infra aliquam ejusmodi Octavam in Feria 4. Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Missa, neque in Laudibus. S. R. C. 24. Januarii 1682. & in nostro Indice *sub num. 259.*

In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadragesima, debent Privilegiati, celebrantes dictam Octavam, dicere Missam Conventualem de Feria occurrenti, cum Commemoratione Octavæ, &c. 24. Januarii 1682. & in nostro Indice *sub num. 460.*

Advertendum hoc loco, quod etiam Missæ Privatæ in dicto casu debent esse de Feria (ut diximus supra in titulo de Feria, & Vigilia) cum Commemoratione Octavæ; non exclusis tamen Missis Votivis, & de Requiem.

In Feria 6. post Octavam Ascensionis, occurrente aliquo Festo novem Lectionum, nisi tale Festum fuerit ex Solemnioribus, facienda est Commemoratio in Missa dictæ Feriæ. S. R. C. 4. Aprilis 1705. & in nostro Indice *sub num. 594.*

RUBRICA.

7 *Quando dicuntur plures Orationes,* (n) *prima tantum, & ultima cum sua conclusione ter-*

terminatur: & (o) *ante primam & secundam Orationem tantum dicitur*, *Oremus*: *ante primam dicitur etiam* (p) *Dominus vobiscum.*

GAVANTUS.

(n) *Primam tantum*, & *ultima.* Et prima quidem terminatur, quia est propria Missæ; ultima vero, quia comprehendit alias, & quasi eas colligit; quæ ideo Collectæ dicuntur; quamquam aliæ causæ sunt, cur Collectæ dicantur, *ut infra tit.* 9. Quandoque prima, & secunda Oratio sub una conclusione dicuntur, ut unica videatur Oratio in *Missa celebrari*; quod præsertim jubetur fieri in collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum, Virginum, Ecclesiarum, & Altarium; Benedictione Abbatissarum, Cœmeterii; Benedictione, & Consecratione Regum, & Reginarum. Atque in his casibus uniri duas Orationes sub uno, *Per Dominum*, docet *Burchard. in Ord. celebrandi Missam.* An vero Orationes illæ, quæ post Missam Votivam de Trinitate habentur pro gratiarum actione sub eadem conclusione cum prima recitandæ sint, negamus in Missis Privatis: nam, quod dicitur in oppositum in Missali Romæ edito 1621. additum fuit sine superiorum facultate, me penitus rem indagante: & hic esset nimis novus Ritus in Missa Privata. In iis autem, quæ solemniter dicuntur pro re gravi, usus Cappellæ Papalis est, ut de duabus fiat una ad Solemnitatem. Sed verba Rubricæ *tit.* 9. *n.* 14. quæ remittunt lectorem ad locum proprium, de Missa Solemni sunt, ut ibidem expresse dicitur iis verbis: *quando solemniter*: in loco autem proprio Missalis editi sub Urbano VIII. præscribitur unica conclusio: ergo in Missa solemni, non autem in Privata: & confirmatur, quia ibidem additur: *In aliis* (hoc est non Solemnibus) *dicuntur plures, ut in Festis Simplicibus.*

(o) *Ante primam*, & *secundam.* Ita Ordo Romanus; ut invitetur Populus ad Orationem: qua etiam de causa salutatur Populus iis verbis, de quibus mox, *Dominus vobiscum*: ut ait *Innocent. lib.* 2. *cap.* 26.

(p) *Dominus vobiscum.* Ordo Romanus hoc habet; quæ salutationis forma ad verbum legitur *Ruth* 2. & 2. *Paral.* 15. fere simili usus est Gabriel Angelus salutando Mariam, *Dominus tecum*, & alter Angelus ad Gedeonem *Jud.* 6. sed vim & efficaciam habet a Christo, qui dixit: *Ego vobiscum sum*, *Matth. ultimo.* Ritus autem emanat a Clemente, *ex Gemma lib.* 1. *cap.* 87. vel Anacleto Papa, *ex Hugon. Vict. lib.* 2. *cap.* 11. vel ab utroque, *ex Radulpho loc. cit. propos.* 23. & est sensus: Dominus in vobis maneat, & petitionibus vestris effectum tribuat, *Durand. lib.* 4. *cap.* 14. vel Sacerdos se habere pacem cum Populo docet, *ex P. Damiani opusc. de Dominus Vobiscum*: vel dicitur ad excitandos animos ad Orationem, *Rupert. lib.* 1. *c.* 3. Dicitur autem, Dominus, non Deus, quia Dominus potestatis est titulus, *Turrecrem. in cap. Jacobus*, *de cons. dist.* 1. Alia addemus infra suis locis propria, *part.* 2. *cit.* 5. *num.* 1.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

IV. Rubr. & Gavant, lit. p — *Dominus Vobiscum*, *&c.*) Completo Angelico Hymno *Gloria in excelsis*, de quo infra, vel, si iste Hymnus non dicatur, dicto ultimo *Kyrie eleison*, antequam Sacerdos incipiat primam Orationem, Populus salutat dicens, *Dominus vobiscum*: super qua salutatione ultra ea, quæ Gavantus erudite dicit, addendum est hanc salutationem antiquissimam esse; immo ab Apostolis institutam, prout affirmat Concilium Bracarense I. *Can.* 21. in quo hoc Decretum edidit — *Placuit*, *ut non aliter Presbyteri Populum, sed uno modo salutent*, *dicentes*, *Dominus sit vobiscum*, *sicut in libro Ruth legitur*, *& ut respondeatur a Populo*, *Et cum Spiritu tuo*: *sicut & ab ipsis Apostolis traditum*, *omnis retinet Oriens*; *& non*, *sicut Priscilliana privatas*, *immutavit.* Priscillianus enim, ut notat Garzias Loaysas ad hunc Canonem, non semel tantum, ut moris est in Ecclesia Latina, & prima vice; sed semper Episcopis dicendum esse *Pax vobis*, contendebat. In prædictum Canonem mendum irrepsisse nonnulli viri docti observarunt, ut pro *Oriens*, *Occidens* legi debeat; id quod etiam advertit Cardin. *Bona lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 1. nam in Ecclesia Orientali cum Sacerdote salutant Populum, dicunt *Pax omnibus*, sicut constat ex Liturgiis Basilii, & Chrysostomi; & semel tantum in Liturgia S. Marci reperitur hæc formula salutandi Populum; *Dominus sit semper cum omnibus nobis.*

Pontifex, vel Episcopus, ut mox innuimus, in Ecclesia Occidentali, cum Populum salutat prima vice, ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiscum*, sed *Pax vobis*: quia Christus Dominus his verbis locutus est ad Discipulos post suam Resurrectionem, (ut legitur apud Joannem *cap.* 20.) cujus typum gerunt Pontifex, & Episcopus. Verum, ut postea demonstret Episcopus se esse de numero cæterorum Sacerdotum, dicit, ut alii Sacerdotes, *Dominus vobiscum*, cum alias Populum salutat: ita Innocentius III. *lib.* 2. *de Mysteriis Missæ cap.* 42. & hic Ritus est conformis Canoni superius allegati Concilii I. Bracarensis.

Quoniam vero tamquam pluribus dicitur *Dominus vobiscum*, olim statutum fuit, ne quis celebrare præsumeret, nisi duobus saltem præsentibus, & adstantibus, ne mendaces invenirentur Sacerdotes, si ad unum solum præsentem dirigerent prædictam salutationem *Dominus vobiscum*, & hæc alia verba *Orate fratres.* Extat Canon de hac re apud Gratianum *de Consecrat. dist.* 1. *c.* 61. ubi leguntur hæc verba: *Statutum est*, *ut nullus Presbyterorum Missarum Solemnia celebrare præsumat*, *nisi duobus præsentibus*, *sibique respondentibus*, *&c.* Verum hoc nimis scrupulose sancitum fuit: & revera alienum est a praxi communi Ecclesiæ

clesia: quia celebratur communiter Missa Privata, etiam cum unico tantum Ministro præsente, & inserviente. Nulla igitur absurditas est, ut advertit etiam Card. Bona *l.* 1. *c.* 13. *n.* 6. quod in plurali salutatione dicat Celebrans *Dominus vobiscum*, quamvis cum uno solo Ministro præsente Sacrificium peragat; sicut Sacerdos, cum solus recitat nocturnas, & diurnas preces, sine ullo mendacio omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in Divinis Officiis digesta sunt: dicit enim *Venite, adoremus*, *Venite exultemus*, *Oremus*, *Benedicamus*, &c. cum nemo illic sit, qui secum adoret, exultet, &c. Cur igitur idem non licebit Sacerdoti Missam celebranti, cum id agat in persona totius Ecclesiæ, & per hanc salutetur Ecclesia (ut asserit Alexander Alensis *p.* 4. *qu.* 36.) cujus Corpus unum est, unius Fidei unitate subsistens, & vivificantis Spiritus una virtute perfusum?

De hac salutatione *Dominus vobiscum* erudite discurrunt Antonius Bellotte in suis observationibus ad Ritum Ecclesiæ Laudunensis *pag.* 393. Claudius de Vert *tom.* 1. *pag.* 95. & 96. & aliis in locis; Petrus Le Brun *tom.* 1. *pag.* 198. Grancolas de antiquis Liturg. *pag.* 477. Card. Bona *l.* 2. *c.* 3. & Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica, & Morali, *lib.* 2. *art.* 5. *n.* 6. qui pariter tractant de responsione *& cum spiritu tuo*, quam Minister præbet Celebranti nomine omnium assistentium. Aliqua alia spectantia ad hanc salutationem dicemus quoque nos in Additionibus nostris, quas dabimus infra.

RUBRICA.

8 *Cum vero dicuntur plures Orationes, & una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda; Oratio hujusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non alia,* (q) *commutetur cum alia de Communi, vel propria, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis, & Orationibus post Communionem.*

GAVANTUS.

(q) *Commutetur cum alia.* Quænam commutanda est, prima, an altera? prima manet; altera mutatur eo modo, quo præscribitur clare in Dominica Septuagesimæ, quando venit ante Festum Purificationis B. V. cujus Secreta eadem est cum Secreta prædictæ Dominicæ; & illa mutatur, quæ secundo loco ponitur.

* Dices: quomodo fiet mutatio secundæ Orationis de Feria, vel Dominica, vel de iis, quæ sunt ad libitum, quando est eadem cum prima de Sancto? nam hic accidit casus in Festo quadraginta Martyrum occurrente in Feria quinta Cinerum; & item in Festo S. Martini Episcopi in Dominica XXII. post Pentecosten: vel cum præcipitur Oratio *Deus refugium.* Verum in his casibus poterit sumi Oratio secreta Feriæ sextæ Cinerum, vel Dominicæ XXIII. vel ea quæ proxime sequitur pro quacumque tribulatione, respective ad casus prædictos; ut eadem sit regula in favorem Orationis primæ, quæ non debet mutari; & ita accidit in praxi, quia Celebrans, qui non prævidit Secretas, dicit primam de Sancto; mox advertens, secundam esse eamdem, non potest non mutare secundam.

De Introitu, Kyrie Eleison, & Gloria in excelsis. VIII.

GAVANTUS.

Jam aggreditur partes integrantes Missæ, quæ in primordiis Ecclesiæ, ordinante Petro & Apostolis duæ tantum fuerunt, scilicet, Consecratio cum verbis propriis, & Oratio Dominica. *Gregorius Papa in Epistola ad Joannem Episcopum Syracusanum*, cujus Missæ quasi vestigium remanet in Parasceve, in qua tamen non fit Consecratio. Idem Petrus Antiochiæ addit tres Orationes. *Innoc.* III. *in Prol. ad lib. Mist. Missæ*, Collectam, Secretam & Postcommunionem, *ex Lindano ad Liturgiam S. Petri*. Crescente vero cultu Christianæ Religionis adjecta sunt alia, quæ visa sunt decentius convenire, quandoque alia dempta, alia mutata in melius. *Lindano* autem in *Apologia* pro Liturgia S. Petri Græca, quæ valde similis est Gregorianæ, contendit probare a S. Petro fuisse præscriptam totam Missam latinam, paucis exceptis; & successores ejusdem vel firmasse aliqua Decretis, vel restituisse neglecta, quod & nos cum Baronio supra affirmavimus: ab initio vero non erat tutum moram longam trahere in Sacrificio, *ex Simone Græco apud Lindanum ibidem*.

Nunc agamus de singulis juxta titulos Rubricarum, dilatis causis de Christo mysticis in alteram Rubricarum generalium partem.

RUBRICA.

(r) 1 *Introitus semper eodem modo dicitur cum* (f) *Gloria Patri, ut in Ordinario, præterquam* (t) *tempore Passionis, & in Missis Defunctorum, ut etiam ibi adnotatum est.*

GAVANTUS.

(1) *Introitus.* Vel quia, introeunte Sacerdote ad Altare, dicitur, qui paulo ante dixerat: *Introibo ad Altare Dei*, ita *Microl. de Eccles. observ. cap.* 1. vel quia sit quasi prœmium Missæ. *Conrad. lib.* 1. *Cærem. c.* 1. vel quia Populo introeunte, Ps. cantabatur, *Rhenan. ad Tert. de coron. militis.* A S. Greg. dicitur *Antiph.* ab Ambros. *Ingressa.*

Componitur regulariter ex Psalmo Davidis, versu ejusdem Psalmi: *Gloria Patri: Sicut erat*, & repetitione Psalmi. Dixi, *regulariter ex Psalmo*; nam Cælestinus I. Papa constituit, ut Psalmi CL. ante Sacrificium cantarentur antiphonatim, quod antea fiebat, *ex Dyon. de Eccl. Hierar. c.* 3. &

Cas-

Cassiano lib. 5. de Instit. Mon. cap. 11. sed non ubique. Antiphonatim autem, hoc est, non totum Psalmum recitabant antiqui, ut ajunt quidam *apud Radulph. prop.* 23. sed, ut docet *Alcuin. loc. cit.* ex omnibus Psalmis exercebant Antiphonas. *Baron.* tamen *anno* 412. explicat Decretum Cælestini de toto Psalterio cum Antiphonis ante Missam cantando in Ecclesia Romana, & *Bellarm.* idem sentit *lib. 2. de Missa, cap.* 16.

Irregulares vero Introitus sunt perpauci, qui non ex Psalterio, sed ex Prophetis, seu aliis Scripturæ libris sunt hausti, ut in Nativitate Domini: *Puer qui natus est &c.* in Ascensione: *Viri Galilæi, &c.* Versum tamen ex Psalmo, qui cantabatur, retinuit S. Greg. Papa, *ex Durando l. 4. c. 4.* Dixi *versum ejusdem Psalmi;* quia quando Introitus incipit a primo versu Psalmi, tunc versus introitus est, qui proxime sequitur in Psalmo; quando vero incipit a versu de sequentibus in Psalmo, versus est idem, qui est primus in Psalmo. Exempla patent in Missali, nimirum in Nativitate Domini, *Dominus dixit ad me, &c.* versus est: *Quare fremuerunt gentes:* in Dominica prima Adventus: *Ad te levavi animam meam, &c.* versus est de sequentibus in Psalmo: *Vias tuas Domine, &c.*

(f. *Gloria Patri.* Additum est, quasi ad finem Psalmi, ex instituto Damasi Papæ, quamquam ante Damasum composita fuisse laus hæc fertur a Nyceno Synodo; immo ab Apostolis, *ex Basilio eam fluxisse probat Baron. anno* 325. Nicænum addidit, *Sicut erat*, &c. *Baron. idem ex Concil. Vasensi Can.* 7.

De repetitione Psalmi, seu Introitus, *Durandus, & Rudulphus loc. cit.*

(t) *Tempore Passionis.* Nam tunc omittitur laus Trinitatis, *Gloria Patri, &c.* ita *Microl. cap.* 52. tum quia Introitus sunt de Passione Christi; tum quia propter humiliationem capitis nostri proximam, omittenda est glorificatio SS. Trinitatis, in qua Filius Dei est idem cum aliis Personis Divinis. Prima causa redditur a *Durando lib.* 6. *c.* 60. *in Dominica de Passione;* altera *ab Amal. de Eccl. Officiis lib.* 5. *cap.* 20.

(u) *Defunctorum.* Indicia lætitiæ omittuntur in his Missis ad imitationem Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. *Alcuin. circa finem libri.*

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rub. & Gav. lit. 1 — *Introitus, vel quia, &c.*) Cantus, qui ad exordium Missæ usurpatur ab Ecclesia, communiter appellatur Introitus: quia per eum introitus ad Officium Divinum, ut volunt Amalarius *lib.* 3. *de Ecclesiast. Officii cap.* 5. Alcuinus *lib. de Divinis Officii*, & vetus quidam Anonymus in expositione totius Missæ ex concordia Scripturarum Divinarum, quæ teste Card. Thomasio in Disquisit. præmissa antiquis libris Missarum, extat in Ordine Romano MS. Bibliothecæ Vallicellanæ.

II. Gavant. ead. lit. 1 — *Dicitur Antiphona.*) Cur introitus appelletur *Antiphona*, non dicit Gavantus: ratio tamen ea est, ut ostendatur genus modulationis, nempe alternus cantus: *Antiphona* enim teste *Isidoro lib.* 6. *Originum, cap.* 19. *ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet Choris alternatim psallentibus.* Hinc Romani Ordines, Antiphonaria, & Auctores Ecclesiastici vocant *Antiphonam* ad Introitum.

Ejus institutio non est antiquior Cælestino I. Pontifice: optime enim laudatus Thomasius ostendit ante Cælestini tempora ordinem Missarum in Occidente a Lectionibus incœpisse: & quamvis contrarium ex Augustino *lib. 2. Retract. cap.* 11. videatur inferri; nihilominus Augustinum eo loco non intelligendum esse de Introitu Missæ, optime probat eruditissimus Cardinalis ibidem. Primus itaque Cælestinus hunc Antiphonæ concentum ad Missæ Introitum instituit: etenim in veteri Catalogo Rom. Pontif. edito ab Henschenio, & Papebrochio *tom.* 1. *Mensis Aprilis* hæc leguntur de Cælestino: *Hic fecit ut Psalmi centum quinquaginta deberent ante Sacrificium psalli: quod ante non fiebat, nisi tantum Epistola Pauli Apostoli, & Sanctum Evangelium: & sic Missæ celebrabantur.* Eadem testantur liber Pontificalis, Walfridus Strabo, Honprius, Michrologus, Berno, Amalarius, & quotquot veteres de his rebus scripserunt. Putat autem idem doctissimus Cardinalis Cælestinum Ritus Antiphonæ mutuatum fuisse ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo, qui idem modulationis genus ab Orientalibus dudum acceperat. Porro Gavantus hic, & Genebrandus *tib. de Apost. Liturgia c.* 17. contendunt ante Cælestinum Psalmos in Introitu Missæ fuisse cantatos; quod ex Dionysio Areopagita *lib. de Eccl. Hierarchia, c.* 3. & Cassiano, probare se posse confidunt: sed utrumque Scriptorem, suppresso tamen Gavanti nomine, impugnat Emin. Bona *l.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. nam & Dionysii Areopagitæ opera apud ipsum Emin. Auctorem, necnon apud alios doctissimos Scriptores valde dubia sunt, nec certo eidem Dionysio Areopagita, Pauli Apostoli prædicatione ad Fidem converso, adscribuntur; Cassianus vero *lib.* 2. *Instit. cap.* 5. Missam sumit pro Hora Canonica, seu pro cursu Divini Officii: ut etiam præter laudatum Cardinalem asserit, & probat Edmundus Martene in suo eruditissimo Commentario ad Regulam S. Benedicti *cap.* 17. ubi confirmat talem Missæ acceptionem etiam auctoritate Concilii Agathensis, in cujus *Can.* 30. hæc habentur. *Hymni matutini, vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum: post Hymnos capitella de Psalmis dicantur.* Ex quibus liquet auctoritatem Cassiani nihil suffragari sententiæ Genebrandi, & Gavanti: quia revera citatis locis non sumit Missam pro Sacrificio Eucharistico, sed pro Horis Canonicis, seu pro Monachorum conventu ad Divinum Officium persolvendum.

III.

III. Gavant. ead. lit. 1 — *Quia quando Introitus incipit a primo versu Psalmi, &c.*) In Antiphonis, quibus incipitur Missæ Introitus, regula certa est, quæ etiam expresse traditur in quodam Codice MS. Archivii Canonicorum S. Petri: & quotiescumque Introitus desumitur ex aliquo Psalmo, idem ipse Psalmus inchoatur post Introitum ipsum: & sic revera servatur in quovis Introitu Missalis, exceptis quatuor Missis, quæ recentiori tempore aptatæ sunt, scilicet Missis Transfigurationis Domini, Decollationis S. Joannis Baptistæ, S. Francisci Xaverii, & S. Ignatii. In Missa quoque S. Ignatii ponitur *Gloriabuntur in te omnes*, qui est penultimus Psalmi 5. *Verba mea*: quando juxta prædictam regulam ponendum esset initium ejusdem Psalmi *Verba mea*.

IV. Gavant. ead. lit. 1 — *Irregulares vero Introitus.*) Durandus *lib.* 3. *Rational. cap.* 5. & Gavantus hic, irregulares Introitus vocant eos, qui non ex Psalterio, sed ex Prophetis, aliisque Scripturæ libris desumpti sunt; quorum nonnulla exempla a Gavanto, plura a Card. Bona producuntur *cit. cap. n.* 3. Verum his etiam addendi sunt illi, qui neque ex Scriptura decerpti sunt, quemadmodum censendi sunt illi: *Salve Sancta Parens*: *Gaudeamus omnes in Domino: Benedicta sit Sancta Trinitas:* qui in Antiphonario Gregoriano non reperiuntur. Illud autem hoc loco non est prætermittendum, quod quamvis in Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Psalmis juxta antiquum morem desumpti sint: nihilominus aliqui nunc sunt ab illa regula recedentes, quos propterea Durandus *lib.* 4. *cap.* 5. *Ration.* vocat irregulares, ut *Puer natus est nobis*, in die Nativitatis Domini; *Viri Galilæi*, in die Ascensionis; *Spiritus Domini, &c.* in die Pentecostes; *Nunc scio vere*, in die S. Petri ad Vincula; *Stabunt juxta Crucem*, in Festo septem Dolorum B. M. V. & alii pauci ex aliis Scripturis.

V. Gavant. lit. f. — *Gloria Patri additum est.*) Post Introitum olim integer Psalmus, nunc unus ejusdem Psalmi versiculus decantatur cum *Gloria Patri*, qui versus ab antiquis Patribus Hymnus glorificationis dictus est. Nicephorus *lib.* 9. *Ecclesiast. Hist. c.* 24. ejus auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum. Alii vero a Synodo Nicæna institutum asserunt; sed vetustiorem esse, & ab Apostolis (ut supra observat noster Gavantus) traditum fuisse, demonstrat Baronius ad annum 325. & Cardinal. Bona *in lib. de Divin. Psalm. cap.* 16. §. 6. Athanasii, & Basilii testimonio id probat. Cum enim Fideles ab initio Ecclesiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati essent, ipsis tribus Personis hunc Hymnum glorificationis canere didicerunt: quare probabile est, ut docet Henricus *lib.* 9. *de Missa, cap.* 32. *num.* 1. in Ecclesia Græca hunc usum cœptum esse a prædicto Flaviano Antiocheno, adjuvante Chrysostomo; & in Latina Ecclesia Sanctum Hieronymum obtinuisse a Damaso Papa, ut in fine cujuscumque Psalmi diceretur; ut legitur in Vita S. Damasi Papæ, & idem innuit Gavantus supra.

Cætera, quæ spectant tum ad *Introitum*, tum ad *Gloria Patri*, videri possunt apud Cardinal. Bona *lib.* 2. rerum Liturgicarum *cap.* 3. & alibi; ex quo excerpta sunt nonnulla, quæ hic nos quoque tradidimus. Eruditissime etiam de hac prima parte Missæ disserit Hugo Menardus in suis doctissimis notis, & observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ *parte* 3. Præter duos allegatos præclarissimos Auctores, egregie quoque discurrunt de Missæ introitu Edmundus Martene de antiq. Eccles. Ritibus *lib.* 1. *art.* 3. Antonius Bellotte in suis observationibus a *pag.* 372. usque ad *pag.* 375. Grancolas de antiquis Liturg. a *pag.* 457. usque ad *pag.* 464. Claudius de Vert, & Petrus Le Brun uterque 1. *com.* suorum operum Liturgicorum.

RUBRICA.

2 *Kyrie eleison dicitur novies post Introitum alternatim cum Ministro, ter Kyrie eleison, ter Christe eleison, ter Kyrie eleison.*

GAVANTUS.

Post *Apostolicos Hebræos* cœperunt Græci facere Missam, Hadriano I. imperante, *Durand. l.* 2. *c.* 1. obiit ille *ann. Dom.* 140. Vox autem græca *Kyrie eleison*, invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci. *Durand. l.* 2. *c.* 13. A Græcis Sylvester ad Romanos eam transtulit. *Radulph. prop.* 23. Fuisse vero in usu in tota Italia, testatur *Concil. Vasen. Can.* 3. ante S. Gregorium 150. annis, *ex Bellarm. lib.* 2. *de Mista cap.* 16. Idem scribit *August.* de omnibus Christianis contra *Pascentium epist.* 178. & significat *ex eodem ibidem*, *Domine miserere.* Novies autem in Missa dici docet *Gregor. lib.* 7. *epist.* 63. qui se dicit restituisse, non instituisse hunc Ritum cum alternatione partim a Sacerdote, partim a Populo, quod non faciunt Græci: nimirum, ter *Kyrie*, ter *Christe* (quod etiam Romanorum est, non Græcorum) & ter *Kyrie.* Addit *Amalar. lib.* 3. *c.* 6. causam: quia ante omnem Orationem specialem Sacerdotum, necesse est præcedere misericordiam Domini; ut serenetur mens Sacerdotis ad ea intendenda, quæ ore dicit, & ut dignus sit Deum alloqui, & exaudiri. *S. Thom.* 3. *part. qu.* 83. *art.* 4. notat (quod prius notaverat *Innocent. III. lib.* 2. *cap.* 19.) ter dici ad Patrem, ter ad Filium Christum, ter ad Spiritum Sanctum; additque Sanctus Thomas ad significandum, quod omnes Personæ sunt in se invicem.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VI. Gav. lit. u — *Invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci.*) Non solum in præfatis Liturgiis Jacobi, & Marci, sed etiam Basilii, & Chry-

so-

sostomi reperitur prædicta precatio *Kyrie eleison*, quæ cum græca vox sit, significat *Domine, miserere*. In Liturgia Jacobi multoties repetitur tam a Celebrante, quam a Populo, dum in eadem legitur. Post Lectionem, & Doctrinam, Diaconus dicit, *dicamus omnes Kyrie eleison, &c.* Populus dicit ter *Kyrie eleison.* Item Diaconus Collectam Catholicam, & universalem facit: *In pace Dominum oremus.* Populus, *Kyrie eleison.* Item Populus ter *Kyrie eleison:* Item Populus duodecies *Kyrie eleison.* Similia leguntur in Missa Marci, Basilii, & Chrysostomi; & Basilius ipse de hac precatione, quam Græci Litaniam appellant, disserit scribens ad Neocæsarienses: Græci, & Ambrosii multum frequentant ad Horas hanc invocationem *Kyrie eleison;* & in Missa Ambrosiana reperitur in tribus locis, nimirum post Hymnum *Gloria in excelsis*, post Evangelium, & in fine Missæ: in Missa vero Romana, dicitur novies post Introitum, ut præscribit superior Rubrica alternatim cum Ministro, idest ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & ter *Kyrie eleison*; ter, ut notat Gavantus ex D. Thoma, dicitur ad Patrem, ter ad Filium Christum, ter ad Spiritum Sanctum: sed cur dicatur ter *Kyrie eleison* ad Patrem, & iterum ter ad Spiritum Sanctum, ratio est, quia Pater & Spiritus Sanctus sunt ejusdem tantum naturæ: ad Filium vero dicitur ter *Christe eleison*, quia Filius quamvis sit ejusdem naturæ Divinæ cum illis, est tamen & alterius substantiæ, seu naturæ, nempe humanæ, quam assumpsit, & secundum quam unctus est a Deo oleo lætitiæ præ consortibus suis, non oleo visibili, sed invisibilis Divinitatis plenitudine; & ideo *Christus*, id est, *Unctus* vocatur. Cujus unctionis redundantia, & effusione, hominis misertus est (quem latrones spoliatum, & vulneribus confossum, semivivum reliquerant) plagas ejus oleo gratiæ suæ perfundendo, & curando. Rursus quare in Missa decantetur novies dicta precatio, alias rationes adducunt etiam Durandus *in suo Rational. l. 4. c. 12.* necnon Hieronymus Chrispi Ravennæ Archiepiscopus in sua erudita Dissertatione *Mysteriorum Evangelicæ legis, &c.*

VII. Gav. *A Græcis Sylvester ad Romanos transtulit.*) Quamvis Gavantus asseveret, inhærendo Radulpho Tungrensi, a Græcis ad Romanos Sylvestrum dictam precationem transtulisse; hoc tamen incertum est. Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii fere omnes Officiorum Ecclesiasticorum explanatores Gregorio Magno hoc tribuunt: sed multis annis ante S. Gregorium in Ecclesia Latina hujus precis institutionem usurpatam fuisse constat; ut optime denotat Gavantus supra ex Concilio 2 Vasensi sub Felice IV. *cap.* 3. adeoque annis centum, & quinquaginta circiter ante Gregorii ætatem: prædicti tamen capitis, & Synodi verba hæc sunt — *Quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias dulcis, & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut* Kyrie eleison *frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo, & ad Matutinos, & ad Missas, & ad Vesperas Deo propitio intromittatur* — Quapropter melius respondit idem Gregorius Magnus *lib. 2. epist. 63.* se Cæremonias antiquas Ecclesiæ Romanæ conservare, non autem a Græcis accipere: id quod etiam ex eo probat, quod apud Græcos dicatur *Kyrie eleison* a Populo: apud Latinos a Sacerdote: & quod Græci non interponant *Christe eleison*, ut Latini faciunt (& nos jam supra innuimus, & explicavimus) sed simpliciter dicant *Kyrie eleison*. Non est autem mirum, ut alibi etiam adnotavimus, si Græco, necnon Hebræo idiomate utatur Latina Ecclesia in Sacris Mysteriis peragendis, sicut facit proferendo has voces Hebraicas — *Amen* — *Alleluja* — *Sabaoth* — *Osanna*: id enim ita institutum est, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis primum, deinde ex Latinis coadunata est: vel quia Mysteria nostræ Fidei, & Sacra Liturgia, ut alibi satis indicavimus, tribus hisce linguis ab Apostolis, eorumque immediatis successoribus conscripta, vel saltem celebrata fuerint: quæ quidem linguæ in Titulo Crucis quemadmodum consecratæ sunt, & sicut cruentum Christi Sacrificium tribus hisce principalioribus linguis omnibus nationibus fuit manifestatum; ita congruum est, ut etiam in ejusdem Salvatoris Sacrificio incruento celebrando, easdem tres principaliores linguas adhibeat Ecclesia.

Agunt de prædicta deprecatione valde erudite Card. Bona *l. 2. c. 4. n. 1.* Menardus loc. suprac. *p. 5.* Edmundus Martene *l. 1. antiqi. Eccl. Ritibus c. 4.* Stephano Duranti de Ritibus Ecclesiæ *l. 2. c. 13.* Antonius Bellote *in suis observ. pag. 375.* Petrus Le Brun *n. 1. pag. 164.* Grancolas *de antiq. Liturg. pag. 464.* & Claudius de Vert. *in 1. tom.*

RUBRICA.

3 *Gloria in excelsis dicitur, quandocumque in Matutino dictus est Hymnus, Te Deum, præterquam in Missa* (x) *Feriæ quintæ in Cœna Domini, &* (y) *Sabbati Sancti, in quibus Gloria in excelsis dicitur, quamvis in Officio non sit dictum, Te Deum.*

GAVANTUS.

Hymnus Angelicus ita dictus est, quia illum cecinere Angeli in Nativitate Domini; cui addidere reliqua usque ad finem varii Doctores, *ex Concil. Tolet. 4. Can. 12.* quo modo conciliari possunt, qui eum tribuunt Apostoli, *Clem. lib. 7. Const. cap. 48.* & qui Telesphoro, *Innoc. III. lib. 2. cap. 20.* & qui Symmacho, *Berno cap. 25. de Officio Missæ*, & qui S. Hilario Pictav. *Alcuin. cap. de Celebr. Missæ*, qui verius in Latinum transtulit, ait *Baronius ad Apost. Const. Clem. c. 47. lib. 7.* Ut autem dicatur in Missa, constituit Telesphorus, *ex Innoc.*

Innoc. loc. cit. & ex epist. 1. ejusdem Telesphori. Idem asserunt *Damasus, Rabanus, & alii complures apud Durand. l. 2. c. 14.* Symmachus præterea jussit recitari in diebus Dominicis, & in Natalitiis Martyrum, *ex Alcuin. Amalar. & aliis*, quia in Dominicis significatur Resurrectio Christi, per quam Sancti sociati sunt in gloria, & laudibus Angelorum, *Durand. l. 4. c. 13.* tribuit Stephano *Schluting.* quod in Dominicis dicatur: & citat *librum Pontif. tam. 1. suæ Biblioth. p. 1. c. 26.* Item in omni Festo dicitur, quod plenum habet Officium, hoc est, novem Lectiones (exceptis Adventu, Innoc. Festo, & a Septuagesima ad Pascha) *ex Decret. Leon. IX. teste Democh. tom. 4. c. 25. Microl. c. 2. & 45.* Item toto tempore Paschali, quod statum æternæ gloriæ, & pacis significat. *Hugo Victor. l. 2. c. 4.* Deinde quando in Officio dicitur *Te Deum, de Celebr. Missæ cap. Consilium ex Innoc. III.* quia hi duo Hymni continent laudes SS. Trinit.

(x) *Feria V. in Cœna Domini.* Dicitur Hymnus Angelicus in hac Missa, *Card. Porro, de Consecr. dist. 1.* ex institutione Nicolai Papæ, & quia gaudium ea die est ob institutionem Sacramenti. *Durand. de Cœna Domini*; & in Ordine Romano præscribitur.

(y) *Sabbati Sancti.* In cujus Missa ideo cantatur *Gloria in excelsis*, quia pax data est renatis fonte Baptismatis, & proxima est Resurrectio Salvatoris. *Durand. de Missa Sabbati Sancti.* Pascha item dici potest præsens: Missa enim dicitur Resurrectionis, quæ nocte sequenti celebratur: & hujus Ritus meminit etiam Ordo Romanus.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VIII. Gavant. lit. u — *Ut autem dicatur in Missa constituit Telesphorus.*) Anastasius in Vita Sancti Telesphori ait ipsum constituisse, ut ante Sacrificium diceretur Hymnus Angelicus, de quo supra Gavantus, hoc est *Gloria in excelsis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc prima hujus Hymni verba e Cœlo ad nos Angelorum Chorus invexit, & ideo, ut bene notat noster Auctor, Hymnus Angelicus dictus est. Cætera autem, quæ recitantur in eodem Hymno, a quo addita fuerint, multiplex est auctorum sententia, quos refert Gavantus supra. Quidam Telesphorum, qui anno 126. Romanæ suscepit regimen Ecclesiæ, eorum auctorem faciunt, ejusque sententiæ, ut innuit Gavantus, est Innocentius III. loco ab eo citato, & alii, quibus addi potest etiam Sigebertus in Chronico. Sed hanc opinionem rejicit Cardinalis Bona *lib. 1. Liturgicarum cap. 4.* quia Auctor libri Pontificalis nequaquam asseverat Telesphorum ea verba addidisse: sed tantum constituisse, ut ante Sacrificium Hymnus diceretur Angelicus: & tunc forsitan, ait Bona, verba tantum Evangelica in usu erant, sicut extant in Liturgia Jacobi; non vero integer Hymnus. Observat etiam idem Eminentissimus Auctor tempore S. Athanasii jam in usu fuisse, cum hic libro *de Virginitate* versus finem de præfato Hymno mentionem fecerit his verbis: *Hymnumque dicito: Gloria in excelsis Deo, & in Terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, &c.* & quæ sequuntur: unde concludit, PP. Concilii IV. Toletani circa annum 633. celebrati, & allegati etiam a Gavanto supra, cautius locutos esse, qui *Can. 12.* ajunt: *Reliqua, quæ sequuntur post verba Angelorum, Ecclesiasticos Doctores composuisse, quicumque illi fuerint.*

IX. Gav. ead. lit. u. — *Symmachus præterea jussit, &c.*) Ex supradicto Anastasio habemus pariter, juxta Gavanti nostri sententiam, Symmachum constituisse, ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum Hymnus diceretur Angelicus. Antea siquidem tantum in Missa nocturna Nativitatis Dominicæ cantari solebat ex Telesphori decreto, si vera sunt quæ Sigibertus in Chronico, & Innocentius III. loco a Gavanto supracitato tradit: sed, ut mox diximus, tempore Telesphori verba tantum Evangelica in usu erant; Constitutum vero Symmachi ad totum præfatum Hymnum extenditur; quia, ut superius ostendimus, jam antea compositus erat: quapropter rejiciendi sunt illi, qui talem Hymnum Symmacho adscribunt. Observandum tamen est, quod si Constitutum Symmachi ad omnes Presbyteros extendatur, dicendum est, S. Gregorium illud restrixisse ad solos Episcopos: Missæ enim Ordinem in libro Sacramentorum describens, ait: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus Festis; a Presbytero autem minime dicitur, nisi in solo Paschate: quando vero Litania agitur, neque Gloria in excelsis Deo, neque Alleluja canitur.*

X. Gavant. ead. lit. u — *Quando in Officio dicitur Te Deum, &c.*) Intelligitur hæc regula; quando Missa dicitur correspondens Officio, in quo dicitur *Te Deum*: alias, si diceretur Missa Conventualis talis diei v. g. in Vigilia Assumptionis, in qua Missa conveniens tali diei est de Vigilia, non vero de die infra Octavam S. Laurentii; tunc in illa Missa Vigiliæ non est dicendum *Gloria*: quinimmo si illa die diceretur Missa de Sancto Laurentio, licet corresponderet Officio, adhuc non diceretur *Gloria*: quia in tali casu Missa esset in gradu Missæ Votivæ, ut diximus in Titulo de Feria & Vigilia.

Quando autem dicendus sit hic Hymnus *Gloria in excelsis*, quando non, in Missis Votivis, tradit Gavantus infra, & nos satis superque diximus in Observationibus, & Additionibus ad easdem Missas Votivas.

RUBRICA.

4 *In Missis Votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa* (z) *B. Mariæ in Sabbato*, & (a) *Ange-*

gelorum: *& nisi Missa* (b) *Votiva Solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa*: *dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis*: *neque dicitur* (c) *in Missis Defunctorum*.

GAVANTUS.

Innoc. III. *in cap. Consiliorum de Celebr. Miss.* ait in profestis (idest, procul a Festis) non dici Hymnum Angelicum apud Romanos; ut inter Commemorationem, & Solemnitatem appareat differentia: & hoc asserit specialiter observari in Missis B. Mariæ, quod, *ex Radulph. propos.* 13. debent observare, qui diligunt decorem domus Dei: nam sicut decor est illum in Festivitatibus recitare, ita decor est illum omittere in diebus privatis: jucundius enim in Festivitatibus suscipitur, quod in profestis surripitur, & tacetur. Hæc ille.

(z) *Beatæ Mariæ in Sabbato*. Ita legendum omnino, non autem interpunctione, ut olim in Missalibus Venetis, & aliis mendosis, in quibus legebatur hoc modo: *nisi in Missa B. Mariæ in Sabbato*. Superfluum enim esset illud *in Sabbato:* nam vel intelligis de Missa in Sabbato, quando de ea fit Officium in Sabbato; & eo casu *Gloria* dicitur, quia in Officio dictum est *Te Deum*, & pertinet ad Rubricam superiorem *n.* 3. neque illa est Votiva, nam Votiva non concordat cum Offic. *tit.* 13. *num.* 5. vel intelligis de vere Votiva, quæ dicitur in Sabbato principali de Adventu, *de qua supra tit.* 4. *n.* 2. & tunc additum fuisset in hac Rubrica, *Sabbato de Adventu*: vel intelligis de mere Votiva, quæ ad libitum dicitur, etiam in Sabbato, privatim, & omnino discordante ab Officio, & eo casu sufficeret dixisse, *in Missa B. Mariæ*, absolute, quocumque die dicatur. Ne igitur superfluat illud *in Sabbato* amove comma, seu distinctionem, & dic præscribit hoc loco, quod in Votivis B. Mariæ, quæ dicuntur in omni Sabbato, etiam Adventus, quatuor Temporum, Vigiliarum, seu Festi Semiduplicis (non in aliis diebus extra Sabbatum) dicatur in iis tantum Hymnus Angelicus; ita ut hoc ordine B. Virgini operam demus. Primo in Festis ipsius cum Hymno Angelico, Symbolo Apostolorum, & Præfatione propria, quod nemo negat. Deinde in Sabbato (quod habere nonnihil Solemnitatis in honorem B. Virginis docuimus *sup. tit.* 4.) cum Hymno Angelico, & Præfatione propria; sive concordet, si discordet Missa B. Virginis ab Officio; quod hoc loco pie conceditur omni Sabbato. Tertio in reliquis diebus, & Votivis Missis ejusdem, dicatur tantum Præfatio propria ejusdem B. Virginis. Confirmatur hæc Rubrica ab alia, quæ habetur in Ordine Missæ, in Missali post Hymnum Angelicum, videlicet: *Sic dicitur etiam in Missis B. Mariæ, quando dicenda est:* ergo non semper dicendum est *Gloria in excelsis*. Sensus autem horum verborum est: *Sic*, idest, eodem modo, quo immediate supra descriptus est, dicendus est Hymnus Angelicus, non additis amplius iis verbis, quæ ante Pium V. in dicto Hymno addebantur a Sacerdotibus in honorem B. Virginis: *Quoniam tu solus Sanctus, Mariam sanctificans: tu solus Dominus, Mariam gubernans: tu solus Altissimus, Mariam coronans:* & alia verba, quæ amplius non sunt in usu.

Neque post recognitionem Missalis datus est hic Hymnus cuicumque Missæ de B. V. quidquid in vulgus sparserint aliqui, & falso, immo S. R. C. deleri jussit, anno 1627. de quibusdam Calendariis insigniorum locorum, Decretum falso adscriptum eidem Congregationi contra hanc Rubricam de Hymno Angelico in Votivis B. Mariæ.

(a) *Et Angelorum Burchard.* & merito, quia prima verba Hymni fuere primo prolata ab Angelis. *Luc.* 1.

(b) *Votiva solemniter, &c.* Supra diximus cum Innocent. III. omitti Hymnum Angelicum in privatis diebus, ut appareat differentia inter Solemnitatem, & Commemorationem. Si ergo Solemnitas adsit aliqualis, vel ratione temporis, puta, quia Sabbatum dicatum B. V. vel quia eo die obiit ille, de quo dicitur Missa, quasi in ejus Festo, licet non dicatur Officium, *ut in Cæremoniali suo Petrus Ruiz notavit, & bene;* vel ratione causæ gravis, aut publicæ conceditur Missis Votivis Hymnus Angelicus. Æstimatur etiam Solemnitas ratione loci, qua ratione privilegium dicitur fuisse datum Sacrosanctæ Ædi B. V. Lauretanæ, ut ibidem in omnibus Missis B. V. dici queat *Gloria in Excelsis;* & habetur *in Synodo ultimæ Lauret. titul.* 11. *num.* 4. *sub Card. Roman.* Res autem gravis ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis generalibus, seu provincialibus, cum cantatur Missa pro re, eorumdem judicio, gravi: si tamen paramenta adhibeantur violacea, tunc non dicitur *Gloria*, neque *Credo:* & Sacra Rituum Congreg. 19. *Maji* 1607. utrumque declaravit: Quare ex dictis sublatum est privilegium de *Gloria in excelsis*, datum Minoribus ab Alexandro IV. & Sixto IV.

(c) *In Missis Defunctorum.* Hoc notat *Amalar. lib.* 3. *cap.* 44. quia tunc non est locus lætitiæ, quam indicat Hymnus Angelicus; sicuti nec in diebus luctus Adventus, & Septuagesimæ ad Pascha.

Hoc loco addendum videtur, neque dici *Gloria in excelsis* in Vigiliarum Missis, quæ veniunt infra Octavam, licet in Officio dictum sit *Te Deum;* quia hæ Missæ non concordant cum Officio: & habetur hic Ritus in Missali in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Virginis: continet enim Hymnus cælestem gloriam, *ex S. Thom.* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. quæ cum Vigilia non consonat.

De

De Orationibus IX.

GAVANTUS.

Oratio, & Collecta idem. Ejusdem usus ab Apostolis *ex Orig. homil.* 11. *in Jer.* explicat *Ordo Romanus*, quasi sit Collectio, ut Missa, & Missio: vel quod ex Divinis Scripturis colligatur oratio; vel quia dicitur super Collectam, id est, Populum collectum, *Alcuin. ut supra*; vel quia Sacerdos omnium preces in ea colligit, *Micrologus cap.* 3. vel quia adstantes se debent colligere, ut orent, *S. Bonav. de Myster. Missæ.* Dicitur etiam Benedictio *ab Amalar. II. cap.* 9. *ex* 1. *Cor.* 14. Brevis autem est, ne multum loquentes oremus, *Matthæi* 6. Docet *Dionysius epistol. ad Demoph.* preces fieri ante Mysteria. Orationes composuit Ambros. ex *Gemma lib.* 1. *cap.* 87. & in Missali Romano multæ sunt illius, ut suis locis indicabimus, a Gelasio Papa auctæ, & limitatæ fuerunt, *ex Sigeb. A. D.* 487. A S. Gregorio deinde, quibusdam additis, vel detractis, in ordinem & librum Sacramentorum redacta; *Walf. Strabo de reb. Eccles. cap.* 22. *& Micrologus c.* 61. Concilia *Carth.* 3. *Can.* 23. *Milev. Can.* 12. quibus aderat S. Aug. rejiciunt non probatas.

RUBRICA.

1 *In Festis Duplicibus dicitur una tantum oratio; nisi sit facienda aliqua Commemoratio, ut dictum est supra.*

GAVANTUS.

Romana traditio unam orationem tribuit cuique Missæ, *Microlog. cap.* 4. quia unus Introitus, una Epistola, unum Evangelium, *Amal. in prol. de Divinis Offic.* Unum est Offic. *Radulph. prop.* 25. & Fidei, seu unitatis Sacramentum denotat. *Innoc. III. lib.* 4. *cap.* 27.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

I. Rubr. *Nisi facienda sit aliqua Commemoratio, &c.*) De Commemorationibus faciendis in Duplicibus primæ, & secundæ Classis jam egimus supra in titulo de Commemorationibus. Nunc sese offert occasio tradendi aliqua de Commemorationibus, seu orationibus dicendis in Festis Duplicibus majoribus, & minoribus. 1. Igitur dicimus, quod omnes illæ Commemorationes, & eodem ordine, quo faciendæ sunt in Duplicibus primæ, & secundæ Classis, debent fieri a fortiori, etiam in Duplicibus majoribus, & minoribus. Solum hic advertimus, quod si occurrant duo dies infra duas octavas cum aliqua Dominica, in aliquo Festo Duplici, prima oratio est dicenda de dicto Festo Duplici, secunda de Dominica, tertia de octava digniori, & quarta de octava minus digna. II. Advertimus, quod in his Duplicibus fiunt solitæ Commemorationes de Feriis majoribus Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum. III. Debet fieri Commemoratio de Simplici Festo occurrente. Ultimo loco dicitur oratio imperata a Summo Pontifice, vel Episcopo. Advertimus tandem cum Vinitore, quod non sunt laudandi illi, qui in Festis Duplicibus solent addere orationem pro infirmis, navigantibus &c. aut pro aliis privatis necessitatibus: consultius enim, qui Rubricas observare voluerit, faciet, si omissis hujusmodi orationibus, devotioni, vel occurrentibus necessitatibus, ipso Sacrificio, quod offertur, nec non interiori actu mentis in ipso Memento, satisfacere studeat, Gerlacus Vinitor *part.* 1. *tit.* 9. *in adnot.* §. 13.

RUBRICA.

2 *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, & Purificatione usque ad Quadragesimam dicitur secunda Oratio, A cunctis, tertia ad libitum.*

GAVANTUS.

Sicut in officio fiunt Commemorationes de B. V. SS. Apostolis, S. Patrono, seu Titulari, & de Pace; ita in Missa dicitur secunda oratio, *A cunctis*, cujus est auctor Innocent. III. *ex Duran. lib.* 4. *cap.* 15. in qua supradicta memorantur: nam lit. N. nomen exigit Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, ubi celebratur; tertia vero additur, quia impari numero gaudet Deus, *ex Innoc. III.* & tres dicendæ in honorem Sanctissimæ Trinitatis, *idem Innoc. ibid.* vel quia Christus ter oravit in horto, *Microl. supra*; vel quia in memoriam ejus, qui tertia die resurrexit *Clem. lib.* 2. *Const. cap.* 63. & tres approbat dici *Conc. Laodic. cap.* 19. Numerus impar est indivisibilis, & unionem hoc loco significat Ecclesiæ orantis. In tertia oratione ad libitum, cavere debet Sacerdos pro sua modestia, ne coram Prælato suo, seu Principe dicat orationem, quæ habet Titulum, *Pro seipso Sacerdote.* Ita *Burchard. in ordine celebrationis Missæ.*

* Dices: cur in oratione *A cunctis*, in qua continentur omnia suffragia, seu communes Commemorationes officii, ut dictum est, nulla mentio fiat de Cruce, de qua in officio? Respondeo, non semper fieri de Cruce in officio Commemorationem: & fuisse incommodum, modo eam demere, modo addere in oratione *A cunctis*, pro varietate Missæ ferialis, seu de Sancto. Deinde tota Missa Commem. est de Cruce, qua etiam de causa tempore Paschali fit in offic. Commem. de Cruce, non in Missa.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

II. Gav. *Tertia vero additur, &c.*) In Missa de Festo Semiduplici, si nulla alia est facienda

Commemoratio, dicuntur ultra Orationem Festi, aliæ duæ Orationes &c. prout declarat Gavantus, & juxta temporum rationem, ut habetur in Missali. Cæterum in Semiduplicibus potest contingere, quod debeant dici etiam quatuor, vel quinque orationes: nec ulla urget necessitas, quod si dicantur quatuor debeat semper dici quinta oratio; ita ut semper orationes debeant esse numero impares, nempe tres, vel quinque, vel septem, &c. & hoc est jam declaratum a S. R. C. in suo Decreto diei 2. *Decembris* 1684. & in nostro Indice dato *sub num.* 476. in quo habetur.

Non est omittenda una ex assignatis orationibus in Missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de Festo Simplici; ut ejus loco dicatur oratio, veluti *Deus Refugium:* sed post tertiam orationem *A cunctis*, potest & imperata dici; cum in Missa de Semiduplici, & Simplici, vel votiva non sint necessario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem.

Hoc confirmatur etiam ex Decreto subsequenti S. R. C. sub die 17. *Augusti* 1709. & dato in Appendice nostri Indicis, nimirum:

In iis diebus, quando 3. oratio in Missis est ad libitum, ac ex jussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis oratio pro publica indigentia, non debet prætermitti 3. ad libitum, ut loco illius dicatur alia imperata; sed debet utraque dici, & 3. quæ est ad libitum Sacerdotis, & 4. imperata, vel contra Turcas, vel ad petendam pluviam, &c.

III. Gav. *A cunctis, in qua continetur, &c.*) Littera N. quæ habetur in oratione *A cunctis*, exigit expressionem nominis Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, ubi Missa celebratur: aliquando additur nomen familiæ, vel etiam nomen ab aliquo casu, aut alio modo v. g. Petri *Cælestini*, Joannis *Chrysostomi;* nunquam vero additur nomen loci, de quo est Sanctus Titularis; sic nunquam dicitur Joannis *Damasceni*, aut Gregorii *Nazianzeni*, quod in officio, & in Missa servari debet: & licet sit expressum in Calendario, ut v. gr. *Borromæi;* non tamen dici debet in oratione, nisi sit etiam expressum. Bauldry *par.* 3. *tit.* 9. *de Orationibus n.* 1. Gerlacus Vinitor *par.* 1. *tit.* 9. *de Orationibus in adnot.* §. 5.

Et hæc omnia confirmata remanent ex Decreto S. R. C. 22. *Decembris* 1624. & in nostro Indice *sub num.* 196. in quo habetur — Dum Regulares ordinis Minorum in orationibus, versiculis, cæterisque actibus inter Divina Officia occurrentibus, Sanctum Franciscum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere Iy *de Paula* — Huc etiam facit sequens Decretum conforme Rubricæ positæ in Missali post orationem *A cunctis.*

In oratione *A cunctis*, nomina Patronorum S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptistæ præponenda sunt Apostolis — Ita habetur in Decreto sub die 22. *Augusti* 1620. & in nostro Indice *sub num.* 178.

Ex quo autem in Decreto recentissime vulgato a Benedicto XIII. die 19. *Decembris* 1726. & in nostro Indice *sub num.* 650. nomen S. Joseph in Litaniis Sanctorum collocandum sit ante nomina Apostolorum, inferendum est, quod in oratione *A cunctis*, si S. Joseph esset Patronus, seu Titularis Ecclesiæ, ejus nomen præponendum esset dictis Apostolis. Quod si plures fuerint alicujus Ecclesiæ Titulares, vel Patroni, considerandum est, utrum sunt juncti simul per se, & per modum unius, ut sunt v. g. SS. Gervasius & Protasius, SS. Joannes & Paulus; vel utrum sint uniti per accidens, ut sunt SS. Blasius, & Carolus. Si primum, ambo sunt nominandi simul, quia se habent per modum unius: si secundum, is tantum nominandus est in oratione *A cunctis*, qui principalis consideratur, aut de cujus nomine Ecclesia nuncupatur. Ita Guyetus *lib.* 3. *c.* 29. *quæst.* 7.

Utrum autem a Regularibus in oratione *A cunctis*, nominandus sit Patronus sui ordinis ultra Titularem Ecclesiæ; Guyetus *loc. cit.* improbat illos, qui omisso Titulari Ecclesiæ, solum nominant Patronum sui Ordinis; non improbat tamen illos Regulares, qui omittunt nominare dictum sui ordinis Patronum. Verum non negat quin possit uterque nominari; nempe & Titularis Ecclesiæ, & Patronus Ordinis. Quis autem eorum præponendus sit cæteris paribus, hoc dependet a quæstione, quam tractabimus in Rubricis spectantibus ad Breviarium, nempe cujus Commemoratio præponenda sit, quando fiant Commemorationes, seu Suffragia Sanctorum.

Denique si Ecclesia, in qua celebratur Missa, sit dicata Sanctissimæ Trinitati, Sanctissimo Salvatori, vel alicui Sancto ex nominatis jam in oratione *A cunctis;* tunc loco nominandi in illa littera N. Sanctum Titularem, ne is iterum repetatur, potest exprimi nomen alterius Sancti, cujus præcipua memoria, vel insignis Reliquia habetur in dicta Ecclesia. Si vero non sit aliquis ejusmodi, tunc nominari potest alius Sanctus pro arbitrio, & devotione Sacerdotis celebrantis. Ita Guyet. *loc. cit.*

Superest nunc, ut hoc loco tradantur sequentia Decreta, quæ ultra superius data, spectant ad Orationes dicendas in Missa Festi Semiduplicis.

In Missa Privata de Festo Semiduplici, &c. potest in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus*, *qui nos &c.* sed ob id non est omittenda ulla ex assignatis Collectis pro tempore assignatis, puta *A cunctis*, vel *Ecclesiæ.* S. R. C. 3. Decembris 1684. in nostro Indice *sub num.* 473.

RUBRICA.

3 *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem dicitur Oratio, Deus, qui salutis: tertia Ecclesiæ, vel pro Papa, Deus omnium Fidelium.*

GA-

GAVANTUS.

Secunda Oratio de B. V. ob ejusdem partum dicitur usque ad officium Purificationis, etiam translatum: tertia pro Ecclesia, vel pro Papa.

Novæ Observationes, & Additiones &c.

IV. Gav. *Etiam translatum &c.*) Si præfatum Festum Purificationis transferatur, non erit continuanda supradicta oratio *Deus, qui salutis*, usque dum factum sit Purificationis Officium, ut vult Gav. supra; sed in Festo Semiduplici secunda oratio tunc erit *A cunctis*, tertia ad libitum usque ad Feriam 4. Cinerum. Ita Halden *par.* 2. *tit.* 2. *pag.* 52. *col.* 1. quod etiam declaravit S. R. C. sequenti Decreto, nimirum.

Quæsitum fuit, an cum ex Decreto S. R. C. 2. Julii 1681. edito, dicenda sit Antiphona Beatissimæ Virginis *Ave Regina Cælorum* cum .... *Dignare me*, in fine Completorii, die secunda Februarii, licet transferatur Officium Purificationis, dici debeat in suffragiis (quando fit de Officio Semiduplici, vel Simplici, &c.) ... *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, cum oratione *Concede nos famulos, &c.* & in Missa, secunda oratio *A cunctis*, tertia ad libitum: & S. R. C. affirmative respondit, die 14. Februarii 1705. & hoc Decretum datur in nostro Indice *sub num.* 588.

RUBRICA.

4 *In Festis Semiduplicibus Feria 4. Cinerum usque ad Dominicam Passionis, secunda oratio de Feria; tertia, A cunctis.*

GAVANTUS.

Secunda de Feria, de qua in Officio fit Commemoratio; tertia *A cunctis*, ob alias Commemorationes, & suffragia, quæ in eodem fiunt Officio.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

V. Gav. *Secunda de Feria*) In prædicto casu, nimirum a Feria 4. Cinerum usque ad Dominicam Passionis exclusive in Missa de Festo Semiduplici, verissimum est, quod secunda Oratio erit de Feria; quæ nunquam omittitur, etiamsi aliæ Commemorationes essent faciendæ; sicut etiam observatur tempore Adventus; & tertia Oratio in Quadragesima erit *A cunctis*; sed in Adventu, cum non dicantur suffragia Sanctorum in Officio, loco Orationis *A cunctis*, tertia oratio erit *Deus, qui de B. Mariæ, &c.* & hæc hoc habebit locum, si aliqua alia occurret Commemoratio facienda, Bissus *tom.* 2. *lit. O. n.* 72. §. 12.

Hoc loco dandum est sequens S. R. C. Decretum spectans ad Feriam 2. Quadragesimæ.

Quæsitum fuit, an occurrente Commemoratione Sancti Simplicis, in Feria 2. Quadragesimæ, quando dictum est Nocturnum Defunctorum, debeat in Missa quarto loco dici Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum, &c.* pro Commemoratione Defunctorum? & S. R. C. respondit sufficere tertiam Orationem *A cunctis*: quod si dicatur quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum. Ita die 4. Maii 1709. *in Pistorin. ad primum dubium*, & datur in nostro Indice *sub n.* 613.

Procedimus ad exhibendum hoc loco etiam aliud sequens Decretum, quod juvare poterit pro explanatione subsequentis Rubricæ.

Secundo quæsitum fuit, an occurrente dicto casu Feria 2. post Dominicam Passionis, quando pariter dictum est Nocturnum Defunctorum; quot, & quæ Orationes dicendæ sint in Missa? Et S. R. C. respondit dicendam esse secundam Orationem de Simplici, non vero aliam: eadem die 4. Maii 1709. & in nostro Indice *sub num.* 614.

RUBRICA.

5 *In Semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda oratio de Feria; tertia Ecclesiæ, vel pro Papa.*

GAVANTUS.

Omittuntur enim Commemorationes in Officio, & consequenter etiam in Missa: tamen pro Ecclesia, vel ejus Capite adhuc est orandum. Quod si hoc tempore cantandæ sint duæ Missæ, de Festo, & de Feria; in Festo Semiduplici, secunda erit *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, neque dicetur tertia oratio. Ita Romæ fit: & minuitur numerus orationum in Missa, sicut & suffragiorum in Officio, cujus rei causam *num.* 8. afferemus.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

VI. Gav. *Quod si hoc tempore cantandæ sint duæ Missæ, de Festo, & de Feria, &c.*) Disponit superior Rubrica, quod in Festis Semiduplicibus occurrentibus in Feriis a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, in Missa tres dici debeant orationes, prima de Festo, secunda de Feria, & tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Verum optime notat Gavantus hic, quod si prædicto tempore cantandæ sint duæ Missæ, una de Festo, & altera de Feria, ut revera cantantur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & aliis etiam Regularium; tunc in Missa de Festo Semiduplici, secunda oratio erit *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, quin dicatur tertia oratio: sed non progreditur ad explicandum, quod in altera Missa Conventuali de Feria dicendæ sint Orationes. Halden in suo Ephemerologio Ecclesiastico *par.* 1. *tit.* 18. adnotat, quod si cum Festo Semiduplici occurrat Festum Simplex, tunc in prima Missa Conventuali, quæ erit de dicto Festo, secunda oratio erit de Festo Simplici occurrente tantum, omissa ter-

tia oratione *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*: si vero non occurrat Festum Simplex, secunda oratio in ejusmodi Missa Conventuali festiva, erit *Ecclesiæ*, vel *pro Papa* tantum: in neutro enim casu, tunc addenda est tertia oratio in ea Missa. In Missa vero Conventuali altera, quæ dicitur de Feria, oratio secunda erit *Ecclesiæ*, vel *pro Papa* tantum: non enim in ea fieri debet Commemoratio illius Festi die illo occurrentis. Hæc ex Halden *loc. cit.* cui adderem, quod si in prima Missa ex dictis duabus Conventualibus jam dicta esset oratio *Ecclesiæ* secundo loco, nullo occurrente Festo Simplici; tunc in secunda ex dictis Missis congruum foret dicere secundo loco aliam orationem *pro Papa*. Ex hucusque dictis colligitur, quod in Missa Conventuali Festi Semiduplicis occurrentis in Feriis Quadragesimæ ante Dominicam Passionis, dicendæ sunt tres orationes, prima de Festo; secunda vero, & tertia eædem, quæ assignantur in Missa de Feria, de qua non fit Commemoratio in prædicta Missa Conventuali, ut notum est omnibus; nec minuitur numerus orationum; ut notat noster Gavantus infra *par. 4. tit.* 15. *num.* 4.

Resumendo nunc sermonem de prædicto Festo Semiduplici occurrente a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, & de Missa Privata ejusdem Festi; certissimum est ex dispositione superioris Rubricæ, tres debere dici orationes, primam de eodem Festo, secundam de Feria, tertiam *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*; quamvis in Missis de tempore, & de Feriis, quæ occurrunt a Dominica Passionis usque ad Feriam quintam in Cœna Domini, duæ tantum præscribantur orationes dicendæ, prima de Feria, secunda vero *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Quibus positis, gravis oritur controversia inter Rubricarum explanatores, utrum occurrente dictis diebus ferialibus, nimirum a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, aliquo Festo Simplici, debeant dici duæ orationes tantum, nimirum de Feria, & de Festo Simplici; vel utrum debeat addi tertia oratio, nimirum *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Dubium hoc oritur ex verbis Rubricæ appositæ in Missa Dominicæ Passionis, ubi legitur — *Ab hac die usque ad Feriam quintam in Cœna Domini post Orationem diei dicitur, vel contra Persecutores Ecclesiæ, Oratio* Ecclesiæ tuæ, &c. *vel pro Papa* Deus omnium Fidelium: deinde subnectitur: *Non dicitur tertia Oratio.* Noster Gavantus in suis Commentariis ponendis ad hanc Rubricam *num.* 8. docet, quod si in prædictis diebus occurrat Commemoratio de Simplici, omitti omnino debeat tertia oratio; & quod dicantur tantum duæ orationes ad sensum Rubricæ, ut ipse ait. Verum contra Gavantum insurgit Guyetus *lib. 4. cap.* 18. *qu.* 28. ubi validis profecto rationum momentis refellere conatur Gavanti sententiam, quam Rubricæ in primis, deinde & rationi plane esse contrariam, luce clarius demonstrare contendit: & quia eadem quæstio procedit etiam de Festo Simplici occurrente in Feriis infra octavas Paschæ, & Pentecostes, a quarum Missis Gavantus pariter tertiam orationem excludit, hinc Guyetus profert in primis, ad eum confutandum, textus omnes Rubricarum, quibus Gavantus suam adstruit assertionem; a quibus referendis nos abstinemus; curiosus enim lector facile præfatum auctorem adire potest. Non omittam tamen adducere postremum, quod ipse putat validissimum argumentum, quo utitur ad suam comprobandam sententiam, nimirum orationum in Festis Semiduplicibus par omnino est, idemque numerus, ac Dominicarum, seu Feriarum temporis, in quo occurrunt; ut constat ex tota hac Rubrica 9. de orationibus. Si ergo in hebdomada Passionis duæ, ut ait Gavantus, tantum sunt orationes; quare tres ponuntur in Semiduplicibus infra illam occurrentibus? si enim habet Rubrica *n. 5. in Semiduplicibus a Dominicæ Passionis, &c.* An non si privilegium est illius temporis, ut duæ tantum habeantur orationes, transire æque debet ad Festum Semiduplex in eo occurrens, atque omissio suffragiorum in Adventu transit ad Semiduplex illo tempore occurrens? Imo vero adhuc nobilius est Semiduplex, quam talis Feria, siquidem ipsi præfertur, & tamen huic negatur a Gavanto tertia Oratio, quam Rubrica expresse illi concedit. Hoc argumento veluti telo putat Guyetus confodere Gavantum: verum quia hoc argumentum nimis probat, nihil mihi videtur probare contra Gavanti sententiam: nam ex quo Semiduplex sit nobilius Feria, & ex quo in eo dicantur tres orationes in Missa, juxta dispositionem superioris Rubricæ; non solum evinceretur esse dicendam tertiam orationem in Missa Feriæ, occurrente Festo Simplici, sed etiam non occurrente tali Festo, cum non deceat Festum nobilius Feria habere plures orationes in sua Missa, quam habeantur in Missa Feriæ. Potius igitur suadent aliæ rationes a Guyeto adductæ: sed super hac re nullam audeo proferre sententiam quousque a S. R. C. decidatur hoc dubium valde controversum inter Rubricistas in Urbe degentes. Si aliquod igitur, ut spero, Decretum decisivum emanabit (ultra pauca jam edita, quæ adhuc apparent valde obscura) dum hoc opus sub prælo est; de illo mentionem faciam in altera parte hujus tomi, ubi sermo fiet de Dominica, & hebdomada Passionis, necnon Paschæ & Pentecostes.

RUBRICA.

6 *In Festis Semiduplicibus ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem, secunda Oratio de Sancta Maria, Concede nos; tertia, Ecclesiæ, vel pro Papa.*

GAVANTUS.

In his, & sequentibus, quando in Officio cessant Commemorationes de Sanctis, & de Pace, ces-

cessat etiam Orat. *A cunctis.* Sed quia B. Virgo nunquam cessat orare pro nobis, & Festa Filii sunt etiam Matris; neque a Sanctis quidquam obtinemus, quod a Deo per manus Mariæ prius non donetur; ideo tempore Paschali, infra octavas Ascensionis, Corporis Christi, & Sanctorum, in eorumque Vigiliis, secunda oratio est de B. V. præterquamquod hoc Sacrificium de ea Mundo fuit generatum, inquit *Honorius in Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 104.

RUBRICA.

7 *In Festis Semiduplicibus infra Octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de octava; tertia, quæ secundo loco infra octavam ponitur.*

GAVANTUS.

Sicut in Officio fit Commemoratio de octava; ita & in Missa in secunda Oratione: & consequenter, quæ secunda erat, tertium obtinet locum.

RUBRICA.

8 *Infra octavas Paschæ & Pentecostes, in Missa de octava dicuntur duæ tantum Orationes, una de die, alia Ecclesiæ, vel pro Papa.*

GAVANTUS.

Valet hic ea ratio, quam affert *Durandus in Dominica de Passione*, in qua cessant Commemorationes Sanctorum in Officio; ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, spes nostra elevetur ad unicum ejus singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis, & Pentecostes, aliam Orationem tantum pro Ecclesia, vel pro Papa, pro quibus præcipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque B. Virg. quia Christus, & Spiritus Paraclitus sunt tunc temporis supremi, & unici Advocati nostri. Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio, ad sensum Rubricæ.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VII. Gav. *Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto Simplici, non dicitur tertia Oratio*) Sustinet hic Gavantus, ut mox exposuimus, quod in prædictis Feriis a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, & infra octavas Paschæ & Pentecostes, si occurrat aliquod Festum Simplex, de eo fieri quidem debet Commemoratio in Missa; sed præter hanc Orationem non esse addendam tertiam, nimirum *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, sed iterum dico: Guyetus supra laudatus *loc. cit.* acerrime tenet in prædicto casu Festi Simplicis dicendam esse tertiam Orationem Ecclesiæ, vel pro Papa; & hoc colligere dicit ex verbis Rubricæ Missalis in Missa Feriæ 4. post Pascha, ubi habetur — *Ab hac die usque ad Sabbatum in Albis inclusive, post Orationem diei, dicitur una ex sequentibus Orationibus tantum, nisi facienda sit aliqua Commemoratio Festi Simplicis occurrentis.* Ex qua particula *Nisi* deducit Guyetus exceptionem ejusdem Rubricæ, nimirum esse quidem dicendas duas Orationes tantum, sed nisi occurrat Festum Simplex, de quo debebat fieri Commemoratio; in quo casu non duæ, sed tres, dicit ipse, dicendæ sunt orationes: sed super hac quæstione alibi mentem nostram aperiemus, ut supra innuimus.

RUBRICA.

9 *Infra alias Octavas, & in Vigiliis, quæ jejunantur (excepta Vigilia* (d) *Nativitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres, una de die, secunda de S. Maria, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. Sed infra octavas S. Mariæ, & in Vigilia, & infra octavam omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur* (e) *de Spiritu Sancto, Deus, qui corda; tertia, Ecclesiæ, vel pro Papa.*

GAVANTUS.

Pro prima parte Rubricæ attulimus congruentem rationem, *in hoc eodem tit. num* 6.

(d) *Nativitatis Domini, &c.* Hæ Vigiliæ habent rationem Festi Duplicis, & Solemnioris.

(e) *De Spiritu Sancto.* Quia in prima oratione, vel explicite, vel implicite, ut in Vigil. & infra oct. omnium Sanctor. Mariæ merita imploramus; ideo in secunda oratione eam denuo invocare non debemus. Sit igitur sœcunda de Spiritu Sancto, qui eam obumbravit, & secundam reddidit: quem Ritum viguisse apud aliquos in officio parvo B. V. ut post orationem de B. V. fieret semper Commemoratio de Spiritu Sancto & de omnibus Sanctis, scribit *Radulphus prop.* 20.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VIII. Rubr. *Infra alias octavas, &c.*) Neque præter octavam Paschæ & Pentecostes, secunda Oratio dicitur de S. Maria, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa: tunc enim non dicitur oratio *A cunctis*: quia neque in Officio fiunt Commemorationes Sanctorum, quibus prædicta oratio correspondet. Cur autem non dicatur oratio *A cunctis* in Vigiliis, in quibus fiunt Commemorationes Sanctorum, ratio esse potest, quia in Vigiliis solent Fideles ferventius orare, mente per jejunium elevata: & ideo in Missa præscribuntur Orationes dicendæ de Sancta Maria, & pro Ecclesia, quæ magis fovent devotionem, & pietatem.

IX. Gav. lit. e — *Secunda de Spiritu sancto.*) In diebus vero infra octavas Sanctæ Mariæ, prima oratio est propria ejusdem, secunda de Spirito Sancto, quæ semper dicitur in supradictis Missis Beatæ Mariæ; quia ipsa est Sacrarium,

& singulare habitaculum Spiritus Sancti. Quarti *par.* 1. *tit.* 9. *num.* 9. Reliqua patent ex Commentariis nostri Gavanti.

RUBRICA.

10 *In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava; & in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio.*

GAVANTUS.

Ratio est, quia de Octava fit Commemoratio in Dominica: tertia vero Oratio omittitur ad majorem Solemnitatem. In Octava dicitur una tantum Oratio, quia est Duplex Officium.

Accidit in Dominica privilegiata fieri tantum Commemorationem de die octava, quæ non transfertur; & tunc in Missa, secunda Oratio erit de octava: neque tertia dicitur, quia dies est octava, & nobilior, quam Dominica infra octavam, in qua duæ tantum dicuntur.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

X. Rubr. *Dicuntur duæ Orationes, &c.*) Traditur in hac Rubrica Regula dicendi duas Orationes in Dominicis infra aliquam octavam: & nihilominus non excluditur tertia Oratio, si occurrat Festum Simplex: unde semper etiam ex hac Rubrica magis magisque confirmare contendit suam sententiam Gujetus, quod infra octavas Paschæ & Pentecostes debeat pariter dici tertia Oratio, si occurrat Festum Simplex. Immo reperio in superiori Rubrica, quando fit sermo de die octavæ, eundem modum loquendi ac in Rubrica, quæ habetur in Feria 4. post Pascha: nimirum præscribitur in superiori Rubrica: *Et in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio*: ex quo modo loquendi clare exprimitur, quod occurrente aliqua Commemoratione debeant dici duæ Orationes, una de die octavæ, altera de Festo Simplici, vel alio, de quo debeat fieri Commemoratio. Quapropter cum habeantur eædem particulæ *Tantum*, & *Nisi* in superiori Rubrica de octava, quæ habentur etiam in Feria quarta post Pascha; hinc colligi potest illas particulas non excludere secundam, vel tertiam respective Orationem, si occurrat Festum Simplex: nihilominus lectorem remittimus ad ea, quæ dicemus locis supra citatis super dicta controversia.

RUBRICA.

11 *In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.*

GAVANTUS.

Causam habes *ex Clemente supra num.* 2.

Excipitur Dominica Passionis, in qua duæ tantum dicuntur, ob rationem supra allatam *num.* 8. item Dominica Palmarum, in qua una tantum Oratio, *tit.* 7. *num.* 1. item Dominica in Albis, quæ unicam habet Orationem, quia ejus Officium est Duplex.

RUBRICA.

12 *In Festis Simplicibus, & Feriis per Annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus: aut (f) quinque, possunt etiam (g) septem ad libitum.*

GAVANTUS.

Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus, nisi ob Commemorat.

(f) *Quinque*. Propter quinquepartitam Christi Passionem. *Microl. cap.* 4.

(g) *Septem.* Quia Christus in Oratione Dominicali septem instituit petitiones; *Microl. ut supra;* vel ob septiformis gratiæ Spiritum. *Innocent. III. lib.* 2. *cap.* 27.

Plures etiam possunt dici, sed tædio essent audientibus; *Ex Microlog. loc. cit.* Contigit Romæ ann. 1628. in Ecclesia Anglorum dici octo Collectas de præcepto: nimirum de Festo Sancti Sylvestri, de Dominica infra Oct. Nativit. de quatuor octavis, de quinta octava S. Thomæ Titularis, & ultimam jussu Pontificis, *Deus refugium.*

Ad libitum vero hoc loco non significat, quod quascumque velis Orationes dicas; sed eas prius, quæ in Rubricis assignantur pro secunda, vel tertia; & tunc supra illas, quæ tibi magis placent, addere poteris alias cum debito ordine & numero.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

XI. Gav. *Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus, &c.*) Hujusmodi Orationum, quæ etiam Collectæ appellantur, quia dicebantur quando Populus congregabatur in Ecclesiis ad eas dicendas, juxta antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem; una tantum dicebatur, sicut unus dicebatur Introitus, unica legebatur Epist. & unicum Evangelium; ut referunt Innocent. III. *lib.* 1. *cap.* 27. & Radulphus Tungrensis *prop.* 13. Verum idem Innocentius, necnon Micrologus *cap.* 4. asserunt, quod suo tempore dicebantur semper tres, aut quinque, aut septem Collectæ in honorem SS. Trinitatis, vel Resurrectionis J. C., vel in Commemorationem quinque plagarum Christi Domini; & septem, ad obtinenda septem dona Spiritus Sancti. Sanctus Carolus etiam in primo Mediolanensi Concilio prohibet: *Ne plures tribus, vel ad summum quinque Orationes .... dici possint, nisi ibi Ecclesiæ institutum aliud postulet:* & in suis instructionibus pro Missæ celebratione, statuit, ut cum plures sunt Orationes, aut Collectæ, numero dispari recitentur, & septem non

excedant. Porro hæc Orationum multiplicatio in Monasteriis cœpisse videtur: etenim in Concilio Matisconensi, anno 627. celebrato, Agrestinus Monachus Luxoviensis, Sancti Columbani Regulam superstitionis accusans, inter cætera, quæ viro sanctissimo objecit, unum erat, quod Missarum Solemnia contra institutum Ecclesiæ morem multiplicatione Collectarum celebraret. Agrestinum tamen confutavit ejusdem Monasterii Abbas Eustathius his verbis, in eodem Concilio relatis: *Multiplicationem Orationum in Sacris Officiis omnibus proficere Ecclesis: quia dum plus Dominus quæritur, plus invenitur, & cum uberius Oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur.*

Circa numerum talium Orationum in Missis dicendarum, debent impræsentiarum a nobis exacte servari regulæ a Rubricis; & a S. R. C. præscriptæ, inter quas habetur, quod in Dominicis per annum, in Festis Simplicibus, & Feriis, non dicantur minus quam tres Orationes, ut in Semiduplicibus, in quibus, ut notat postea Gavantus, non debent dici plures, nisi facienda sit aliqua Commemoratio. Unde in Semiduplicibus non potest augeri numerus Orationum ad libitum Celebrantis: quinque tamen, aut septem, ait Turrinus *part. 2. sect. 2. cap. 2.* possunt dici in Simplicibus, & Feriis; non quatuor, aut sex, nisi ubi numerum talem exigerent Commemorationes. Non est igitur præscriptum a Rubricis, quod semper in Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis, Orationes, quæ dicuntur in Missa, debeant esse impares numero; & hoc declaratum est a S. R. C. 2 *Decembris* 1684. in Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 476. ut supra etiam de hoc locuti sumus.

Præterire non debemus, prædictas Orationes collocandas esse servata earum dignitate, ut præscribit Rubrica; & ex solo Missali esse desumendas, videlicet, aut de tempore, aut de proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex Orationibus diversis post Missas Votivas, non ex aliis libris: quia sunt quidem aliquando ad arbitrium Celebrantis, quoad numerum, non quoad acceptionem; quia nunquam potest Sacerdos eas depromere, unde maluerit, sed ex Missali tantum, ut colligitur *ex Rubrica 7. hujus primæ partis n. 5.*

RUBRICA.

13 *In feriis Quatuor Temporum, & ubi plures leguntur Lectiones hujusmodi, plures Orationes dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in proprio Missarum de Tempore.*

GAVANTUS.

Leguntur enim plures Lectiones in Feriis quartis, & Sabbatis Quatuor Temporum. Præterea in Feria quarta ante Sabbatum, *Sitientes*, Dominica Quadrages. & in Feria quarta mensis hebdomadæ. Quia vero Epistola magis attinet ad Sacrificium Missæ, quam Lectiones præcedentes; idcirco multiplex Oratio, quæ ad Sacrificium propius accedit, immediate ante Epistolam collocari debet.

RUBRICA.

14 *In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur tantum una Oratio; sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis dicuntur plures, ut in Festis Simplicibus.*

GAVANTUS.

Unitas Orationis dicit, & significat Solemnitatem, ut in Duplici patet. In Missa vero pro gratiarum actione additur alia sine distinctione a prima, *ut notavimus supra tit. 7. num. 7. & asserit Burchardus.*

In votivis Privatis secunda Oratio est, de quo fit Officium; tertia erit, quæ secundo loco dicitur in Missa de Officio, exceptis votivis iis, de quibus numero sequenti, oratio pro gratiarum actione tertio loco dicitur.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

XII. Nonnulla essent hic addenda Gavanti Commentario: sed quia ea, quæ spectant ad Missas Votivas, omnia tradidimus, & quidem fuse in nostris Additionibus, & observationibus ad Commentaria Gavanti in titulum, seu Rubricam quartam hujus *primæ partis*, quæ est de Missis votivis, idcirco videantur quæ superiori dicto loco a nobis addita sunt.

RUBRICA.

15 *In Votivis Beatæ Mariæ, secunda Oratio dicitur de Officius illius diei, & tertia de Spiritu Sancto; sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia, Ecclesiæ tuæ, vel pro Papa.*

(h) *In Votivis de Apostolis, quando ponitur Oratio, A cunctis, ejus loco dicitur Oratio de Sancta Maria, Concede nos famulos.*

GAVANTUS.

Orationem de Spiritu Sancto convenire Missæ B. V. diximus *hoc eod. tit. num.* 9. & semper dicitur, quia est Rubrica generalis, etiam tempore Adventus, Passionis, & Paschali, in quibus assignatur aliis Missis Oratio *Ecclesiæ*, vel *pro Papa.*

(h) *In Votivis de Apostolis, &c.* Non dicitur Oratio *A cunctis*, ne fiat nova mentio Apostolorum Petri & Pauli: nam de his Apostolis tantum Rubrica loquitur. Ne vero pereat deinde memo-

ria B. V. quæ habetur in omissa Oratione *A cunctis*, dicitur ejus loco *Concede*, de Sancta Maria.

In aliis autem temporibus, quando non dicitur *A cunctis*, nulla accidit mutatio.

Quæres: an similem ob causam in Missa votiva de Patrono, seu Titulari, qui nominatur in litera N. in Oratione *A cunctis*, debeat fieri similis mutatio Orationum? Resp. satis esse in eo casu, vel tacere in oratione *A cunctis*, nomen Patroni, seu Titularis, ne de eodem bis fiat mentio in Collectis; vel nominare poteris vice illius alium pro tua devotione.

RUBRICA.

16 *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri (i.) Commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ alias secundo loco dicenda erat.*

GAVANTUS.

(1) *Commemorationem.* Intellige hic Commemorationem Sancti, non ad libitum Sacerdotis, sed eam, quæ facta est in Officio, ut in Sabbato, quando fit Officium B. M. V. cum Commemoratione Festi Simplicis; tunc enim oratio de Spiritu Sancto erit tertio loco dicenda; quod valet etiam in Missis non votivis, ut dictum est supra *tit. 7. num.* 3.

Atque hinc ille Ritus non satis placet dicendi quatuor orationes in Dominicis, & Feriis Quadragesimæ. Prima de Feria, secunda de Vigilia, vel Festo Simplici, tertia *A cunctis*, quarta *omnipotens*.

Accidit etiam a Superiore decerni pro publica causa quotidie dicendam Orationem *Deus refugium nostrum*, seu aliam; & tunc vel dicitur loco tertiæ ad libitum, vel additur uti Commemoratio in Duplicibus, Semiduplicibus, & Dominicis. Sacra Rituum Congregatio *die* 28. *Augusti* 1627. omitti decrevit regulariter prædictam orationem in Festis primæ Classis; in aliis vero secundæ Classis communior usus insigniorum Ecclesiarum Urbis est, ut neque dicatur in Missis Privatis, nedum in Solemni, a qua sola excluditur Commemoratio de Festo Simplici: quæ consuetudo mihi placet.

* Ita vero addatur hæc oratio, ut nulla omittatur ex iis, quæ in Missali cuique Missæ singillatim, & nominatim assignantur: Immo in iis, in quibus tertia est ad libitum, potes eam dicere, & addere *Deus refugium*: ea ratione tamen, ut serves debitum numerum, videlicet quatuor in Dominicis, & Semiduplicibus; & quinque in Simplicibus, Ferialibus, & Votivis, juxta superiorem Rubricam *num.* 1.

In Missa de Sancto, qui titulus est Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, sed Missa tantum ad ejusdem Altare, in die Festo illius (quia non debet omitti oratio ejus, de quo fit Officium) convenit, ut tertia sit oratio, quæ tunc temporibus secundo loco dicenda foret; est enim hæc Missa ex votivo, quia discordat ab Officio, ex festivo, quia eo die obiit Sanctus, de quo Missa: & ideo dicitur in ea Hymnus Angelicus, ut supra diximus.

RUBRICA.

17 *In conclusione Orationum hic modus servatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, Per Dominum nostrum, &c. Si ad Filium, Qui vivis & regnas cum Deo Patre. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur, Per eundem Dominum nostrum. Si in fine Orationis, ejus fiat mentio, Qui tecum vivit. Si facta sit mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur, in unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c. Alia quoque in dicendis Orationibus serventur, quæ superius in Rubrica de Commemorat. dicta sunt.*

GAVANTUS.

Oratio ad Patrem ut plurimum dirigitur, juxta doctrinam Christi, *Matthæi* 6. & *Joann.* 16. & *ex Decreto Carthag. Conc. cap.* 23. & tunc conclusio fit hoc modo: *Per Dominum nostrum J. C.* quod sumptum est ex Epist. ad Rom. 5. *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 26. Raro ad Filium dirigitur, nec antiquitus, ut notat *Bellarm. de Missa lib.* 2. *c.* 16. ut Filius etiam credatur Deus: & eo casu sit, *Qui vivis & regnas.* Nunquam de facto ab Ecclesia ad Spiritum Sanctum in Missa Collecta dirigitur; quia donum est, & a dono non petitur donum, sed a donatoribus, a quibus ille procedit, *Durand. lib.* 4. *cap.* 15. diriguntur tamen Hymni, & sequentiæ ad eum; & possent etiam dirigi Collectæ, quod Ecclesia non fecit adhuc.

Reliqui conclusionum modi per se patent, & qua de causa variandi, ut nimirum concinnant sensui Orationis ultimæ, *ex Nov. de Orat. cap.* 19. *num.* 169. quam concludunt. Si ad ipsam Trinitatem dirigitur oratio, dicitur: *Qui vivis, &c.* ne videatur separari Christus a Trinitate.

Hoc autem est commune omnibus conclusionibus, ut mentio in iis fiat semper Sanctissimæ Trinitatis; ut intelligamus, nullum fieri præjudicium reliquis Divinis Personis, quæ in oratione taceri videntur, dum consummatio ostendit, nullum esse discrimen in Trinitate. *Fulgent. l.* 2. *ad Monimum quæst.* 1.

In unitate Spiritus Sancti Deus, ita legendum esse, non autem præponendam vocem *Deus*, tradit ex Romana auctoritate *Radulph. propos.* 23.

Additur *Amen* in fine, ut communem orationem, quam Sacerdos obtulit, omnes confirment.

Idem ibidem; meminitque hujus Ritus respondendi *Amen*, *S. August. epist.* 178. & *tract.* 41. *in Joan.* & quia vox Hebræa est, quæ significat

ficat apud nos idem quod *fiat*, in precationibus usurpata est Apostolorum tempore, 1. *Cor.* 14. tam a Græcis, quam a Latinis, numquam fuit immutata, uti alia etiam retinentur Hebræa ob causas paulo infra recensendas. Significat etiam, *Verum est*, *Orig. tract.* 33. *in Matth. Ambr. de iis, qui initiantur Mysteriis lib.* 1. *cap.* 9. & in hoc sensu concordat *Amen* cum Orationis potius conclusione, quam cum Oratione: quasi affirmet Populus, verum esse, regnare Deum in unitate Spiritus Sancti. *Innocent.* III. *lib.* 2. *cap.* 26. *Durand. lib.* 2. *cap.* 17.

Notat *Navarrus de Oration. cap.* 19. *num.* 171. conclusionem abbreviari, & dici: *Per Christum Dominum nostrum*: quod in Canone fit, quando scilicet non præcedit, inquit ille, *Dominus vobiscum*: quod verum est plurimum, non autem semper.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

XIII. Gav. lit. 1 — *Et tunc conclusio sit hoc modo: per Dominum nostrum Jesum Christum.*) Hæc Orationis clausula vetustissima est, & jam Sæculo VI. a tota Africana Ecclesia usurpabatur: etenim Sanctus Fulgentius in Epistol. ad Ferrandum Diaconum hæc habet: *in Orationibus Sacerdotum: per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti: per universas Africæ regiones Catholica dicere consuevit Ecclesia.* Dicimus autem, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; ut sciamus nos per Filium accipere quidquid nobis datur a Patre; & ut pareamus Christo jubenti Evangelio Joannis *cap.* 15. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hinc celebris illa Optati Milevitani sententia adversus Donatistas *libro* 3. *Paganum vocat eum, qui Deum patrem per Filium ejus ante Aram rogavit.* Placet referre observationem Micrologi *cap.* 6. qui contendit conclusionem ita exprimendam esse, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit & regnat Deus:* & postpositionem hujus vocis *Deus*, his verbis *Spiritus Sancti*, tunc fuisse recentem. *Sciendum*, inquit, *in illa usitata conclusione per Dominum nostrum, quod Romanus Ordo, & antiquissima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur; qui tecum vivit, & regnat Deus. Quod tamen Moderni post nomen Spiritus Sancti subjungere solent: & hæc utique consuetudo etiam apud Romanos usquequaque adeo invaluit, ut antiqua traditionis executio jam non sine scandalo locum habere possit.* Hæc Micrologus, cujus acriorem censuram probare non possum: sive enim postponatur, sive præferatur nomen *Deus*, nequaquam conclusionis sensus levi illa mutatione corrumpitur; nec illum scandalum parere potest. Certe etiam tunc Ecclesia Romana modum a Micrologo reprehensum observat: & nescio, an præter Ambrosianam Ecclesiam antiquior ille modus alibi observetur.

XIV. Gavant. lit. i. — *Reliqui conclusionum modi per se patent.*) Ut breviter exponamus modum concludendi Orationes, advertimus cum supradicto Gavanto, Bisso, *lit. C. num.* 410. §. 3. Hyppolyto a Portu *de Cultu Dei, & hominum ad tit.* 5. *Rubr.* 1. *in suis adnotat. num.* 16. advertimus, inquam, quod in Oratione ad Patrem directa, si nominetur Filius, dicitur in conclusione Orationis *per eundem Dominum*, nisi nominetur in fine Orationis; siquidem tunc dicitur *Qui tecum, &c.* si nominetur Spiritus Sanctus Sanctus in Oratione, dicimus *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus*, etiamsi nominetur in medio alicujus Orationis. Addit Bissus *loco cit.* quod si contingeret, ut duæ, vel plures Orationes essent unica conclusione terminandæ, tunc in conclusione sit dicendum: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.* licet Spiritus Sanctus non esset nominatus in ultima Oratione, sed in alia antecedenti: pro qua re affert exemplum Missæ pro gratiarum actione, in qua dicuntur duæ Orationes sub unica conclusione terminatæ; & in hac conclusione dicitur *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.* licet Spiritus Sanctus nominetur tantum in prima Oratione; huic tamen sententiæ Bissi obstare videtur Decretum allatum in nostro Indice *sub num.* 696.

XV. Gav. *Si ad Trinitatem dirigatur Oratio.*) Quamvis Gavantus dicat terminandam esse orationem *Qui vivis & regnas, &c.* nihilominus Bissus supra §. 6. advertit esse attendendum modum, quo Personæ in illa oratione nominantur, & ita dicendum: *per eumdem Dominum nostrum, &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c.* vel *per Christum, &c.* Exemplum adducit illius orationis *Suscipe Sancta Trinitas*, quam lotis manibus dicit Celebrans in Missa; in qua, quia peculiariter exprimitur nomen Filii, concluditur *per eundem Dominum nostrum.* In alia vero oratione, quam Celebrans dicit, dicto *Ite Missa est*, nempe *placeat tibi Sancta Trinitas;* quia nulla Persona specialiter exprimitur, idcirco concluditur *per Christum Dominum nostrum.*

XVI. Gav. *Additur Amen in fine.*) De hac voce *Amen*, quæ dicitur in fine orationis; nisi aliter præscribatur a Rubrica, erudite discurrunt Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. Grancolas *Tract. de Missa pag.* 36. Sicut etiam *in lib. de antiq. Liturg.* ubi pariter agit de Collectis, & orationibus, quæ in Missa dicuntur. Ita etiam de prædicto verbo *Amen*, tractat Bissus *lit. A num.* 310. §. 1. ubi asserit hoc verbum dici in fine orationis ex Decreto Anacleti Papæ; ut refert Hugo Victorinus *l.* 2. *cap.* 11. Verum id prædicto Anacleto confirmante, non vero primum statuente: nam de hujus vocis usu post orationem loquitur Apostolus 1. ad Corint. *cap.* 14. Videri etiam potuerunt antiquissimi PP. Justinus Apolog. 2. Dionysius Alexan. Ep. ad Sixtum, apud Euseb. Cyrill. Hierosol. Catech. 5. mystag. Hieronymus in præfat. *lib.* 2. Commen-

mentar in Epistol. ad Galat. Augustin. *lib.* 2. contra epist. Parmeniani *cap.* 7.

De Epistola, Graduali, Alleluja, & Tractu, ac de Evangelio. X.

RUBRICA.

1. *Post ultimam Orationem dicitur* (k) *Epistola: qua finita, a Ministris respondetur,* (l) *Deo gratias. Et similiter, quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur Deo gratias, præterquam* (m) *in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis quatuor temporum,* (n) *& in fine Lectionum Feria sexta in Parasceve, & Sabbati Sancti.*

GAVANTUS.

(k) *Epistola.* Sonat Epistola supermissionem, seu supererogationem, quia litteræ, quæ mittuntur, habent aliquid supra id, quod viva voce nuntius refert: ideoque Epistolæ vocantur.

Est igitur Epistola missa supra, sive ultra Testamentum vetus, & Evangelium. *Alcuin. de Divi. Officiis.* Auctores legendi Epistolam in Missa fuere Apostoli, & habetur in Liturgia S. Petri: tum successores Apostolorum *ex Can.* 10. *Apostol. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. *Clem. lib.* 2. *Constitut. cap.* 57. Alexander autem Papa, qui dicitur Auctor *ab Honor. in Gemma cap.* 88. fortasse Decreto Ritum stabilivit. Ante Anastasium Paulus tantum legebatur *ex Demochare tom.* 4. *cap.* 15. deinde vero non solum Pauli legebantur Epistolæ, *Walafridus Strabo c.* 22. sed etiam aliorum Apostolorum, & Prophetarum; quod clare asserit *S. Justin. Apol.* 2.

Porro per totum anni curriculum ex Prophetis, & Apostolis collegit, & ordinavit Epistolas, & Lectiones S. Hieron. *in lib. qui dicitur Lectionarius, vel Comes S. Hier.* ut docet *Berno cap.* 2. Damaso approbante, *ex Radulph. propos.* 23. eo fine, ut per Lectionem præparemur ad Mysteria, *ex Cabasila, pag.* 22.

Et in Lectionibus quidem veteris Testamenti initium esse solet, *In diebus illis:* finis autem, *ait Dominus omnipotens:* quia in libris illis hæc sæpe sunt in usu. Titulus etiam Sapientiæ communis est Lectioni Proverbiorum, Canticorum, & Ecclesiastici: quia hi libri dicuntur Sapientiales, ex SS. Patrum antiquo usu, & Ritu. In Epistolis vero Pauli eadem de causa fit initium ab ea voce *Fratres;* & finis est *In Christo Jesu Domino nostro.* In aliis item Apostolicis Epistolis ob eandem causam utimur initio voce illa *Charissimi*, usitata a Petro, & Joanne in suis Epist. *Durandus lib.* 4. *cap.* 16.

Certe in Dominicis Epistola solet de novo Testamento, quia Dominicus dies Resurrectionem Domini, & tempus gratiæ repræsentat. *Durandus lib.* 2. *de Rit. cap.* 18.

Sed cur ante Evangelium legitur, cum sit minoris dignitatis? Primo quia designat Officium Joannis Baptistæ, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 32. qui fuit utriusque Testamenti, quorum sunt Epistolæ. *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 29. Deinde *ex Alcuin.* mos fuit Apostolorum, ut bini ante Dominum irent *Luc.* 10. Tertio *ex Walafr. loc. cit.* ut animus audientium a minoribus ad majora sentienda proficiat, & gratiam ab imis ad summa conscendat. Alias duas causas lege apud *Durand. loc. cit.* quæ minus mihi placent.

(l) *Deo gratias. Burchard.* Augustini Sæculo consueverunt dicere Monachi, cum hominibus occurrebant: *Deo gratias*, quod ipse scribit *August. ad Psalm.* 132. adeo erat tunc in Missa, & Officio usitatum. Gratias autem agimus Deo, quod Doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, *ex Ruperto lib.* 1. *de Divin. Offic. cap.* 14. Si Pauli erat Epistola, dicebatur in fine, *Pax tecum, ex August. epist.* 163.

(m) *In fine quintæ Lectionis.* Omittitur responsio Ministri, ne interrumpatur Textus, & sensus, ut ibidem legenti patet.

(n) *Et in fine Lectionum, &c.* Sunt hi dies luctus, in quibus abstinemus etiam a *Gloria Patri, &c.* & similibus loquendi modis festivioribus.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. lit. K — *Actores legendi Epistolam in Missa fuere Apostoli, &c.*) Ritum hunc legendi Epistolam, seu Lectionem aliquam Sacræ Scripturæ, ab Apostolis derivasse certissimum est, ut etiam asseverat Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Antonius Bellotte in suis observationibus *p.* 366. Grancolas *in tract. de Missa pag.* 37. *& de antiq. Liturg. pag.* 504. Præfatus Bona notat, quod antiqui Codices Sacramentorum tam editi, quam MSS. *Post Collectam*, asserunt, *sequitur Apostolus*, id est Lectio ex Apostolo: tametsi enim ipsa Lectio ex aliis quoque libris veteris, & novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex Apostolo Paulo accipitur; ac propterea solius Apostoli, in prædictis Codicibus fit mentio, & in ipsis Epistolis, Apostolus appellatur.

Ratio autem cur in Missa legatur Epistola ante Sacrificium, est, quia hoc Sacrificium est Mysterium Fidei, ut dicitur in forma Consecrationis Calicis; & ideo conveniens fuit, ut præcederet Instructio Fidei per Lectionem prophetarum, & Apostolorum. Quare Concilium Carthaginense 4. *Can.* 84. & refertur in *cap. Episcopus de Consecratione distinct.* 1. sic statuit — *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum* — Rationem hujus Decreti reddit D. Thomas *part.* 3. *quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 4. quia in ea parte Missæ continetur instructio Populi. Persicus *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. §. 1. *de Epistola.*

Obser-

Observandum occurrit in his Sacris Lectionibus, quod quando hæ desumuntur ex Libris Moysi, vel Salomonis, de eorum nominibus non fit mentio. Ideo autem reticetur nomen Moysi in Lectione libri Genesi, v. gr. quia Dominum exacerbavit, quia hæsitavit ad aquas contradictionis. De Salomone tacetur nomen, quia deceptus fuit a mulieribus, & propter infamiam Idololatriæ. Ita sentit Joann. Baptista de Rubeis *in suo novo Rationali Div. Offic. libr. 2. cap.* 28. Verum genuina ratio esse videtur, quia illis libris in Sacris Bibliis nomen Moysi, & Salomonis non præfertur.

In Missa Solemni cantatur Epistola a Subdiacono; quamvis in antiqua Subdiaconi Ordinatione, sive ex Concilio Carthaginensi, sive ex Aquisgranensi, sive ex Ordine Romano, nihil prorsus reperiatur, quod ad legendam Epistolam referri possit, ut fusius ostendunt Hallier *de materia, & forma Ordinationis*, §. 16. *num.* 46. & Morinus *de Sac. Ordinat. part.* 3. *exerc.* 12. *c.* 3. Lector autem olim per traditionem Codicis ordinabatur: qui Ritus adhuc hodie perseverat; & in Ecclesia Orientali traditur eis Codex Epistolarum S. Pauli, quas publice legunt in Ecclesia. Quo vero tempore cœperint Subdiaconi legere Epistolam, dubium est. Existimant aliqui Sæculo octavo hoc contigisse: nam Amalarius, qui initio Sæculi IX. claruit *lib. 2. cap. 11. Miror*, inquit, *de re sumptus sit usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime*, non ergo semper, *legat Lectionem ad Missam; cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in Consecratione commissum: neque ex literis Canonicis, neque ex nomine suo.* Et in fine capitis subdit: *Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt ut Subdiaconus legeret Epistolam, vel Lectionem.*

At quando id statutum fuerit, non dicit *Amalar.* Quare Card. Bona de rebus Liturg. *lib. 2. cap.* 6. *num.* 3. existimat antea cœpisse Diaconos legere Evangelium, quam Epistolam Subdiaconos. Certum tamen videtur, Subdiaconos jam a Gregorii Magni temporibus in Ecclesia Romana Epistolam recitasse: quippe Gregorius ipse in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Evangelicæ Lectionis officium inter Missarum solemnia exsolveret; Psalmos vero, ac cæteras Lectiones Subdiaconi recitarent. Videatur Epist. 44. libri 4. veteris editionis.

Huc spectat sequens Decretum, nimirum — Quod deficiente Subdiacono pro Missa Solemni, data necessitate potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo. Ita S.R.C. die 6. Julii 1698. & datur in nostro Indice *sub num.* 330.

Cæterum de Ritu, & antiquitate canendi Epistolam in Missa Solemni, & eam dicendi in Missis Privatis, tractant erudite supra allegati Auctores, nimirum Card. Bona, Bellotte, Grancolas, & præter istos Hugo Menardus *in not. & observ. in libr. Sacram. S. Gregorii Papæ pag.* 7. necnon Jo. Anton. Pallotta *lib. 2. cap.* 12. qui etiam agunt de illis verbis *Deo gratias*, quæ Minister profert post lectam Epistolam a Sacrdote in Missa Privata, vel ab Acolytho, submissa voce, post cantatam Epistolam in Missa solemni.

RUBRICA.

2 *Post Epistolam dicitur* (o) *Graduale, quod semper dicitur* (p) *præterquam Tempore Paschali, cujus loco tunc dicuntur duo versus, ut habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.*

GAVANTUS.

(o) *Graduale.* Seu Gradale: *Radanus lib. 1. cap.* 33. eo quod cantabatur in inferiori gradu, *Ordo Rom.* vel juxta gradus pulpiti, in quo legebatur Evangelium, *Raban. ibidem;* vel quia cantabatur, dum Diaconus ascenderet gradus pulpiti Evangelici *ex Walafrid. cap.* 22. *Rhenano ad Tertull. de cor. milit.* vel in gradibus Altaris: *Durand. lib. 4. cap.* 19. Cantari autem cœpit auctore Cælestino Primo, *ex Sigebert. ann. Domini* 426. *& Rupert. lib. 2. de Div. Offic. cap.* 21. Ambrosius composuit *ex Radulph. prop.* 23. Gelasius, & Gregorius item, *ex Durand. loc. cit.* appellantur in Antiphonario. Gregor. *Responsoria.*

(p) *Præterquam tempore Paschali.* Quia *ex Rupert. lib. 1. cap.* 34. Graduale lamentum indicat, & laborem, quæ non congruunt cum tempore summæ lætitiæ Paschalis. Summa vero fuit lætitia post recuperatum Thomam in Dominica in Albis, in cujus Sabbato ideo cessant Graduala: eorum autem loco dicuntur duo versus, qui nihil sinistrum, aut triste sonant. *Innoc. loc. cit. cap.* 33. quod si infra Oct. Pasch. Graduale dicitur, id fit propter recenter Baptizatos. *Rubr. lib. 8. cap.* 1.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

II. Rubr. & Gav. lit. o — *Graduale, &c.*) Gradualem idem sonat ac Gradale, & componitur ex aliquibus versibus, qui semper dicuntur in Missa post Epistolam, excepto tempore Paschali: tunc enim dicuntur duo versus cum quatuor *Alleluja*, ut notatur in Missali in Sabbato ante Dominicam in Albis. Tempore autem Paschali omittitur Graduale, quia hoc est signum doloris, & laboris: illud vero tempus exultationis. Rupertus Abbas *lib. 1. cap.* 34. nec obstat quod Graduale dicatur a die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis exclusive: tunc enim dicitur pro renatis fonte Baptismatis, ut intelligant, ac discant, quod in vocatione, qua vocati sunt, laborare, & continuo se se exercere debeant. Ex eodem Ruperto *lib. 8. cap.* 1. Sed advertendum est, quod licet in-

infra Octavam Paschæ dicatur Graduale in Missa de tali Octava; nihilominus, si pro re gravi cantaretur aliqua Missa Solemnis Votiva, tunc post Epistolam talis Missæ non esset dicendum Gradale; sed loco illius, duo versus talis Missæ convenientes cum quatuor *Alleluja*. Ita Bissus *lit. G. num.* 54. §. 2. & *seqq.*

Dicitur autem Gradale, seu Graduale, ex loco, ubi cantabantur olim dicti versus, nimirum a gradibus vel Altaris, ut ait Gavantus supra; vel quia cantabantur juxta gradus ambonis, sive editioris suggesti, quos ascendebat Diaconus, ut pergeret ad cantandum Evangelium. Ita Rabanus *lib.* 1. *cap.* 33. Cantantur autem eo tempore in Missa Solemni dicti versus intitulati *Gradale*, seu *Graduale*, ne in silentio vacet totum illud tempus, antequam cantetur Evangelium. Ita Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 16. *de Missa.* Romæ præfatum Graduale solet a Cantoribus celerius, seu tardius cani, ut respective ad functiones Diaconi commensuretur.

Nomen Responsorii accepit dictum Gradale, sive Graduale, vel quia Lectioni Sacræ Scripturæ convenire, & correspondere debet: vel quia uno canente, Chorus consonando respondet; antea autem id solus quisque agebat; nunc vero unus interdum, interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro in plurimis respondente. Ita Vener. Cardinal. Thomasius *in præfatione antiq. librorum Missarum pag.* 21. ubi affert etiam textus variorum Ordinum Romanorum, in quibus describuntur varii modi pro diversitate temporis cantandi Responsorium, seu Graduale Missæ. Asserit Isidorus *lib.* 1. *cap.* 8. *de Eccles. Officiis*, Responsoria ab Italis inventa esse; sed a quo præcise, & quo tempore instituta sint, incertum est. Sunt qui eorum auctorem adstruunt fuisse Cælestinum: alii vero Gregorium Magnum. De Gregorio certissimum est quod in suo Antiphonario per ordinem digessit, quæ in singulis Missis per annum cantari solent ad usum psallendi, vel aliquos Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum inter Epistolam, & Evangelium: verum multo antiquiorem Gregorio fuisse saltem in Africa, ex Augustino clare ostenditur initio sermonis 33. Cætera quæ pertinent ad sacram eruditionem prædicti Gradualis in Missa dicendi, tradit Cardinalis Bona *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. nec non Cardinalis Thomasius, qui pariter pererudite discurrit de dicto Graduali in citata præfatione præfixa *suis antiquis libris Missarum, pag.* 21. *usque ad pag.* 29. & in alia præfatione alterius sui operis, cui Titulus *Responsalia, & Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ pag.* 4. *& seqq.* Præterea agunt etiam de hoc Graduali Hugo, Menardus, Antonius Bellotte, & alii Auctores a nobis superius citati in Observationibus ad Rubricam superiorem de Epistola.

RUBRICA.

3 *Post Graduale dicuntur* (q) *duo Alleluja, deinde Versus & post Versum, unum Alleluja. Tempore Paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud Alleluja, post secundum Versum: & quando dicitur* (r) *Sequentia, non dicitur post ultimum Versum, sed post Sequentiam.*

GAVANTUS.

(q) *Due Alleluja.* Usurpatur *Alleluja* in Liturgia S. Petri hoc loco. Post luctum lætitia sequitur, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 35. & peregrina vox est, ut idem ait, ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in Cælesti Jerusalem nos manet: est enim vox Hebræa, quæ significat, *laudate Dominum*, *August. in Psalm.* 118. cum plenitudine tamen gaudii, & exultationis, auctore *S. Thoma post Gloss. in cap.* 19. *Apoc.* unde & in diebus mœroris omittitur. *S. German. in Theoria* explicat, *Al*, id est venit: *El*, Deus, *via*, laudate. Alias refert significationes *Durand. lib.* 4. *cap.* 20. Primam *ex Augustino*, Salvum me fac Domine. Secundam *ex Hieronymo*, Cantate laudem Domino. Tertiam *ex Gregorio*, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sed est *S. Germani loc. cit.* vel lux, vita, salus. Quartam *ex Petro Antissiodor.* Altissimus legatus est in Cruce, lugebant Apostoli, jam surrexit. In aliam linguam transferri non debet sicut nec *Amen*, propter sanctiorem auctoritatem, *Isidor. lib.* 1. *de Div. Offic. cap.* 13. nam de Jerosolymitana Ecclesia translata fuit ad Romanam a S. Hieronymo, jussu Damasi, ut docet *S. Greg. lib.* 7. *epist.* 63. qui & eandem vocem restituit *ex Cuper. lib.* 1. *cap.* 35. non simpliciter, sed instituit, ut caneretur etiam extra tempus Paschale; ut explicat *Baron. ex Augustino in Psal.* 106. *tum scribit de Damaso anno* 384. quod enim erat in usu Jesosolymis ante Damasum, & Damasus Romæ ordinaverat, fortasse deinde omissum fuerat usque ad tempora Gregorii: & sicut *Kyrie*, vox Græca, ita & *Alleluja*, vox Hebræa a Latinis usurpantur: ut omnis lingua in Missa confiteatur, quia Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 33.

Quod autem dicendum sit in Missa post Graduale, seu Epistolam, habetur *in Ordine Romano:* & geminatur ob geminam, quam expectamus, glorificationem animæ & corporis. Additur *versus*, & alterum *Alleluja*, quasi intermixtum sit Graduale, tum luctu, tum lætitia, ne deficiamus in hac vita ærumnarum plena. *Durand. loc. citato.* Quod dicitur de *Sequentia*, & *Alleluja* in hac Rubrica, habet *Burchard.* in ultimum locum prope Evangelium impleat *Alleluja.*

(r) *Sequentia.* Diximus *supra*, 1. *part. tit.* 5. vocari jubilationem ab Ordine Romano; & cur dicta sit Sequentia, docuimus *ibidem.* Primum ea-

earum Auctorem ferunt fuisse Abbatem Notgerum, seu Notherum Sancti Galli, & Nicolaum Papam eas approbasse; *Radulph. propos.* 23. Eas etiam fuisse in usu Romæ tradit *Walefr. Strabo capit.* 22. Verum SS. Ambrosio & Augustino adscriptas fuisse aliquas Sequentias scribit *Durand. lib.* 2. *cap.* 22. Pulchre igitur junguntur Sequentiæ cum vocibus *Alleluja* ad explicandam Paradisi lætitiam ineffabilem in Solemnioribus Festis, puta in Paschate, & Pentecoste; cujus Sequentiæ, *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus, &c.* auctor esse perhibetur Robertus Franciæ Rex, *apud Trithemium, & Durand. lib.* 4. *cap.* 22. *circa ann.* 105. vel Hermannus Contractus, *ex Ligno vitæ lib.* 5. *cap.* 70. In Festo Corporis Christi auctor est Sequentiæ S. Thomas Aquinas: quam tamen tribuit S. Bonaventuræ *Joan. Rioche lib.* 4. *compend. temporum cap.* 71. *col.* 3. sed primum puto verius. De Sequentia Paschatis mentionem suboscuram facit *Auctor Gemmæ Anim. lib.* 3. *cap.* 135.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

III. Gav. *Additur versus Alleluja, &c.*) Præterea, quæ tradit Gavantus in supradictis Commentariis, quoad ea, quæ spectant ad Sacram eruditionem dicti Hymni *Alleluja*, nonnulla exaravit Ven. Cardin. Thomasius in cit. præfatione præfixa suis antiquis libris Missarum *pag.* 29. ubi inter cætera dicitur Sozomenum *lib.* 9. *cap.* 39. *Historiæ Tripartitæ* asserere semel in anno, die ipso Paschæ tantum, *Alleluja* Romæ cantari solitum fuisse; cujus tamen dicta Card. Baronius ad diem 5. Aprilis pluribus Sancti Hieronymi testimoniis refellit: sed utriusque sententiam conciliare studet cit. Thomasius, dicendo, quod in die tantum Paschæ cantabatur quidem Ritu publico dictum *Alleluja*; cæteris vero diebus ex B. Hieronymi traditione quisque suo arbitratu, ut mallet, *Alleluja* cantare.

Cæterum Sæculo sexto jam ad Missas cantabatur *Alleluja* Romæ, non solum Paschatis die, sed per totam consequentiam dierum, Quinquagesimam Paschalem. Perlegantur reliqua, quæ cit. loco tradit Thomasius, & ea quæ pariter edidit Cardin. Bona *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. circa originem, & Ritum præfati Hymni *Alleluja.*

IV. Gav. lit. r — *Primum earum auctorem ferunt fuisse Abbatem Notgerum &c.*) Post *Alleluja* in aliquibus Festivitatibus dicitur Sequentia, quæ, ut ait Gavantus, vocatur Jubilatio ab Ordine Romano, & appellatur Sequentia, quia per cantus amœnitatem ad Sequentia præparat. Ita Hugo Victorinus *de Offic. Ecctes. cap.* 19. vel quia sequitur ad *Alleluja.* Dicitur etiam Prosa, quia caret lege metri; ut notat Cornelius Schulting. relatus a nostro Gavant. *tit.* 6. *hujus primæ partis lit.* e.

Quamvis Gavantus supra innuat primos auctores Sequentiarum, quæ aliquando dicuntur in Missa; nihilominus quibus auctoribus referendæ sint illæ Sequentiæ, quæ dicuntur in variis Solemnitatibus, adhuc incertum est; varii varia tradunt: videantur igitur Cardin. Bona *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 6. Bissus *lit. S. num.* 186. Grancolas *de antiq. Liturg. pag.* 511. Pallotta *cit. loc.* Marcellus de Cavallerius *in Statera Sac. tit.* 12. & Antonius Bellotte *in suis observat. pag.* 413.

RUBRICA.

4 *A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum* (s) *non dicitur Alleluja, neque dicitur in Missis de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur: exceptis Vigilia Nativitatis Domini* (t) *si venerit in Dominica, &* (u) *Vigilia Paschæ, & Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo* (x) *SS. Innocent.* (y) *nisi venerit in Dominica.*

GAVANTUS.

(s) *Non dicitur. Leo XI. de Cons. dist.* 1. *hi duo, & Concil. Tolet.* 14. *Can.* 10. prohibent in quadragesima dici. Vox enim tantæ lætitiæ audienda non est in diebus mœroris, & tristitiæ, cujusmodi sunt a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum; tum Feriæ Adventus, & quatuor Temporum; tum Vigiliæ, quæ jejunantur, *Alcuin. de Div. Offic. c. de Septuagesima.* Idem affirmat de Vigiliis *cap. de Fer.* 6. *in Parasc.* Stillicidium est enim *Alleluja* gaudii cælestis, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 35.

(t) *Si venerit in Dominica. Burcard.* quam nullo tempore jejunare, sed semper festivam esse, Dominicæ Resurrectionis auctoritas cogit. *Alcuin. l. c. de Feria* 6.

(u) *Vigilia Paschæ, &c. Burchar.* idem docet in duabus Vigiliis prædictis. In his autem solemnioribus diebus licet jejunemus, lætitiæ tamen plena sunt omnia in Divinis Officiis celebrandis.

(x) *Sanctorum Innocentum. Burchar.* propter plorationem Rachel, quæ in figura præcessit luctus Matris nostræ Sanctæ Ecclesiæ; aut quia tempus erat, quo tunc in Inferni claustra descendebant passi. *Alcuin. cap. Offic. Vir erat in terra.*

(y) *Nisi venerit in Dominica.* Quæ regina est dierum ob Domini Resurrectionem, *ex Ignat. supra cit. & Alcuin. supra de Fer.* 6.

RUBRICA.

5 *A Septuagesima usque ad Pascha, ejus loco dicitur* (z) *Tractus, qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, in suis locis ponitur,* (a) *nec dicitur in Feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando reperitur Missa Dominicæ.*

G A-

GAVANTUS.

(a) *Tractus.* De eo *in Ordine Roman.* Tractus autem, hoc est, luctus, *ex eodem Ordine Romano de Septuagesima*, a trahendo dictum est, quia tractim cantatur, *Alcuin. de Septuages.* & veluti tractæ voces lugubres gemitibus, & suspiriis admixtæ sunt, *Azor. lib.* 10. *cap.* 36. *quæst.* 8. Auctor tractuum, vel Cælestinus apud *Bernonem de Officio Missæ cap.* 25. vel Gelasius apud *Rupert. lib.* 2. *de Div. Offic. c.* 21. vel Telesphorus apud *Duran. lib.* 4. *c.* 21. vel hi omnes perfecere.

Humilitatis vero Tempore dici solet, & semper in causa humilitatis ponitur, *Amalar. lib.* 2. *cap.* 3. unde a Septuagesima ad Pascha locum habet Tractus: quia tunc mortem, quæ intravit in Mundum per invidiam diaboli, lugemus. *Rupert. lib.* 5. *cap.* 13. vel miseriam vitæ præsentis, *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 32.

(a) *Nec dicitur.* His certe diebus cantatur Tractus, quibus frequentior est Populus, ut ad luctum excitetur, nempe Dominicis diebus, & in Quadragesimæ Feriis secundis, quartis, & sextis, *Duran. lib.* 4. *c.* 21.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

V. Gavant. lit. 2. — *Tractus dicitur a trahendo.*) Omnes Rubricarum interpretes conveniunt cum Gavanto, circa hujus nominis *Tractus* etymologiam, cum vere dicatur a trahendo: quia revera continuata serie modulationis (ut ait Card. Thomasius in præfat. superius cit.) unius Cantoris non interrupta responsionibus aliorum intercinentium perageretur: sic enim *tractim canere* dicitur cantor, quemadmodum Latini *tractim dicere*, *tractim tangere*, *&c.* a trahendo, scilicet in longum sine intermissione, non interrumpendo seriem orationis, aut percussionis, vel susurri. Amalarius *lib.* 3. *c.* 12. Hoc autem est discrimen inter Responsorium, & tractum, quod primo Chorus respondet, Tractui vero nemo. Ex eodem Amalario cit. ab eodem Card. Thomasio. Tractus totus dicebatur ab uno solo Cantore, qui erat diversus ab illo, qui cantabat Graduale, sive Responsorium.

Alia, quæ spectant ad originem, & Ritum prædicti Tractus, traduntur a cit. Cardin. Thomasio, necnon a Card. Bona *lib.* 2. *c.* 7. *pag.* 5. a Stephano Duranti de Ritibus Ecclesiæ *lib.* 2. *c.* 2. & a cæteris aliis Auctoribus, a nobis supracit. qui agunt erudite de omnibus Missæ partibus.

RUBRICA.

6 *Dicto Graduali, seu Alleluja, seu Tractu,* (b) *dicitur Evangelium*; (c) *& in principio Evangelii dicitur: Dominus vobiscum. Respondetur: Et cum spiritu tuo.* (d) *Deinde: Sequentia Sancti Evangelii secundum N. Respondetur:* (e) *Gloria tibi, Domine:* (f) *In fine Evangelii a Ministro respondetur, Laus tibi Christe. Quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Evangelii,* (g) *præterquam Parasceve. Postea si dicendum est, dicitur Credo.*

GAVANTUS.

(b) *Dicitur Evangelium.* Vox Græca, quæ latinitate donata sonat bonum nuntium, *Isidor. lib.* 1. *c.* 11. accipitur hic pro textu historiæ Evangelicæ, quem Apostoli in Missa legebant; quod *Schulting. part. cap.* 19. ex eo Pauli deducit, quod de Luca ait: *Cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Successores Apostolorum legi curarunt in Missa, ut testantur *Liturgiæ omnes, & Strabo c.* 22. Alexander Papa firmavit usum Decreto, *Radalph. propos.* 23. *& Gemma lib.* 1. *cap.* 88. est autem Evangelium principale omnium, quæ dicuntur in Missa: sicut enim caput corpori præeminet, & illi reliqua consentiunt; ita Evangelium se habet cum toto Missæ Officio, *Rupert. lib.* 1. *c.* 37. Verbum verbi est, Sermo sermonis, & Sapientiæ. *Innocentius III. lib.* 2. *c.* 47. Evangelarium per annum Hieronym. composuit, ex *Gemma lib.* 1. *cap.* 87. certas enim statas Lectiones Evangelicas legi testatur *Augustinus Prolog. in epist. Joann.*

(c) *Et in principio Evangelii.* Ita *Ordo Romanus*, ut Populus, ait, silentium præbeat, attentus, & benevolus fiat; quod ostendit ille per ea verba: *Et cum spiritu tuo:* quod notat *Rupert. lib.* 1. *c.* 36. nam & Apostoli salutabant primum dicentes: *Pax huic domui, Gemma lib.* 1. *cap.* 23.

(d) *Deinde Sequentia, &c. Ex Ordine Romano*, quo docilis etiam fit idem Populus. *Rupert. loc. citat.* Sequentia vero hoc loco est numeri pluralis, id est, ea quæ sequuntur in Textu Evangelistæ, *Durand. libr.* 4. *cap.* 23.

(e) *Gloria tibi, Domine. Chrysostom. in Liturgia.* Dicat qui promptior non est ut cum fructu capiat verba Evangelii, *Gloria tibi, Domine*, ita *Amal. lib.* 3. *cap.* 18. vel capiunt, Glorificent Dominum, qui mittit Verbum salutis; ut dicitur *Actorum* 11. *Rupert. lib.* 1. *cap.* 36. Vel Sapientiam, & sermonem Dei hunc esse, omnes nos credentes clamamus. *Gloria tibi Domine.* Ita explicat *Sanct. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum.*

Ante Textum Evangelii præmittitur: *In illo tempore:* præterquam quando est initium Evangelii, vel in primis verbis Textus describitur tempus proprium illius narrationis, ut *anno quintodecimo, Elisabeth impletum est, &c.*

(f) *In fine Evangelii* refert *Duran. lib.* 4. 24. varios Ritus: quidam dicebant *Amen.*, hoc est, verum vel fiat. Alii, *Deos gratias.* Alii *Be-*

ne-

meditus qui venit in nomine Domini. Nos Christum laudamus, de quo narratum est in Evangelio: sed verba non sunt antiquiora Burcardo, qui ea refert, & ante eum nemo.

(g) *Præterquam in Parasc.* quæ Christo fuit dies improperii, non laudis.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

VI. Rubric. & Gavant, lit. b — *Dicitur Evangelium, &c.*) Morem legendi Evangelium in Missa, antiquissimum esse, ab Apostolis derivatum, nemo est, qui in dubium revocet, cum omnes SS. Patres hanc veritatem contestentur; quorum auctoritates congerit Cardinalis Bona *lib.* 3. *cap.* 7. necnon Joseph Catalanus in suo recenti & erudito opere *de Codice Sancti Evangelii lib.* 2. *cap.* 1.

VII. Rubric. eadem littera b — *In principio Evangelii, &c.*) Evangelium, quod in Missa Privata legitur a Sacerdote celebrante, in Missa Solemni antiquitus legebatur ab aliquo ex Lectoribus, ad quos spectabat Divinæ Scripturæ Lectiones in Ecclesia recitare, ut tradit Sanctus Cyprianus *ep.* 34. qui Aurelianum, & Cælestinum Confessores ad Lectoris gradum, ut Evangelium legerent, evexerat. In Hispania vero id quandoque Subdiaconos præstitisse constat ex Concilii primi Toletani *Can.* 4. celebrati anno 491. Certum nihilominus est præsentem Ritum recitandi Evangelium a Diacono in Missa solemni antiquissimis etiam temporibus in Ecclesia, tam Græca, quam Latina viguisse: id enim statutum legimus *lib.* 2. *Constit. Apost. cap.* 57. & a Concilio Vasensi coacto anno 529. cujus Canon 2. hæc habet: *Si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare: SS. Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur: si enim sunt digni Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est, legere; quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publice recitare?* ejusdem antiqui Ritus mentionem facit Hieronymus in Epistola ad Sabinianum, ubi ait: *Evangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas*. Aliæ auctoritates, quibus confirmari potest hæc veritas, adducuntur a Cardin. Bona, & a Josepho Catalano, nec non a Bisso *tom.* 1. *litt. E. n.* 147. §. 1. *& seqq.*

Idem præfatus Bona observat cum aliis eruditis, quos suppresso nomine citat, solemnem hanc Evangelii lectionem, non fuisse olim tributam Diacono ex vi ordinationis: quamvis enim antiqui Sacramentorum Codices, Evangelii a Diacono lecti meminerint; numquam tamen in eorum ordinatione, traditum eis librum Evangeliorum apparet, nec ea verba prolata, quæ hodie in usu sunt: *Accipe potestatem, &c.* quæ forma deest etiam in antiquisimo Codice MS. Bibliothecæ Casanatensis, qui continet Ritus conferendi Sacros Ordines.

Cætera spectantia ad Ritus & Cæremonias adhibitas in cantando solemniter Evangelium a Diacono, quibus ornatus vestibus, qua in parte Ecclesiæ, quibus luminibus, quomodo prævia thurificatione, & alia hujusmodi, videri possunt apud cit. Auctores, nimirum, Cardin. Bona, Josephum Catalanum, Antonium Bellotte, Grancolas *loc. cit.* Martene *lib.* 1. *art.* 6. *de antiq. Eccles. Ritibus*. Solum hæc pauca hic lubet tradere, nimirum quod Diaconus priscis temporibus in ambone Evangelium legebat, erantque in Ecclesia pro viris & mulieribus loca distincta. Diaconus vertebat se versus Meridiem, ad partem scilicet virorum; at nunc vertitur ad Aquilonem: cujus mutationis causam & originem ex Missis Privatis processisse, in quibus Sacerdos non in ambone, sed in Altari versus Septemtrionem legit Evangelium, tradit Micrologus *lib.* 1. *cap.* 9. Hinc apparet quam verum sit, multa hodie pro Lege haberi in his, quæ pertinent ad Ecclesiasticas observationes, quæ partim ex abusu irrepserunt: quorum originem, cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias, & mysticas rationes invenire; ut ea sapienter instituta vulgo persuadeant. Porro isti, ut scite Hieronymus de Origene dixit: *ingenii sui adinventiones faciunt Ecclesiæ Sacramenta*: quibus autem cæremoniis impræsentiarum utatur Diaconus in Missa solemni, & Sacerdos in Missa Privata, quando legitur Evangelium, nos exacte tradimus, insistentes Gavanti vestigiis *in part. hujus sui Thesauri tit.* 6.

De Symbolo XI.

RUBRICA.

(h) *Symbolum dicitur* (i) *post Evangelium* (k) *in omnibus Dominicis per annum, etiamsi in illis fiat de Festo, in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet.* (l) *In tribus Missis de Nativitate Domini, & deinceps usque ad Octavam B. Joan. Apostoli inclusive.* (m) *In Epiphania & per Octavam. Feria quinta* (n) *in Cœna Domini.* (o) *In Paschate Resurrectionis, & per Octavam.* (p) *In Ascensione Domini, & per Octavam.* (q) *In Pentecoste, & per Octavam.* (r) *In Festo Corporis Christi, & per Octavam.* (s) *In omnibus Festis Beatæ Mariæ, & per Octavas.* (t) *In Festis duodecim Apostolorum, & Evangelistarum, & per Octavas.* (u) *In utraque Cathedra Sancti Petri, & in Festo S. Petri ad Vincula. In Festis Conversionis, & Commemorationis S. Pauli Apostoli. In Festo S. Joannis ante portam Latinam. In Festo S. Barnabæ Apostoli.* (x) *In Festis Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.* (y) *In Transfiguratione Domini.* (z) *In Festis Angelorum.* (a) *In Festo S. Mariæ Magdalenæ.* (b) *In Festis quatuor Doctorum, videlicet, Gregorii, Ambro-*

brosii, Augustini, & Hieronymi, addito Festo S. Thomæ de Aquino, & S. Bonaventuræ. Item in Festis Doctorum, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, & Joannis Chrysostomi. (c) *In die Octavarum S. Joannis Baptistæ, & S. Laurentii.* (d) *In Festo omnium Sanctorum, & per Octavam.* (e) *In Dedicationibus S. Salvatoris, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. In Anniversario Dedicationis propriæ Ecclesiæ, & per Octavam. In die* (f) *Consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris. In Festis Sanctorum,* (g) *quibus dedicata est Ecclesia, & ubi* (h) *habetur Corpus, vel insignis Reliquia Sancti de quo agitur. In die Creationis, & Coronationis Summi Pontificis, & in Anniversario ejusdem diei. In die, & in Anniversario* (i) *Electionis, & Consecrationis Episcopi. Item in omnibus Festis,* (k) *quæ in Dominicis, & infra Octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicæ, & Octavæ dici debet. Item in Festo* (l) *Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiæ (non autem alicujus Capellæ, vel Altaris & in Festis Principalibus Ordinum, & per eorum Octavas, in Ecclesiis tantum illius Ordinis. Item dicitur Credo in Missis Votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.*

GAVANTUS.

(h) *Symbolum.* Hoc est indicium, seu signum, seu collatio: quia Symbolum Apostolorum est indicium Fidei, ejusdemque Regula, & continet omnes articulos ejusdem, ut ait *Isidor. lib. 2. de Divin. Offic. c. 2.* Hymnologia Catholica, seu Hierarcha Eucharistia dicitur a Dionys. *apud Lyndanum ad Liturgiam S. Petri.* Symbolum autem, quod recitamus in Missa, non est Apostolorum, quod initio Ecclesiæ cantabatur in Missa *ex Dionys. Areop. c. 3. de Eccles. Hierarch. & habetur in Liturg. S. Petri.* Neque est Nicænum, quod deinde recitari jussit in Missa Sanctus Marcus, qui Sancto Sylvestro successit, *ex Bernone cap. 25. de Officio Missæ:* quod tamen negat Baronius *anno 325. & probat ex Ruffino in Symbolum;* sed est Constantinopolitanum, cum additione, *Filioque procedit*, facta in Concil. Toletan. sub Leone I. *seu Paron. anno 447.* seu in Concil. Rom. a Damaso, ut probat *Stephan. Durand. lib. 2. c. 24.* & optime. Quod Symbolum idem Damasus Papa dici decrevit, *ex Rupert. lib. 2. c. 21.* & quasi esset aptis modulis sonorum, inquit *Strabo cap. 22.* Neque est tamen Constantinopolitanum purum, sed dici potest Ecclesiasticum, *ex Democrate tom. 4. c. 15.* Purum enim a Gregor. Nysseno scriptum fuit, & approbatum in Concil. Constantinopol. *ex Niceph. lib. 12. c. 15.* de quo *Baron. ann. 381.* quod paulo diversum est ab eo, quod dicimus. Romæ vero non dicebatur, ut ex mox dicendis patebit.

(i) *Post Evangelium.* Ex Decreto S. Marci Symbolum post Evangelium dicitur. *Radulph. propos. 23.* ut per Sanctum Evangelium corde credatur ad justitiam, & per Symbolum ore fiat confessio ad salutem: *Strabo c. 22.* omnes enim errorum impietates, perfidiæque blasphemias calcat, & ob hoc in universis Ecclesiis pari confessione a Populo conclamatur, *Isidor. lib. 1. c. 16.* Dicendum est autem, quod ideo Ecclesia Romana non recitabat, quia (ut inquit Berno se hoc audivisse a Romanis) nulla unquam fuit hæreseos fæce infecta. Nam Henric. Imper. instante, Benedictus Papa Octavus hunc Romæ Ritum instituit, *ex eodem Bernone*, qui aderat, *cap. 2. de quibusdam ad Missam spect.* Baron. quoque anno 1014. sub Benedicto VIII. cœptum est Symbolum Constantinopolitanum dici in Missa Romæ, ita ut non antea tradit, & dolet mntatum fuisse Romæ hunc Ritum, Romanæ Fidei intemeratæ testem.

(k) *In omnibus Dominic. Walafr. Strabo cap. 22. ex Concilio Toletano:* quia in Symbolo habetur articulus Resurrectionis Christi, *Innoc. III. lib. 2. c. 51.*

(l) *In tribus Missis.* De natali Domini docet *Microl. cap. 46.* De octava, quia omnes dies infra octavam pro una Festivitate computantur, ut tradit *Radulph. propos. 23.* & quia octavæ significant resurrectionem mortuorum, quæ continetur in Symbolo. *Innoc. III. loc. cit.* Sed adverte, quod in octava S. Stephani dicitur *Credo* propter octavam S. Joannis Apostoli; de quo est eadem regula cum Apostolis, ut mox dicemus.

(m) *In Epiphania, Microlog. ubi supra:* quia Festum Domini, & in eo celebratur præterea Festum Baptismatis, de quo in Symbolo, *Confiteor unum Baptisma;* quod adnotavit *Innocentius Tertius loc. cit.* ubi & Symboli meminit infra octavam Epiphaniæ recitandi.

(n) *In Cœna Domini, Innocentius Tertius loc. cit.* quia, inquit, ad Eucharistiam respicit illud: *Sanctorum communionem:* quod quamvis non legatur in Symbolo Missæ Constantinopolitano; puto contineri tamen in eo ejusdem verbo: *Unum Baptisma;* per quod una est Sanctorum generatio, & per Eucharistiam deinde, quæ lac dicitur 1. *Pet. 2.* una lactatio, & nutritio: vel in eo verbo: *unam Sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam*, ut explicat *Durand. lib. 4. c. 25.*

(o) *In Paschate Resurrectionis, Radulph. & Innoc. locis citatis;* & ratio patet, quia de Resurrectione Domini in Symbolo sit Commemoratio.

(p) *In Ascensione Domini.* Quia festum Domini, *Micrologus*, & habetur articulus: *Innocentius Tertius.*

(q) *In Pentecoste. Radulphus supra*, quia dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum;* ut ait *Innocentius Tertius.*

(r) *In*

(r) *In Festo Corporis Christi*. Ratione supra allata de Cœna Domini. Urbanus IV. instituit.

(s) *In omnibus Festis B. Mariæ. Microl. c. 46.* quia de ea in Symbolo *Innocent. Tert.* qui tamen mentionem facit Oct. tantum Assumptionis B. Virginis, non Octavæ Nativitatis ejusdem.

(t) *In Festis duodecim Apostolorum*. De Apostolis *Microlog. loc. cit.* quia Symboli Auctores, & quia dicitur in Symbolo, *Apostolicam Ecclesiam*, quod habet *Durand. lib. 4. cap. 25.* Evangelistæ censantur Apostolici viri, & Symbolum in eorum Festis dicebatur, *teste Durando ibidem*.

(u) *In utraque Cathedra &c. Microl. loc. cit.* & ratio patet, ex titulo Apostolico, de septem his Festis.

(x) *In Festis Inventionis &c. Microlog. ibid.* de his duobus Festis, & de Cruce fit mentio in Symbolo: *Crucifixus etiam pro nobis*.

(y) *In Transfiguratione Domini. Durandus ibid. tradit*. Festum Christi est: non ergo renueret *Micrologus*, nec Innoc. III. quorum temporibus hoc Festum desiderabatur.

(z) *In Festis Angelorum*. Innoc. III. loc. cit. docet: & ea ratione; quia cum dicimus *Creatorem Cæli, & Terræ*, intelligimus Deum Creatorem Angelicæ naturæ, & humanæ: in Symbolo Missæ expresse dicitur *& invisibilium*, hoc est, Angelorum. A Damaso decretum fuisse Symbolum in Festis Angelorum, scribit *Crassus lib. 2. c. 30. in suo Cæremoniali*.

(a) *Sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Favet Innoc. III. quia in Christi Resurrectione ea fuit Apostolorum Apostola.

(b) *Quatuor Doctorum*. Ea ratio esse potest, quia ipsi docuere Populos, & explicarunt Symboli Mysteria: eo verbo quoque fortasse significantur, *Catholicam Ecclesiam*: argumento simili sumpto a Durando supra in verbo *Apostolicam*, pro Apostolis. Et in Festis quidem quatuor Doctorum Latinorum dici testatur *Burchardus*: immo dicitur etiam fuisse decretum a Gregorio XI. & Urbano VI. in aliis Græcorum, & Sancti Thomæ jussit Pius V. sicut & Sixtus V. illud addidit Festo S. Bonaventuræ.

(c) *Octavarum S. Joannis Baptistæ, &c.* Ita Innocent. III. sed ea, inquit, de causa, quia veniunt infra Octavas Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Virginis: unde & Præfationes dicuntur de Apostolis, & de B. Virgine. Qua ratione dicitur etiam Symbolum in eorum Festis, si occurrat infra Octavas alicujus Patroni loci, seu Tituli Ecclesiæ, licet de Octava nulla fiat Commemoratio in prædictis Festis.

(d) *Omnium Sanctorum. Microl. loc. cit.* & ratio est; quia in hoc Festo veneramur B. V. Apostolos, & alios, quibus congruit recitatio Symboli. Innoc. putat hoc Festum esse Dedicationis Ecclesiæ omnium Sanctorum, de qua statim.

(e) *In Dedicationibus. Microl. loc. cit.* addit & causam Innoc. quia in Symbolo dicitur: *Sanctam Ecclesiam*, & valet in quatuor his festivis casibus Ecclesiarum.

(f) *Quibus dedicata est Ecclesia*. Scribit *Durand. lib. 4. c. 25.* hoc fuisse in usu apud quosdam.

(g) *Habetur corpus &c.* Symboli recitatio, cum sit nobiliorum Festorum propria, videtur addere solemnitatem Missæ, in qua illud præter supradictos dies recitatur; & idcirco extenditur ad præsentem, & sequentes casus in Rubr. descriptos. In Translatione vero Sanctorum non dicerem Symbolum, nisi Officium sit Duplex; quod Translationi principalis tantum Patroni concedere solet Sacra Rituum Congregatio.

Usus recitandi Symboli in Festis Sanctorum, quibus dicata est Ecclesia, seu ubi habetur insignis Reliquia, non fuit, ut opinor, ante annum 1393. in quo Bonifacius IX. concessit recitari Symbolum in Festo S. Francisci in propria Ecclesia, & ubi corpus ejus requiescit; ut refert F. Lucas Wadingus *tom. 4.* Annal. eodem anno *n. 1.*

Quæ vero sit insignis reliquia Sancti, ratione cujus dici queat *Credo* in Missa, eam esse ne dubite, ratione cujus Offic. Duplex recitari potest. Gregor. XIII. Ann. 1573. concessit Ecclesiis Hispaniarum, ut possint facere Offic. Duplex de Sancto, cujus habetur caput, brachium, crus, quibus Sacra Rituum Congreg. die 8. Apr. 1682. tanquam insignem reliquiam addidit eam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parva. Quod si corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Missa recitari debet: prædicta vero intellige de Reliquiis approbatis, ut declaravit eadem Sacra Cong. *die 3. Julii* 1617. & præterea *die 8. Aprilis* 1628.

(h) *Creationis &c.* Et jure in tribus his casibus; quia Domnus Apostolicus nominatus in Litaniis, caput est Ecclesiæ Cathedralis, & Apostolicæ, de qua & in collectis, quia pares sunt illæ duæ pro Ecclesia, & pro Papa, quæ cum alternativa ad libitum Sacerdotis præscribuntur.

(i) *Electionis &c.* Si in Consecratione Ecclesiarum, quanto magis in Consecratione Episcoporum, & pertinent Episcopi ad eum articulum: *Catholicam Ecclesiam*. Audi Ambrosium *in Oratione de Obitu fratris sui*. Advocavit Satyrus ad se Episcopum, nec ullam veram putavit; nisi veræ Fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana conveniret Ecclesia. Denique Vicarii sunt Apostolorum, ut dicitur *in Ordine Romano, ex Concilio Nicæno, c. 4. de Consecratione Episcopi*. In die Consecrationis Episcopi asserit dici Symbolum, *Burchardus*.

(k) *Quæ in Dominicis. Innoc. VII.* decrevit dici *Credo* in festis S. Joan. Baptist., & S. Laurentii, quando veniunt in Dominicis; *in Breviario Veneto* 1521. *narratur*: & hac eodem ratione dicendum erit etiam Symbolum in Vigiliis Nativit. Domini & Epiphaniæ; & in Octava Innocentium, si venerint in Dominica, nimirum ratione Dominicæ vacantis.

(l) *Patroni alicujus loci.* Patronus & Titularis Ecclesiæ sunt quidem primæ Classis: non ideo tamen illis convenit, ut dicatur *Credo*, quia non dicitur in Festo S. Joannis Baptistæ, quod est primæ Classis; sed quia cum locus fiat celebrior, concurrente Populo ad Festum Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, æquum est, ut Sanctam Fidem Populus ibidem cum Clero conclamet, & profiteatur. Dicitur *Credo* in Festo S. Joannis Baptistæ in propria Ecclesia, ob locum, & concursum Populi; & ob eundem concursum dicitur etiam in Missis Votivis, quæ solemniter celebrantur pro re gravi, *de qua vide supra tit. 8. num. 4.* * Solus autem concursus Populi sine alio Solemnitatis titulo, non facit, ut legitime dicatur *Credo*, ex Rubricis: alioquin in Ecclesiis ruralibus in omnibus Festis diceretur *Credo*.

In Vigiliis autem, quæ veniunt infra Octavam, & habet Symbolum, non tamen dicitur Symbolum, sicuti neque Hymnus Angelicus, quod habetur in Missali ex simili Rubrica, in Missa Litaniarum majorum in Festo S. Marci; eadem enim est ratio in his Feriis majoribus; immo a fortiori, si non in Rogationibus; ergo nec in Vigiliis, quibus illæ præstant.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. lit. h — *Symbolum autem, quod recitatur in Missa, non est Apostolorum, quod initio Ecclesiæ &c.*) Ejectis ab Ecclesia Catechumenis, pœnitentibus, & aliis, qui finito sermone in ea remanere non poterant, incipit Missa Fidelium, cujus initium desumitur a Symbolo, quod diebus Dominicis, & in aliis quibusdam Festis cantari consuevit. Triplex autem est Symbolum. Primum Apostolorum, ab ipsis scilicet Apostolis conditum, quo solo, velut tessera Fidei nostræ, usa est Ecclesia usque ad tempora Nicæni Concilii. Secundum est ab ipsa Synodo Nicæna compositum contra hæresim Arianam. Tertium denique est Constantinopolitanum a Synodo prima Constantinopolitana vulgatum adversus Macedonii errores; quod Symbolum, cum in paucis differat a Nicæno, non raro ab Auctoribus cum isto confunditur: ut fit etiam a nobis, qui Symbolum Constantinopolitanum recitantes in Missa, Nicænum appellamus. Est & aliud Symbolum, quod vulgo creditur Athanasii Alexandriæ Patriarchæ; sed nullus est illius usus in Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Apostolorum Symbolum primis Ecclesiæ temporibus inter Missarum solemnia recitari consuevisse, Gavantus hic, & Antonius Bellotte *in suis observ. ad Rit. Eccl. Laudun. p. 437.* ex Dionysio Areopagita, & S. Petri Liturgia demonstrare conatur. Verum cum & opera sub nomine Dionysii Areopagitæ vulgata, aliqui docti Scriptores suppositicia esse contendant, & Liturgia S. Petri, qualis modo edita est, sit a quopiam Græco recentiore conscripta; nullum ex his scriptis argumentum certum peti potest pro Gavanti sententia. Itaque prorsus incertum esse putamus, num tribus primis Ecclesiæ sæculis Apostolorum Symbolum alicujus fuerit usus in Sacrificio Missæ. De Nicæno igitur tantum, vel Constantinopolitano, quæstio institui posse videtur. Quis illud in Liturgia primum dici præceperit, adhuc ignoratur. Radulphus Tungrensis *propos. 23.* & Berno Augensis *cap. 25.* quorum sententiam amplexi sunt Gavantus hic, aliique Scriptores, existimant a Marco Summo Pontifice Sylvestri successore decretum fuisse, ut Nicænum Symbolum in sacrificio Missæ decantaretur. At Innocentius III. *lib. 3.* de Mysteriis Missæ *c. 4.* cum pluribus aliis scribit Sanct. Damasum illud ad exemplum Græcorum recitari jussisse. Verum hæc & sine ullo antiquo teste dicuntur, & ipsis antiquis testibus contradicunt. Græci enim in vivis degente Damaso Papa, nondum hunc Ritum admiserant: scribit enim Theodor. Lector *Histor. Eccles. pag. 563.* edit. Vales. quod Timotheus Constantinopolitanus Episcopus *Symbolum Fidei tercentorum, & octodecim Patrum in singulis Collectis recitari præcepit in odium Macedonii*, quasi *ille non susciperet Symbolum, quod antea semel recitabatur quotannis die Magno Parasceves, sive Dominicæ Passionis, dum Episcopus baptizandos catechizaret.* Idem vero Theodorus post, & Nicephorus Callistus *lib. 15. cap. 28.* scribunt Petrum Fullonem instituisse, ut Symbolum in omni Conventu recitaretur, quæ in speciem pugnantia, Bona atque Martene ita conciliari posse contendunt, ut Petrus in Antiochena, Timotheus in Constantinopolitana Ecclesia, hunc morem induxerint.

Ab Orientalibus paullo post transiit ad Hispanos hæc disciplina. Legitur de hac re Canon 2. Synodi Toletanæ 3. sub Recaredo Rege coactæ anno 589. *Sancta Synodus constituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Gallaciæ* (putat Martene legendum esse *Galliæ* Narbonensis scilicet) *secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani, hoc est C. L. Episcoporum Symbolum Fidei recitetur, & priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara populo decantetur.* Serius cœpit hic Ritus in Gallia, atque Germania, nimirum sub Carolo Magno ineunte sæculo nono, id eis permittente Leone III. Pontifice: ut colligitur ex collatione habita inter Breviarium Vormatiensem Episcopum, Jesse Ambianensem, & Adalardum Abbatem Corbejensem cum præfato Leone. Hæc collatio recitatur a Baronio ad ann. Christi 804. *num. 60.* Hinc Walafridus Strabo *cap. 22.* libri de Rebus Ecclesiast. scribit — *Apud Gallos, & Germanos post dejectionem Felicis hæretici sub gloriosissimo Carolo Francorum Rectore damnati idem Symbolo latius, & crebrius in Missarum cœpit Officiis recitari* — Quæ verba, inquit Martene *de antiq.*

antiq. Eccles. Ritib. libro 1. *cap.* 4. *artic.* 5. *pagina* 376. indicare videntur jam antea Symbolum in Missis recitatum fuisse; sed non ita latius, & crebrius, ac post damnatum Felicem: ut quod aliquando, & aliquibus in locis dumtaxat erat in usu, postmodum ab omnibus ubique frequentaretur.

Superest quæstio de tempore, quo Symbolum Constantinopolitanum in Missa recitari cæpit apud Romanos, quæ sane quæstio magnam difficultatem involvit. Berno Augiensis Abbas in libro de Rebus ad Missam pertinentibus *cap.* 2. tradit Romanam Ecclesiam usque ad tempora Henrici Imperatoris Symbolum post Evangelium non decantasse — sed ab eo interrogati, inquit Berno, cur ita facerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta; sed secundum Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent — Id contigit anno 1014. Ab hoc igitur anno jubente Benedicto VIII. cœpit Romæ cantari Symbolum, & ideo, inquit Cardin. Bona *lib.* 2. *c.* 8. §. 2. nec in Ordine Romano, nec in priscis Sacramentorum Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Remigium, & alios, qui ante prædictum annum Romanæ Missæ Ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur. Placuit hæc opinio viris eruditissimis, Baronio, Menardo, Christiano Lupo, Antonio Bellotte, Grancolasio, immo & Gavanto nostro, & innumeris aliis. Verum doctissimus Mabillon in Commentario *c.* 6. *pag.* 43. fretus auctoritate Ordinum Romanorum, 2. 5. & 6. longe ante annum 1014. Symbolum in Pontificali Missa recitatum existimat. Et ne quis secundum Ordinem interpolatum suspicetur, refert Amalarium in Ecloga super hoc libello, eumdem locum commentari. Quare per illud intervallum, quod a seculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem intermissam a Romanis arbitratur. Edmundus Martene loc. cit. Mabillonii sententiam amplexus est, quam etiam prolatis Walafridi & Leonis Tertii auctoritatibus confirmavit. Negat tamen sæculo decimo intermissam fuisse Romæ recitandi Symboli consuetudinem: nam, inquit, si Bernonis verba attenta mentis consideratione perscrutemur, non negant absolute apud Romanos Symbolum in Missa dictum fuisse, sed decantatum: quia revera solemni modulatione, ut in aliis Ecclesiis non cantabatur, sed solum recitabatur: cujus responsionis testem amplissimum profert Leonem III. in præcitata collatione cum Aquisgranensis Concilii Legatis — *Quod vero*, inquit Leo, *asseritis, ideo vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse. Quid ad nos? non enim idipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo inserendo præsumimus* — Hanc nos opinionem libenter amplectimur, quamquam secundus Ordo Romanus objici posse videatur, in quo *pag.* 46. ista leguntur: *post lectum Evangelium candelæ in loco suo extinguuntur, & ab Episcopo, Credo in unum Deum, cantatur*. Verum cum dicat Symbolum ab Episcopo, non autem a Choro fuisse cantatum, ut ante dixerat de Hymno *Gloria in Excelsis;* illa verba de simplici lectione intelligi posse videntur. Hoc modo explicari non possunt verba Ordinis 6. *Sin autem Episcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere*: Credo in unum Deum: *& ita omnis Chorus incipiens*, Patrem omnipotentem, *ad finem usque perducat*. Sed hunc Ordinem in usu fuisse apud Romanam Ecclesiam ante undecimum sæculum, certo argumento probari non potest. Quod si quis Ordinem hunc ante sæculum undecimum scriptum esse contenderit; interpolatum tamen fuisse negare non poterit, cum in eo ista legantur: *Episcopo dicente* per omnia Sæcula Sæculorum *accipiat benedictionalem librum, & conversus ad populum dicat*, humiliate vos ad benedictionem, *& Clero respondente* Deo gratias, *porrigat Episcopo;* quem Ritum nunquam ab Ecclesia Romana fuisse servatum, nullus ignorat.

II. Rubr. & Gavant. lit. i — *Post Evangelium ex Decreto Sancti Marci &c.*) Ubi Symbolum recitari cœpit in Missa, statim illius recitatio lectionem Evangelii secuta est, quem Ritum semper utraque Ecclesia servavit, exceptis Hispaniis; ubi ex Decreto tertiæ Synodi Toletanæ sancitum est; ut Symbolum ante Orationem Dominicam recitaretur; qui mos adhuc in Missali Mozarabico perseverat; in quo post Consecrationem, & aliquot brevissimas preces, dicit Presbyter: *Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus:* quo dicto, Chorus recitat Fidei Symbolum, videlicet: *Credimus in unum Deum*.

III. Gavant. lit. h. — *Cum additione: Filioque procedit &c.*) Gravissima est inter scriptores non solum Liturgicos, sed & Historicos, ac Theologos controversia, quis Symbolo hanc particulam primum addiderit. Auctores nonnulli docti & eruditi sibi persuaserant particulam hanc in Concilio Romano sub Damaso additam fuisse; a qua sententia non videtur abhorrere ipse Gavantus. Mirum est, opinionem hujusmodi sectatores habere potuisse: nam cum excitata Collatione Leonis III. cum Legatis Gallicanis, appareat, Leonem graviter conquestum fuisse, quod Gallicarum Ecclesiæ Symbolum cum illa adjectione cantarent, evidens est ante Leonem III. particulam illam a Romanis lectam non fuisse, ac proinde Damaso perperam adscribi: immo cum Leo ad-

ditionem illam reprehendisse videatur, jure colligere possumus id additum Symbolo, inconsulta Apostolica Sede.

Rejecta igitur ista sententia, placet nobis Aguirii Card. opinio *tract. 4. de Trinit. disput. 32. sect. 2.* statuentis particulam illam adjectam fuisse Symbolo a Synodo Toletana III. quam postmodum imitata sunt 4. 6. & 8. & Forojulense Concilium: quæ est etiam opinio Baronii, aliorumque Scriptorum. Certe nullum Synodo Toletana antiquius monumentum reperitur, in quo legatur Symbolum cum voce illa *Filioque*. Approbata tandem fuit additio hæc ab Ecclesia Romana; cui tamen Græci processionem Spiritus Sancti a Filio negantes non acquieverunt; donec congregato Gen. Concilio Ferrariæ, anno 1438. completo postmodum Florentiæ, unanimi Latinæ Græcæque Ecclesiæ consensu firmata fuit. De Symbolis autem erudite tractarunt more suo Card. Bona loc. suprac. Edmundus Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus *lib. 1. c. 9.* Grancolas in Libro de antiquis Liturgiis *pag. 530.* Antonius Bellotte in suis observationibus loc. supracit. Petrus Le Brun *tom. 1. art. 1.* per totum; Auctor Anonymus tractatus Missæ Parochialis Gallice exarati *part. 2. c. 11. art. 1. 2. & 3.* Claudius de Vert. *tom. 3. p. 122.*

IV. Rubr. & Gav. *Symbolum dicitur.*) Ecclesia triplici ex causa, ut optime Guyetus observat *lib. 3. c. 28. quæst. 3.* Symbolum in certis Festis recitare consuevit: ratione Mysterii, ut contingit in omnibus Festis Christi Domini, & B. M. V. horum enim Mysteria vel implicite, vel explicite in Symbolo continentur: ratione doctrinæ Fidei non tam susceptæ, ac propugnatæ, quam verbo, scriptoque traditæ, atque annuntiatæ; qua de causa dicitur in Festis Apostolorum, ac Doctorum; tandem ratione celebritatis dicitur in Festis Patronorum, & aliis propriis locorum, seu Ecclesiarum, &c. Hæc quidem generatim dicta, mox sunt specialibus definienda, paucis tamen, cum multa erudite a Gavanto nostro exposita sint.

V. Gavant. lit. k — *In omnibus Dominicis*,) Unum hic observo cum Bisso *lit. C. n. 562. §. 31.* quod omittitur dictum Symbolum, seu *Credo* in Missa Dominicæ, quando de ea fit in Sabbato antecedenti.

VI. Rubr. & Gav. lit. l. z — *In Festis Angelorum.*) Videtur paucis ab hinc sæculis non ubique receptum fuisse morem recitandi Symbolum in Festis Angelorum: Radulphus enim Tungrensis *propos. 23.* refert vulgatum sequens carmen, quo exprimebantur Festa Symbolo carentia: *Angelus, & Virgo, Martyr, Præsul, sine Credo.* In Ecclesia tamen Romana Radulphi ævo dicebatur, quod Innoc. III. auctoritate Gavantus ostendit.

VII. Gav. lit. b — *In festo Divi Thomæ, & S. Bonaventuræ.*) In Missalibus post Benedictum XIII. editis, præscribitur recitandum esse *Credo* etiam in Festis SS. Anselmi, & Isidori Hispalensis; quibus nuperrime a S. R. C. annuente eodem Pontifice concessum fuit Officium, & Missa de Communi Doctorum, & his addi potest Festum S. Petri Chrysologi; de quo modo ab universali Ecclesia recitatur Officium sub Ritu Duplici, tamquam de Doctore: quia mens Rubricæ Missalis est, quod in Festis Doctorum semper dicatur *Credo*, dummodo sint Festa Duplicia, sicut explicat Guyetus *lib. 3. c. 28. quæst. 3.* & ex eo Bissus *lit. C. n. 560. §. 13.* immo addit Guyetus loc. cit. quod in illis Galliarum Ecclesiis, quæ in festo S. Hilarii dicunt ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor &c.* debeat in ejus Missa etiam Symbolum recitari: & hac ratione apud Monachos Cassinenses dicitur Symbolum in Festis SS. Ildephonsi, Leandri, & Bedæ; quia coluntur ab ipsis tamquam Ecclesiæ Doctores sub Ritu duplici, referente Bisso loc. supracit.

VIII. Rubrica *In Anniversario Dedicationis propriæ Ecclesiæ, & per Octavam.*) Quærit Guyetus loco citato an non etiam recitari Symbolum possit in alienæ Ecclesiæ Dedicatione, puta Cathedralis in tota Diœcesi; & respondet posse: quia quamvis id taceat Rubrica, suadere tamen videtur exemplum Dedicationis Basilicæ Salvatoris, & SS. Petri & Pauli, item Fratrum Minorum in Festo Portiunculæ. Certe valet in omni casu ratio, quam Innocentius III. affert *libro 2. de Mysteriis Missæ cap. 52.* quod in Symbolo habeatur *Sanctam Ecclesiam.* Huic Guyeti placito subscribit etiam Bissus *littera C. numero 560.* paragr. 18. Hinc etiam fit, quod cum totus Clerus Sæcularis debeat celebrare Dedicationem Ecclesiæ Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava, in Diœcesi vero sine Octava, ut decrevit Sac. Rom. Congreg. 2. Maji 1619. & refert Gavantus in hoc suo Thesauro Sacrorum Rituum *tomo 2. sectio 8. cap. 5. sub num. 5.* & quidem semper sub Ritu Duplici primæ Classis, etiam in Diœcesi, ut asserunt Gavantus ibi, & Arnaudus in Epitome *part. 3. tit. 39. sub n.* necnon Bissus *lit. D. n. 31. §. 6.* Regulares autem, ut colligitur ex Decreto edito die 11. Februarii 1602. cum teneantur prædictum Officium recitare tantum sub Ritu Duplici secundæ Classis sine Octava; quæ quidem Decreta per extensum dabimus in Indice posito in secundo tomo, in quo agemus de Rubricis spectantibus ad Breviarium Romanum, hinc, inquam, fit, quod prædicti omnes celebrantes Missam Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis extra eandem Ecclesiam, adhuc tenentur dicere Symbolum in Missa ob rationem supradictam, nimirum quia Symbolum, seu *Credo* convenit simpliciter Festo Dedicationis Ecclesiæ. E contra vero in festo Titularis Ecclesiæ Cathedralis, si sit Festum Martyris, Confessoris, Virginis, &c. Symbolum non est recitandum, nisi in propria Ecclesia Titularis, de quo celebratur Festum, ut patet ex Decreto infra dando, & quod habetur in nostro Indice *sub num. 609.* Ratio discriminis est: quia in Festis SS. Martyrum, Confessorum, Virginum, seu Viduarum, non dicitur *Credo*: unde aliqui conati sunt tribus hisce verbis MVC *non credit* exprimere dictam.

ctam communem sententiam de Festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum; indicando per literam, M, Symbolum nunquam dici in Festis alicujus *Martyris*; per literam, V., non dici idem Symbolum in Festis alicujus Virginis, aut Viduæ, alteriusve non Virginis, excepta S. Maria Magdalena; & per literam, C, indicare voluerunt non debere dici Symbolum in Festo cujuscumque Confessoris, si non sit Doctor Ecclesiæ, & nisi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ sint Patroni, aut Titulares Ecclesiæ totius, non Cappellæ tantum in eadem Ecclesia; aut nisi venerint talia Festa Martyrum, Virginum, & Confessorum in Dominicis, & infra Octavas Festorum Symbolum habentium, sicut constanter occurrunt Octava S. Joannis Baptistæ infra Octavam SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Octava S. Laurentii infra Octavam Assumptionis. In Festo S. Stephani, & SS. Innocentum dicitur *Credo*, quia Duplex hoc Festum incidit infra Octavam Nativitatis Domini illud requirentem; sicuti & in Octava ejusdem S. Stephani, quia occurrit infra Octavam S. Joannis Apostoli, cui convenit *Credo*; in Octava vero SS. Innocentum omittitur, quia celebratur extra dictas Octavas.

IX. Rubric. *In die Consecrationis Ecclesiæ, & Altaris.*) Prædictam Rubricæ dispositionem extendit Guyetus etiam ad Octavas, non quidem Altaris, quia tales Octavæ non fiunt, sed Ecclesiæ; & ratio est, quia si dicitur *Credo* in Octava Anniversariæ Dedicationis Ecclesiæ, a fortiori recitari debebit per totam Octavam Consecrationis ejusdem, cum ipsamet Anniversaria Dedicatio non sit nisi Consecrationis primum factæ recensio.

X. Rubr. & Gav. lit. g — *Et ubi habetur Corpus vel insignis Reliquia Sancti.*) Diximus supra, in Festis etiam SS. Martyrum, Virginum, & Confessorum posse dici *Credo* in illis Ecclesiis, quarum ipsi sunt Titulares: nunc procedimus ad asserendum posse etiam dici Symbolum in illis Ecclesiis, in quibus asservatur aliqua eorumdem Sanctorum insignis Reliquia, & quidem approbata. Hic autem considerare debemus cum Gavanto supra, & cum Bisso supracitato §. 20. quod quæcumque pars corporis non est censenda sufficiens Reliquia, ut in Missa dicatur *Credo*: sed debet esse talis entitatis, ut Officium possit fieri Duplex. Ad cognoscendum vero, quando Officium possit fieri Duplex ratione Reliquiæ, attendenda sunt ea, quæ ex registro Decretorum S. R. C. habentur in principio Breviarii Romani ubi declaratur, quod Reliquia insignis sit, *Caput*, *Brachium*, *Crus*, *aut alia pars corporis*, *in qua passus est Martyr*, *modo sit integra*, *& non parva*, *& legitime ab Ordinario approbata.* Non est igitur insignis Reliquia censenda (ut etiam advertit Quarti *part.* 1. *tit.* 11. *dub.* 3.) Manus, Pes, aut aliud frustum, nisi in dictis partibus passus sit Martyr. Censebitur autem etiam adhuc *integra pars* Caput v. gr. tametsi ex pluribus fragmentis constet per artificialem unionem conjunctis; modo adsint omnia frusta, seu fragmenta, quæ requiruntur ad integritatem ejusdem membri, & ita apte simul conglutinentur, ut appareat integrum caput, brachium, &c. Quarti *part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. & ex eo Lohner *part.* 1. *tit.* 17. *n.* 1.

Hoc loco rursus advertere est, quod non potest celebrari Festum de prædicta insigni Reliquia, nisi in Ecclesia ubi asservatur, & non alibi; ut liquet ex Decretis S. R. C. Breviario Romano præfixis: quod si contingat ex aliquo privilegio extra dictam Ecclesiam celebrari Festum ejusdem Reliquiæ, tunc in Missa non potest dici *Credo*, ut clare statuitur in Decreto S. R. C. 2. Decembris 1784. & dato in nostro Indice *sub num.* 502. ubi hæc habentur — In Ecclesiis, ubi asservatur insignis Reliquia alicujus Sancti, quando celebratur Missa, dicitur cum *Credo*, extra vero talem Ecclesiam sine *Credo* dicitur — Idem etiam colligitur ex alio Decreto ejusdem diei, in quo declaratum fuit, quod cum Canonici Regulares Lateranenses per Decretum sub die 16. Decembris 1679. recitare possint, ac valeant Officia Sanctorum, quorum insignes Reliquiæ in Basilica Lateranensi asservantur, non ideo in Missis debent dicere *Credo*. Denique advertimus, quod ad hoc, ut possit dici *Credo* in illa Ecclesia, ubi Reliquia insignis asservatur, non est necesse, quod eadem Reliquia sit exposita, quia superior Rubrica, & S. R. C. Decreta hanc conditionem non exprimunt: sufficit ergo, quod talis Reliquia in dicta Ecclesia habeatur, & nihil aliud requiritur.

Denique animadvertere est, quod juxta sententiam P. Halden *part.* 3. *cit.* 2. *in fine*, etiam in Missis de Beatis (ubi de his celebrare est permissum) est dicendum Symbolum, si adsit insignis Reliquia.

XI. Rubrica & Gavant. lit. l — *Patroni alicujus loci.*) Dubitari potest, an etiam in Festo secundario Patroni, vel Titularis debeat, vel possit Symbolum in Missa recitari. Gavantus supra lit. h concedit Symbolum dici posse in Festo Translationis Patroni tantum principalis, ea conditione, quod Festum celebretur sub Ritu Duplici. Guyetus loc. cit. Gavanti conditionem approbat; quæ si in aliis quoque Patronorum minus principalium Translationibus, seu Festis secundariis reperiatur, haud tamen eis tribuendum Symbolum putat, nisi ubi usus ob Solemnitatem invaluit. Verum a prædicta Gavanti sententia recedere cogimur; quia in Decreto Sacr. Rom. Congreg. die 19. Julii 1700. & dato in nostro Indice *sub num.* 544. ita statuitur — In Festo Translationis Patronis principalis Cathedralis sub Ritu Duplici majori non potest in Missa dici Symbolum, nec in ipsa Ecclesia Cathedrali, nec consequenter per totam Diœcesim.

XII. Rubric. *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris.*) Postquam Rubricam declaravit in Festo Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiæ dicendum

dum esse *Credo*, excipit tamen Festum Tituli alicujus Cappellæ, vel Altaris, id quod etiam supra innuimus: sed talis Rubricæ exceptio intelligenda est de Missis Privatis, non vero de Missa Solemni; nam de hac S. R. C. die 1. Aprilis 1662. ita decrevit; ut habetur in nostro Indice *sub n.* 594. Missa cum Gloria, & Credo potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricarum.

XIII. Rubr. *In Festis principalibus Ordinum, &c.*) Nomine Festorum principalium venire solent ea omnia, quæ Ritu primæ Classis celebrantur, scilicet vel Institutoris Ordinis, seu principalis Tituli, vel Patroni, &c. Utrum autem sub eodem nomine principalium Sanctorum comprehendantur etiam insigniores Ordinis Professores, dubitatur ab Auctoribus. Guyetus censet servandum esse in hoc casu legitimum cujuslibet Ordinis usum; neque tamen facile concedendum alios sub nomine principalium venire, quam qui Ritum obtinent Duplicium, saltem secundæ Classis. Bissus hanc doctrinam amplectitur loco cit. §. 27. & confirmat ex Cæremoniali Monastico, in quo statuitur recitandum esse Symbolum in Festo Sanctorum omnium Monachorum Ordinis S. Benedicti, licet sit tantum secundæ Classis. Addit apud Monachos sui Ordinis recitandum etiam esse in Festo S. Scholasticæ, quod sub Ritu Duplici secundæ Classis celebrant cum Octava, ex concessione Clementis IX. Favet etiam praxis omnium fere Ordinum Regularium, qui in Festis suorum Sanctorum secundæ Classis, Symbolum recitare non dubitant: cui praxi & sententiæ non ita facile subscribo, etiamsi talia festa secundæ Classis celebrentur cum Octava; nam quamvis Festum S. Laurentii sit sub Ritu Duplici secundæ Classis, & celebretur cum Octava ab Ecclesia universali; nihilominus quia S. Martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali Festo non dicitur *Credo*, nisi in Ecclesia Titulari ejusdem: ut liquet etiam ex Decreto supra insinuato, & dato in nostro Indice *sub n.* 609. A fortiori ergo concedi non debet *Credo in* Festo Sanctorum Confessorum alicujus Ordinis particularis, etiamsi ab eodem celebrentur sub Ritu Duplici secundæ Classis, & cum Octava. Hinc contrariam consuetudinem abrogandam esse non dubitaverim; & solum concederem *Credo* in Missa Solemni, ubi celebratur Festivitas aliqua ex dictis cum magno Populi concursu: neque Cæremoniale Monasticum quidquam officit: ideo enim in Festo omnium Sanctorum Monachorum præscribit recitandum Symbolum, quia in Festo illo colitur etiam S. Benedictus, cui ex Rubrica convenit *Credo*, ut principali Patrono.

XIV. Gav. lit. I — *In Vigiliis autem, quæ veniunt infra aliquam Octavam.*) In Vigiliis, quæ occurrunt infra aliquam Octavam, si celebretur Officium Octavæ, Missæ, ut diximus supra in titulo *de Feria, & Vigilia*, Missæ, inquam, non solum Conventuales, sed etiam Privatæ non dicuntur de Officio tunc currente, sed de dicta Vigilia; in quo casu unica de eadem cantatur Missa Conventualis; & cum non dicatur Missa correspondens Officio, si prædicta Octava habeat *Credo*, Guyetus *lib. 4. cap. 5. quæst. 5. in fine*, asserit in tali Missa Vigiliæ dicendum esse *Credo* cum Commemoratione Octavæ: quia talis Vigilia, ait ipse, non est Vigilia Simplex, seu ferialis, ut sunt aliæ Vigiliæ communes, sed Festiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli aliunde debiti. Hæc Guyetus, ut notavimus etiam supra cit. tit. *de Feria, & Vigilia*. Sed pace tanti viri censeo non esse recedendum a nostri Magistri sententia supra exposita: unde etiam in talibus Vigiliis non est dicendum Symbolum; cum tales Vigiliæ non possint dici nullo modo Festivæ, & Dominicales. Suadeor etiam contra Guyeti opinionem, & libentius adhæreo Gavanti placito; quia certissimum est, quod occurrente Festo S. Marci infra Octavam Paschæ, in Missa Rogationum non est dicendum *Credo*, ut habetur in Decreto diei 5. Julii 1698. & dato in nostro Indice *sub n.* 530. Ex quo optime arguit Joannes Baptista Pittonus afferens tale Decretum, quod neque dicendum est Symbolum in dicta Missa Rogationum, si prædictum Festum S. Marci occurrat in qualibet Dominica: nam si non potest dici *Credo* in eadem Missa Rogationum ratione Festi Sancti Marci illud admittentis; neque poterit dici ratione Dominicæ: ob eandem igitur rationem, neque in Vigilia incidente infra aliquam Octavam debet dici *Credo*. Denique considerandum est, quod sententiæ Gavanti consentit praxis omnium Ecclesiarum: & revera in Directorio Romano hujus anni 1735. die 14. Decembris, in quam incidit Feria 4. Quatuor Temporum, & est infra Octavam Conceptionis B. M. V. præscribitur prædicta Octava; Missam vero esse dicendam de Feria currenti, cum secunda Oratione de Octava, tertia de Spiritu Sancto, & Præfatione B. M. V. cum vers. *Et te in conceptione*, sed sine *Gloria*, & *Credo*.

Superest nunc, ut præter aliqua Decreta sparsim exhibita in nostris hisce Additionibus, aliqua alia tradamus spectantia ad hanc Rubricam.

Missa de Sancto Titulari, vel Patrono celebratur cum *Gloria*, & *Credo*, S. R. C. die 4. Augustii 1657. & in nostro Indice *sub num.* 323. In Missa Patroni minus principalis, non dicatur *Credo*. S. R. C. 2. Decembris 1694. & in nostro Indice *sub n.* 479.

In Missis de Beatis non debet dici *Credo*. 12. Julii 1664. & in nostro Indice *sub n.* 419.

In Festis SS. Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub Ritu Duplici Majori, non est dicendum Symbolum in Missa. 19. Junii 1700. & datur in nostro Indice *sub n.* 545.

Quando in Missis Votivis pro re gravi debeat, vel non possit dici *Credo*, jam exposuimus in nostris Additionibus spectantibus ad tales Missas.

De

De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. XII

RUBRICA.

Post Symbolum, vel si non sit dicendum, post Evangelium, (o) *dicitur: Dominus vobiscum,* (p) *Oremus,* (q) *deinde Offertorium: postea fit Oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Missæ. Qua oblatione facta, dicuntur* (r) *Orationes secretæ,* (s) *secundum numerum Orationum, quæ clara voce in principio dictæ sunt: sed ante primam Orationem* (t) *non dicitur Dominus vobiscum, nec aliquid aliud; sed dicto, Suscipiat Dominus Sacrificium, absolute dicuntur:* (u) *neque etiam ante secundam Orationem dicitur Oremus:* (x) *Terminatur autem prima & ultima Oratio, ut dictum est supra in Rubrica de Orationibus, & secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione,* (y) *Per omnia Sæcula Sæculorum, quæ clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.*

GAVANTUS.

(o) *Dicitur Dominus vobiscum. Ordo Roman.* & Introitum demonstrat ad illud Officium, dum salutat Sacerdos operarios suos. *Amalar. l. 3. c. 19.* invitaturus quoque ad Orationem monet, nisi Dominus sit nobiscum, non posse nos orare. *Innocent. lib. 2. cap. 53.*

(p) *Oremus. Ordo item Rom.* quo docemur, ut stabiles simus in Fide, quam professi sumus in Symbolo, *Stephi ad Adven. de Sacr. Altar. cap. 12.* vel precamur, ut voluntarium Sacrificium acceptabile sit Domino, nec despiciatur cum sacrificio Cain, *Amalar. loc. cit.*

(q) *Deinde Offertorium. In Ordin. Roman. & in Antiphoni S. Gregorii* nomen hoc habetur. Porro Offertorium. *Auctore Isidor. lib. 6. Etymolog. cap. 16.* quasi ob fertum; fertum enim dicitur oblatio, quæ in Altari offertur. Fertum, sive feretum, *ait Festus*, genus ibi dictum, quod crebrius ad Sacra ferebatur; vel dicitur Offertorium, ab offerendo, quia tunc oblationes fiunt. *Inn. III. cap. 55.* vel est offertorium Canticum, *Gemma Animal. lib. 1. cap. 97.* Offerendam vocat etiam *Amalarius lib. 3. cap. 36.*

Quis Auctor? Cælestinus *ex Demochare tom. 4. cap. 15.* Eutychianus *ex Petro* ab *Apmeer de Offic. Missæ.* S. Gregorius *ex Gemma Animal. lib. 1. c. 88.* inclinaverat prior in hac sententiam. *Vvalafridus Strabo c. 22.* Ordo sane conveniens, *inquit Innoc. sup.* nam sequitur prædicationem Evangelii fides in corde, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio. Addit *Alcuin. de Celebr. Missæ*, ad imitationem populi Israel hoc fieri, qui oblationes & vota cum laude Deo offerre consueverat.

(r) *Orationes secretæ.* Quia secreto dicuntur, *Amalar. lib. 3. cap. 20.* Ordo Romanus eas hoc nomine vocat.

(s) *Secundum numerum Orationum.* Habet *Radulph. propos. 23. & ante eum Beleth. cap. 43.*

(t) *Non dicitur Dominus, &c.* Jam enim dixit Sacerdos, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, ante Offertorium: quæ salutatio, & invitatio antiquitus erat ordinata ad Orationem secretam; & ante illam ab Offertorio nulla prorsus interponebatur Oratio, ut notat *Micrologus c. 11.* secundum usum Romanum. Orationes enim, quæ nunc dicuntur in Oblatione, habent originem a Gallicana Ecclesia; ut dicemus *tit. 6. part. 2. Rubricarum generalium*, ubi de ipsa Oblatione.

(u) *Neque dicitur Oremus. Burchard.* tum quia dictum est ante Offertorium; tum quia ejus vice proxime ante dicitur, *Orate fratres*: tum quia & hæc est magis propria ratio) Orationes secreto dicendæ sunt: quis dicat ergo, *Oremus?* an alta voce? Inconcinna interruptio: an submissa voce? quos invitamus non audientes? omittimus igitur convenientius.

(x) *Terminatur autem prima, &c. Burchard.* iisdem de causis, quibus supra *de Commemorationibus tit. 7. num. 7. & de Oratione tit. 9.*

(y) *Per omnia Sæcula Sæculorum.* Non est hoc initium Præfationis, si proprie loquamur, sed finis Orationum: vult *Inn. III. c. 61.* esse finem Orationum, & esse principium Præfationis: ut ostendatur, ait, Christus lapis angularis, qui fecit utraque unum, propeque passionem Judæos continens, & Gentiles, qui per Philippum adierunt Jesum, *Joann. 12.* sed de nomine videtur quæstio.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gavant. lit. q. — *Dicitur Offertorium ab offerendo, &c.*) In Missa solemni post Symbolum, & quando non dicitur, post Evangelium Sacerdos salutat populum, & excitat ad orandum: tunc Chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more populus interim sua dona offerebat. In primitiva enim Ecclesia, omnes qui communicaturi erant, offerre consueverant ad Altare panem pro se ipsis consecrandum: unde in Fabiani Papæ epist. 3. (quæ tamen dubia est) decernitur, ut in omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris, & mulieribus oblatio tam panis, quam vini fieret: ex Persico *de præcipuo Sacerdotis Officio lib. 3. dub. 3. num. 52.* qui offerendi mos adhuc viget in multis Ecclesiis, præsertim in pagis & oppidulis rusticorum; qui cum priscarum consuetudinum tenaciores esse soleant, supervenientibus mutationibus, haud facile acquiescunt. Verum hujusmodi oblationes, non in usum Sacrificii cadunt, sed Parocho, vel pauperibus distribuuntur. Immo plerumque pecunia offertur: nam cum populi communio refrigescente charitate cessasset, & ad usum Celebran-

brantis modica panis particula sufficeret; panis vero pro usu Sacrificii a Clericis formaretur, cœpit populus, ut ait Honorius *in Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 66. pro oblatione panis, sive farinæ, denarios offerre. Sed de hac re videantur ea, quæ tradunt Card. Bona *ib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. Antonius Bellotte *in suis observationibus Eccles. Laud. pag.* 467. *& seqq.* Auctor Anonymus tractatus Missæ Parochialis Gallice conscripti 2. *par. cap.* 12. *art.* 1. *& seqq.* & in sua recenti erudita dissertatione Italice elucubrata, & Venetiis impressa, anno 1733. noster P. Franciscus Berlendi, aliique Auctores, quos dabimus in nostris Additionibus *ad tit.* 7. 2. *part. hujus Thesauri num.* 31.

Cæterum nomine Offertorii, sive Offerendæ, ut Amalarius, & alii veteres loquebantur, relati a Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. ea omnia comprehenduntur, quæ a Sacerdote, & Ministris fiunt, & recitantur a salutatione *Dominus Vobiscum*, facta a Sacerdote post Symbolum, vel post Evangelium, usque ad secretæ Orationis conclusionem, cum Sacerdos alta voce intonat: *Per omnia Sæcula Sæculorum.* Quarti *part.* 1. *tit.* 12. de Offertorio.

II. Gav. ead lit. q — *Quis auctor &c.*) Quis Antiphonam, quæ in Missali Offertorium intitulatur, instituerit, incertum est. Plerique a Gregorio Magno primo institutam asserunt; quia in suo Antiphonario propriam singulis Missis assignavit: sed jam vigebat in Africa hæc consuetudo, ut scribit Augustinus *lib.* 2. *Retract. cap.* 11. Verum cum ex Menardo in notis ad S. Gregorii Sacramentarium *pag.* 7. habeatur, quod in Codice MS. Rodradi, & Ratoldi, Offertorium sit Antiphona, quæ dum cantabatur, populus sua dona in Altari offerebat juxta antiquum Ritum, & Ritus iste præcesserit ævum Gregorianum; hinc deducitur talem Antiphonam non esse adjudicandam Gregorio Magno, tamquam primo institutori. Unde fit, quod quamvis prædicto Gregorio Honorius *in Gemma Animæ* tribuat talem Antiphonam; alii tamen diversimode opinantur, inter quos Walafridus Strabo *cap.* 22. Alii referunt talem Antiphonam Cælestino; alii vero Eutychiano Summis Pontificibus. Bissus *lit.* O. *num.* 30. §. 1.

In Missis Defunctorum habetur Offertorium compositum ad modum Responsorii cum suis versibus, sicut antiquitus omnia Offertoria erant; quæ postea ad majorem commoditatem abbreviata sunt, relicto solo Offertorio Missæ Defunctorum, quæ in pluribus aliis differt a Ritu aliarum Missarum; ut observat Durandus *in Rationali Div. Officior. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 4. & Biss. *loc. citat.* ex eodem.

In prædicto Missæ Mortuorum Offertorio, intellectu difficillima sunt illa verba deprecativa, nempe, *ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*: Animæ enim Purgatorii, pro quibus preces Deo porriguntur, jam sunt in statu salutis; & Tartarus, scilicet Infernus, eas absorbere nequaquam potest, neque in obscurum infra Purgatorium cadere periclitantur; cur igitur funduntur tales preces? Gravis quidem difficultas, cui nihilominus satisfit dicendo, prædictam Antiphonam recitari consuevisse in actu agonis, ut optime observat etiam Grancolas *in antiquo Ecclesiæ Sacramentario par.* 1. *de Missis Mortuorum p.* 536. & Macrius *in suo Hierolexico, v. Offertorium.* Ecclesia igitur, dum eadem verba, & eamdem deprecationem adhibet in Missa, & etiam in agendis funeralibus Defunctorum, retrotrahit tales preces ad momentum transitus, & obitus, & considerat animas in eo momento, quo e corpore migrant, ac si ante tribunal Judicis tunc constituerentur: unde in eo sensu acceptæ tales preces non significant, quod sententia Judicis etiam post multum tempus ab obitu suspenditur, usque in diem extremi Judicii. Prædicta omnia confirmantur ex aliis precibus Ecclesiæ effusis, partim in Adventu, partim in Nativitate Domini, perinde ac si Deus foret incarnandus, vel nasciturus, proferendo illa verba: *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant justum, &c. O Adonai veni ad redimendum nos. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem Terræ. Orietur sicut Sol Salvator Mundi, & descendet in uterum Virginis.* Sic enim orando Ecclesia retrotrahit tales preces ad tempus Prophetarum, & præcedens Domini Jesu Christi Nativitatem, & ita repræsentando Mysterium olim factum, petit fructum ejus nobis applicari. Ita pariter repræsentando per antedicta verba, quæ habentur in agenda Mortuorum, statum Animæ in mortis momento, & tempore agonis; nihil aliud intendit, nisi impetrare aliquod solatium pro Animabus illis, quæ e corpore jam migrarunt, & in carcere Purgatorii retinentur. Alia videri possunt spectantia ad hanc eamdem materiam apud suprac. Macrium, & Grancolas, necnon apud doctissimum Franciscum Sylvium *in suis commentariis in* 3. *partem S. Thomæ quæst.* 100. *art.* 6.

Solum in Missa Sabbati majoris hebdomadæ omittitur Offertorium, cujus omissionis rationem assignabimus in nostris Observationibus ad *titul.* 10. *part.* 4.

III. Gavant. litera. t — *Orationes, quæ nunc dicuntur in Oblatione, &c.*) Post Antiphonam, quæ Offertorium dicitur, quinque sunt Orationes; nempe *Suscipe Sancte Pater, Offerimus tibi Domine, Spiritu humilitatis, Veni sanctificator, Suscipe Sancta Trinitas*, quæ non sunt valde antiquæ, nec in Ecclesia Romana ante 700. annos dicebantur. Ratio est, quia Micrologus, qui floruit anno Christi 1070. *libro de Eccles. observat. cupit.* 11. scribit, Orationem *Veni sanctificator*, juxta Ordinem Gallicanum recitari; & illam *Suscipe Sancta Trinitas*, non ex aliquo Ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine. Romanum tamen Ordinem, nullam Orationem instituisse post Offertorium ante Secretam. Et confirmatur, quia Alcuinus, Amalarius, Walafridus, Remigius, Ru-

Rupertus, Hugo, & alii veteres Scriptores de rebus Ecclesiasticis non meminerunt prædictarum orationum, sed transeunt ab Offertorio ad Secretas. Immo Radulphus Tungrensis, qui floruit circa annum Christi 1150. refert tantum ea, quæ ex Micrologo attulimus, ipsumque citat. Hanc sententiam amplectuntur etiam Card. Bellarminus *lib. 2. de Missa cap. 17.* necnon Card. Bona *lib. 2. rerum Liturgic. cap. 8.* quibus adstipulantur Grancolas *tom. 2. de antiquis Liturgiis pag. 552.* Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4. art. 6.* Antonius Bellotte in suis Observationibus *ad Ritus Laudun. pag. 467.*

IV. Gavant. lit. u — *Orationes secreto dicendæ sunt, &c.*) Post quinque præfatas deprecationes dicuntur Orationes a Sacerdote, quæ vocantur secretæ; & debent esse tot, quot clara voce dictæ fuerunt ante Epistolam, eodem omnino ordine, ac prædictæ Orationes, quæ alta voce recitatæ fuerunt. Cætera de his Orationibus secretis tradit sufficientet Gavantus supra, & pro qualibet Missa: sive de Communi, sive propria describuntur in Missali. Unica quæstio esse potest: utrum illa verba, *per omnia Sæcula Sæculorum*, quæ clara voce proferuntur a Sacerdote post ultimam ex dictis Orationibus secretis, sint finis talis orationis, an principium Præfationis? Bissus *lit. O num. 82. §. 1.* adhæret doctrinæ Innocentii III. qui docet ea verba esse finem orationis, & principium Præfationis simul; ad significandum Christum Dominum esse lapidem angularem, qui facit utraque unum. Verum Micrologus *libr. de Eccles. observ. cap. 7.* & Amalarius *lib. 3. de Eccles. Officiis cap. 19.* tenent quod prædicta verba *per omnia Sæcula, &c.* pertineant præcise ad finem superiorum orationum; cum quibus convenit D. Thomas 3. *part. qu. 83. art. 4. In O.* quam sententiam libenter amplector. Etiam de his orationibus secretis, quoad illarum eruditionem sacram, videri possunt supra sæpius allegati Auctores, qui de his Missæ partibus suas dissertationes instituerunt.

RUBRICA.

5 (z) *Præfationes autem dicuntur, ut in Ordine Missæ adnotatum est,* & (a) *quæ in Quadragesima, Tempore Passionis,* (b) & *Paschali,* & *infra Octavas propriæ assignantur; dicuntur etiam* (c) *in Dominicis,* & *Festis, quæ illis temporibus celebrantur; nisi illa Festa propriam Præfationem habeant.*

GAVANTUS.

(z) *Præfationes.* Hoc est Prolocutiones ante Canonem. *Alcuin de Celebr. Missæ.* Originem habent ab Ecclesiæ primordiis, *ex Clem. lib. 8. Const. Apostol. cap. 16.* Dionysium auctorem facit *Honor. Gemm. lib. 1. cap. 89.* & Leonem Papam *ibid.* Præfationis communis auctorem Gelasium dicit *Alcuin. loc. cit.* aut cantari jussit, *ut ait Gemma*, aut forte limavit, quæ tamen habetur in Liturgia S. Petri Græca.

Novem Præfationes enumerat, ut antiquas, & approbat Pelagius Papa Secundus *Epist. 4.* nimirum Paschalem, de Ascensione Domini, de Pentecoste, & de Natali Domini, (quæ dicitur etiam in Missa de Sacramento Altaris *ex Radulph. loc. cit.*) de Epiphania, de Apostolis, de S. Trinitate, de Cruce, de Jejunio Quadragesimali. *Sigebertus de Pelagio ad A. D. 581. & can. invenimus de Consecr. dist. 1.* & hoc fortasse ordine compositæ fuerunt: nam ordine temporis positæ sunt in Missali, quo eas cantari contingit. His *teste Radulph. ibid.* addidit decimam de B. V. M. Urbano II. *in Conc. Placentiæ celebrato, an. 1095. ex Bar. vel ex Bellarm. lib. 2. de Miss. c. 17. an. 1080. & habentur Can. SS. §. fin. dist. 70.* Angeli vero omnes in Præfatione nominantur implicite in verbo, *Virtutes, ex Alcuin loc. cit.* quia Dominus Virtutum, id est, Angelorum, ipse est Rex gloriæ, *Ps. 23.* ideoque nominantur paullo ante Consecrationem, quia creduntur Sacrificio adesse. *Microl. cap. 11.*

Sursum corda: de Jeremia sumptum est. Legit *Clem. Constit. lib. 8. c. 16.* Sursum mentem; ex quo datur intelligi, corda esse casus accusativi. *Gratias* agamus, de Apostolo. *Radulph. loc. cit. Beata Seraphim,* Alcuinus legit *Seraphim,* & vult esse plurale generis neutrius; Seraphim autem esse generis masculini; illud ab Hebræis, hoc a Græcis derivare. Sed fallitur, quia in Liturgia S. Petri legitur, *Seraphim* passim generis neutrius. Miror, Caroli Magni magistrum hæc minutiora persequi, sed minima Dei maxima sunt, & maxime observanda. Pleniorem Præfationis declarationem lege *apud Durand. lib. 2. cap. 31.*

Concluditur Præfatio Hymno trisagio, seu Angelico, quem Victorialem *Liturg. Sancti Petri*, Triumphalem *Sancti Jacobus, & Marcus in Liturgiis*, Cherubicum *Sanct. Germanus in Theoria*, *Alcuinus* Primæum vocant, & quamvis vulgo hujus Hymni, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* feratur auctor S. Sixtus: hic quidem Decreto firmavit, ut Sacerdote incipiente, populus prosequeretur; sed antea erat in usu in Liturgiis prædictis, & meminit *Clemens lib. 8. Constit. cap. 16.* desumptus autem est partim ab *Isaia* partim ab *Evang. Matth. 2.* in quo Trinitas adoratur in unitate, & benedicitur Incarnatio Verbi, quod venit in nomine Domini. Addit Sanctus Ignatius illud, *Benedictus qui venit, &c.* si credimus *Remigio Antisiodorensi in expositione Missæ* bis dicitur *Hosanna*, idest, Salva quæso, ab antiquis temporibus. *Ordo Romanus* semel Angelorum nomine, semel nostro, quia Hymnus hic partim ab Angelis, partim ab hominibus concinitur, ut per Christum immolatum, genus humanum sociatum fuisse Angelis fateamur. *Gemma cap. 42. lib. 1.* Concil. autem Vasense *Canon. 6.* statuit, ut diceretur in omnibus Missis, etiam Defunctorum.

(a) *Quæ*

(a) *Quæ in Quadragesima.* Etiam in Feriis Præfationem Dominicæ dici, scribit *Microl. cap.* 50.

(b) *Et Paschali.* Eamdem recitari præfationem usque ad Ascens. tradit *Microl. cap.* 55.

(c) *In Dominicis, & Festis, &c.* Generale est Præfationum, ut eorum temporibus, & diebus in omni Missa continuentur, ubi propriæ non habentur. *Radulph. propos.* 23. per quod patet ratio sequentium Rubr. *num.* 3. & 4. Excipe Festum S. Joann. Evangel. cui datur Præfatio de Nativ. ex antiquo usu Cappellæ Papalis, licet habeat Præfationem propriam; & item diem Octavæ S. Stephani, quæ est infra Octavam S. Joannis, in qua dicitur Præfatio de Nativ. in gratiam ejusdem Nativit.

Excipe quoque Missam de Feria privilegiata, ut Litaniarum majorum in Festo S. Marci ex Rubrica propria, & Missam Feriæ quartæ Temporum occurrentem in Octava Nativit. B. V. in quibus dicitur Præfatio communis, ita S. R. C. die 12. Decembris 1626. * & a simili Missam Vigiliæ S. Joannis, seu Apostolorum infra Octavam Corporis Christi, seu in die Octava.

Ratio est, quia prædictæ Missæ sunt feriales, in quibus dissonaret cantus solemnis Præfationum, puta, de Corpore Christi (Ferialis cantus non habetur ejusdem in Missali) & ideo sicut in Missa solemni Præfatio communis non potest non cantari, ita etiam in Missa Privata de Vigilia, communis Præfatio recitari debet. Præterea congruit communicatio Præfationum festivitatum aliis festivis & votivis, quæ aliqualem habent rationem Festi, non autem Feriis & Vigiliis; unde de iis in seq. *num.* 3. & 4. regula datur; de his nihil Rubr. nihil, inquam, ut non dicas esse casu omissum.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

V. Gavant. lit. z — *Originem habent ab Ecclesiæ primordiis, &c.*) In libro Pontificali de Gelasio legitur, *quod fecit Sacramentum, Præfationes, & Orationes cauto sermone.* Ad quæ verba Emmanuel a Schelestrate in notis habet: *Extat in Bibliotheca Palatina Vaticana Sacramentarium MS. annorum circiter mille, in quo continentur Præfationes ante Gregorii tempora in Ecclesia Romana usu receptæ, de quibus hoc loco mentio reperitur: unde non male illud Sacramentarium Gelasianum vocatur:* ita allegatus Schelestratius. Hinc quidam referunt Gelasio Romano Pontifici Præfationum institutionem: sed Cardinal. Bona *libr. 2. rerum Liturg. cap.* 10. concedit quidem plures Præfationes a Gelasio editas fuisse; nihilominus pro certo habet in ipsis Ecclesiæ primordiis, ut ait noster Gavantus supra, extitisse usum Præfationum in Missæ Sacrificio; & earum institutionem vel Apostolis, vel Apostolicis viris tribuendam esse censet; idque probat, quia integra, nostræque simillima Præfatio legitur in Jacobi Apostoli Liturgia, ejusque mentio reperitur apud Sanctos Patres Gelasio & Ambrosio antiquiores, inter quos præsertim recenset Cyprianum, Cyrillum Jerosolymitanum, & alios. Rursus Præfationes ubique receptæ, atque usitatæ fuerunt, cum reperiuntur in Liturgiis omnium Ecclesiarum, & Nationum tum Orientalium, tum Occidentalium, quarum aliquas refert Card. Bona *cit. cap. n.* 2. ubi pariter ait, extare aliquot libellos Præfationum in Bibliotheca Vaticana; & Cornelium Sculting, *tom. 1. Biblioth. Eccl. p.* 2. *c.* 22. laudare librum editum Coloniæ ab Henrico Gravio, in quo sunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ. Ambrosiani unam habent Præfationem Romanæ similem; at in Missis propriis, sive de Festo, sive de Dominica, aut de Feria, propriam canunt Præfationem. Ita pariter Mozarabes varias habent Præfationes, in quibus vel Mysteria ejus Festivitatis, quam tunc celebrant; vel Sancti, de quo est in Missa, laudes & encomia decantant. In Sacramentario Gregoriano propriæ item extant Præfationes in singulis Missis ab Ambrosianis diversæ: ita pariter in Codice Gelasiano, Gothico, Gallicano, & in Codice Leonino recentissime evulgato, ut supra innuimus, singulares non modo in Festis Solemnibus, sed & in Dominicis occurrunt Præfationes. Denique in Græcis, & Orientalibus Liturgiis non una, & eadem est illarum dispositio. Una quidem singulis propria est, ita ut Jacobi Liturgia suam habeat, suam Basilii, suamque Chrysostomi Liturgiam; sensus tamen semper idem est omnium Præfationum in tot diversis Deo gratias agendi formis, quas continent: & omnes sicut iisdem pene versibus incipiunt, ita omnes Hymno Cherubino, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* concluduntur.

VI. Gav. ead. lit. z — *Novem Præfationes enumerat ut antiquas, & approbat Pelagius PP. II. epist.* 4.) Epistolam, quæ Pelagio II. tribuitur a Gavanto non 4. sed 9. recenset Franciscus Pagius in Vita ejusdem Pontificis *num.* 17. & quamvis eamdem epistolam referant etiam, & tamquam genuinam approbent Baronius *tom. 7. anno* 590. & Binius *tom. 4. Conciliorum*, aliique passim; nihilominus idem Pagius *loc. cit.* Grancolas *tom. 1. de antiquis Liturgiis pag.* 599. & ante eos primus omnium Card. Bona *lib. 2. rerum Liturgic. c.* 10. *n.* 3. vehementer dubitavit, ne alterius forte Pontificis recentioris sit prædicta epistola, & Pelagio per errorem tributa: hac ratione motus, nimirum, quia si ætate Pelagii, illis tantum Præfationibus Romana Ecclesia, tamquam dudum in ea receptis, & approbatis utebatur; quomodo Gregorius ejus immediatus successor, sacrorumque Rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? Suspicionem auget Joannes Diaconus, qui cum res a Gregorio Magno gestas minutissime in ejus Vita congesserit, nullam tamen de aliis novis Præfationibus ab eo contra morem priscum Romanum institutis, mentionem facit. Accedit, quod in libris antiquis Sacramentorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulum præseferunt, præsertim Gelasiano &

Leo-

Leonino, de quibus supra, aliisque posterioribus; nimirum Gregoriano, &c. vix ulla Missa est, cui propria, & peculiaris Præfatio non assignetur. Præterea si Pelagius II. Auctor esset hujus epistolæ ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ directæ, ipsisque mandasset non tenendas esse nisi novem dictas Præfationes, profecto Ecclesiæ Galliarum ejus Decreto paruissent; constat tamen, quod ante Pipini & Caroli Magni tempora, Ecclesia Gallicana non suscepit Romanæ Missæ Ritum & Ordinem, sed propriis Officiis usa est, ut alibi nos ostendimus agendo de Missali Gallicano, in quo assignantur propriæ Præfationes omnibus fere Missis. Hæc demonstrare videntur prædictam epistolam, & Decretum in ea contentum, Pelagio II. adscribi non posse. Quod si hæc sententia non placeat, hoc saltem negari non poterit (inquit Card. Bona) usum Ecclesiæ Romanæ, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse, ejusque Decretum de novem Præfationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi sæculo X. vel XI. & revera nonnisi in Missalibus scriptis post annum 1200. illæ novem Præfationes dumtaxat reperiuntur; quibus postea duæ additæ sunt, una communis antiquissima, quæ Gelasii, sive Gregorii creditur esse; altera de B. V. ab Urbano II. instituta in Concilio Placentino, de quo Gavantus supra, vel Claromontano, ut aliis videtur. Card. Bonæ sententiam amplexus est etiam eruditissimus Baluzius, tam in epistola ad eumdem scripta postridie Kalendas Decembris, anni 1672. quam in notis ad Antonium Augustinum; ubi Pelagii II. epistolam supposititiam ostendit ex titulo ipso epistolæ, quæ data dicitur *ad Episcopos Germaniarum, atque Galliarum:* ibi enim probat, hoc scribendi genus in usu esse non potuisse, nisi sub finem VIII. sæculi.

VII. Gav. lit. c — *Excipe quoque Missam Feriæ quartæ &c.*) Quamvis verissimum sit, quod occurrente Feria quarta Temporum in Octava Nativitatis B. M. V. tunc in Missa Feriæ debeat dici Præfatio communis, juxta Decretum a Gavanto citatum, datum in nostro Indice *sub n.* 202. nihilominus advertendum est, quod in Missali recenter Romæ impresso typis Collegii Propagandæ Fidei, anno 1714. habetur in Rubrica die 14. Decembris (in qua fit Officium de infra Octavam Conceptionis) *Si occurrat Feria quatuor Temporum, Missa dicitur de illa Feria cum Commemoratione Octavæ, & cum Præfatione B. M. V.* Optime ita præscribitur in tali Missali: quia in illa die non dicitur nisi una Missa Conventualis, & hæc de illa Vigilia, sicut & aliæ Privatæ; nulla vero de B. M. V. nisi Votiva, juxta ea, quæ a nobis dicta sunt in Observationibus *ad tit. de Feria, & Vigilia.* E contra vero in primo casu adducto a Gavanto, cum sermo sit de die Oct. Nat. B. M. V. in illa die dicitur Missa Conventualis, & omnes Missæ Privatæ de tali Octava; & alia postea dicitur Missa Conventualis de Vigilia, in qua nulla fit Commemoratio Oct. B. V., & in qua non debet dici ejusdem Octavæ Præfatio; juxta allegatum Decretum. Inhærendo eidem Decreto, Præfatio communis erit dicenda in Vigilia S. Joannis Baptistæ, vel SS. Apostolorum Petri, & Pauli, si occurrerit infra Octavam Corporis Christi in Ecclesiis scilicet Cathedralibus, & Collegiatis; quibus onus incumbit in tali Octava privilegiata, ut dicimus supra *de Feria, & Vigilia*, cantandi duas Missas Conventuales, primam de Octava post Tertiam, & secundam de Vigilia post Nonam, in qua nulla fit Commemoratio Octavæ Corporis Christi, & hinc non dicenda est ejusdem Octavæ Præfatio, sed communis. Item idem servandum in Feria quatuor Temporum, si in ea venerit Octava Conceptionis B. M. V. in qua pariter cantandæ essent duæ Missæ Conventuales: item & in aliis casibus similibus. Idem dicendum est de Missa Feriali, quæ dicitur infra aliquam Octavam occurrentem in Quadragesima, ab aliquibus privilegiatis; de quibus vide Decretum *sub n.* 460. tunc enim Præfatio erit de Quadragesima, licet Octava propriam haberet: ita tenet Guyetus *l. 4. c. 3. qu. 1.* Auctores, qui erudite tractant de Præfatione Missæ, sunt sæpius laudati Card. Bona loc. cit. Antonius Bellotte in suis Observationibus *pag.* 513. Edmundus Martene *de Antiq. Liturg. pag.* 594. Petrus Le Brun *tom. 1. pag.* 389. & Stephanus Durand. *lib. 2. cap.* 31.

Superest nunc subnectere sequentia S. R. C. Decreta pertinentia ad Ritus Præfationum.

Qui in Sabbato recitat Officium B. M. V. volens celebrare Missam Votivam de Sancto, non debet dicere Præfationem B. M. V. sed communem. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice *sub num.* 475.

Si Festum SS. Philippi & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis occurrat infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis; Communicantes vero de Ascensione. 28. Augusti 1627. & in nostro Indice *sub num.* 216.

Decreta spectantia ad Præfationes Missarum Votivarum allegata a nobis fuerunt in §. 10. talium Missarum.

RUBRICA.

3 *Si infra Octavam alicujus Festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat Festum ex majoribus, non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat Commemoratio in Missa.*

4 *In Missis Votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant, si vero non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel Octava, infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari: aliquin Præfatio communis. Et quando aliqua Missa Votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur* (d) *in cantu solemni, ut in Duplicibus. In Missis*

De-

Defunct. quocumque tempore semper dicitur Præfatio communis.

GAVANTUS.

(d) *Cantu solemni.* Qui nimirum assignatur Festis Spiritus Sancti, Trinitatis, Sanctæ Crucis, S. Mariæ, &c. demptis verbis, quæ non congruunt Votivæ Missæ; ut in Præfatione solemni de Spiritu Sancto omittenda sunt ea verba in cantu *hodierna die*, quæ conveniunt tantum Festo Pentecostes, non Votivæ Missæ.

Monendum hoc loco Votivas Missas infra Octavam Nativ. Domini non habere aliam Præfationem, quam de Nativitate, sicut & Festum S. Joannis argumento a fortiori; & item, quod Præfatio de tempore, & de die idem sonat in hac Rubrica. *Hæc postrema verba addita sunt ab alia manu, non a Gavanto.*

RUBRICA.

5 *Post Præfationem incipitur* (e) *Canon Missæ secreto; in quo serventur omnia, ut in Ordine Missæ. Ubi vero* (f) *infra actionem,* (g) *Communicantes, & Hanc igitur, vel alia, variari contingit, suo loco in propriis Missis adnotatur.*

GAVANTUS.

(e) *Canon.* Idest Regula. Canon vox usurpata a S. Gregorio *lib.* 11. *epist.* 16. qui & precem nominavit, *lib.* 7. *epist.* 63. Regulam vocat Ecclesiasticam *Ambros. in epist. ad Timoth. c.* 2. Legitimum, *Optatus Milevit. lib.* 2. *contra Parmen.* Secretum, *Basil. de Spiritu Sancto cap.* 27. Ordinem precum *Isidor.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 15. *& a Dionysio loc. cit.* dicitur Actio, quia *ex Walafr. cap.* 22. in ea actione est legitimus Ordo, & Regula, fixa & stabili ad Sacramenta conficienda — Auctor illius nescitur; antiquior est Ordine Romano, in quo habetur Canon, ut jam usitatus, & in Liturgia S. Petri totus habetur, sed partim auctus, saltem Sanctorum nominibus post mortem Petri. Antiquior est omni memoria, inquit *Bellarm. mox cit. loc.* & quia nulla ibidem fit mentio Confessorum, probat idem *lib.* 2. *de Missa cap.* 20. fuisse totum ante Conc. Mogunt. in quo Festa Confessorum habentur. Putat *Innoc. III. l.* 3. *cap.* 10. finitum ante S. Sylvestrum. Tamen ultimus, qui addidit Canon, fuit S. Gregorius, ut dicemus, a quo *loc. cit.* dicitur fuisse a Scholastico compositus, quem putant esse Gelasium doctrina clarissimum. *Innoc. II. lib.* 2. *cap.* 10. *& Honor. in Gemma Anim. lib.* 1. *cap.* 90. De Musæo Massiliensi dubitat *Pamelius in Liturgiis*, qui scholastico sermone scripsit librum Sacramentorum circa annum 490. Vel de Victoriano Voconio Mauritaniæ Episcopo, qui composuit Sacramentorum volumen, & vixit inter tempora SS. Hieronymi, & Gregorii Papæ. Sed sicuti vere compositus fuit a pluribus, ex Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum Institutionibus, juxta Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. ita pars ejusdem antiquior est altera, ut patebit ex Auctoribus singularium partium; de quibus *in secunda parte Rubricarum generalium titulo octavo, & sequentibus,* agemus commodius.

(f) *Infra actionem*, Hoc est, Canonem, ob rationem supra allatam.

(g) *Communicantes, &c.* Varietas hæc habetur in libro Sacramentorum S. Gregorii: *Micrologus cap.* 12. hæc habet, in summis Festivitatibus quædam Canoni in illo loco, ubi dicitur, *Communicantes*, vel *Hanc igitur oblationem* interponimus; quæ tamen ex antiquioribus, & emendatioribus Sacramentariis interponenda esse didicimus, videlicet in Nativitate Domini, in Epiphania, in Cœna, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste, quæ sane cum nostris Missalibus concordant. Dantur autem casus, quod separari debeat *Communicantes* a sua Præfatione, nam infra Octavam Ascensionis, si occurrat Festum Sanctorum Philippi & Jacobi, *Præfatio* erit de Apostolis: *Communicantes* de Ascensione, licet in Missa nulla fiat Commemoratio, idemque accidere potest in Inventione S. Crucis, & in Missis Solemnibus Votivis, quæ dicuntur infra eamdem Octavam, & habent Præfationem propriam.

Ratio vero est, quia *Communicantes* habet infra illam Octavam quasi rationem de tempore; sic ut haberet etiam Præfatio de Octava in prædictis Festis, si propriam Præfationem non haberent, ut dicitur *in titulo hoc eodem n.* 3. *&* 4. licet nulla fiat Commemoratio de Octava, dicitur tamen *Communicantes*; sicut in Offic. dicitur ad Primam, & in fine Hymnorum in prædictis Festis, *Qui scandis super sydera*, neque enim ideo unitur *Communicantes* Præfationi, ut una simul vel dicantur, vel omittantur, sed ut facilius utrumque reperias. Atque ita decrevit tandem S. R. E. die 28. Aug. 1627.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

VIII. Gav. lit. e — *Autor illius nescitur, &c.*) Verissime scribit Gavantus auctorem Canonis ignorari, quippe nonnulli a Musæo Presbytero Massiliensi; alii a Voconio Episcopo Castellanensi in Mauritania sæculi V. Scriptoribus, qui teste Gennadio Sacramentorum libros ediderunt, compositum Canonem arbitrantur, ut etiam notat hic Gavantus. Anonymus quidam Mellicensis, qui sæculo duodecimo tractatum composuit de Scriptoribus Ecclesiasticis, primo editum a Bernardo Pez in suo novo Thesauro Anecdoc. & secundo vulgatum a Joanne Alberto Fabricio in Bibliotheca Ecclesiastica, pag. 143. *tom.* 2. credidit Missæ Canonem a Sancto Clemente Alexandrino fuisse conscriptum. Ejus verba, quoniam paucis nota erunt, hic placet exscribere — *Miræ autem,* inquit, *eruditionis, & eloquentiæ fuit. Orationem il-*

illam Sacerdotis, quam Canonem dicimus, ipse composuit, quæ & ab omni Ecclesia tanti est habita, ut in Consecratione Corporis Domini perpetuo jussa sit recitari — Neminem futurum esse credimus, cui possit hæc sententia placere: & fortasse Auctor hic sciens a Clemente Alexandrino Canonem Ecclesiasticum esse conscriptum, ut testatur Photius Codice III. putavit Canonem illud Ecclesiasticum esse Canonem Missæ; in quo sane deceptus est Aldelmus Episcopus, qui octavo Sæculo floruit, in libro de laudibus virginitatis *cap.* 23. Canonem a Gregorio Magno editum existimat. Verum ipse Gregorius *lib.* 6. *ep.* 64. ait a quodam Scholastico fuisse compositum: quis autem fuerit Scholasticus hic, aut quo tempore vixerit, Gregorius silentio præterit. Aliqui, teste Gavanto hic, putant fuisse Gelasium Summum Pontificem, inter quos Radulphus Tungrensis: sed ex libris Ambrosii *de Officiis & Sacramentis* discimus, Canonem ante Gelasium conditum fuisse; neque probabile est Gregorium Scholastici titulo donasse prædecessorem suum virum doctissimum, & inter Pontifices nemini secundum. Non desunt etiam, qui putent per precem, quam Gregorius ait a Scholastico compositam, non debere intelligi Canonem, sed Orationem quamdam actioni Missæ insertam; hanc opinionem primus amplexus est Jacobus Jansonius in suis Liturgicis *lib.* 3. *cap.* 11. Placuit hæc opinio doctissimo Maldonato in suo MS. tractatu de Cæremoniis Missæ, ubi contendit Gregorium non de integro Missæ Canone intelligendum esse, sed de particulari illa Oratione, quæ incipit *Hanc igitur*, & quam solum a Scholastico scriptam affirmat. En integram Maldonati censuram relatam a Petro le Brun *tom.* 2. *dissert.* 2. *art.* 2. *num.* 9. *pag.* 147. — Quod item Scholasticus non fuerit auctor Canonis, hinc liquet, quod cum Gregorius eo loco reddat rationem cur introduxisset illa quatuor, ait, sibi durum visum fuisse, quod illa Oratio, quam Scholasticus composuit, diceretur; & Oratio Domini super Corpus & Sanguinem non diceretur — Significat ergo illam Orationem, quam Scholasticus composuit, fuisse unicam, & dictam fuisse super Corpus, & Sanguinem Domini; ergo totus Canon non fuerat compositus a Scholastico. Aliud ejusdem rei argumentum est, quod Canonis verba reperiantur apud Auctores antiquiores Scholastico. Denique Scholasticus homo erat privatus, Scholastici enim erant viri quidam Ecclesiastici gradus, quibus curæ erat juventutem docere. Horum Ecclesiæ Sapientium, qui Scholasticorum nomine decorabantur, sæpe mentionem faciunt Hieronymus, & Gennadius in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Severus quoque Sulpitius, loco dicendi *vos Sapientes*, dicit, *vos Scholastici*, Dialog. 2. & Div. Gregorius commendat virum quemdam doctissimum Scholastici titulo, dicens, viro clarissimo Scholastico, *lib.* 10. *Registri epist.* 2. Cum ergo Gregorius (qui Pontifex erat) reprehensus fuerit ob res minutas, quanto magis Scholasticus reprehensus fuisset, homo privatus, & qui rem tam gravem, qualis est Canon, recens in Ecclesia invexisset? Libenter Maldonati opinionem amplecteremur; sed Gregorium ibi de integro Canone loqui, ipse contextus epistolæ evincit; ut ait Bona *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 2. Præterea quædam sunt in Maldonati censura, quæ probare non possumus: nam quod ait Canonis verba reperiri apud Auctores antiquiores Scholastico, nullius momenti esse videtur, etenim si certo constaret tempus, quo dixit ille Scholasticus, optimum quidem esset hoc argumentum; sed cum ignoremus qua ætate floruerit, affirmari sine divinatione non potest, verba Canonis reperiri apud Scriptores illos vetustiores; quare dicendum omnino videtur integrum Canonem a Scholastico esse compositum. Ex hoc tamen non licet arguere Missæ Canonem ex Apostolica traditione non descendere: Vigilius enim Pontifex ante Gregorium in Epistola ad Eucherium, sive ad Profuturum, ut ex MS. Codicibus colligit eruditissimus Baluzius in notis ad librum Antonii Augustini de emendatione Gratiani, & in epistola ad Cardinalem Bona scripta anno 1672. quam ergo perlegi. Vigilius, inquam, diserte testatur, quod Canonem ex Apostolica traditione suscepimus; quod pariter Tridentinæ Synodi auctoritate firmatur, hæc enim *sess.* 22. *cap.* 4. docet constare Canonem ex ipsis Domini verbis ex Apostolorum traditionibus, ac SS. Pontificum institutionibus. Quæ in speciem cum Gregorio pugnantia hac oratione possumus conciliare, ut dicatur quod Vigilius, & Tridentini PP. de substantia Canonis loquuntur, quam ab Apostolica traditione descendere, libentissime confitemur; Gregorius autem loquitur de verbis sive stylo, quo Canon exaratus est: & sane verba, & stylum ipsum ab Apostolis emanasse, parum habet probabilitatis; neque enim tam eleganter scribebant Apostoli. Observandum nihilominus est cum Bona, Petro Le Brun, Grancolas, Bellotte, aliisque Scriptoribus, neminem ex Pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam Canoni vel addidisse, vel immutasse. Hoc unum reperitur apud Anastasium, quod Gregorius III. sæviente adversus Imagines, & Sanctorum Reliquias Leone Isauro Imperatore, Oratorium ædificavit in honorem omnium Sanctorum; & a Sacerdotibus in ipso Missas agentibus, hanc clausulam post illa Canonis verba, *& omnium Sanctorum suorum*, dici iustituit: *Quorum Solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Domine Deus noster in toto Orbe terrarum*, quod tantum pro illo Oratorio institutum fuit; atque ideo notante Walafrido Strabone *cap.* 22. non est Canoni, qui generaliter dicitur, adnotandum. Porro observandum hic Canonem variis nominibus insignitum fuisse: Gregorius laudata epistola, *Precem* appellat; Vigilius *Textum Canonicæ precis*. Concilium Ebrocense tempore Cælestini III. *Missæ secretum* nuncupat, Cyrianus *Orationem*, alii

Actio-

Actionem dicunt, ut Walafridus, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur qua de causa in ipso Canone in Oratione, quæ incipit *Communicantes*, titulus apponatur *infra Actionem* (melius teste Bona *loc. cit.* legendum est *infra Actionem*, quemadmodum in MSS. Codicibus reperitur) quia nimirum actio Sacrificii ibi proprie continetur. De singulis partibus Canonis aliqua etiam sparsim *in* 2. *part. tit.* 8. *& seqq.* hujus Thesauri cum Gavanto adjecimus.

Superest nunc, ut recenseamus breviter auctores, qui de præfato Canone Missæ erudite disseruerunt. Hi autem sunt Stephanus Duranti *lib.* 2. *cap.* 32. *& seqq.* Edmundus Martene *de antiquis Eccles. Ritib. lib.* 1. *art.* 8. Hugo Menardus *in suis notis, & observ. ad Sacram. Gregorian. pag.* 12. Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 11. Antonius Bellotte *in suis observ. a pag.* 529. *usque ad pag.* 565. Grancolas *de antiq. Liturg. pag.* 603. Petrus Le Brun *tom.* 1. *pag.* 399. Gabriel Biel in sua Sacri Canonis Missæ lucidissima expositione. Franciscus Vander Veken e Societate Jesu *de Canone Sacrificii Missæ.* Franciscus Pagi *in Vita Gelasii PP. num.* 15. Oliverius Bonartius *de Sacrosanct. Sacrif. Missæ lib.* 2. *cap.* 20. *& seqq.* Anonymus *in tract. de Missa Parochiali* Gallice conscripto 3. *part. cap.* 1. *& seqq.* Natalis Alexander *tom.* 1. *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis lib.* 2. *art.* 6. *num.* 15. *& seqq.*

De Communione, Orationibus post Communionem, ite Missa est, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, & Evangelio S. Joannis. XIII.

RUBRICA.

Expleto Canone, & aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, dicitur (h) *Communio, & Orationes* (i) *post Communionem, eodem modo & ordine, ut in principio Missæ, & repetito, Dominus vobiscum, dicitur,* (l) *Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ite Missa est, dicitur* (m) *quandocumque dictum est Gloria in excelsis. Cum non dicitur, Benedicamus Domino, respondetur,* (n) *Deo gratias. In Missis Defunctorum dicitur,* (o) *Requiescant in pace, respondetur, Amen.*

GAVANTUS.

(h) *Communio.* De hac *Ordo Roman., & Antiphonar. Gregor.* & cantabatur dum Populus communicabatur. Tradit *Rupert. lib.* 2. *cap.* 18. solitam dici post cibum salutarem in gratiarum actionem. Cælestino *Demochares tom.* 4. *cap.* 15. Gregorio tribuunt Auctores *Gemma lib.* 1. *cap.* 90. *& Hugo Victorin. de Eccles. Offic. lib.* 2. *cap.* 11. Deducit hunc Ritum *Sanct. Thom.* 3. *part. qu.* 83. *art.* 4. ab Hymno dicto a Christo, & Apostolis post cœnam. Nunc cantari debet post *Agnus Dei* immediate, nisi fiat populi communio, ad quam ea cantatur.

(i) *Orationes post Communionem.* Idem docet *Microlog. cap.* 19. quas Orationes Collectas etiam vocat *Ordo Romanus.* Ad complendum, titulus earum est, *in Sacrament. Gregor.* Benedictiones appellat *Walafrid. loc. cit.* quæ pro communicatis dicebatur; neque alia tunc in fine benedictio dabatur, *Microlog. cap.* 21.

(l) *Ite Missa est, &c.* A Leone institutum fuisse scribit *Radulph. proposit. ultim.* quod tamen habet *in Liturgia Sancti Petri*, & expressius *in Constitut. Apostolic. lib.* 8. *cap.* 23. & quidem in Festis, concurrente populo, dimittitur ille solemniter, nisi tristitia temporis insinuanda sit, ut in Dominicis Quadragesimæ, & ejusmodi; in ferialibus autem, ubi devotorum est accessus ad Missam, ii sunt potius detinendi in Divinis benedictionibus. *Microlog. cap.* 46. sed Clem. utitur verbis: *Ite in pace:* a Christo deducit hunc Ritum *Waldensis tom.* 3. *tit. cap.* 44. *num.* 7. qui in fine cœnæ dicit: *Surgite, eamus hinc.*

(m) *Quandocumque dictum est, Gloria.* Docet *Microlog. cap.* 19. *&* 46. solemnis autem est dimissio, ait *Rupert. lib. cap.* 20. & gaudium sonat commune Hymno Angelico, & Cantico, *Te Deum*; unde se invicem consequuntur, sicut cantus Angelorum, & iter parum ad Christum. *Durand. lib.* 7. *cap.* 1.

(n) *Deo gratias.* Hoc loco usurpari innuit *Dionysius cap.* 3. *Ecclesiastic. Hierarch. iis verbis:* in gratiarum actionem Sacram desinit, cum omni Ecclesiæ Sacra plenitudine, *Augustin.* etiam *epistol.* 59. *ad Paulinum*; participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit; quod *Amalar. lib.* 1. *cap.* 34. de hoc Ritu declarat.

(o) *Requiescant in pace.* Explicat *Durandus lib.* 4. *cap.* 47. ut requies concedatur, quam eis optamus; sed antea meminit hujus Ritus *Steph. Edvens. Sacram. Alt. cap.* 18.

* Dicitur autem hoc loco semper in plurali numero, licet pro uno dicatur Missa.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rub. &; Gavant. lit. l — *Ite Missa est, &c.*) Post completas Orationes Communioni subjungi solitas, & post ultimam populi salutationem, in Privata Missa Sacerdos, & in solemni Diaconus denuntiat completum esse Sacrificium, dicens: *Ite Missa est.* Utebantur his, vel æquivalentibus vocibus veteres Christiani post lectionem Evangelii, & exhortationem, ut dimitterent Catechumenos ab Ecclesia; ut diximus in nostris Observationibus Præliminaribus *num.* 10. & vocatur hæc prior Sacrificii pars, ut alias diximus, Missa Catechumenorum: quia ea parte pe-

peracta, mittebantur alta hac Diaconi voce, *foras*. Expleta vero postea reliqua Sacrificii parte, post Communionem dimittebantur etiam Fideles Christiani iisdem ferme verbis, Diacono dicente: *Ite Missa est*. Ab hujus vocis emissione loco supra allegato cum nonnullis clarissimis Auctoribus, arbitrati sumus, Eucharisticum Sacrificium Missam appellatum fuisse. Neque ante impertitam prædictam facultatem, discedere olim per Sacros Canones licuit; ut patet ex Conciliis Agathensi *c.* 47. & Aurelianensi *cap.* 28. allegatis in *cap. Omnes Fideles de consecr. dist.* 1. quo facit illud Chrysostomi homilia de Eccles. non condemn. — *Ingressus es in Ecclesiam? o homo, ne exeas, nisi dimittaris.*

II. Gavant. ead. lit. l — *A Leone institutum fuisse scribit Radulphus, &c.*) De prædicta Sacrificii conclusione loquitur Florus in expositione Missæ, Amalarius *de Ecclesiasticis Officiis lib.* 3. *cap.* 6. Durandus *in Rationali Divin. Offic. lib.* 4. *cap.* 57. Demochares *de Observat. Missæ cap.* 15. & alii quamplures; quam a Leone institutam fuisse perperam, ut notat supra Gavantus, asserit Radulph. *de observat. Canc propos.* 23. cum & in Liturgia, quæ D. Petri nomine decoratur, necnon in aliis Liturgiis Orientalibus consimiles sæpius legantur adstantium populorum dimissiones, quas adduximus in loco supracitato *num.* 10.

Cæterum per prædicta verba *Ite Missa est*, fiebat dimissio populi in diebus festivis, quando populus Sacrificio interesse supponebatur. In ferialibus autem omittebatur talis dimissio, quia tunc soli Ecclesiastici reperiri solebant; quibus non fiebat Missa, seu dimissio, cum ad Divina Officia persolvenda remanere deberent in Ecclesia: hinc in prima noctis Nativitatis Dominicæ Missa, *Ite Missa est*, non dicebatur; quia Populus, qui ad Laudes audiendas remanere debebat, non dimittebatur ab Ecclesia, ut colligitur ex Beleth *cap.* 49. *Rationali Divin. Officii*, qui Auctor floruit circa annum 1153. & ex Micrologo *cap.* 34. qui ante ipsum floruit; & addit rationem cur in Adventu Domini, Septuagesima, aliisque diebus pœnitentiæ dicatis, locum non habeat prædictus dimissionis usus; quamvis eodem tempore frequens sit populi conventus, a Sacris Mysteriis utique dimittendus; censetque ob temporis tristitiam, sequi talem reticentiam. Bellarminus vero *lib.* 2. *de Missa cap.* 27. ait: videtur nescio quid lugubre præseferre, quod non publica denunciatur dimissio, sed unusquisque per se discedit. Cæterum Cardinal. Bona *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 2. absolute censet, tunc potius dimissionem olim omissam fuisse, quando Fideles omnes, Missarum solemniis peractis, non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis Canonicis precibus, & statione soluta, abire fas erat; deinde morem hunc extensum esse ad Missas minus Solemnes, & quotidianas.

III. Rubr. & Gav. lit. m — *Quotiescumque dictum est Gloria, &c.*) Juxta Ritus recentiores, tamen, non uno semper, ac eodem Ritu concluditur Missæ celebratio. In Festis quidem, & Solemnitatibus, quotiescumque ad Matutinum Hymnus *Te Deum* decantatur, & ad Missam *Gloria in excelsis Deo*, eadem, qua supra dictum est, conclusione, nimirum per verba *Ite Missa est* terminatur Missa: in aliis vero diebus, quibus in Missa non dicitur præfatus Hymnus *Gloria in excelsis*, clauditur Sacrificium per verba *Benedicamus Domino*; quibus invitatur populus ad gratias Deo referendas pro completo Missæ Sacrificio. De hoc recenti modo concludendi Missæ Sacrificium, sermonem facit etiam Micrologus *cap.* 46. quem refert Petrus Le Brun *tom.* 1. *pag.* 663. qui fusiori calamo disserit etiam sequentibus paginis de prædicto Ritu dimittendi populum per verba *Ite Missa est.*

RUBRICA.

2 *Dicto (p) Placeat, datur* (q) *Benedictio, quæ a Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur* (r) *Evangelium S. Joannis, In principio, præmisso Dominus vobiscum, & Initium, ut moris est: quod Evangelium numquam prætermittitur in Missa; nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica, vel Feria, quæ habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missæ, quando in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in Officio lectum est.* (s) *In tertia Missa de die Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium de Epiphania: Cum natus esset Jesus. Et in Dominica Palmarum in Missis Privatis legitur Evangelium, quod ponitur in Benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur* (t) *Evangelium Vigiliæ in fine Missæ. Et similiter* (u) *in Missis Votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis.*

GAVANTUS.

(p) *Placeat.* Hujus meminit *Microlog. cap.* 22. quamquam post datam Benedictionem.

(q) *Benedictio.* De hac a Sacerdote hoc loco danda indicium est *in Liturgia S. Petri, & in libro Constit. Apostolicarum cap.* 23. Expresse de ea scribit *Hieronym. ad Rusticum Narbonensem Episcopum*, cujus verba de Benedictione hac explicat *Micrologus cap.* 21. qui & addit causam; ut qui non communicatus descendit, saltem benedictus a Sacerdote recedat: habetur etiam de *Consecr. distinct.* 1. *cum ad celebrandum ex Concilio Au-*

Aurelian. 1. *cap.* 28. & *Agaten. cap.* 47. *eadem dist. Missas.*

(r) *Evangelium S. Joannis.* In Liturgia S. Petri habentur hæc verba in fine. *Deinde plenitudo legis, & Prophetarum:* legebatur ergo aliquid, & Lindanus citat Liturgiam Sancti Simeonis Syracusani ante annum 800. in cujus fine lectio jubebatur. Apud quosdam lectio Evangelii S. Joannis fuit in usu, *ex Durand. lib.* 4. *cap.* 24. & *cap. quidam de Celebrat. Miss. tum in Concil. Salegunst. tit. de suffrag. cap.* 22. Additum ergo denuo est quoad omnes, & *Burchard. habet;* ut Divinitatis, & humanitatis Christi quasi circulari sigillo facto, ut opinor, toti Sacrificio extremam manum imponamus, & ut tanti beneficii jugiter recordemur, ait *Suar. part.* 3. *disp.* 82. *sect.* 1. Ejus loco legitur Evangelium, quod in Officio lectum est pro nona Lectione, ut Missa concordet cum Officio & nullum Evangelium in Missali positum prætermittatur; quin aliquo modo publicetur populo in Missa, saltem per modum Commemorationis in fine Missæ. Item si quis fortasse primum Evangelium non audierit, in fine saltem Missæ audire poterit alterum, *ait Suarez loc. cit.* Ex his autem ratio patet Rubricarum sequentium de Dominica IV. Adventus, cujus Evangelium non modo lectum est in Officio Vigiliæ Nativitatis Domini, sed & sufficienter lectum est pridie in Missa Sabbati Quatuor Temporum.

(s) *In tertia Missa Nativitatis Domini.* Ne in eadem Missa legatur bis idem Evangelium, legitur illud Epiphaniæ; quod & convenit Nativitati Christi, & in fine occasionem præbet adorandi cum genuflexione, ut ad ea verba: *Et Verbum caro factum est*, quando nimirum dicitur, *& procidentes adoraverunt eum.*

(t) *Evangelium Vigiliæ.* Quia nec in Officio lectum est, ideo neque legitur in fine Missæ.

(u) *In Missis Votivis.* Quia Votivæ discordant ab Officio, cujus Evangelium, vel nobiliori loco in Missa legendum est, vel omittendum; idcirco semper in iis legitur Evangelium S. Joannis.

* Dicitur etiam Evangelium S. Joannis in fine Missæ de Festo, in quo nulla fit Commemoratio Feriæ privilegiatæ, *ut in tit.* 7. *num.* 2. quando scilicet dicuntur duæ Missæ de Festo, & de Feria sine utrorumque Commemoratione.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

IV. Rubr. & Gavant. lit. p — *Placeat*, &c.) Dimisso Populo, seu prolatis illis verbis *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, Sacerdos in medio Altaris recitat submissa voce Orationem, quæ incipit, *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* quam Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. se legisse asseverat in omnibus fere Missalibus antiquis, etiam ante annum millesimum exaratis; reperitur etiam talis Oratio in Missa Illyrici, & in aliis apud Menardum.

Adnotat pariter Petrus Le Brun *tom.* 1. *suarum explicat. pag.* 670. hanc Orationem reperiri in pluribus antiquis Sacramentariis scriptis ante finem Sæculi XI. De hac mentionem faciunt Micrologus *cap.* 22. Radulphus Tungrensis, Alexander de Ales, & alii, qui fatentur, statim ac composita fuit hæc Oratio, non in ipso Missæ Sacrificio, sed post ipsum omnino completum, a Sacerdote privatim recitatam fuisse; quia autem est antiquior Benedictione, quæ datur nunc a Sacerdote, instituta fuit recitari ante dictam Benedictionem in Missali Romano, ut fatetur etiam Bellotte in suis observationibus ad Ritus Ecclesiæ Lugdunensis *pag.* 677. ubi etiam explicat ex Biel sensum verborum, quæ in tali Oratione recitantur. Cæterum in aliquibus antiquis Missalibus Benedictio præcedit hanc Orationem, ita in Missali Romano Venetiis impresso anno 1493. in altero Missali anni 1500. Romæ edito, in Missali Rhemensis Ecclesiæ anno 1553. & in pluribus aliis.

V. Rubr. & Gavant. lit. q — *Benedictio*, &c.) Recitata præfata Oratione, sequitur juxta recentiorem Ritum Benedictio, quæ a Sacerdote populo datur, quam olim ante Communionem Episcopus largiri solebat; ut notat Cardinalis Bona *loc. suprac. num.* 4. Ritus benedicendi populum præfato modo, & in dicta circumstantia est additio Missæ facta post sæculum X. ut advertit Petrus Le Brun *libro supracitato pag.* 674. & *seqq.* ubi ait, quod aliquæ Ecclesiæ Cathedrales in Gallia, quæ adhuc antiquam disciplinam observant, sicut etiam PP. Carthusiani, hujusce Benedictionis Ritum nondum ad praxim deduxerunt. In Ecclesia tamen Orientali statim post prima sæcula viguit usus impertiendi Benedictionem populo, & in Liturgia Clementina, quæ reperitur *in Constitutionibus Apostolicis lib.* 8. *cap.* 25. longa legitur Benedictio, quæ dabatur immediate post populi dimissionem. Repetitur pariter similis Benedictio in Liturgiis S. Chrysostomi, ut legitur in *Euch. Græc. pag.* 87. & in Liturgia S. Basilii, ut habetur pariter *in dicto Euch. pag.* 175. & ibi mentio fit, quod dabatur talis Benedictio post populi dimissionem. Etiam Sanctus Isidorus Hispalensis Antistes, qui floruit circa annum 600. *in lib.* 1. *cap.* 17. *de Divinis Officiis*, sermonem habet de Benedictione danda a Celebrante, sed non explicando, in qua Missæ parte hæc impertiebatur, Concilium tamen Toletanum IV. celebratum anno 633. declarat talem Benedictionem dandam esse inter Orationem Dominicam, & Communionem.

Refert etiam prædictus Le Brun *pag.* 677. reperiri nonnulla antiqua Sacramentaria, in quibus legitur Benedictio Episcopalis, quæ dabatur populo ante *Agnus Dei*, nimirum ante Communionem, ut nos quoque cum Cardinali Bona mox adnotavimus; præfata Benedictio legitur in Sacramentario, quod asservatur in Ecclesia Meldensi, & quod exaratum censetur tempore Drogonis dictæ Cathedralis Antistitis, & Caroli Magni filii

na-

naturalis. In Sacramentariis Gregoriano, Gelasiano, & Leonino non habentur nisi Orationes, quæ appellantur Benedictiones super populum post Communionem; & hinc est quod Auctores Liturgici, qui sæculo IX. floruerunt, nimirum Amalarius, Florus, Rabanus, Maurus, Walafridus Remigius Antissiodorensis, qui Ordines Romanos explanarunt, nullam mentionem fecerunt de hujusmodi Benedictionibus Episcopalibus, & solum ultimam Orationem, quam Celebrans dicit ante. *Ite Missa est*, Benedictionem appellarunt. In primo Concilio Aurelianensi celebrato anno 511. legitur *Canon* 28. in quo habetur — *Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam Missæ Solemnitas compleatur; & ubi Episcopus non fuerit, Benedictionem accipiat Sacerdotis;* quæ verba repetuntur a Micrologo *cap.* 21. ubi ait, loquendo de populo Missæ assistente: *Prius tamen ab Episcopo benedicitur si adest, sin autem a Presbytero, qui Missas celebravit;* nihilominus non fuit communiter acceptus iste Ritus benedicendi populum; nam Ordo Cisterciensis, & Ordo Præmonstratensis, instituti anno trigesimo circiter post Micrologum, nihil adnotarunt in suis Ordinariis de Benedictione impertienda in fine Missæ; & in antiquo Ordinario PP. Prædicatorum *lib.* 2. sic legitur — *Et si consuetudo Patriæ fuerit, & extranei fuerint hoc expectantes, det Benedictionem juxta morem Patriæ* — Ita refert Marcellus de Cavalleriis *in sua Statera Sacra tit.* 29. *num.* 50. In Missali vero PP. Carmelitarum impresso anno 1514. idem advertitur; sicut in eorum Ordinario exarato anno 1279. hoc adnotabatur; unde evincitur Ritum talis Benedictionis sensim introductum fuisse. Durandus eum refert ad annum 1286. PP. Carthusienses *in suis nuperrimis Constitutionibus stat.* 3. *compil. cap.* 1. *num.* 58. ita statuerunt — *Sacerdotes nostri Ordinis dum celebrant in Ecclesiis, quæ non sunt de ordine nostro, conforment se cum aliis Sacerdotibus .... in benedicendo populis post Missum.*

In pluribus antiquis Missal. Eccles. Germaniæ legebatur hic modus benedicendi — *Adjutorium nostrum, &c. Sit nomen Domini, &c. Oremus. Cælesti benedictione benedicat nos & vos Divina Majestas, & una Deitas, Pater, ✠ Filius, ✠ & Spiritus ✠ Sanctus, Amen* — Idem ferme modus benedicendi legitur in pluribus antiquis Missalibus Gallicanis, ut refert Le Brun *loc. cit. pag.* 681. apud quem legi pariter possunt varii modi benedicendi populum in fine Missæ.

Incongruum hoc loco non erit observare, quod olim Presbyteri etiam ter populo benedicebant; cujus rei testem amplissimum damus Burchardum Magistrum Cæremoniarum Cappellæ Pontificiæ, qui hæc habet — Deinde extensis manibus hinc, & inde super Altare, ipsum Altare osculatur, erigit se, & adhuc transversus ad illud, voce intelligibili, elevans oculos ad Deum, ac manus extendens, elevans, & jungens dicit: *Benedicat omnipotens Deus*, junctis sic manibus ante pectus, ac demissis ad terram oculis, vertit se ad manum sinistram, hoc est ad latus suum dextrum, & per gyrum, tertium populo benedicit. Primo versus cornu Epistolæ, ubi manu dextra signum Crucis producens super populum, voce intelligibili dicens, *Pa✠ter;* tum in medio simili voce dicens, *& Fi✠lius;* deinde versus cornu Evangelii dicens, *& Spiritus ✠ Sanctus.* ℟. *Amen.* Hic Ritus usque ad Pium V. perdurasse videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit ter populo benedicendi in Missis Privatis, quamquam concesserit, ut in Missa Solemni priorem consuetudinem observarent; nam inter Rubricas Missalis Romani, anni 1587. hanc lego — In Missa Solemni omnia facit, ut supra, hoc excepto, quod ter populo benedicit: primo a cornu Epistolæ, dicens, *Pater*, secundo ad medium Altaris, dicens, *& Filius*, tertio a cornu Evangelii, dicens, *& Spiritus Sanctus*. Tandem tertia hæc Presbyterorum Benedictio prohibita est in Missali Romano Clementis VIII. auctoritate recognito; in quo diserte præscribitur, ut Presbyteri etiam in Missa Solemni unam tantum Benedictionem impertiantur.

VI. Rubr. & Gav. lit. r — *Evangelium S. Joannis, &c.*) Postquam Sacerdos Benedictionem populo impertitus est, legit initium Evangelii S. Joannis, ut in Ordine Missæ; nisi aliud Evangelium vel Vigiliæ, vel Dominicæ sit legendum, juxta dispositionem Rubricarum Missalis. S. Pius V. in sua reformati Missalis Romani editione, dictum S. Joannis Evangelium regulariter legendum esse præscripsit ad jugem recordationem Incarnationis Verbi Divini; de quo fusim Suarez *disp.* 83. *sect.* 1. antea vero sine certa lege ex sola consuetudine a quibusdam dici; ab aliis vero omitti pro cujuscumque arbitrio solebat: ut Paris Crassus in Cæremoniali Summi Pontificis inedito *cap.* 65. testatur, referente Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 5.

Et revera reperitur tale Evangelium in Sacerdotali veteri Leonis X. tamquam in fine Missæ dicendum; sed adhuc non ex præcepto, ut communiter censetur. Missale MS. Bibliothecæ Palatinæ *n.* 591. & apud Vaticanum *n.* 3807. necnon Missale Rhemensis Ecclesiæ ann. 1153. sicut & illud Noviomensis Ecclesiæ ann. 1541. hoc ipsum Evangelium dicendum esse statuunt, dum Sacerdos sacris vestibus exuitur. Satisburiense vero Missale, sicut & aliud ad usum Hospitalis Anglorum Rothomagi, editum anno 1511. decernunt, ut Sacerdos in redeundo ab Altari recitet prædictum Evangelium Sanctis Joannis. E contra in Rituali Cassinensium, in consuetudinibus Monachorum Germaniæ, aut Cluniacensium, in libro usuum Cisterciensium, & in Ordinario Carthusiensium, nulla penitus fit mentio ejusdem Evangelii: ut tradit Martene de Antiquis Monachorum Ritibus *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 19. ubi addit, quod prima Ritus istius mentio occurrit sibi in Ordinario Bursfeldensium, in quo præscribitur, quod

Sacerdos, Benedictione completa, incurvatus ante Altare dicat hanc Orationem; *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* deinde erigendo se dicat: *Dominus vobiscum,* & *Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.* Cæterum adeo verum est recentem esse hujus Evangelii præscriptionem in fine Missæ, ut PP. Societatis Jesu promiscue legerent vel Evangelium S. Joannis, vel illud B. V. *Loquente Jesu ad turbas, &c.* juxta eorum Constitutiones; & adhuc quædam Galliarum Ecclesiæ veterem Ritum observant, non legendo in fine Missæ memoratum Joannis Evangelium; ut notat Du Moleon in suo Itinere Liturgico. Denique qui solemniter celebrat in Pontificio Sacello, ejusdem Evangelii recitationem etiam nunc in fine Missæ omittit. Videri possunt in hanc rem Bellotte *pag.* 679. Le Brun *tom.* 1. *pag.* 687. Cardin. Bona, Martene in locis citatis, & alii.

De Ordinanda Missa ex supradictis Rubricis. XIV.

RUBRICA.

1 *Supradictis Rubricis cognitis, si qui velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem Officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, & propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis Gloria in excelsis, & Symbolo: præterquam tempore Paschali, in quo semper dicitur, Gloria in excelsis, ut supra, excepta Missa Rogationum: & in Adventu* (x) *prætermittitur Alleluja, post Graduale, cum suo versu. Si dicenda sit Missa Votiva, requiratur post Commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas Votivas, suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro Defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas Votivas cum Collectis diversis, circa finem Missalis. Ordo totius Missæ cum Præfationibus, Canone, & aliis dicendis, habetur suo loco cum Proprio Missarum de Tempore.*

GAVANTUS.

Ex his colligitur Ordo Missalis, quam optime institutus sit; in quo primum habentur Missæ de Tempore, ab Adventu ad Pascha, a Paschate ad Adventum: hæ sunt Missæ, ut ita dicam, de Vita Christi per annum distributæ. Deinde Missæ de Sanctis, ab Adventu item ad Adventum, sive finem Novembris, & hæ sunt propriæ. Tum communes de iisdem. Quarto loco Votivæ, & pro variis necessitatibus. Postremo loco pro Defunctis, qui extremum in pace clauserunt diem. Canon vero medium Missalis jure occupat locum cum Ordine Missæ, qui communis est omnibus Missis.

(x) *Præterquam Alleluja.* Feriæ Adventus sunt quasi Vigiliæ summæ Festivitatis Natalis Domini; in iisdem erat jejunium, ut dicemus titulo sequenti, ad mœrorem repræsentandum Sanctorum Patrum expectantium Messiam: quare, sicut in Vigiliis, & aliis jejuniorum diebus *ex Alcuin. de Div. Offic. cap. de Paraseeve,* omittimus festivissimum Allelujaticum melos; ita & in Feriis Adventus. Repete ea, quæ diximus supra *tit.* 10. *ad num.* 4.

Accidit aliquando obstinate peti ad aliquibus Missam celebrari de Sancto infra ejusdem Octavam, sed in die, in quo fit Officium de alio Sancto Semiduplici cum Commemoratione Octavæ: puta: exigunt Missam de Sancto Joanne Baptista in Festo Sancti Leonis II. seu Missam Sancti Antonii Patavini infra ejusdem octavam, & sæpe infra octavam Corporis Christi; seu Missam de B. V. in Festo Sancti Nicolai Tolentinatis, & similes Missas: quo Ritu hæ Missæ celebrabuntur? neque enim a Rubricis Votivæ Missæ prohibentur dici infra prædictas octavas, neque in Festis Semiduplicibus: at neque meræ Votivæ eæ videntur esse, ratione propriæ octavæ, intra quam eæ petuntur dici. Multis autem hac de re a me quærentibus, respondi, salvo meliori judicio, & Sac. R. C. arbitrio, Festivas eas non esse, quia horis Canonicis non correspondent; & Votivas esse hoc potissimum capite, quia non correspondent Officio, quæ est Votivarum nota *in tit. seqq.* 15. *num.* 5. tum quia supponimus infra octavas proprias eas occurrere, transacto Festo: & licet octava tota reputetur unus & idem dies Festus, unde & Missa Festi reperitur per totam octavam; tamen id locum habet, quando perseveret Officium de octava simul cum Missa; secus, si discordat Missa ab Officio. Posito igitur, quod eæ sint Votivæ potius, quam Festivæ; Ritum Votivarum in iis observarem, si obstinate exigantur, aut si negari non possunt sine petentis offensione.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *Si proprium non habet, recurrat ad Commune Sanctorum, &c.*) Hic observare lubet cum Gerlaco Vinitore super hoc titulo, quod Missæ, quæ in Romano Missali non habentur, aut a Sede Apostolica nondum sunt approbatæ, licite celebrari non possunt: similiter Missæ certis Regularibus tantum concessæ, non possunt ab aliis dici, nec etiam in ipsorummet Regularium Ecclesiis. Item neque a Capellanis Sæcularibus, propriis in Ecclesiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario: quo casu Capellani Missam quidem recitabunt de Sancto, de quo Mo-

Moniales recitant Officium; sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. Quod si nulla sit Missa in Missali Romano, quæ concordet cum Officio Monialium, puta *de Spina & Corona*; tunc dicti Capellani dicere possunt Missam de Cruce, vel de Passione. Hæc omnia, & alia confirmata remanent per subsequentia Decreta S. R. C.

Capellani Sæculares propriis in Ecclesis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere possunt Missam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium, sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi. S. R. C. 20. Novembris 1628. & in nostro Indice *sub num.* 238.

Exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium, servatis servandis, possunt in Missis se uniformare cum fratribus, quoad *Credo*, & quoad numerum orationum more Duplicium. S. R. C. 11. Junii 1701. & in nostro Indice *sub num.* 559.

Facultas celebrandi cum Missali Romano pro Capellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus, & singulis, qui ex debito tenentur celebrare in Ecclesiis ipsarum Monialium, dummodo celebrent cum Missali Romano. S. R. C. 11. Februarii 1702. & in nostro Indice *sub num.* 561.

Prohibitio facta in declaratione (de qua anno 1668. 9. Junii) Sacerdotibus Sæcularibus, etiam Capellanis, ne celebrent Missam de Requiem in Ecclesiis Regularium, in quibus recitatum sit Officium Duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem sui Ordinis, intelligi etiam debet pro Ecclesiis Monialium. S. R. C. 11. Februarii 1702. & in nostro Indice *sub num.* 562.

Licet in posterum, tum Confessario, tum Capellanis quarumcumque Monialium servitio addictis Missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi: non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sac. Congr. concessas. S. R. C. 20. Novembris 1717. & in nostro Indice *sub num.* 634. Videm etiam Decretum datum *sub num.* 557. *& seqq.*

A prædictis regulis excipienda est Missa propria de Sancta Theresia Virgine, quæ potest dici ab omnibus Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus confluentibus in Ecclesias Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ubicumque existentis; ut liquet ex Decreto S. C. edito die 27. Julii 1720. & dato in nostro Indice *sub n.* 634. Quinimmo idem privilegium concessit Benedictus XIII. die 10. Januarii 1726. in Decreto, quod incipit. *Sanctissimus, &c.* Romæ impresso, etiam Sacerdotibus quibuscumque confluentibus ad Ecclesias Ordinis Carmelitarum antiquæ observantiæ, nimirum de ibi dicenda Missa propria Sanctæ Theresiæ.

Rursus excipienda pariter est Missa propria Sancti Benedicti, quæ juxta Decretum die 10. Februarii 1727. & datum in nostro Indice *sub n.* 651. in quo liquet Benedictum Papam XIII. indulsisse, ut in Festo Sancti Benedicti Missa ipsius propria in Ecclesiis tam Monachorum, quam Monialium præfati Ordinis ubicumque existentibus, ab omnibus etiam Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus ad eas confluentibus, cum Missali Monastico in posterum celebrari possit, & debeat.

Notandum hoc loco occurrit, quod noster Pasqualigus de Sacrif. novæ Legis *tom.* 1. *tract.* 1. *qu.* 279. *num.* 3. probat, quod si concessio Missæ sit facta etiam pro confluentibus, possunt confluentes celebrare etiam per Octavam, si sit concessa, quia tota octava vocatur dies Festus, dies Natalitius.

Denique excipitur etiam a prædictis regulis Missa de Corona Spinea, Feria 6. ante Dominicam Passionis similiter concessa in Ecclesia Canonissarum Regularium Lateranensium Terræ Viturclani Diœcesis Balneoregien. ex Decreti particula S. R. C. die 3. Martii 1731. & si quæ sunt aliæ hujusmodi concessiones, pariter excipiendæ sunt a prædictis regulis.

De Hora Celebrandi Missam. XV.

RUBRICA.

1 *Missa Privata, saltem post Matutinum & Laudes, quacumque hora* (y) *ab aurora usque ad meridiem dici potest.*

GAVANTUS.

(y) *Ab aurora usque ad meridiem.* Nempe in luce, quia *ex S. Th.* 3. *par. q.* 83. *art.* 2. *ad* 3. Christus ait: me oportet operari, donec dies est. *Jo.* 9. *addit Suar. disp.* 80. *sect.* 4. nec ante auroram regulariter ad opus publicum conveniri, nec post meridiem jejunium protrahi: ubi etiam concedit horam cum dimidia ante ortum Solis ex causa. Tertiam partem horæ ante auroram, vel post meridiem, esse notabilem partem, & sufficientem ad lethale peccatum, docet *Azor. lib.* 10. *cap.* 25. *qu.* 5. minor quam tertia pars horæ excusat a lethali, *ex Sot.* 4. *dist.* 4. *qu.* 2. *art.* 2. *concedit Nav. in Manual. cap.* 25. *num.* 85. *& alibi*, celebrari posse ex causa rationabili post meridiem, contra quem cum communi opinione scripsit. *Francol. tract. de tempore Hor. Can.* 1. *par. cap.* 41. justa vero causa esse potest, post Missam Solemnem tardius cantatam in Festis vel post cuncionem longiorem, addit *Suar.* ut fiat de licentia Episcopi, si commode haberi potest.

Privilegiati, ut hora ante, vel post celebrare queant, poterunt hora ante, vel post statam horam a Summistis regulariter concessam celebrare: alias non esset privilegium.

Ubi vero non est aurora physice, attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet ibi terminari solet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum consuetudinem. Qua de re opportunam movente quæstionem Theodosio

Rubeo in Mathematicis peritissimo, jussu SS. D. N. Urbani VIII. in pleniore Congr. coram Eminentissimo Card. Oregio, ea bene discussa, ivimus omnes in hanc eandem sententiam, die 18. Septembris 1634. Variis igitur horis celebrari privatim potest: quia fit in Missa memoria Passionis quæ accidit mane; Mortis, quæ hora nona, Resurrectionis, quæ item mane; & Ascensionis, quæ hora tertia, vel sexta contigisse creditur, *Durand. lib. 4. cap. 1.*

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

I. Gavant. lit. y — *Ubi concedit horam cum dimidia ante ortum Solis, ex causa, &c.*) Hanc sententiam tenet etiam Bissus *lit. M. num. 202. §. 2.* nimirum, quod possit celebrari Missa una hora cum dimidia ante Solis ortum, immo Layman, Dicastillus, De Lugo, Tamburinus, & alii, quos suppresso nomine citat, & sequitur Tornellius in Sac. Enchiridio *lib. 1. cap. 2. §. 1. n. 8. & 9.* tenent posse celebrari Missam etiam duabus horis ante Solis ortum. Immo in casu necessitatis, nempe dandi Viaticum moribundo, si non adesset Particula consecrata, Diana, & Gobat relati a Bisso *loc. cit.* & a Turrino *par. 2. sect. 5. cap. 2.* asserunt posse celebrari Missam statim post mediam noctem, etiam absque licentia Episcopi, attenta urgentia Divini præcepti de communicando infirmo, sed Castropalaus hanc sententiam non approbat.

III. Gav. ead. lit. y. — *Ubi non est aurora physice, attendatur moraliter, &c.*) Hæc Gavanti sententia approbatur etiam a S. R. C. per subsequens Decretum.

Ubi non est Aurora physice pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando ibi terminari solet hominum quies & inchoari labor, juxta probatam regionum consuetudinem. S. R. C. 18. Septembris 1634. & in nostro Indice *sub num.* 276.

Quoniam autem hic est sermo de hora celebrandi Missam, hic lubet subnectere etiam duo alia Decreta S. R. C. ad præsentem materiam spectantia, nimirum.

Non potest prohiberi celebratio Missæ in Oratorio ruri ædificato per laicum, antequam celebretur Missa Parochialis. 31. Mai 1629. & in nostro Indice *sub num.* 242.

Missæ celebratio in Ecclesia, seu Oratorio, sitis in territorio, & extra mœnia alicujus Oppidi, & prope viam Romanam, non potest prohiberi, antequam celebretur in Ecclesia Parochiali, & Matrice, non obstante Decreto Episcopi in Synodo Diœcesana edito celebrationem hujusmodi prohibente. S. R. C. 30. Augustii 1644. & in nostro Indice *sub num.* 420.

II. Rubric. *Usque ad meridiem, &c.*) Ex prædictis Rubricæ verbis deducitur non licere post meridiem celebrare Missam, neque Privatam, neque Solemnem: nihilominus est certum apud omnes posse Missam inchoari in meridie, ita ut terminet post meridiem: in magnæ alicujus Festivitatis die ob concursum populi, & ratione Solemnitatis, non desunt auctores, qui asserant posse celebrari Missam una hora post meridiem, post Concionem, & Missam Solemnem. Ita Tornellius supra *loc. cit.* & alii apud eundem, quorum tamen sententiam Bissus *loc. cit.* approbare non audet, nisi in casu, quo debet dari Viaticum infirmo.

RUBRICA.

2. *Missa autem Conventualis, & Solemnis sequenti ordine dici debet. In Festis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta (z) in Choro (a) hora tertia. In Festis Simplicibus, & Feriis per annum (b) dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari (c) post Nonam.*

GAVANTUS.

Missa Solemnis semper dicitur post aliquam Horam, etiam in nocte Nativitatis Domini, ut Horæ Canonicæ sint quasi quædam ad Missam præparatio. *Francolin. 1. part. cap. 38.* post varias Horas, ut majori præparatione, minorive pro Missarum varietate, seu dierum fiat Missa.

* Hoc loco notandum est, quod Missa Parochialis sine cantu est Privata, non Conventualis, de qua in his Rubricis, licet ad eam conveniat populus, seu loci Clerus; quo posito, multa facile definire poteris circa Rubricas Missalis.

(z) *In Choro.* Presbyterium dicitur *in epist. SS. Cornelii & Cypriani.* Sanctuarium Altaris in *Concil. Bracaren. 1. num. 31.* Sancti Sanctorum *in Turonen. 2. cap. 4.* Chorus *in Tolet. 4. num. 17.* hoc est consensio cantantium, *ex August. in Ps. 49.* unde & Corona dicitur *ab Isidor. lib. 1. de off. cap. 3.* quia in modum coronæ *ait Amalar. lib. cap. 3.* a Chorea deducit *Gemma lib. 1. cap. 139.* Græca vox significat lætitiam in *Platone 2. de leg.*

(a) *Hora tertia.* Non ante horam tertiam cantari Missam jussit Telesphorus ex *Amal. lib. 3. cap. 42. de Consecr. distinct. 1. nocte, & idem cap. & hoc:* & de Solemni intellexit *Durand. loc. cit.* S. Cassius Narniensis Episcopus hac eadem hora celebrare consuevit, laudatusque de Cælo fuit, *apud S. Gregor. in Dialogis.* In Festis autem hora tertia observetur, ea fortasse ratione, *inquit Amalar.* quia ea hora Christus ascendit in Crucem, apud Marc. *c. 15.* hoc est linguis Judæorum clamantium, crucifige, vel ex

M.

Microlog. cap. 58. qua inter reliquas passionis Christi horas, tertia Resurrectioni Domini, sive Nativitati ejusdem propinquior esse videtur, vel *ex Radulph. propos. ult.* quia ea hora missus fuit Spiritus Sanctus; vel *ex Conc. Aurel.* 5. *cap.* 11. ut facilius redire possint ad vespertina Officia in Festis, Sacerdotes, præsertim, quibus eos non decet deesse, vel *ex August. apud Burchardum lib.* 3. *cap.* 54. ut Populus ante cibum conveniat Missam & Concionem auditurus. Hinc *ex Collect. Martini Bracar. cap.* 6. *& habetur Can. fin. dist.* 44. tertia hora dicitur Sacra, quia Sacris Missarum Solemniis dicata, ab Italis Aurea, *ex Alphons. Torres* 3. *par. cap.* 4. *num.* 14.

Si propter terræ rigiditatem populus veniat tardius ad Ecclesiam pro Missa Solemni, præstat differri tempus recitandi horam tertiam, quam cantare Missam de Festo, seu Dominica post Sextam. Ita censuit S. R. C. *referente Alcozer in suo Cæremoniali.*

(b) *Dicta Sexta.* In profestis (cujusmodi sunt Festa Simplicia, & Feriæ) post Sextam, *Gemma Alcuin. lib.* 1. *cap.* 113. quia, inquit, ea Christus manibus Gentilium crucifixus est. *Joann.* 19. & quia in profestis neque lætitia, neque luctus, sed quid medium videtur habere locum; lætitia in Festis horam tertiam requirit, luctus nonam. *Franc. 1. par. de tempor. Hor. Can. cap.* 28. *num.* 3.

(c) *Post Nonam.* In jejuniis ita instituisse Pelagium scribit *Durand. loco suprac. & in cap. Solent. dist.* 1. *de Consec.* hoc idem jubetur. Horæ nonæ meminit in Quadragesima *Ambros. serm.* 8. *in Ps.* 118. *& Amalar. lib.* 1. *cap.* 7. quia in ea *Amalar. ait lib.* 3. *cap.* 42. expiravit Dominus; & quia ad Vesperam jejunabatur, *Microl. cap.* 49.

Item in Adventu, quia Adventus fere æquiparatur Quadragesimæ, *Hugo Victor. lib.* 4. *de spec. Miss. cap.* 4. *&* 9. In Adventu jejunium erat, *Durand. lib.* 6. *cap.* 1. *de Adventu*: & de Romanis testatur *Radulphus propos.* 16. immo & universale jejunium illud vocat *Rabun. de Instit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 22. quod a Sancto Perpetuo Turonen. Episcopo institutum fuit, *ex Gregor. Turonen. lib. Histor.* 10. *cap.* 31. *& Conc. Matisc. Can.* 6. sancivit in Feriis 2. 4. & 6. saltem observandum esse, cum quotidianum præcepisset Turonense 2. *Can.* 13.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

III. Gavant. lit. a — *Referente Alcozer in suo Cæremoniali, &c.*) Hoc loco observare lubet cum Turrino *part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 2. quod si cantandæ sint plures Missæ ob occursum Feriæ majoris, v. gr. cum Festo Duplici, cantetur Missa de Feria post Nonam, de Sancto post Tertiam, non approbando usum aliquarum Ecclesiarum, quæ cantant Missam de Sancto post Nonam, & ferialem post Missam diei. Ratio hujus assertionis est, quia *titulo* 3. hujus primæ partis supra, Rubrica Generalis *num.* 1. expresse præscribit Missam de Festo cantari post Tertiam, de Feria post Nonam. Ex hac item regula, si occurrat cum Vigilia Ascensionis Festum aliquod, quo casu cantandæ sint tres Missæ, de Sancto scilicet, de Vigilia, & de Rogationibus; Missa tamen Vigiliæ cantatur post Sextam, ac sit esset Feria per annum; quia quamvis sit Vigilia, non tamen jejunatur; & Missæ solius Vigiliæ habentis jejuniunr assignatum est in superiori Rubrica tempus post Nonam, un contra Alcozer docet noster Gavantus *part.* 4. *tit.* 5. *num.* 9. Missa vero de Rogationibus dicetur post Nonam, ut citata Rubrica *tit.* 3. *num.* 1.

RUBRICA.

3 *Missa autem Defunctorum dici debet* (d) *post Primam diei: ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Missa Conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiam depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.*

GAVANTUS.

(d) *Post Primam diei.* Properandum enim est in suffragiis Defunctorum; at in diebus aliis, de quibus in hoc numero, recte post Nonam; tum quia discordat ab officio; tum quia hora nona & ipse Christus emisit Spiritum; tum quia hora nona mœroris est, ut in die jejunii.

RUBRICA.

4 *Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conventualem Missæ* (e) *in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito Te Deum laudamus, in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus, & Prima; tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter* (f) *ex dispensatione Apostolica disponatur.*

GAVANTUS.

(e) *In Nativitate Domini.* De prima Missa in nocte extat Canon Thelesphori *de Consecr. dist.* 1. *nocte*, quia nocte natus est Christus, de secunda in aurora, *ibidem*, quia pastores ea hora creduntur adorasse Christum natum. Plura in Rubr. de Nativit.

(f) *Ex dispensatione Apostolica.* Intellige de concessa post Concil. Trident. quod prohibet, ne aliis horis, quam debitis, Missæ celebrentur, *sess.*

22. sublatis quibuscumque privilegiis, ut declaravit Sacra Congregatio super Concilio.

RUBRICA.

3 *Missæ Votivæ, quia non correspondet Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa cum populi frequentia, dicantur post Nonam.*

GAVANTUS.

Duplicem habes causam; discordantiam ab Officio, & frequentiam populi, qui dum tardiori Missæ interest, quasi suo jejunio Orationi publicæ vires addit.

De iis, quæ clara voce, aut secreto dicenda sunt in Missa. XVI.

RUBRICA.

1 *In Missa Privata clara voce dicuntur Antiphona, & Psalmus ad Introitum, Confessio, & quæ sequuntur, excepta Oratione, Aufer a nobis, &, Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, &c. Item, Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate, Oratio, vel Orationes, Prophetiæ, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Evangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres, solum hæc duo verba, Præfatio, Nobis quoque peccatoribus, solum, hæc tria verba, Item, per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus, hæc quatuor verba tantum, Communio, Oratio, vel Orationes post Communionem, Humiliate capita vestra Deo, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, vel Requiescant in Pace, Benedictio, & Evangelium. Alia omnia* (g) *dicuntur secreto.*

GAVANTUS.

Hæc eadem *Burchard.* Quæ hic clara voce dicenda enumerantur, habent apertam causam, ut audiantur a populo, speciales cujusque causas enarrabimus, cum de iisdem singillatim infra suis locis agemus.

(g) *Dicuntur secreto.* De prece cum silentio in Missa, *Clem. lib.* 8. *Constitut. Apostolic. cap.* 12. *Concil. Laodic. Can.* 19. *Trident. sess.* 22. *Can.* 5.

Causæ multæ. Primo, quia secretum Mysterium est, *Hugo Vict. Erud. Theol. in Specul. Eccles. cap.* 7. Secundo, quia significatur in hoc Sacrificio latere Sacrificia antiqua, *Amalar. lib.* 3. *cap.* 19. Tertio, & e contra, hoc Sacrificium latuisse in antiquis, *Gemma lib.* 1. *cap.* 40. Quarto, silentium Sacerdotis latibulum Christi indicat, *Innocent. III. lib.* 2. *cap.* 54. multoties enim latuit in vitæ suæ cursu Christus, unde & in Missa multiplex silentium. Quinto, in Passione Christi discipuli non nisi occulte confitebantur Christum, *S. Thom.* 3. *parte, quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 6. Sexto, ut videatur Sacerdos loqui cum Deo, quo cum corde loquimur clamantes magis, quam ore. Septimo, ne populus tædio afficiatur, neque Sacerdos longo clamore voce deficiat, *Gemma lib.* 1. *cap.* 103. Postremo, ne ipsa verba in Sacrificio potissima assiduitate aurium vilescant, *Alcuin. de Celebrat. Missæ;* nam repetuntur in omni Missa, & memoriæ facile mandarentur, quod de Canone præsertim intellige, qui sine culpa gravi non potest alte totus legis. *Ita Doct. communiter.*

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Rubric. *In Missa Privata clara voce dicuntur &c.*) Quoniam pia Mater Ecclesia, inter alios hujus Sacrosancti Sacrificii Ritus, quibus Celebrans uti debet in legenda Missa, plura diversimode instituit, nimirum, *clara, alta, convenienti, intelligibili, mediocri, submissa, vel aliquantulum elevata voce, & secreto esse proferenda;* ne quivis Sacerdos pro arbitrio, & voluntate sua quævis pronunciare præsumat, ideoque quisquis Celebrans diligenter attendat quænam sit differentia inter ea, quæ clara, vel alta voce dicenda sunt, pro quo notandum est idem esse *clara, convenienti*, & *intelligibili voce*, videlicet tali voce, ut commode a circumstantibus audiri possit. *Alta voce* utitur Cæremon. Episc. pro iis quæ in Officio, vel Missa cantantur; *Mediocri* vero, *submissa, & aliquantulum elevata*, pro aliis, quæ non tacite, nec prorsus alte, sed taliter dicuntur, ut a Ministris, & aliquibus tantum circumstantibus percipi possint, cum aliquali tamen differentia: quod vero secreto dicendum est, ita a Sacerdote intra se distincte, ac labiorum motu proferatur, ut tamen non a circumstantibus audiatur.

II. Gavant. lit. g — *Canon non potest sine culpa gravi alte totus legi.*) Canonem secrete esse legendum, communis sententia est, & a Rubricis præscriptum: verum magna agitur controversia inter aliquos recentes Rubricarum Explanatores, utrum semper Canon secrete recitatus fuerit a Celebrante? Cardinalis Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicarum cap.* 13. §. 1. existimare videtur Missæ Canonem alta voce usque ad decimum Ecclesiæ sæculum fuisse recitatum. Bonæ sententiam acriter tueri conatus est de Vert. Non omnibus tamen eorum argumenta placuere: etenim anno 1710. Vallemontius Thesaurarius Cluniacensis, assertum erudito opere confutavit; cui titulus est — *Du secret des Mysteres, ou l'Apologie de la Ru-*

Rubrique des Missels Dissertation Theologique, & historique — Vallemonti dissertationem impugnavit Anonymus Auctor in tractatu Bruxellis edito anno 1717. sub titulo: *Apologie de M. de Vert ou remarques sur le livre de M. Vallemont du secret des Mysteres.* Vallemontium defendit Petrus Le Brun *dissert.* 15. *tom.* 4. Non est virium nostrarum tantas componere lites. Illud certo statuere possumus, Ritum hunc a Rubrica præscriptum longe ante sæculum 10. in Ecclesia viguisse: etenim in Ordine Romano a Martene edito *tom.* 4. Thesaur. Anec. ille Ritus diserte præscribitur: Ordo autem ille spectat ad sæculum 7. Non desunt alia argumenta, quibus eadem veritas confirmetur; sed placuit hoc unum testimonium adducere ab illis auctoribus prætermissum. Legant citata opera, qui majorem hujus controversiæ notitiam exoptant.

RUBRICA

2 *Sacerdos autem maxime curare debet, ut quæ clara voce dicenda sunt, distincte & apposite proferat; non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit, nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit; sed mediocri, & gravi, quæ devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ vero secreto dicenda sunt, ita pronunciet, ut ipsemet se audiat, & a circumstantibus non audiatur.*

GAVANTUS.

Non eget commentario, sed monitione. Primo, ne clara voce dicantur ea prima verba: *Memento Domine famulorum, &c.* Secundo, ne secretas alias Orationes addat Celebrans. Tertio, verba Consecrationis secreto dicantur.

RUBRICA.

3 *In Missa Solemni, quando dici debent a Celebrante, Gloria in excelsis, & Credo, intonantur, & cantantur, Dominus vobiscum, & Orationes ante Epistolam, Dominus vobiscum, Oremus ante Orationes, & ante Offertorium, Præfatio, Per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pater noster, Per omnia Sæcula Sæculorum, cum Pax Domini, & Orationes post Communionem. Alia, quæ in Missa Privata dicuntur clara voce, in Missa Solemni e Celebrante dicuntur submissa voce.*

GAVANTUS.

Eadem Burchardus.

De Ordine genuflectendi, sedendi, & standi, in Missa Privata, & Solemni. XVII.

RUBRICA.

1 *In Missa Privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium S. Joannis, In principio, ad illa verba, & Verbum caro factum est; & in Evangelio Epiphaniæ, Cum natus esset Jesus, ad verba illa, Et procidentes adoraverunt eum. Item in Evangelio Feriæ 4. post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine, Et procidens adoravit eum. Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola, In nomine Jesu omne genu flectatur, &c. & quando legitur Passio, ad illa verba, Expiravit, vel Emisit spiritum: ut suis locis notatur. Item genuflectit, cum dicit, Flectamus genua. Item quando in Quadragesima dicit in Tractu vers. Adjuva nos Deus &c. & in omnibus Missis de Spiritu Sancto, cum dicit vers. veni Sancte Spiritus, reple, &c. Item quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris, & quandocumque in Ordine Missæ, & in Ritu servando in celebratione Missæ notatur, quod debet genuflectere.*

GAVANTUS.

Prima duo habet *Burchardus.*

Usus genua flectendi ortum habet ab antiquis, & habetur expresse 3. *Regum cap.* 8. ut omittam gentilitios Ritus; tum a Christo *Luc.* 22. & a Sancto Stephano *Act.* 7. Finis illius duplex est, ad orandum, & ad adorandum: ille significatur a *S. Ambrosio lib.* 6. *Hexamer. cap.* 9. Flexibile genu, quo Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia promovetur. De hoc autem *Alcuin. cap. de Parasceve* ait: Per hunc habitum corporis mentis humilitatem ostendimus. Et *Honorius in Gemma lib.* 1. *cap.* 117. cadimus in terram, ait, ut Christum in carne adoremus; ut item memoremus nos in Adamo cecidisse, & mole corporis gravari ingemiscamus; & ut lapsum animæ nostræ in vitia, dum corpore ad terram cadimus, pœnitendo fateamur. Unde & *Raban. ibid.* 2. *de Instit. Cler. cap.* 41. inflexio genuum, inquit, pœnitentiæ, & luctus est indicium. In Liturgia Sancti Petri, pœnitentiam facere est genuflectere, *ut ibi notat Lindan.* Quare in primis quinque casibus hujus Rubricæ, quis non videat, adorationis ergo genuflecti; & item in duobus ultimis erga Spiritum Sanctum, & Sacrosanctam Eucharistiam? In sexto vero, ad *Flectamus genua*, oraturi genuflectimus, in septimo ad illa, *Adjuva nos*, cum

Tractus idem sit, ac luctus, ut docuimus *supra tit.* 10. genuflectimus ad indicandum solemnem luctum. *Raban. ubi supra.*

Et quamvis Concilium Nicænum, *Can.* 40. *in vulgatis exemplar. vel* 29. *apud Turrianum*, statuerit, non genuflectendum in Dominicis, neque tempore Paschali, sed a stantibus orandum esse, ad significandam libertatem, *ut ait Rupert. lib.* 8. *c.* 3. quam Christus sua Resurrectione nobis acquisivit: tamen non prohibuit adorationes cum genuflexione; quod bene nota pro mox dicendis.

RUBRICA.

* *Circumstantes autem in Missis Privatis semper genuflectunt*, (h) *etiam tempore Paschali*, (i) *præterquam dum legitur Evangelium.*

GAVANTUS.

Eadem & *Burchardus.*

(h) *Etiam tempore Paschali.* Tam ad doctrinam in Privata Missa audiendam, quam ad orationem, & Mysteria tremenda, titulo adorationis curvantur genua a populo in tota Missa * nisi dicamus, Privatam Missam audiri, sicut & privatas fieri preces, etiam tempore Paschali, genibus flexis: quomodo oravit Sanctus Paulus in littore Tyri genibus positis *Act.* 20. paulo ante Pentecostem; non enim ea fuit Oratio solemnis, *judice Lor. in eum textum.*

(i) *Præterquam dum legitur Evangelium.* Anastasii Papæ Decreto *de Consec. distinct.* 1. *Apostolica*, Sacerdotes, & cæteri omnes ad Evangelium stare debent, ut promptiores se ostendant ad credendum, & obediendum Evangelio. Sed antiquior Clemens *lib.* 2. *Const. Apost. cap.* 61. testatur Apostolos constituisse, ut etiam laici assurgant ad Evangelium: immo vero & capita nudabantur in *Ordine Roman.* quod & hodie observatur.

RUBRICA.

* *In Missa Solemni Celebrans genuflectit* (k) *ad omnia supradicta, præterquam ad* (l) *Flectamus genua: & tunc ipse solus stat; Diaconus vero, & Subdiaconus, & omnes alii genuflectunt. Ad versum vero* (m) *Adjuva nos Deus, &c. & ad versum, Veni Sancte Spiritus, genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die* (n) *Annunciationis Beatæ Mariæ, & in tribus Missis Nativitatis Domini, etiam quando cantatur in Choro, Et incarnatus est, &c. Aliis diebus, si sedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed* (o) *caput tantum profunde inclinat apertum:* (p) *si non sedet, genuflectit.*

GAVANTUS.

(k) *Ad omnia supradicta.* Cum privatim legit, & iterum, quando publice dicuntur, sicuti fit ad versum, *Et incarnatus est, &c.* in Symbolo privato, & publico, si non sedet Celebrans.

(l) *Flectamus genua.* In Missa Privata ipsemet Sacerdos dicit, *Flectamus;* & genuflectentes exemplo suo docere debet alios. In Solemni sufficit, ut Diaconus invitans populum, idem faciat. Sacerdos autem Deum orans regulariter stare debet, qui præsefert personam Christi stantis, *Act.* 6. & orantis Patrem in Cœlis. *Amalar. lib.* 4. *cap.* 4. & 7. *Durand. lib.* 5. *cap.* 5.

(m) *Adjuva nos Deus, &c.* Quæres fortasse hoc loco: cur in Solemni Celebrans genuflectit usque ad finem dictorum versuum, qui in Privata Missa genuflectere jubetur nonnisi ad prima verba? Respondeo, quod in Privata debet Sacerdos commode posse legere versum in libro; & ideo sufficit, ut genuflectat ad prima verba, in Solemni ea cantat Chorus, neque Celebrans est in aliis tunc occupatus, genuflectit autem Celebrans utroque genu in medio Altaris post lectum a se Evangelium. De versu, *Adjuva nos* tradit hunc Ritum in Privata Missa *Burchardus.*

(n) *Annunciationis B. Mariæ, &c.* ut nimirum his diebus majori cum veneratione adoretur Mysterium articuli, & Festi propriissimum. Ante Radulphum Romani nunquam ad hæc verba, *Et incarnatus est*, genuflectebant, *propos.* 23. sed Ritum tamen tradit hujus genuflexionis in omnibus Missis. *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 118.

(o) *Caput tantum profunde inclinat.* Quia jam genuflexit, quando submissa voce cum Ministris ad Altare Symbolum recitavit: caput autem inclinat apertum.

* Idem præstare debent Ministri, qui cum Celebrante sedent.

(p) *Si non sedet, genuflectit.* Scilicet in superiori Altaris gradu, neque vero convenit ad verba tantæ Filii Dei humilitatis, sedere potius convenit, quam stare: quia sedendo, addita capitis profunda inclinatione, contrahitur, & minoratur homo.

RUBRICA.

* *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, præterquam* (q) *Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ est genuflectendum:* (r) *ipse versus librum, Celebrans, et omnes alii versus Altare genuflectunt.*

GAVANTUS.

(q) *Subdiaconus, &c.* In hoc casu se gerunt, ac si ille marmoreum esset legile, & Acolythi marmorea candelabra, neque textus Evangelicus de-

mit-

mitti debet, neque lumen illius, ut ita dicam, humiliari. *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 10. *& seq.*

(1) *Ipse versus librum.* Ne videatur recedere a libro, in quo legere sequentia debet, alii versus Altare, ubi est Crux, cui debetur adoratio.

RUBRICA.

5. *In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt Prælati,* (s) *ad Confessionem cum suo Psalmo. In Missis autem* (t) *Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, ac Missis Defunctorum, genuflectunt omnes, etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem, Sanctus usque* (u) *ad Pax Domini, &* (x) *ad Orationes post Communionem, & super populum* (y) *excepta Vigilia Paschæ, & Pentecostes, ac Nativitatis Domini, & Quatuor Temporibus Pentecostes. Et similiter ab omnibus genuflectitur* (z) *quando elevatur Sacramentum.*

GAVANTUS.

(s) *Ad Confessionem.* Diximus enim supra, genuflexionem esse indicium pœnitentiæ *cum Rabano.* Prælati vero stant ob eorum dignitates, Abbates, & Protonotarii, & ii nempe, qui uti possunt rochetto, si sæculare sint, & iis digniores, sicut etiam Canonici, quando sunt parati, alias non. *Cærem. Episc. lib.* 2. *cap.* 8. De genuflexione ad Confessionem id fere docet *Burchard.* Cantores autem, si tunc cantant Introitum, non genuflectunt, quia stare debent ad lectorile.

(t) *Feriarum Adventus, &c.* De Orationibus in Quadragesima docet *Microl. cap.* 50. eadem est ratio in Adventu, & diebus jejuniorum, *ut diximus supra tit.* 14. *num.* 2. Item in Missis Defunctorum ad luctum, *ex Rabano,* indicandum. Omnes autem genuflectunt, ad unum.

(u) *Ad Pax Domini.* Si enim danda est Pax, a Clero stante est danda, *Cærem. Episc. lib.* 1. *c.* 24. Sed & *Pax Domini*, in hoc loco Missæ, Resurrectionem Christi significat. *Innoc. III. lib.* 6. *c.* 4. ob quam standum est, ut in Dominicis, & tempore Paschali.

(x) *Ad Orationes post Communionem.* Quia ejusdem rationis sunt cum primis, quæ dicuntur ante Epistolam. *Ex Microl. cap.* 19.

(y) *Vigilia Paschæ, &c.* Hæ Vigiliæ sunt festivæ, & solemnes, per modum Festi Duplicis celebratæ; præterquamquod Vigiliæ Paschæ & Pentecostes ad Paschale tempus attinent, quo stantes oramus, qua eadem ratione his etiam additæ nunc sunt Rubricæ in postrema recognitione Missalis quatuor Tempora Pentecostes.

(z) *Quando elevatur Sacramentum,* tradunt *Honorius III. de Celebr. Miss. cap. Sane, & Chrysost. apud Durand. lib.* 2. *cap.* 40. quia adoramus Christum in Sacramento, & genuflectimus in expiationem blasphemiæ Judæorum, qui dicebant flexo genu, *Ave Rex Judæorum*, lege *Turrecrem. in Can. Quoniam, de Consecr. dist.* 3. Ab omnibus autem initio Canonis genuflectitur. *Cæremon. Episc. lib.* 1. *cap.* 8.

* Dubitant non pauci in prædictis casibus, quando unicum genu, & quando duo genua sint flectenda? & Celebrans quidem in Missa Privata juxta usum communissimum ab initio ad finem usque, unico tantum genu debet flectere, ut facilius surgat. In Missa item Solemni ad ea omnia, quæ sunt communia Privatæ Missæ, duobus autem genibus flectere debet in Missa Solemni ad Prædicta, quæ a Choro cantantur, & regulariter, quando cum aliqua morula in prædictis est genuflectendum, & quasi orandum.

Ministri vero intra Missam eadem servare debent, quæ facit Celebrans, ut expeditius illi ministrent, ad *Flectamus genua*, ambobus genibus flectant, & ad elevationem SS. Sacramenti.

Subdiaconus Pateuam tenens non tenetur genuflectere toties quoties Celebrans, quia non illi tunc ministrat; ut Diaconus, qui est illi a latere proprius Minister, semper autem genuflectit cum est eidem vicinus.

Alii de Clero a Consecratione usque ad Communionem duo genua flectere debent, cum transeunt ante Altare, & item, qnando patet Sacramentum in Altari, quod etiam faciunt Cardinales in Cappella Papæ; duo quoque ad *Flectamus genua*, ad Confessionem, orationes jejuniorum, Versus, &c. de quibus supra, quando cum aliqua mora præscribitur genuflexio ratione cantus vel actionis longioris.

De Missa coram Sacramento in Altari exposito & genuflexionibus eo casu debitis, dicemus in proprio capitulo, seu titulo.

RUBRICA.

6 *In Missa item Solemni Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum sedere potest a cornu Epistolæ juxta Altare, cum cantatur Kyrie eleison, Gloria in excelsis, & Credo; alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit, ut supra.*

GAVANTUS.

Possunt etiam sedere, dum cantatur Epistola, & Graduale, si datur tempus, ex Decreto S. R. C. relato *ab Alcozer in suo Cæremoniali,* & semper sedent cooperto capite. Latus Epistolæ congruit, a qua parte est credentia; & ut cedat latus Evangelii Episcopo sedenti, si adsit.

RUBRICA.

7 *In Choro non sedent, qui actu cantant, reliqui autem possunt sedere, quando Celebrans se-*

sedet, & præterea (a) *dum cantatur Epistola, & Prophetiæ, Graduale, Tractus, vel Alleluja, cum Versu, ac Sequentia, & ab Offertorio usque* (b) *ad incensationem Chori, & si non incensetur, usque ad Præfationem, & ad Antiphonam, quæ dicitur* (c) *Communio. Ad alia* (d) *stant, vel genuflectunt, ut supra.*

GAVANTUS.

Eadem *Burchardus in Ordine Missæ.*

(a) *Dum Cantatur Epistola, &c.* Sedetur ad Epistolam. *Ambr. in Epist. ad Corinth.* ut majori deinde reverentia assurgamus ad Evangelium, *Rupert. lib. 2. c. 32.* Anima quoque, ad doctrinam sedendo, fit sapientior; qui vero non attendunt iis, quæ leguntur, venialiter saltem peccant, *ex Suarez lib. 3. de Hor. Can. cap. 12. num. 20.* Acolythi vero nequaquam sedeant ad Epistolam; & quando sedent una cum Celebrante, sedeant super Altaris gradu in cornu Epistolæ facie versa ad Celebrantem, non ad populum.

(b) *Ad incensationem Chori.* Incensum enim adoletur stanti. *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 23.* & hic simul adverte, quod dum oblata incensantur, adhuc in Choro sedent. *Cærem. Episc. ibidem.*

* Vellent aliqui tamen, quod Clerus staret ad incensationem Crucis, sicut stat ad incensationem Episcopi, sed Episcopo stante, stat etiam Chorus; & hæc propria causa, non autem incensatio ejusdem, unde, quia Papa sedet, dum incensatur, non assurgunt Cardinales, nisi Papa incensato.

(c) *Quæ dicitur Communio.* Non enim, ut alias, cantatur hæc Antiphona, dum populus communicatur, quo casu ob reverentiam Sanctissimo Sacramento exhibendam standum esset, sed cantatur post Communionem Sacerdotis, dum ablutionem sumit, quando neque ratio est genuflectendi, neque standi, ergo sedeant, quamquam monet adhuc *Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 8. ut Communio* cantetur immediate post *Agnus Dei*, quod si accidat fieri, facta Communione Celebrantis, & aliorum, eo casu sedetur.

(d) *Ad alia stant.* Quænam sunt hæc alia, ad quæ stare Clerus jubetur? nimirum primo ad Introitum. *Alcuin. Quid significent vestimenta*, quo excitantur operarii Christi, & invitantur ad opus, *Amalar. lib. 2. cap. 5.* hoc est, ad Sacrificium, ad quod ingreditur Sacerdos, opus vere summum.

Item ad Orationem, exceptis diebus jejuniorum, ut supra, quibus genuflectimus.

Item ad Evangelium ratione supra allata, *cum Decreto Anastasii hoc tit. n. 2.*

Item ad Præfationem, in qua stamus, ut sursum corda, & corpora simul habeamus; nec genuflectimus, nisi initio Sacri Canonis. *Cærem. Episcop. lib. 1. cap 8. ut supra dictum est.*

Item statim deposito Calice standum erit, quia *hoc eodem tit. num. 5.* genuflectere debemus in diebus jejuniorum, usque ad *Pax Domini*. Ergo regula erit, quod in Festis stare debemus post elevationem Sacramenti usque ad Antiphonam, quæ dicitur *Communio*, ad quam sedetur.

Item ad Orationem post Communionem, quæ rationis ejusdem est cum prima ante Epistolam, ut pluries diximus.

Standum præterea erit usque ad finem Missæ, quia neque sedere, neque genuflectere jubemur.

Stare autem Solemnitatem significat; sicut genuflectere, ut diximus, mœrorem, & luctum.

Denique a laicis etiam prædictæ regulæ servari possunt in Missa Solemni.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Hic nihil est addendum: quia omnia quæ spectant ad ordinem genuflectendi in Missis Privatis, & Solemnibus, dicemus suo loco in Observationibus ad Commentaria secundæ partis hujus Thesauri. Sic etiam videantur omnia ea, quæ a nobis adduntur, quoad ordinem sedendi, præsertim in Missa Solemni, exhibebimus enim pariter ibi Decreta Sac. R. C. spectantia ad hunc Ritum, nempe in Observationibus ad Rubricam 5. *num. 2. pars. 2. hujus Thesauri.*

Videatur etiam *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 18. n. 4.* ubi ait — Si quispiam Canonicus veniat inchoato jam Officio, vel Missa absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit in medio versus Altare, aliquantulum orans; mox surgit, & facit profundam reverentiam Altari, & Episcopo si adest; deinde salutat Canonicos, & alios de Choro circumstantes, tunc & non prius ei assurgentes, & eum resalutantes, & vadit ad locum suum. Et si forte tunc esset principium Horarum, & diceretur in Choro *Deus in adjutorium, &c.* vel *Gloria Patri, &c.* aut Hymnus; vel in Missa Oratio, aut Epistola, aut Evangelium, vel denique aliud fiat, ad quod Chorus vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram; expectabit respective stans, vel inclinatus, vel separatim genuflexus in medio Chori, prout ipse Chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis & salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum.

De Coloribus Paramentorum. XVIII.

RUBRICA.

1. *Paramenta Altaris, Celebrantis, & Ministrorum, debent esse coloris convenientis Officio & Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ; quæ* (e) *quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, & Nigro.*

GAVANTUS.

Vestes Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, ornatum auctæ sunt; nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant, *Walafr. cap.* 24. & B. Clemens, *inquit Honorius in Gemma lib.* 1. *cap.* 89. tradente B. Petro, usum sacrarum vestium ex lege decrevit. Sancta vero esse & honesta, S. Stephanus Papa jussit, *de Consecr. dist.* 1. *vestimenta ex illius epist.* 1. *ad Hilar.* Anacletus meminit Sacratum vestium *epist.* 1. Hinc S. Hieron. *lib.* 13. *in cap.* 44. *Ezechiel.* Religio Divina, ait, alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu, vitaque communi: quo loco utitur *Alcuin. cap. Quid significent vestimenta.* Et revera, si Sacerdotes antiqui vestes habuere ad Sacrificia non communes; nos in communi veste sacrificabimus? Novi fiant in Christo homines, *ait Hieronym. loc. cit.* moribus nimirum, & vestibus. Denique fortasse, ideo in veste cœnatoria Christus Dominus hoc Sacrificium instituit, *Joan.* 13. quam fuisse syndonem albam docet *Baron. anno Domini* 34. *num.* 39. At de singulis vestibus infra dicemus: nunc de coloribus earumdem.

(e) *Quinque coloribus.* Totidem enumerat colores *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 65. quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo; quatuor principales faciens colores, quatuor coloribus antiquarum vestium legalium respondentes, Bissi, Purpuræ, Hyacinthi, & Cocci, *Exod.* 28. Certum autem est, quod post Sylvestrum varius color fuit in usu, si forte antea lino, vel lana tantum utebantur: nam Machario donata fuit stola a Constantino Magno filis aureis texta, *Theodor. lib.* 2. *Histor. cap.* 27. Planeta Sancti Gordiani patris Sancti Gregorii erat coloris castanei, *ex Joanne Diacono lib.* 4. *cap.* 83. forte est idem color, qui viridis.

RUBRICA.

2 *Albo colore utitur a Vesperis Vigiliæ* (f) *Nativitatis Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, exceptis Festis Martyrum, quæ infra eam veniunt. Feria quinta* (g) *in Cœna Domini*, & (h) *Sabbato Sancto in Officio Missæ: & ab illo die usque ad Sabbatum in Vigilia Pentecostes ad Nonam, in Officio de Tempore, præterquam in Missa Litaniarum, & Rogationum. In Festo* (i) *Sanctissimæ Trinitatis. In Festo* (k) *Corporis Christi. In Festo* (l) *Transfigurationis Domini. In Festis* (m) *Beatæ Mariæ Virginis, præterquam in Benedictione candelarum, & Processione, quæ fit in Festo Purificationis ejusdem. In Festis* (n) *Angelorum. In Nativitate* (o) *Sancti Joannis Baptistæ. In principali Festo* (p) *Sancti Joannis Evangelistæ, quod celebratur infra Octavam Nativitatis Domini. In utraque* (q) *Cathedra Sancti Petri. In Festo Sancti* (r) *Petri ad Vincula.* (s) *In Conversione Sancti Pauli. In Festo* (t) *Omnium Sanctorum. In Festis* (u) *Confessorum Pontificum, et non Pontificum, et Doctorum. In Festis Sanctarum* (x) *Virginum non Martyrum, et nec Virginum, nec Martyrum. In Dedicatione, et* (y) *Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, ac* (z) *in Consecratione Summi Pontificis, et in Anniversario Creationis, et coronationis ejusdem, et Electionis et Consecrationis Episcopi. Item* (a) *per Octavas prædictorum Festorum, quæ Octavas habent, quando dicitur Missa de Octava; et in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica: præterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus.* (b) *In Missis Votivis supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur. In Missa* (c) *de Sponso et Sponsa.*

GAVANTUS.

Albus color adhibitus est in Sacrificiis, teste *Hieronymo contra Pelagian.* & significat gloriam, gaudium, & innocentiam, *ex eodem Hieron. in Ezech. et aliis Patribus.*

(f) *Nativitatis.* Quia natus est Christus carens originali peccato: et in Epiphania propter splendorem stellæ, *Innoc. loc. cit.*

(g) *In Cœna Domini.* Propter confectionem Chrismatis, quod mundationi animarum deservit; & in Evangelio Missæ de lavandis pedibus agitur. *Idem ibid.* Adde vestem cœnatoriam Christi fuisse albi coloris, *ex Baron. supra citato hoc eodem tit.*

(h) *Sabbato Sancto, &c.* Nam Resurrectionis Angelus testis & nuncius stola candida coopertus apparuit. *Idem Innoc.* Vestimentum ejus sicut nix. *Matth.* 28. In Ascensione quoque Christi steterunt Angeli juxta Apostolos in vestibus albis. *Actor.* 1. cujus Ritus Paschalis meminit *Palladius in libello de Vita S. Nicetæ Lugd.*

(i) *Sanctiss. Trinitatis.* Quis purior Deo? Et hoc docet *Directorium Divini Officii ante annum* 1557. *cit. in Missali eodem anno* 1557. *impresso Venetiis.*

(k) *Corporis Christi.* Eadem ratione, qua supra, in Cœna Domini, color albus adhibetur.

(l) *Transfigurationis Domini. Ex prædicto Directorio, et Missali:* nam in ea vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix *Matth.* 17. Et nubes lucida obumbravit eos.

(m) *B. M. V. Ex eodem Directorio,* quia prior sub Deo creatura nequit intelligi. *Damascen.*

(n) *Angelorum.* De quorum nitore Deus ad Luciferum: Ubi eras cum me laudarent astra matutina? *Job.* 38. & hæc *Innocentius III. loc. cit. in hanc Rubricam.*

(o)

(o) *Sancti Joannis Baptistæ.* Qui natus est sine peccato, sanctificatus in utero. *Idem ibidem.*

(p) *Sancti Joannis Evangelistæ. Ex prædicto Directorio*, de quo tamquam de Virginis altero filio tunc fit Festum, nascente Christo primogenito Virginis.

(q) *Cathedra Sancti Petri. Innoc. III. supra*, in qua veneramur Petrum tamquam Pontificem.

(r) *Petri ad Vincula. Ex prædicto Directorio*, tum ob ejusdem innocentiam declarandam; tum ob Angelicam liberationem: in albis enim forte Angelus apparuit Petro.

(s) *In Conversione Sancti Pauli. Innoc. III. supra*, ad significandam primam ejus sanctitatem baptismalem.

(t) *Omnium Sanctorum.* In quo fulget præcipue nomen Deiparæ Virginis, & leguntur eo die amicti stolis albis, *Innocent. III.* Aliqui Trinitatem includunt in hoc Festo ob primum Festi Responsorium: sed Festum est B. Virginis, & Sanctorum, ut patet *ex Martyrologio Romano.*

(u) *Confessorum.* Ad indicandum candorem & morum in illis, & doctrinæ in Doctoribus, *Innocentius III. loc. cit.* Idem fiat in Festo Stigmatum Sancti Francisci. S. R. C. 9. Decemb. 1623.

(x) *Virginum &c.* In testimonium puritatis, & castitatis earum, quia albo colore gaudet castitas.

(y) *In Consecratione Ecclesiæ.* Nam Ecclesia virgineo nomine nuncupatur ab Apostolo. 2. *Cor.* 11. *Innoc. supra.*

(z) *In Consecratione Summi Pontificis &c. Innocent. III. loc. cit.* Ratio esse potest, quæ supra de Pontificibus est allata.

(a) *Per Octavas &c. Ex eodem Directorio*, quia supra diximus, totam Octavam esse unum, & idem Festum.

(b) *In Missis Votivis.* Quia sequitur naturam principalis Festi id, quod est votivum, & militat eadem ratio coloris in Votivis, quæ in Festis. Quod de votivis dicitur, multo magis verum est in Festis Translationum, Apparitionum, & similium Festorum.

(c) *De Sponso, et Sponsa.* Quia supponitur in sponsa benedicenda carnis integritas: unde viduæ nuptias non benedicimus. *Ritual. Roman. de Sacram. Matrim.*

Exceptionum in hac Rubrica omisimus causas, quia in sequentibus patebunt.

RUBRICA.

5. *Rubeo colore utitur* (d) *a Vigilia Pentecostes In Missa usque ad Sabbatum sequens, finita Nona, et Missa. In Festis* (e) *Sanctæ Crucis*, (f) *In Decollatione S. Joannis Baptistæ. In Natali Apostolorum Petri et Pauli, et in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali S. Joannis Evangelistæ post Nativitatem, et Festo Conversionis S. Pauli, et Cathedra Sancti Petri, et ejus Vinculorum.) In Festo S. Joannis ante portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum, excepto Festo SS. Innocentum, quando non venerit in Dominica; si autem* (g) *in Dominica venerit, utitur rubeo, in ejus vero* (h) *die Octava semper utitur rubeo, quocumque die occurrat. In Festis Sanctarum* (i) *Virginum, & Martyrum*, (k) *Martyrum non Virginum. Item* (l) *per Octavas prædictorum Festorum, quæ Octavas habent, quando fit de Octava, in Dominicis infra eas Octavas occurrentibus, eodem modo, ut dictum est supra de colore albo. Item in Missis Votivis supradictorum Festorum, & in Missa* (m) *pro eligendo Summo Pontifice.*

GAVANTUS.

Rubeus color, seu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem, humano sanguini similis est, igneam refert naturam, ex quibus facile patebunt sequentes Ritus.

(d) *A Vigilia Pentecost. Innocent. III. hoc citato*, propter Sancti Spiritus favorem, qui in igne descendit *Act.* 2. & propter potestatis plenitudinem in igne significatam, Apostolisque datam; *ex Tobia Corona de Templis, part.* 1. *cap.* 49.

(e) *Sanctæ Crucis, ex citato Directorio*, quæ Sanguine Christi consecrata fuit, & Passionem illius indicat rubeus color.

(f) *In Decollatione, &c. Innoc. III.* ob effusionem sanguinis.

(g) *In Dominica venerit. Ex eodem Directorio*, ratione Dominicæ, quæ semper est festiva, cui & idcirco eo die conceduntur Hymnus Angelicus, & Alleluja, festivus enim SS. Martyrum color est rubeus, qui ut festivus est, Dominicæ congruit, ut rubeus vero, convenit Officio de Innocentibus, quod fit in Dominica.

(h) *Die Octava. Ex eodem Directorio.* Octava enim glorificationem denotat. *Amalarius lib. 4. cap.* 29. & 36.

(i) *Virginum, & Martyrum.* Quia Martyrium præfertur virginitati. *Innoc. III. loc. cit.*

(k) *Martyrum non Virginum.* Quia pro Christo sanguinem fuderunt.

(l) *Per octavas prædictorum.* Ratione supra allata numero præcedenti *ex citato Directorio.*

(m) *Pro eligendo Summo Pontifice.* Quia æquivalet Missæ de Spiritu Sancto.

RUBRICA.

4 *Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive in Officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut supra, exceptis Dominicis infra Octa-*

Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur, exceptis etiam Vigiliis, & quatuor Temporibus, ut infra.

GAVANTUS.

Eadem *in citato Directorio*. Viridis color medius est inter colores, *dit Innoc. III. loc. citat.* & ideo utimur in eo diebus ferialibus, & communibus, inquit ille, cujusmodi sunt dies ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum in Officio de tempore. Dies etiam Dominici minus solemnes sunt his temporibus, & communes vocantur ab Innoc. comparative ad alias Dominicas, & Solemnitates anni.

RUBRICA.

5 *Violaceo colore utitur a prima Dominica Adventus in primis Vesperis usque ad Missam Vigiliæ Nativitatis Domini inclusive, & a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum ante Missam inclusive, in Officio de Tempore, excepta Feria quinta in Cœna Domini, in qua utitur albo; Feria sexta in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra, & (n) Benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus illius Præfationem dicens solus utitur albo, ea autem finita, violaceo ut prius. Item in (o) Vigilia Pentecostes ante Missam, a prima Prophetia usque ad Benedictionem Fontis inclusive. In (p) Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, exceptis (q) Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecostes, in Missa (r) Litaniarum in die S. Marci Evangelistæ, & Rogationum, & in Processionibus, quæ his diebus fiunt. In Festo (s) SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In Benedictione (t) Candelarum in die Purificationis Beatæ Mariæ, & in Benedictione Cinerum, ac Palmarum, & in ipsa Dominica in Palmis, & in earumdem, ac generaliter in (u) omnibus Processionibus, (x) exceptis Processionibus Sanctissimi Sacramenti, & quæ fiunt (y) in diebus solemnibus, vel pro gratiarum acti ne. In Missis (z) de Passione Domini: (a) pro quacumque necessitate: pro peccatis: ad tollendum schisma, contra Paganos: tempore belli, pro pace: pro vitanda mortalitate: pro iter agentibus: & pro infirmis.*

GAVANTUS.

Eadem fere habet *citatum Directorium*, tempore Innocentii Tertii. Niger color adhibeatur iis diebus, quibus a nobis violaceus, quo utebatur Ecclesia tunc temporis bis tantum in Festo Innocentium, & in Dominica *Lætare*, diebus, inquam, afflictionis, & abstinentiæ, pro peccatis, pro Defunctis, inquit ille; nunc autem convenientius violaceo utimur ab Adventu ad Natalem Domini, & a Septuages. usque ad Pascha.

(n) *Benedictione Cerei.* Pertinet enim ad Paschale Sacramentum. *Durand. lib. 3. cap. 18.*

(o) *Vigilia Pentecostes.* Eadem ratione, qua Vigiliæ Paschæ, afflictionis indicandæ causa, & Catechumenorum humilitatis ante Baptismum.

(p) *Quatuor Temporibus. Durand. lib. 3. cap. 18.* afflictioni enim debitus est color violaceus.

(q) *Vigilia, & quatuor Temporibus Pentecost.* quæ sunt festiva, ut diximus.

(r) *Latinarum.* Quæ cum mœrore quodam celebrantur.

(s) *Sanctorum Innocentium*, quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio: *Vox in Rhama audita est, ploratus, &c. Matth. 2.* & licet legatur idem in Octava, color tamen est alius, rubeus nimirum, & festivus, ratione allata supra, *Amalar.* Item alia est ratio coloris violacei, quia descenderunt ii in limbum: *ex Micrologo. cap. 56.* quæ communis est Joannis Baptistæ, in cujus tamen decollatione rubeo utimur, adde, illos non plene fuisse de novo Testamento.

(t) *Candelarum, &c.* In Cinere, & Psalmis cum Passione Domini patet ratio coloris violacei, in candelarum vero Benedictione, & Processione color niger adhibebatur, *ex Alcuin.* sed diximus supra, *ex Innoc. III.* nigrum pro violaceo usurpatum fuisse, fortasse ratio esse potest prophetia Simonis ad Matrem Christi: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius:* nam alioquin Missa pertinet ad puritatem Virginis ejusdem, quæ purificari dicitur, & celebratur cum colore albo. *Durandus autem lib. 2. c. 28.* aux am Simonis expectationem in hoc Ritu significari tradit.

(u) *In omnibus Processionibus.* Hoc est, in iis, quæ inducunt ad Jubilæum consequendum, vel pluviam impetrandum, vel quid simile; nam in his casibus cum luctu & dolore est procedendum.

(x) *Exceptis Processionibus SS. Sacramenti.* Quæ colore albo adhibito fiunt, ratione allata in Festo ejusdem Sacramenti.

(y) *In diebus solemnibus.* Nam in his color adhibendus est, qui congruit Festo, vel Missæ, post Processionem cantandæ.

(z) *De Passione Domini.* Ad Missam de Cruce color rubeus, ut sequatur qualitatem Festi principalis, in quo effusio Sanguinis Christi repræsentatur. Ad Missam vero de Passione violaceus, ut respondeat Dominicæ de Passione, cum qua participat in titulo, & Sacramento mortis Christi.

(a) *Pro quacumque necessitate, &c.* In his levem casibus, & similibus, habent præcipuum locum luctus, afflictio, & pœnitentia.

RUBRICA.

6. *Nigro colore utitur Feria sexta in Parasceve, & in omnibus Officiis, & in Missis Defunctorum.*

GAVANTUS.

Mortis est propriissimus color niger apud omnes. *Innoc. III. loc. cit. cap.* 65. Acatii tempore erat hic Ritus in usu, *ex lib.* 1. *Collectan. Theod. Lectoris.*

Regula vero in mutandis coloribus ea est, ut mentio fiat in primis Vesperis Festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum. Si Officium & Missa discordent, color Altaris sequatur Officium: vestium autem Sacerdotis sit color Missæ conformis; quæ diversitas accidere solet in Feria tertia Rogationum, & in Vigiliis infra octavas. Pro Missa vero Solemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ; quod adnotavit *rectè P. Ruiz in suo Cæremon.*

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. m — *Dominica Lætare, &c.*) In Dominica tertia Adventus, & quarta Quadragesimæ, quam Gavantus supra, appellat Dominicam *lætare*, debemus adhibere paramenta solemniora tam pro Celebrante, quam pro Altari, sed coloris violacei, in defectu rosacei, Cæremoniale Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 13. §. 11. Gerlacus Vinitor supra §. 7. Quinam autem colores adhibendi sint in Missa pro gratiarum actione, & in Missa pro impetranda gratia bene moriendi, nec non in aliis Missis votivis, satis diximus in §. 6. talium Missarum Votivarum. Agitant quæstionem Rubricistæ: num in vestibus Sacerdotalibus & Altaris omnes simul quatuor colores, nimirum, *albus, rubeus, viridis, & violaceus, seu niger*, adhiberi possint; & an liceat Sacerdotibus uti una planeta indifferenter pro unaquaque Missa cujuscunque generis?

Primam quæstionem resolvit Turinus *part.* 1. *sect.* 4. *cap.* 4. *pag.* 157. dicendo vestem in se habentem quatuor colores, æque apparentes, quamvis de singulis coloribus participet, in neutro illorum, determinationem peculiarem sumere posse; & proinde neque esse albam, neque rubeam &c. & consequenter, ea neque tanquam alba, neque ceu rubea uti posse extra casum necessitatis. Si tamen unus ex dictis coloribus v. g. albus, cæteris prævaleat; tunc dicta planeta erit reputanda alba, & tanquam tali uti possumus. Diximus extra casum necessitatis non debere adhiberi dictas planetas mixti coloris (quamvis hic sit usus communis multarum Ecclesiarum); nam in casu necessitatis non improbamus talem usum, quia sicut in hoc casu possumus uti veste alba pro nigra, cum Rubrica de coloribus paramentorum non sit tam rigorosa; ita multo magis possumus uti planeta mixti coloris.

Secundum dubium resolvit idem Turrinus, dicendo, hoc esse contra mentem Institutoris Rubricarum; qui ideo colores distinguit, ut altera planeta adhiberetur, altera excluderetur, & habent in re unusquisque Mysteria propria, ut Gavantus, Durandus & alii Auctores supra.

Præterea noster P. Quarti *part.* 1. *tit.* 18. *Rubr.* 2. quærit, utrum color auri in vestibus Sacris æquivaleat cunctis coloribus, aut saltem rubeo, & albo? & huic quæsito affirmative respondet, quia aurum, lucidum habet, per quem albo assimilatur; & igneum, per quem rubeo, & concludit exceptis violaceo, & nigro, cæteris coloribus aureum æquivalere; eoque pro rubeo, albo, & viridi nos uti posse, etiam in communi usu: idque etiam affirmat Garlacus Vinitor *loc. cit.* Turrinus tamen suprac. quamvis fateatur vestes aureas festivas esse; adhiberi tamen posse de rigore pro vestibus omnium colorum minime assentitur, quia color auri, nec albus, nec rubeus est, sed color flavus, qui approximat viridi: ergo, sicuti albo pro viridi, aut rubeo uti non licet extra necessitatem, sic neque planeta aurea pro alba, & rubea, sed pro viridi tantum, cujus colori approximat, ut dictum est, adhiberi potest. Ita Turrinus supra, sed nobis supradicta Quarti sententia magis arridet.

II. Gav. lit. p. — *Afflictioni debitus est color violaceus, &c.*) Ex quo, ut optime dicit Gavantus, color violaceus debitus est afflictioni; hinc fit non posse uti colore cæruleo, loco violacei, tam in paramentis Sacerdotalibus, quam in paramentis Altarium. Ita Gerlacus Vinitor supra §. 9. Quoniam vero de colore cæruleo hic sermonem habemus, non abs re erit observare, quod nonnulli putarunt cæruleum colorem antiquissimum fuisse, quia cærulei coloris erant vestes Redemptoris, vel ut Nonus super Textum Divi Joannis *cap.* 19. refert, erant vinacei coloris, inter rubeum scilicet & violaceum: hinc ob reverentialem consimilitudinem vestium Domini nostri Jesu Christi in primitiva Ecclesia omnes Clericos vestibus coloris violacei usos fuisse Card. Baronius sibi persuasit *ad annum* 393. Verum postquam Monachi ad Ordines, & ad Sacerdotium promoveri cœperunt, color niger successit, sic eorum modestia, & mundi contemptu dictante; ut ait Divus Hieronymus *in epistol.* 22. *& in Epitaph. S. Marcellæ*: Retentus fuit autem color violaceus in vestibus Episcoporum; necnon familiarium Summi Pontificis, Caudatariorum S. R. E. Cardinalium, Cæremoniariorum Ecclesiarum Cathedralium, Episcopo solemniter celebrante, & Clericorum in Seminariis Episcopalibus degentium, ne omnino usus pervetustus aboleretur, ut novissime observavit Clericatus *de Sacrificio Missæ decis.* 22. Nollem quidem a sapientissimi Baronii

ser-

sententia recedere; nullum tamen pro antiquitate cærulei, vel violacei coloris firmum argumentum afferri potest; immo primis Ecclesiæ Sæculis indistinctum fuisse Clericorum habitum, probabilissimum est; subsequentibus temporibus colore albo potius uti cœperunt, ut eruditissime ostendit Cæsar Benvenuti Canonicorum Regularium Lateranensium Abbas in suo opere Italice inscripto — *Discorso istorico cronologico della vita comune dei Chierici de' primi sei secoli della Chiesa, ricerca* 8. *cap.* 1. uti probat suam sententiam præsertim auctoritate Sancti Cypriani, nec non Sancti Hieronymi, qui in epistola ad Nepotianum ex Monacho Clericum factum, ait; quod *non absque amictu lineo incedere; sed pretium vestium linearum non habere laudabile est.* Laudatus Auctor placitum suum comprobat etiam auctoritate D. Augustini, qui Clero suo nonnisi album colorem præscribebat: unde populum advertit, dicens: *Nemo det tunicam lineam, nisi in communi, qualem decenter ferre possit Presbyter, aut Diaconus — sermone* 2. *de moribus Clericorum;* quinimmo allegatus Benvenuti ibidem ostendere studet Jesum Christum etiam juxta Abulensis sententiam in Matthæum *cap.* 28. *quæst.* 46. *num.* 21. indumento albi coloris usum fuisse, sed albedine remissa, non vero fulgenti.

Superest nunc, ut hic recenseamus Auctores, qui erudite tractant de prædictis sacris coloribus, & deinde exhibeamus Decreta S. R. C. ad prædictam coloris materiam pertinentia.

Celebriores igitur Auctores, qui de coloribus disserunt, sunt Innocentius III. *de Mysteriis Missæ lib.* 1. *cap.* 65. Guilielmus Durandus *in Ratione Divin. Offic. lib.* 3. *cap.* 18. §. 6. Joseph Vicecomes de Missæ Apparatu *lib.* 1. *cap.* 12. Andreas Da Saussay Episcop. Titul. *in sua Panoplia Cleric. cap.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 4. §. 1. & 2. Joannes Gaspar Krausen, anno 1707. in dissertatione Vittembergæ impressa; Abbas Dominicus Georgius in libro, cui titulus — *Degli abiti sacri del Sommo Pontefice, &c.* & Bartholomæus Piazza in suo opere Italice exarato, & intitulato: *L'Iride Sacra.*

Decreta autem, quæ a Sacr. Rit. Cong. emanarunt, hæc sunt:

In Festo Stigmatum S. Francisci adhibetur color albus. 9. Novembris 1623. & datum in nostro Indice *sub num.* 193.

Exteri celebrantes Missam in Ecclesiis Regularium, debent adhibere eumdem colorem, quo utuntur prædicti Regulares, 11. Junii 1701. & datum in nostro Indice *sub num.* 357.

Tam fratres celebrantes in aliqua Ecclesia aliena, quam propria, debent uti eodem colore, qui in illa Ecclesia adhibetur. 11. Junii 1701. & datum in nostro Indice *sub num.* 506.

De qualitate Paramentorum XIX.

RUBRICA.

1. *In Officio Missæ, Celebrans semper utitur planeta super albam.*

GAVANTUS.

Qua de re suo loco, cum de aliis vestibus sacerdotalibus *part.* 2. *tit.* 1.

RUBRICA.

2 *Si autem sit Episcopus, & solemniter celebret super dalmaticam, & tunicellam.*

GAVANTUS.

De his etiam, cum de vestibus Pontificalibus, *part.* 2. *tit.* 1.

RUBRICA.

3 (d) *Pluviali utitur* (e) *in Processionibus,* (f) *& Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio* (g) *Laudum, & Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur* (h) *assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item, quando Celebrans* (i) *post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.*

GAVANTUS.

(d) *Pluviali.* Pluviale, & cappa sunt idem, *Durand. lib.* 2. *cap.* 1. & forma quidem, & usus pluvialis similes sunt cappæ, quam describit *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 227. Propria vestis, inquit, est Cantorum, & apud nos quoque Cantorum est pluviale, *in Cæremon. Episcop. lib.* 2. *cap.* 3. in Vesperis a singulis ordinibus, inquit ille, portatur; ergo cappa hæc Honorii non est casula, quæ solius Sacerdotis est, aut Diaconi, & Subdiaconi ad summum contra conjecturam *Isidor. lib.* 15. *orig. cap.* 12. *& contra Durand. lib.* 2. *c.* 9. qui volunt, cappam esse casulam. Sicut autem describitur, cappa habet, *inquit Honor.* in supremo caputium, ad pedes pertingit, fimbrias habet, ante aperta manet; & quis non videat hæc omnia convenire pluviali tantum? cappa est, quia capit totum hominem. Cappam etiam rustici vocant, quod Latini tugurium, *Durand. ait loc. cit.* Cappanam rustici nostri; & pluviale quasi tugurium est contra pluvias, ideoque pluviale vocitatur. Immo vero apud laicos quoque cappa ea dicebatur, ut nos vidimus ante paucos annos, quæ caputium habebat, ad differentiam mantelli, quod caputio caret, cujus caputii usus erat absque dubio ad tuendum caput tempore pluviæ, sicut in itinere caputio feltri utimur. Unde & pluvialis laicorum cappa dici poterat: ipsi itaque modo cappa Ecclesiastica cum caputio adhibita proprissime in

Pro-

Processionibus extra Ecclesiam, caputio tegens Sacerdotem, cum plueret, pluvialis nomen, ut opinor, est adepta. Impluvia dicebatur ea vestis, qua Sacerdotes per imbrem utebantur, *ex Varone*, pluviale item quasi fluviale dici potest, quia lineæ, quæ in ora anteriori sunt, fluvii, seu flumina, a Græci vocantur ποταμοί.

Facile quoque accidere potuit, quod *Ignatius Braccius Recinetensis*, (*cujus laus est in etymologiis omnium vocum Italicarum, Græcarum, Latinarum, & Hebræarum, quarum parat immensum opus*) postremo me monuit, a Plebe & Plebano, quem Piviero vocavere, Academici Florentini, & vulgo, Piovano, dicimus additam esse vocem Italicam, Piviale, aut Pieviale, aut Piovale, quod postremum latinitate donantes appellavere Pluviale. Ea enim vestis est in usu frequentiore apud Parochos in Sacramentorum administratione. *Item autem Honor cap.* 233. concedit, cappam deduci posse a casula, idest parva casa. Casulam antiquam fuisse scio valde similem pluviali nostro, excepto caputio, & anteriori parte, quæ in casula non erat aperta; unde & reflectebatur casula utrimque super brachia Sacerdotis, & in elevatione Hostiæ ideo posterior casulæ pars, ut hodie, elevatur ad brachia Sacerdotis magis expedienda. Ambrosiani vestigium retinent amplioris antiquæ casulæ tam latæ, quam longæ, & nos, cum de casula, ex antiquioribus eam indicabimus infra. Adde, quod *in Ordine Romano in Consecratione Episcopi*, Ordinandus prima vice ante Ordinantem constituitur cum cappa super albam, cingulum, & stolam; certe non cum cappa Episcopali lanea ordinaria, quæ non adhibetur super albam, & stolam; sed cum cappa, idest, pluviali; secunda vero vice *ibidem* constituitur item Ordinandus cum planeta super dalmaticam, manicas sandalia, quæ consona sunt Consecrationi Episcopi in Pontificali moderno; ergo cappa non est casula, sed quasi casula, & est pluviale. Vides cum forma simul & usu antiquitatem? Vide Mysteria, *ex Gemma loc. cit.* 227. hæc vestis conversationem denotat, caputium vero supernum gaudium, quod est caput conversationis, dicente Apostolo, *nostra conversatio in Cælis est*, ad pedes pertingit ob perseverantiam, aperta manet ante, quia sancte conversantibus æterna vita patet, in fimbriis labor signatur. *Hæc Gemma.* Charitatem quoque significat cappa hæc, *ibi cap.* 234.

Durand. loc. cit. In cappa hac intelligi docet gloriosam corporum immortalitatem, unde illa utimur in Festis majoribus, & patent anteriores partes cappæ; quia corpora, inquit, facta spiritualia nullis animam obturabunt angustis, *ibid.* Ipse utitur vocabulo pluvialis, ante quem apud alium auctorem non inveni hanc vocem.

(c) *In Processionibus.* Processio quasi progressio, procedendo in publicum, *Durand. lib.* 2. *cap.* 10. cujus origo, an a Purificatione B. Virginis cum Josepho, Simeone, & Anna? vel certius ex Historia Evangelica a turbis in die Palmarum? *Tertull. lib.* 2. *ad uxorem* meminit Processionum, *& Ambr. serm.* 8. Aliæ vero sunt ordinariæ, ut in Festo Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litaniis majoribus, & minoribus, in Festo Corporis Christi; de quibus dicetur in propriis Rubricis. Aliæ extraordinariæ, quæ auctoritate Episcoporum fieri solent; quarum exempla multa refert *Durand. loc. cit.* in his præfertur Crux cum luminibus, quorum auctorem faciunt S. Joannem Chrysostomum: *Socrates, & Sozomenus citati a Cæsare Franciotto in observ. circa Mysteria totius anni.* Crux autem a Regularibus cum velo pendente, seu pallio, ex Decreto Sac. Rituum Congr. 4. *Januarii* 1617. * ad indicandam subjectionem, & inferioritatem respectu Cleri sæcularis, eadem ratione, qua baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium novo ejusdem, ad differentiam baculi Episcopalis, quod notatur *in Actis Eccles. Mediolan. de supl. Eccl. lib.* 2. & mulieri datur velamen supra caput, subjectionis indicium sub viro 1. *Corinth.* 2. Porro Ritus deferendi Crucem ante annum 398. *teste Baronio ibid.* fuit in usu, & imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, nisi sit Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam quasi ex illius aspectu in summa animarum cura il recreentur; ut indicantur in *Cæremon. Episc. lib.* 1. *cap.* 13. *& lib.* 2. *cap.* 16. *& aperte in Cæremon. Marcelli lib.* 3. *cap.* 20. *& Crassi lib.* 2. *cap.* 42. etiamsi inter Crucem, & Prælatum incedant Canonici, ut expresse dicitur in *Cæremonial. Episc. lib.* 1. *cap.* 15. *cit.* contra recentiores quosdam, qui distinguunt in Cruce Archiepiscopali, quando immediate præcedit Archiepiscopum, & quando Canonici præcedunt eumdem post ejus Crucem.

Cum igitur processio sit quædam Clerici cum populo itineraria conversatio, recte pluviale adhibetur, quod, ut diximus, sanctæ conversationis formam designat.

(f) *Et Benedictionibus.* Hoc est, cinerum, cereorum, palmarum, sacrarum imaginum, &c. quæ cum solemnes sint, pluviale jure merito exigunt: neque aliud indumenti genus aptius esse potest Benedictioni solemni, quæ fit extra Missam. Sunt aliæ Benedictiones, quæ non fiunt in Altari & in fine Missalis de rebus variis habentur, in quibus satis est stola cum superpelliceo uti.

(g) *Laudum, & Vesperarum.* Laudes, & Vesperæ sunt pares numero Psalmorum, Hymnorum & ratione Canticorum Evangelicorum; ut dicemus in Rubricis Breviarii. Pluviale in iis conceditur ad Solemnitatem. *Cærem. Episc. lib.* 2. *cap.* 3. *&* 7. Qui almutiis utuntur, eas deponant, cum pluviale induunt, sicut exuunt cappas ii Canonici, qui his utuntur.

(h) *Assistens Celebranti.* Ordo Rom. dat cappas Presbyteris assistentibus Papæ celebranti. Vides hi etiam cappas idem esse, ac pluvialia?

(i) *Post*

(l) *Post Missam Defunctorum, &c.* Missa finita, deponenda est casula, quæ ergo nunc ab Absolutionem solemnem aptior erit vestis, quam pluvialis cappa, vestis, & ad omnia magis communis; neque benedicitur, quia communis est cuicumque Ecclesiastico, neque ordinata ad Sacrificium Missæ.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium.

I. Gav. lit. d — *Pluviale & cappa sunt idem.*) Pluviale, ut optime observat Gavantus cum Honorio *in Gemma Animæ lib. 1. cap. 227.* idem est ac cappa; cappa etenim processu temporum auctoritate superiorum ad meliorem formam redacta, & mutato capucio in ornamentum a tergo pendens inter vestes sacras retenta est sub antiquo nomine pluvialis, & modo pluviale communiter vocatur, vel casula Processoria cit. a Cypriano Episcopo Tolonen. in Vita S. Cæsarii Arelaten. apud Mabillon *lib. 1.* Liturgiæ Gallicanæ *cap. 7. num. 2.* Pluviale autem utitur Celebrans in Processionibus, Benedictionibus, & aliis sacris functionibus: ut constat ex Rubrica citata. Ratio litteralis est, ut etiam in vestibus appareat discrimen inter Sacrificium, quod in Missa peragitur, quo nihil sanctius a Fidelibus tractari potest; ex Tridentino *sess. 22.* in Decreto de observandis in celebratione Missæ, ut inquam, sit discrimen inter Sacrificium, & alias sacras functiones, quia in Missa Sacerdos utitur planeta, seu casula, quæ ad usum Sacrificii singulariter est destinata & benedicta. Non est tamen confundenda casula cum cappa, ut optime notat Bissus littera G. *num. 149.* contra Durandum *lib. 2. cap. 1.* qui vult quod nomine cappæ intelligatur casula, quod est falsum, ut patet ex descriptione cappæ, quam affert Honorius *loc. cit.* ubi dicit, quod cappa habet in supremo capucium, deinde ad pedes pertingit, & a parte ante est aperta; casula autem erat antiquitus ex omni parte clausa, de qua fusius discurremus in primo titulo sequentis secundæ partis. Decet autem, ut in Benedictionibus, & aliis functionibus solemnioribus extra Sacrificium, planeta non utatur, sed loco illius pluviali, quod aptissimum indumenti genus videtur ad decens Sacerdotis ornamentum super albam.

Eodem utitur Assistens Celebranti, quia inde resultat major veneratio erga Celebrantem, & ipsam sacram functionem, tribuitur etiam Cantoribus ad majorem solemnitatem, quia non est vestis propria Sacerdotis, ut planeta, seu casula, sed communis aliis. Ex Honorio *in Gemma Animæ supracit.* & Quarti supra *titul. 19. anum. 1. usque ad num. 3.* inclusive.

Quamvis supradictum pluviale non sit benedicendum, ex Gavanto supra, nihilominus Quarti supra *dub. 2.* vult, quod tam pluviale, quam dalmaticæ (licet de his nihil expressum inveniatur apud Auctores, nec earum Benedictionem videantur insinuare) debeant benedici ex Benedictione, quæ assignatur in Missali pro indumentis Sacerdotalibus in genere.

Explicato quid veniat nomine pluvialis, & aliis ad talem vestem spectantibus, progredimur nunc ad exponendum, quid veniat nomine cappæ ecclesiasticæ. Cappa igitur significat etiam cappam magnam, seu longam, cum cappucio pellibus, vel serico secundum temporum exigentiam subsuto, qua utuntur Cardinales, Episcopi, & in multis Cathedralibus etiam Canonici. Romæ vero in Ecclesiis Patriarchalibus Beneficiati quoque cappa magna utuntur; sed differt a Canonicali in colore Pelliceæ: nam Beneficiatorum est cinericii coloris; Canonicorum vero candidi armelini. Cappa hæc ab habitus Monachalis forma desumpta fuit, quando hi Ecclesiam gubernarunt; & dicitur *cappa choralis* a Matthæo Parisio: igitur cappa significat Sacerdotalis dignitatis eminentiam: Rupertus *c. 1. Apocal.* Caudæ vero longitudo denotat, quod usque ad diem extremum Judicii sit dignitas Sacerdotalis duratura: defertur tamen hæc cauda sub brachio involuta & plicata, quia dignitas Ecclesiastica manifestari non debet, nisi urgente necessitate ad Dei honorem, & animarum salutem. Pellis, quæ in collo ejusdem, & circa pectus subsuta est, Prælatum meminit peccatorem esse: Divus Augustinus contra mendacium *c. 20.* seu, ut Origeni placet, obmortis memoriam. Macrius v. Cappa *pag. mihi 115. & seqq.* Verum recentissime Petrus Morettus in sua erudita discept. epistolari de ritu variandi Chorale indumentum *num. 78.* usum capparum censet a Canonicis Regularibus seu Clerico-Monachis originem trahere; & colligit ex Constitutionibus totius ordinis Canonicorum Regularium, illos habitum induisse Chorale, & alicubi eiam nunc induere simillimum descriptum in Constitutionibus Ecclesiæ Lateranensis, & Vaticanæ: idem etiam colligi asserit ex cæteris Canonicorum Regularium documentis; hincque habitus similitudinem mirifice comprobant multiplicis speciei imagines Clerico-Monachorum, incisæ in Catalogo ordinum Religiosorum, & in libro Ecclesiast. Hierarchiæ, quos Bonanus Societ. Jesu recenter evulgavit.

De manipulo, & reliquis indumentis Sacerdotalibus mentionem faciemus in Observationibus nostris ad Gavanti Commentaria in 1. tit. 2. partis paulo inferius.

RUBRICA.

4 *Cum Celebrans utitur pluviali, semper* (l) *deponit manipulum: & ubi* (m) *pluviale haberi non potest, in Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine planeta cum alba & stola.*

GAVANTUS.

(l) *Deponit manipulum.* Manipulus non adhibe-

tur cum pluviali, & fortasse quia Ille fletum & dolorem significat, ut infra docebimus, ideo non concordat cum pluviali, quod diximus significare conversationem cælestem; & *ex Durando* gloriosam corporum immortalitatem, quæ fletum non admittit.

Dices, fiunt Processiones flebiles: ergo congruit in illis manipulus fletus, & doloris. Respondeo, extra Missam nullum esse manipuli Sacerdotalis usum: & de hoc Ritu plena ratio penes Auct. desideratur adhuc.

(m) *Pluviale haberi non potest, &c.*) Planeta cum stola est habitus ad Missam tantum; & ideo potius stola super albam sufficit, deficiente pluviali. Verum licet in hoc habitu procedat Celebrans, ac si haberet pluviale; non tamen hinc sequitur, stolam gerere vicem pluvialis; ut ex verbis patet, quod male inferunt alii.

* Stola vero una cum alba in modum Crucis ante pectus gestari debet cingulo de more conjuncta, & utrimque religata: quod si adhibeatur una cum superpelliceo, soluta pendebit a collo hinc inde, quia ligari in modum Crucis non potest; & eodem modo sive cum pluviali, sive absque ea adhibeatur illa: tavet autem *Concil. Bracar.* 3. *c.* 3. signum, ait, in suo pectore præparet Crucis: licet enim ibi loquatur de stolæ usu in Missa, extra Missam tamen forma Crucis, si fieri potest, muniri pectus decet; quod ex usu didici apud nos communiori.

RUBRICA.

5 (n) *Dalmatica* & (o) *tunicella utuntur Diaconus & Subdiaconus in Missa Solemni*, (p) & *Processionibus*, (q) & *Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.*

GAVANTUS.

(n) *Dalmaticam*. Eam assignat Diacono *Ordo Romanus.* Sanct. Sylvester Diaconis concessit, *ex Damaso.* In Dalmatia fuit reperta. *Alcuin. Quid signif. vest. Isidorus* 19. *etymolog. c.* 22. primo textam ibidem fuisse scribit: ejusdem vero usus in Ecclesia fuit ante Sylvestrum: nam *S. Cyprianus meminit, & Eutychianus Papa, apud Durandum lib.* 2. *c.* 9. Sacerdotum enim erat habitus, & casulis introductis dalmatica data Diaconis, *Walafridus Strab. c.* 24. qui tamen a *Vicecomite lib.* 3. *de Missæ apparatu c.* 26. jure refellitur, cum antea *lib.* 3. *c.* 29. probaverit ille fuisse casulam in usu Sacerdotum tempore Apostolorum; quod & nos infra suo loco ostendemus. Usi sunt etiam dalmatica Reges summi; quorum nomina vide apud *Baronium in not. Mart. ad* 31. *Maji.* Neque vero Sylvester omnibus Diaconis eam concessit, sed tantum Romanæ Ecclesiæ, & in diebus tantum solemnibus in signum lætitiæ, *dist.* 76. *cap. de jejun. ex Concil. Salegust.* exteris autem ex privilegio Roman. Pontific. *ut ait Greg. lib.* 7. *ep.* 3. *ad Aregium*, qui *epistola* 27. *&* 113. *ejusdem lib.* 7. tradit aperte fuisse Romanorum tantum Diaconorum propriam vestem. Erat etiam regula, quod dalmatica adhiberetur cum *Gloria in excelsis, ita Microlog. c.* 46. hoc est, ubi *Gloria*, ibi dalmaticæ usus; non e converso: nam in Dominicis *Gaudete*, & *Lætare*, utimur dalmaticis; non autem dicimus, *Gloria in excelsis.*

Forma antiqua dalmaticæ erat sine manicis, & *Ammian. Marcellin. lib.* 14. vocavit eam pectoralem tuniculam, quam nos cum manicis ad cubitum vocamus Italice *Tunicella:* pertusas habet alas, *Amalarius lib.* 2. *c.* 21. duas item lineas ante, & retro, *ibidem;* manicæ latæ sunt, ex *Alcuino supra;* ubi etiam notat formam habere Crucis; alia habebat, quæ nostræ non habent: *vide Innocentium III. vel Amalarium locis citatis, & citandis.* Significat ergo dalmatica lætitiam: item curam proximorum; *Ivo Carnot. Serm. de signif. Indum.* formam Crucis gerit, ut ea indutus mundo sit Crucifixus. *Alcuin. supra:* pertusas alas habet, ut Christum imitetur, qui lancea fuit perfossus in latere. *Amalar. supra:* latas manicas, ut sit liberalis, qui ex officio cum Stephano Protomart. ministrare debet mensis, *Inn. III. lib.* 1. *c.* 56. cum gemina dilectione, Dei & proximi, quam indicant duæ lineæ ante, & retro. *Amalar. ubi supra.* Dalmaticæ denique usus fuit super albam, & consequenter cum amictu & cingulo, quæ conceduntur Diacono *in Concil. Narbon. c.* 12. ex Ritu antiquiore. * De alba, ut Diaconi veste, mentio est *in Ord. Rom. de Concil. Propos. Celebr.* amictus autem, & cingulum comitantur albam.

(o) *Tunicella.* Subdiaconi ministrabant in albis tempore S. Gregorii Papæ *lib.* 7. *ep.* 63. Jubet *Ord. Rom.* eis tradi congruas vestes Subdiaconales, & mappulas in sinistra: sed quas vestes non explicat. Subtile cum minori manica datum Subdiaconis scribitur *in Gemma lib.* 1. *cap.* 229. hoc est tunicella, ideo sic appellata, quia minor est dalmatica Diaconali. Ante Gregorium nescio quis, *ait ipse loc. cit.* induit Subdiaconum; qui modus loquendi excludit Sylvestrum, quem faciunt quidam hujus Ritus auctorem, & indicat per errorem id esse factum, unde Gregorius removit Subdiaconalem vestem. *Conc. Bracar.* 1. *cap.* 27. appellat tunicam, & pares in veste facit Diaconum, & Subdiaconum, fortasse ex prædicto abusu, quem postea correxit S. Gregorius, quoad Subdiaconos; nunc eorumdem districtior est vestis quam Diaconorum: & ideo dicta est etiam subucula *ab Amalar. lib.* 2. *cap.* 22. Significat autem loricam justitiæ, quæ communis est virtus, *Gemma ubi supra*, sed eadem significat, quæ dalmatica; nisi quod Subdiaconus minori tunica indutus, si ad minorem virtutis gradum, quam Diaconus perveniat, tolerandus esse videtur. * Suppone albam tunicellæ: *ex Concil. Narbon. cit.* consequenter amictum & cingulum, ut supra diximus de Diacono.

(p) *Et Processionibus.* Ad majorem nempe ornatum celebrantis Sacerdotis. Scripsit recentior

Ministris eisdem dari posse in Processione SS. Sacramenti stolas Sacerdotales supra cottam; sed hoc videtur contra Bullam Pii V. in qua prohibetur mutatio, additiove Rituum; & contra rationem, ne ii videantur æquales Celebranti: & contra usum Ecclesiarum communem, quem maximi faciendum existimo in Sacris Ritibus.

(q) *Et Benedictionibus.* Quæ scilicet fiunt solemniter, non tamen cinerum, cereorum in Purificatione Beatæ Virginis, nec Palmarum; in quibus dalmatica & tunicella prohibentur in sequenti numero.

RUBRICA.

6 *In diebus vero* (r) *jejuniorum (præterquam in* (s) *Vigiliis Sanctorum) & in Dominicis, & Feriis* (t) *Adventus, &* (u) *Quadragesimæ, ac* (x) *in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis* (y) *Dominica Gaudete, etiamsi ejus Missa infra hebdomadam repetatur, & Dominica Lætare, Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in* (z) *Benedictione cerei, & in Missa, ac* (a) *quatuor Temporibus Pentecostes, item in Benedictione* (b) *candelarum, & Processione in die Purificationis B. Mariæ, & in Benedictione* (c) *Cinerum, ac Benedictione* (d) *Palmarum, & Processione, in Cathedralibus, &* (e) *præcipuis Ecclesiis utuntur* (f) *planetis plicatis ante pectus; quam planetam Diaconus* (g) *dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur; aut ponitur aliud genus stolæ latioris in modum planetæ plicatæ, & facta Communione resumit planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in alba; & ea finita, osculataque Celebrantis manu, planetam* (h) *resumit ut prius.*

GAVANTUS.

(r) *Jejuniorum.* Intercidit *Gemma lib.* 3. *c.* 45. dalmaticas tempore jejunii, quia diximus, dalmaticam significare lætitiam, quæ in jejunio facile desideratur.

(f) *Vigiliis Sanctorum.* Vigilia est principium Festi, *Radulph. propos.* 19. Ergo & lætitiam aliqualem, non plenam, habet, cum in eadem jejunemus.

(t) *Adventus.* Tempore Adventus in aliquibus locis omitti dalmaticas scribebat *Amal. lib.* 3. *c.* 40. *& lib.* 4. *c.* 30. ut avidius, inquit, resumatur, festivus, quod aliquando omittitur; & item ad insinuandum tempus veteris Testamenti in Adventu; ratione cujus major est gloria novi Testamenti in Nativitate Domini, *ibid.* addit *Honor. Gemma libro* 3. *cap.* 1. quia vestes innocentiæ & immortalitatis significatæ per dalmaticas, nobis per Christum natum redditæ sunt, non ante Christum natum; vel quia ante Nativitatem Christi, neque Lex, neque Evangelium in iis significatas, dalmaticas gerunt, cum claritate patebant *Rupertus lib.* 3. *c.* 2. *tit.* 3.

(u) *Quadragesimæ.* A Septuagesima usque ad Cænam Domini a dalmaticis abstinuere in quibusdam locis, ajunt *Ordo Rom. & Alcuin. cap. de Septuages.* Antiquo vero more omitti, indefinite, scribit *Microl. c.* 47.

(x) *In Vigilia Pentecostes.* Diximus supra, Vigiliam hanc esse parem Vigiliæ Paschalis. In Missa vero lætitia perfunditur Ecclesia: ideoque & dalmaticæ sunt in usu ad Missam, non ante Missam.

(y) *Dominica Gaudete.* Ecce lætitia: ergo cum dalmaticis: idem affirmandum de sequentibus, ut patet.

(z) *Benedictione Cerei.* Quæ tota est festiva, sicut etiam Missa Sabbati Sancti.

(a) *Quatuor Temporibus Pentecostes.* Dalmaticæ his temporibus decernuntur ob Solemnitatem Spiritus Sancti a *Concilio Salegustano c.* 2.

(b) *Candelarum.* Ob anxiam Simeonis expectationem, inquit *Durand. lib.* 3. *c.* 18.

(c) *Cinerum.* Quia dies solemnis jejunii, & initium est Quadragesimæ, quæ excludit dalmaticas.

(d) *Palmarum, &c.* Quæ Passionem Domini sapit potius, quam lætitiam inanem tubarum: flevit enim Christus sedens super asinum. *Luc.* 10.

(e) *Præcipuis Ecclesiis.* Præcipuas intellige, præsertim, quæ sunt Collegiatæ insignes Canonicorum Cleri Sæcularis, & quæ ob alias causas præcipue a populo, seu a majoribus declarantur; dantur enim Ecclesiæ minores, præsertim apud Regulares, de quibus num. sequenti. Sed insignioribus Regularium Ecclesiis conceduntur planetæ plicatæ a Sac. Rit. Congreg. *teste Alcozer in suo Cæremoniali.*

(f) *Planetis plicatis.* Diacono & Subdiacono dantur planetæ sæpius *in Ordin. Roman.* casula datur Diacono. *Alcuinus cap. quid signif. vest.* Item Subdiacono ea ratione, quia imitari debet Diaconum, *ab Honorio in Gemma libro* 1. *cap.* 131. quæ elevatur ante, ut liberius ministrare valeant, *Durandus libro* 3. *cap.* 11. Puto etiam ad differentiam casulæ Sacerdotalis, quæ cum significet charitatem secundum omnes Auctores, qui scripserunt de Ritibus, intelligant Ministri primo in prædictis diebus teneri fere ad eandem perfectionem, ad quam Sacerdos in aliis temporibus; deinde ex charitate, non ex timore debere ministrare Altari. *Durand. ubi supra.*

(g) *Dimittit.* Dimittitur autem casula ab utroque lecturo Epistolam, seu Evangelium, quasi profiteantur in proprio Ministerio legenti, eam non esse propriam vestem, *Rupert. lib.* 3. *cap.* 2. & Subdiaconus quidem dimittit casulam, quæ charitatem denotat, lecturus Epistolam, quæ significat legem veterem, legem timoris, non amoris; Diaconus vero induit aliam, seu eandem

complicatam in sinistro humero ad latus lecturus Evangelium, legem scilicet amoris: ut in sinistris, & in dextris, in adversis, & prosperis, charitatem ore & opere doceat; tum Evangelio, tum ministerio usque ad consumptionem Sacramenti. *Durandus loc. citat.*

(h) *Resumit.* Casula a Subdiacono post Epistolam resumitur, quia post legem timoris data est lex charitatis. Diaconus vero resumit circa finem Missæ, quia non sufficit inchoasse in charitate, sed in ea finiendum est, *idem ibid.* Vel dic *cum Amalario lib.* 3. *cap.* 15. lecturos exui casulis, quasi milites expeditos contra errores. Duplicatam denique Diaconus portat casulam ab Evangelio ad Communionem, ut quæ ore prædicat, jugum Domini portans, opere quoque impleat, liberius & expeditius ministrando, *Honor. in Gemma lib.* 1. *c.* 231. Lege *Hugon. Vict. de special. Missæ observ. lib.* 3. *cap.* 9. ubi in casula Ministrorum, quæ collum circuit, utrumque brachium, pectus, & humeros vestit; docet charitatem, quæ exigitur in voce collo formanda, in opere corde, & in aliorum onere portando.

RUBRICA.

¶ *In minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum, alba tantum amicti ministrent* (i) *Subdiaconus cum manipulo*, (l) *Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dexterum.*

GAVANTUS.

Non enim congruunt dalmaticæ ratione dierum, neque casula ratione locorum.

(i) *Subdiaconus cum manipulo.* Manipulus Subdiaconi propria vestis est, *in Ordin. Rom.* qui tradit eis mappulas in sinistra; de quibus dicemus infra cum de vestibus Sacerdotis. Unum hic nota, quod licet Sacerdoti fuerit datus manipulus ab initio ad tergendam pituitam oculorum, & narium, ut ibi probavimus; & fortasse eadem de causa a S. Silvestro fuerit idem concessus Diacono sub nomine pallæ linostinæ ad lævam (linum enim aptum est ad tergendum oculos & nares) non tamen Subdiacono datus fuit in hanc eandem causam manipulus, sed ad tergendas sordes Vasorum sacrorum; quod bene notavit *Durand. lib.* 2. *c.* 8. eumque in sinistra cum aliis gerit, ad expeditius ministrandum. *Rupert. lib.* 1. *c.* 33.

(l) *Diaconus, cum stola, &c.* Stola Diacono datur *ab Ordin. Rom.* quia Orarium est, hoc est Oratorum, seu Concionatorum, *Alcuin. supra*; quam ab Apostolis datam Diacono fuisse probabilius puto, tanquam de substantia Ordinationis ejus; non a Sylvestro nomine pallæ linostinæ ad lævum humerum; quod vult *Vicecomes apparatu ad Missam:* nam ad lævam, hoc est ad manum lævam, explicat *Innoc. III. lib.* 1. *c.* 43. *ubi de manipulo agit:* vide infra de manipulo. Verum a sinistro humero ad latus dexterum, *ex Conc. Bracar.* 1. 27. ut ab activa laboriosa, ad contemplativam suavem transeat. *Honor. in Gemma lib.* 1. *c.* 230. vel, ut portet hic jugum Domini in sinistra, id est, in præsenti vita cum spe quietis futuræ in dextra. *Durand. lib.* 2. *c.* 9. Cæterum, dexteram Diaconi partem vult esse liberam ob ministerium Altaris, *Conc. Toletan.* 4. *cap.* 39. quæ rationes etiam valent pro casula complicata ad modum stolæ. Diaconus autem, cum induit stolam, osculetur Crucem, quæ est in medio ejus. *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 9.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

II. Insignioribus Regularium Ecclesiis Sacra Congregatio concessit usum planetarum plicatarum, teste Alcozer, relato a Gavanto in Indice suorum Decretorum; quod Decretum datur in nostro Indice *sub n.* 247.

De prædictis planetis plicatis fuse agimus in prima Dominica Adventus.

De Præparatione Altaris, & Ornamentorum ejus XX.

RUBRICA.

(n) *Altare, in quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse* (n) *lapideum,* & (o) *ab Episcopo consecratum: vel saltem* (p) *ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta; quæ* (q) *tam ampla sit, ut Hostiam,* & *majorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur* (r) *tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem* (s) *benedictis superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* (t) *Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo, vel Officio convenientis. Super Altare* (u) *collocetur Crux in medio* (x) & *candelabra saltem duo cum* (y) *candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur* (z) *tabella, Secretarum appellata. In cornu Epistolæ* (a) *cussinus supponendus Missali;* & *ab eadem parte Epistolæ paretur* (b) *cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus,* (c) *parva campanula,* (d) *ampullæ vitreæ vini* & *aquæ cum pulvicula,* & (e) *manustergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super Altare* (f) *nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.*

GAVANTUS.

(m) *Altare.* Locus hic supponitur Sacer, vel depu-

tatus ab Episcopo *c. Nullus de Consec. dist.* 1. *ex S. Sylvestro;* saltem sit benedictus Ritu proprio *in Rituali Rom. Pauli V.* Non potest autem Episc. deputare Oratoria in domo privata, *ex litteris Card. Lancelloti ad Episcopos datis, nomine Pauli V.* 10. Martii 1615. ut ibi fiat Missa, *citatis a Scortia lib. 2. cap.* 13. *immo ex Conc. Trid. sess. 22. de observat. & evitan. in Sacrific. Missæ.* Non tamen intelligitur domus privata palatium Episcopi, ut notavit *Carolus Episcopus Novar. in Comment. Canon. ad cap. Missarum* 13. *de Consecr. distinct.* 1. in eo enim Capella deputari potest pro Missa celebranda; quod si violetur locus (*qua de re optime Suarez distinct.* 81. *sect.* 4.) non potest ibi celebrari sine peccato. *Azor. lib.* 10. *cap.* 26. *per totum.* Deducunt vocem hanc, *Altare*, ab altitudine, *Festus*, & *alii*, quasi sit Ara: *Walafrid. cap.* 5. vel alta res, *Gemma lib.* 1. *cap.* 122. vel ab alendo: quia igni Altaris addebatur alimentum. *Isidorus libro* 15. *Origen. cap.* 4.

Patet Altaris usus in Scripturis Sacris, a Noe, qui primus ædificavit Altare; & in novo Testamento, 1. *Cor.* 9. *Hebr.* 13. Sixtus II. decrevit, ut Missa non fiat nisi in Altari, *Radulph. propos.* 23. & significat, primo mensam Domini, *Amalar. libro* 1. *cap.* 24. Secundo Crucem. *Bern. de Cœna Domini.* Tertio Christum, per quem Sacrificia acceptantur a Deo. *Gemma lib.* 1. *cap.* 134. forma Corporis Christi est Altare, ait *Ambr. lib.* 4. *Sacr. cap.* 13. ideo præeminet in Ecclesia, ut Christus inter membra ejus, *Rupert. lib.* 5. *cap.* 30. Gradus illius virtutes sunt, quibus ad Christum itur, *Hugo Vict. in Canon. Missæ c.* 2. Quarto significat Ecclesiam spiritualem, cujus cornua sunt quatuor mundi plagæ, *Durand. lib.* 1. *cap.* 2.

(n) *Lapideum.* Ex institutione S. Sylvestri *de Consecr. dist.* 1. *cap. Altaria ex Conc. Hippon. c.* 6. id est, prius hoc decrevit in Romana Ecclesia S. Sylvester Papa, quod habes in Breviario in Festo Dedicationis Salvatoris: nam a Græcis factitatum esse prius significat. *Dionys. cap.* 3. *Eccles. Hierarc.* ex lapide, quia petra erat Christus, 1. *Corinth.* 20. nullum foramen habet *ex Actis Eccl. Mediolan.* ad designandam undequaque plenitudinem & integritatem Christi, *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 82. *art.* 5. vacuum enim erat Hebræorum Altare sine Christo.

(o) *Ab Episcopo consecratum. Ex Dionys. de Eccl. Hier. c.* 4. ad indicandam gratiæ pinguedinem *ex S. Cypr. Conc. Agath. de Consecr. dist.* 1. *c. Alteria*, quod non fit (præter Sanctum Chrisma pinguedinis prædictæ Symbolum) sine Reliquis Sanctorum, ex Decreto Felicis I. *apud Radulph. l. c. & cap. Placuit, de Consecr. dist.* 1. *ex Conc. Africano.* Sunt autem hæ de substantia Consecrationis, *ex Azor. l.* 10. *c.* 27. & debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, ut respondit Sacra Conc. Trid. Congr. Episc. Interamnensis 13. Septembris 1593. *apud Piasecium part.* *Gavant. Tom. I.* 1. *c.* 5. *n.* 7. etiam Christus, hoc est, unctus, appellatur: consecratus Deo caput Sanctorum: * convenienter autem, *ait S. August. serm.* 37. *in Appendice de diversis*, & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet, uti, qui propter mortem ejus mortui fuerant, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant. Hæc ille.

Si vero sub Altari, vel sub ejus gradibus humata sint cadavera defunctorum, non debet in eo celebrari, donec alio transferantur. *Congr. Card. super notitia Episc.* 10. *Novembris* 1599.

Porro ab Episcopo consecrandum, *Hormisda Can. Nullus de Consecr. dist.* 1. duratque Consecratio usque ad amotionem tabulæ, vel fractionem quomodocumque sigilli Reliquiarum: fusius *Suarez disp.* 81. *sect.* 5. illud est mirandum, *quod in prato spirituali legitur c.* 4. *&* 10. dari a Deo Angelum custodem Altari consecrato.

(p) *Ara lapidea.* Ara ab ariditate ex igne, *Servius;* vel quasi area plana, vel ab ardore sic dicta, quod in ea ardebant sacrificia, *Gemma lib.* 1. *c.* 122. vel ara Græce, precatio Latine, *Walafr. c.* 5. ubi addit, quod imprecatio dicitur antara. Dicta fuit etiam tabula itineraria *ab Ordine Rom.* Item tabula Altaris, *de Consecratione distinct.* 1. *cap. Concedimus*, ex *Concil. Tribur.* Antimense quoque *a Balsamone ad Concil. sextum Can.* 31. *& a Nicephoro apud Belingerum lib.* 3. *c.* 30. denique Viaticum *cap. ult. de privil. in* 6. *a Bonifacio Octavo.*

Lapidea debet esse vel inclusa, vel superposita ligneæ, vel alterius materiæ. *Azor. lib.* 10. *c.* 27. *quæst.* 2. Hic autem jubetur, ut sit inserta ad majorem cautelam; sed tamen emineat aliquantulum, ut ejus limites a Sacerdote facile dignosci possint.

(q) *Tam ampla sit &c.* Intellige, ut commode capiat ista tempore Consecrationis Hostiæ & Calicis, *Sylvest. verbo Altare n.* 1. Ante Conc. Moguntiacum, unde sumptum est, *cap. Concedimus* (*mendose Triburiensi datur*) circa annum 900. nulla est mentio aræ quoad nomen: res autem erat in usu tempore persecutionum, & S. Ambrosius ea usus est celebrans in domo quadam privata Romæ; ejusdem vero usus nimis frequens compressus fuit *in Conc. Senonensi*: & tandem in *Conc. Mediolan.* 4. decretum est, ut majora saltem Altaria Ecclesiarum Parochialium consecrarentur. Hæc *Carolus Novar. ad c. Nullus Presbyt.* 24. *ae Cons. dist.* 1.

(r) *Tribus mappis.* Vestiendum est lineis Altare ex Decreto Bonifacii III. *apud Polidor. Virgil. lib.* 5. *c.* 6. *& Concil. Rhem. apud Burchard. lib.* 3. *cap.* 39. *& ex S. Clemente epistol.* 2. *ad Jacobum fratrem Domini, sive ad alium, ut notat Bellarminus de scriptor. Ecclesiastic. cum Jacobus tunc obierit; & ad Simeonem, qui dictus est frater Domini directam eam fuisse, docet Severinus Binius in Notis ad eandem in* 1. *tom. Conc.* ibi Sanct. Clemens pallam vocat Altaris vestem,

quia palla palam, & foris, *teste Varrone*; & palliat Sacra Mysteria, *ex Durand. libro 4. cap.* 29. Syndones etiam dicuntur *in Actis Mediol. Eccles.*

Quæ debent esse tres; vel ea ratione, quia in hac Rubrica indicitur, vel quia indicatur *de Consecr. dist.* 2. *cap. Si per negligentiam a Pio*, ubi fit mentio de effusione sanguinis, usque ad quartum linteum, incluso scilicet Corporali: & quia in honorem cedit Sanctissimæ Trinitatis, *Angelus, verbo Corporale*, docet debere tres esse. Duplicatam unam concedit Rubrica, ut sint res: non ergo duæ, tuta conscientia sufficiunt.

(f) *Benedictis*. Nisi necessitas aliud suadeat. *Sylvester, verbo Benedictio quæst.* 5. *Azor. lib.* 20. *c.* 28. *quæst.* 8. *Immo Suarez hæc de re negat jus aliquod esse*, 3. *part. disp.* 81. *sect.* 6. Benedictio tamen earum est in *Ordine Romano*. Vestes autem Altaris significant gloriam Sanctorum, quorum Reliquiæ ibidem sunt. *Gemma lib.* 1. *c.* 234. *& Amalar. l.* 1. *cap.* 12.

Observa, *quod in Cærem. Episc. sancitum est e.* 1. *c.* 12. ne ullæ coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur; sed earum loco apponi poterunt fasciæ ex auro, vel serico elaboratæ: quibus ipsa Altaris facies apte redimita ornatior appareat; & vere coronides ligneæ corrodunt etiam planetas.

(t) *Pallio quoque ornetur*. Pallium hoc, quod item a palliando dicitur, non solet benedici separatim ab aliis paramentis: nec in Rituali, Pontificalive extat propria Benedictio: potest etiam sine eo celebrari, puta, si Altare est ornatum auro, vel lapide pretioso. Velum videtur appellari *a Clemente ep.* 2. nisi Calicis sit velum, *in Conc. Rhemensi apud Ivon. libr.* 3. *c.* 97. erant in usu ad ornatum anterioris partis Altaris: & palliorum auro contextorum est mentio apud *Anastas. in Hormisda*, ubi & tabularum, quas palliis aptius extendendis adjungimus. Significat autem pallium ornamentum virtutum in Christo, *Durand. lib.* 1. *c.* 1. sicut ejusdem auriphrygium charitatem; *ibidem* decet etiam habere in medio sui Crucem, *ex Fortunato lib.* 2. *ep.* 3.

(u) *Collocetur Crux, &c. Ordo Rom.* habet Benedictionem Crucis. Meminit Crucis aureæ in Altari *Beda lib.* 2. *Histor. Angl. c.* 20. *& Baron. anno* 878. *n.* 43. *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 21. qui dicit collocari Crucem in medio candelabrorum, quæ saltem sint duo, quia Christo per Crucem fecit utraque unum, *Edges.* 2. negat autem esse de præcepto *Suarez*, Crucem in Altari locandam in Missa, *disp.* 61. *dist.* 6.

Crux certe in Altari est tamquam signum Regis in regia, ut Passionis memoriale, & ut vestigia Crucifixi sequamur. *Gemma lib.* 1. *c.* 135. *Ideo in Cærem. Episc. lib.* 2. *cap.* 22. monemur, ut locemus Crucem, & cum imagine Crucifixi, & in Altaris medio prælatam, ita ut pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum; & Crux ipsa tota candelabris supereminеat. Mystica ratio est: quia Christus etiam in Cruce major est super omnes populos significatos in candelabris.

Illud hoc loco quæri debet: an in Altari, in quo continue in Tabernaculo immobili clausum Sanctissimum asservatur Sacramentum, collocanda sit Crux cum Crucifixo in medio Altaris ante ipsum Tabernaculum? Cui quæstioni Romæ sæpius agitatæ, ut respondeam, præmitto, *cum Cærem. Episc. libro* 1. *cap.* 12. maxime decere, ut ibi Missæ non celebrentur; quod antiquitus observatum esse testatur, & loquitur ibi etiam de Missis Planis. Vide textum, & attente lege; quo casu, si Crux in eo non sit, non est contra Rubricam hanc, quæ expresse loquitur de Altari, in quo Missæ Sacrificium faciendum est. Si vero ibidem sit celebrandum; quod non prohibetur absolute *in Cæremon. loco citato* & non negat Missale *infra tit.* 2. *num.* 2. *tit.* 4. *num.* 6. tunc est affirmandum, collocandam esse Crucem in hoc Altari. Primo, quia hæc Rubrica loquitur indefinite de Altari, ubi facienda est Missa, ut Sacerdos actu sibi revocet in memoriam Passionem Christi, quæ memoria magis ex Crucis aspectu, quam ex ipsa Eucharistia excitatur. Statutum enim ideo est a SS. PP. *ait Bonavent. de Myst. Missæ*, ne quisquam in aliquo loco Missam celebret, nisi ibi imago posita sit Crucifixi. Deinde non incongruit, figuram cum figurato adesse simul; quæ est potissima ratio Adversariorum: nam facta Consecratione Hostiæ remanet Crucifixi imago in eadem Hostia simul cum Corpore Christi, & toto Christo. Tertio: in Missa Solemni ad hoc Altare celebrata jubetur Sacerdos, *infra tit.* 4. *num.* 6. genuflectere ob Sacramentum latens in Turri, seu Tabernaculo, antequam incipiat incensationem, quam certe prosequetur ille, *ut in eodem titulo num.* 4. nimirum ter incensando Crucem: nam alioquin, remota Cruce, quid incensabit in medio? non Crucem, quæ non esset ex suppositione; neque Sacramentum, quod latet, cui quidem genuflectimus, ut illud adoremus; sed illud incensare (Romano more) non solemus, nisi pateat aperte. Quarto, usus multarum Ecclesiarum Orbis insigniorum est, ut ante prædictam Turrim, seu Tabernaculum immobile, collocetur Crux in medio. Romæ non est in una, vel altera, in eo Altari, ubi distribuitur populo Sacra Synaxis: quia indicare volunt ibidem non celebrari debere juxta monitionem supra allatam, *ex Cæremon. Episc.* Quinto, in ostiolo Tabernaculi immobilis solet etiam pingi imago Christi in Cruce, vel sedentis in Sepulcro: cur igitur potius depicta in ostio Tabernaculi, quam separatim in Cruce ante ostium? Sexto, in Processione SS. Sacramenti ante illud præcedit Crux cum Crucifixo: quæ ergo major est ratio in Processione, quam in Altari? & præsertim cum in dicta Processione Sacramentum pateat, in Altari lateat in Tabernaculo clausum. Hanc quæstionem concludat Synodus Turronica secunda

sub

sub Pelagio primo *Can.* 3. quæ definit, quod Corpus Domini in Altari sub Crucis titulo, non in armario (*legit Pamelius in Liturgiis, non in imaginario ordine*) componatur, hoc est, ad basim Crucis in medio Altaris erectæ, ut explicat *Durand. lib.* 1. *de Rit. c.* 16. seu in meditullio Altaris sub Cruce, ut declarat *Baronius tom.* 7. *anno* 570. quod hodie Romæ cernitur in Capella Sixtina S. Mariæ Majoris, & S. Carolus jussit *in Concil. Provinciali* 3. *Instruct. supel. Eccles. libro* 2.

Quæritur præterea, an in Altari, cujus icon, seu tabula picta, seu statua, est ipsamet Christi Crucifixi imago, debeat item collocari altera Crux cum imagine Crucifixi intra ipsa candelabra. Sed Rubrica nostra absque ulla limitatione inter candelabra Crucem præscribit generaliter, & ratio favet, quia ob oculos Sacerdotis ea debet esse, tum ad orandum, tum ad eam incensandam, tum ad Mysterium ex Innocent. III. allatum supra, de Christo mediatore utriusque populi.

(x) *Et candelabra saltem duo.* Idem Innoc. *ibid.* quibus significantur populi, præsertim Judaicus, & Gentiles. De candelabris *S. Clemens Epist.* 2. *ad Jacobum, & Athanas. Epist. ad Orthodoxos.* Melchiad. Papa decreto stabilivit hunc Ritum, *apud Burchard. lib.* 5. *c.* 7.

* Ait Rubrica: saltem duo, quia in Solemnioribus Missis regulariter sex in recta linea debent adhiberi; quod conjicitur ex trina hinc inde Altaris incensatione, prout (*ait Rubr. par.* 2. *tit.* 4. *num.* 4.) distribuuntur candelabra: quatuor etiam in minus Solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum; sed & plura quam sex poni possunt, *ex tit.* 4. *part.* 2. *n.* 5. Mysticas rationes duorum luminum recenset *Tobias noster de S. Templis part.* 1. *c.* 62.

(y) *Cum candelis accensis.* Sub Telesphoro lumina fuisse ad Missam adhibita, scribit *Auctor Breviarii Chronol. Tertull. meminit adversus Valentinianos c.* 2. *&* 3. puto, ad litteram, quia in cryptis fiebat Missa. De his *in cap. Literas, de Celebrat. Miss. ex Honor. III.* Ordo item Roman. requirit lumen in Missa, in typum illius luminis, cujus Sacramenta conficimus; sine quo & in meridie palpabimus, ut in nocte. *Mierol. c.* 11. lumen hoc significat etiam fidem populorum, quos ut diximus, denotant candelabra, *Innoc. III. ubi supra*, vel charitatem Christi in Sacrificio, *ex Augustino serm.* 215. *de tempore*; vel quia Christus, ut ignis, rubiginem peccatorum consumit, *Biel. lect.* 13. vel quia expectamus sponsum cum lumine, *ex Hieron. epist.* 20. vel ad devotionem excitandam, *Sot.* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. vel ad lætitiam, quam Sacramentum indicat æternam, *Gemma lib.* 1. *c.* 118.

An sufficiat unicum lumen? Concedit in necessitate *Azor. lib.* 20. *c.* 8. *quæst.* 5. & ex cera debet esse: unde dicti facere Ceroferarii, cereorum ue mentio est apud SS. Patres, *& præsertim indicat S. Athan. epistola ad Orthodoxos cum Prudentio in Hymno de S. Laurentio.*

An vero possit adhiberi sebaceum ex sevo? negat *Suarez disp.* 81. *sect.* 6. concedit in necessitate *Azor. loc. cit.* Cave tu a numero candelarum superstitioso, contra quem *Conc. Trident. sess.* 22. & * a numero ambitioso; nam in Missis Privatis, nisi aliud exigat ratio Festi, accendere quatuor candelas in Altari, non convenire Vicariis Generalibus, licet sint Protonotarii, sicuti nec eisdem ministrari a duobus Capellanis, decrevit S. R. C. die 7. Augusti 1627.

(z) *Tabella Secretarum.* Ad majorem commoditatem hæc præscribitur; sicut etiam commodius est parasse in cornu Evangelii tabellam, in qua legi possit Evangelium S. Joannis, *In principio*, quod in tabella Secretarum scribi, seu imprimi solet; aliqui adhuc commodius parant ante Missam in cornu Epistolæ tabellulam aliam, in qua legitur Psalm. *Lavabo inter innocentes, &c.*

(a) *Cussinus.* De quo *Ord. Rom.* & pulvinar appellat, rationem addit *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 41. designatur, ait in eo ministranda esse temporalia prædicanti verbum Dei: est enim ad quietem. *Hugo vero lib.* 1. *c.* 20. significare docet cor tenerum audientis, & prædicantis Verbum Dei, quod continetur in Missali: non lampideum, ut Judæorum.

(b) *Paretur cereus.* Forte ad hunc usum deserviebant canthari cerostati, *apud Clem. Ep.* 2. *& Damas. in Sylvestro*; & hic ideo jubetur poni in parte Epistolæ, quia minister in eadem parte genuflexus reperitur paulo ante Consecrationem. Verum ratione Festi solemnioris poterunt etiam accendi duo cerei ad elevationem in utraque parte, ad excitanda magis circumstantium fidem, quæ lumen est. In cornu vero Epistolæ regulariter accenditur, quia legem antiquam refert, lumen, inquam obscurum, & sub cortice figurarum antiqui Testamenti latens, tum Agni Paschalis, tum Minnæ; & ejusmodi, si addatur alter in cornu Evangelii, designabit Fidem clariorem, tempore Evangelii; & ideo congrue in Festis solemnioribus accenditur. In signum denique adorationis accenduntur cerei, *Hieron. ep.* 20. *ad Marcellam.*

(c) *Parva campanula.* Tintinnabulum & cloca sunt idem, *Durandus libro* 1. *de Ritibus cap.* 22. ex tinnitu tin tin dicitur tintinnabulum, *ex Hieronymo Magio de tintinn. cap.* 1. qui & petasum, id est, ad formam galeri, & nolam, & codonem, & campanam vult esse unum & idem. Campanæ nomen habetur *apud Sanct. Hieronym. in regul. Sanctimon.* unde patet, Ritum antiquiorem esse Sabiniano Papa. Ad excitandos circumstantes, ad lætitiam exprimendam, & ad cultum Sanctissimi Sacramenti adhibetur campanula: fusius *Amalarius libro* 3. *cap.* 1. *& Rupert. libro* 1. *cap.* 16. Sabinianus Papa dicitur statuisse pulsationem campanæ ad Horas Canonicas. *Durandus lib.* 1. *cap.* 4. nam ligna

pulsabantur pro campanis, in sæculo, quo vixit Sanctus Anastasius Persa Martyr circa annum 610. *ex Septima Synodo Act.* 4. apud Cæsaream in delatione Reliquiarum ejusdem Sancti Anastasii. Vulgo fertur, Paulinum Nolanum Episcopum Nolarum, id est, campanarum usum in Ecclesiam invexisse, hoc est, ad rem sacram: nam Gentiles ante Christum iis usi sunt, *ex Angelo Rocca de campanis:* cui placet, auctorem dici Sanctum Paulinum coævum Sancto Hieronymo: ideo a civitate Nolæ, & regione Campaniæ dictas fuisse nolas, & campanas: eadem docet *Polidor. Virgil. de invent. lib.* 3. *c.* 18. Meminit Benedictionis campanarum *Alcuinus*, & *Baron. scribit* de Joann. XIII. campanam benedicente, anno 968. *lege eundem ad annum* 615. *tom.* 8. Meminit campanarum in Cœna Domini *Ordo Rom.* Ceterum misericordiam Dei annuntiant campanæ, ut olim Hebræorum tubæ clangentes: *Et erit recordatio vestri coram Domino, num.* 10. unde & eos, qui campanas pulsant, Sacris vult superpelliceis indui. *Concil. Coloniense part.* 3. *c.* 31.

(d) *Ampullæ vitreæ. Ordo Rom.* vocat amulas; nam amula est vas, in quo vinum offertur. *Durand. lib.* 1. *c.* 7. Alii cum aspiratione hamulam dicunt, ab hamis, de quibus etiam *Damasus in vita Sancti Marci Papæ*, & *Anastas. in Sylvestro*, quæ erant argenteæ: * erant quidem argenteæ, nunc autem vitreæ jubentur in Rubrica, ne contingat error in Calice, ob densiorem materiam hamularum, qua difficile vinum dignoscitur ab aqua. Sunt autem hamæ vasa aquaria rotundioris formæ, & ventris globosioris *apud Turnebum lib.* 19. *adversariorum c. ex* 23. *Plinio.* Vides hic amulas ad usum vini & aquæ? ampullas appellamus quasi parum amplas: *Walafrid. c.* 54. urceos dixit *Clemens Epist.* 2. * urceolos *Conc. Carthag.* 4. *c.* 6. gemelliones. *Ordo Romanus qualiter Missa celebretur;* ut explicat *Panvin. interpret. vocum obscurarum.* Amula tamen propria vini est scyphus aquæ. *Isidorus lib.* 2. *de Offic. c.* 10.

(e) *Et manutergio.* Vocis & rei mentio in *Concilio Carthaginensi* 4. *c.* 5. & *apud Isidor. loc. cit.* Rubrica designat locum manutergio, non supra Calicem, quod minus decet.

(f) *Nihil omnino ponatur.* Non birretum Sacerdotis, sive in fine Missæ, quod valde indecens est, neque sudariolum ad emungendas nares, quod potius sub planeta, vel a cingulo pendens ad dexteram portandum erit; neque almutia celebrantis Canonici, uu videatur Canonicus; quæ omnia ad Sacrificium non spectant, neque ad ornatum Altaris.

Illud monendi sunt hoc loco Sacerdotes, cum de Altari sit sermo, quod, ubi celebravit Episcopus proprius in sua Diœcesi, ea die ne ibidem faciant Missam sine ejusdem Episcopi licentia, quæ tacita sufficit, quando necessitas urget, ne perdant scilicet aliqui Missam: vel si consecrandæ sunt Hostiæ pro infirmis, *ex Homobono tract.* 4. *q.* 139. *& aliis, quos citat*, nunc autem ex vi legis *de Cons. dist.* 2. *c. In Altari:* quia ibi loquitur textus de Missa Cantata ab Episcopo, sed tum *ex Decreto Concilii Antissiodorensis, c.* 10. ubi apertissime hoc jubetur, ut celebretur ibidem post Missam Privatam Episcopi; tum ex bona consuetudine legum interprete, tum ex doctrina *Angel. Sylvestri, Tabien. & Armil. verbo Altare;* tum ex ratione Glossæ ob honorem, inquit, qui Episcopo debetur. Alicubi abrogatam esse hanc consuetudinem, tradit *Azor. lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 10. sed nos, ea, qua decet reverentia, retineamus.

A fortiori ubique abstinendum erit a celebratione Missæ, ubi Papa eo die celebravit, cujus propria Diœcesis est totus Orbis. * Idem fiat cum Legato a latere intra fines suæ legationis; cujus rei causa ex prædictis patet.

Sciendum quoque est, in Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis Solemnioribus Festis) non posse in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annuntiatione, Assumptione Beatæ Virginis, Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, ex Decreto Sac. Rituum Congregationis, 17. Novembris 1607. quo declaratur magis Decretum *Concilii Agathen. cap.* 21. *de Consecrat. dist.* 1. *Si quis.*

* Ordinarii locorum optant addi prædicto Festorum numero Festum patroni principalis loci, quod est primæ Classis, & præcipui cultus in proprio loco, & meo judicio esset addendum ab ipsismet privilegiatis absque novo Decreto in gratiam proprii Patroni principalis. Nomine Paschatis, & Pentecostes, dies prima dumtaxat intelligitur, ex communi sensu, usu Romano, & modo loquendi, & ex DD. in materia de Interdicto *Sylvest. v. Interdictum*, 5. *quæst.* 2. quare Feriæ sequentes non sunt exceptæ, licet sint solemniora Festa, quæ excludunt alia solemnia, etiam primæ Classis: multo minus excluduntur alii dies infra Octavas: de qua re dubitavere nonnulli, ea moti ratione, quia Octava reputatur dies unus a Radulpho Tungrensi; quæ ratio non valet in omnibus.

In iis item Oratoriis, quæ separata sunt a domibus in agro, prope domos privatas, sicut potest Episcopus celebrationem Missæ concedere; ita maxime decet, ut ea moderatione concedatur, qua fiet unica tantum Missa ibidem in die, & ad commoditatem certæ familiæ, nec in die Festo, nisi celebrata Missa Parochiali; quæ leges Bononiæ, & alibi rite observantur.

Addam in gratiam Regularium, quod in Oratoriis, quæ sunt in domibus Religiosorum privilegia Societ. Jesu participantium, juxta concessionem Gregorii XIII. si ea deputentur ad Missam celebrandam a Provinciali, poterunt ibidem Sacerdotes alii non Regulares celebrare. *Scortia c.* 13. *lib.* 2. *n.* 5.

Numquam in Mari, neque in flumine celebrari debet, ob periculum effusionis Calicis; & est communis *contra Durand. lib.* 4. *c.* 1. neque enim imitandi sunt Lusitani, quos defendit *Scortia loc. cit.*

num. 5. exemplis historicis, quæ potius admirationem habent, quam postulent imitationem.

Denique nihil refert, quo nomine vocentur, Oraculum, Cellula, Capella: nam Oraculum vocat *Anast. in Leone IV.* Cellulam *Gregorius Cedinus in Constantinop. apud Belingerum lib.* 5. *cap.* 31. Capella fuit apud antiquos pia domus itineraria ex pellibus caprarum fabricata, & a pellibus his Capellas, earumque Custodes Capellanos vocitabant. *Gemma vero lib.* 1. *cap.* 128. deducit Capellam a capeno, quod significat domum, ad quam confluunt pauperes pro recipienda eleemosyna; quod vere congruit Capellæ Ecclesiasticæ, in qua velut mendici oramus Deum. Addit *Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. idem esse in Gallia apud rusticos cappam, & tugurium, quam Itali capannam dicunt; & forte inde duplici pp, dicta est Cappella, quasi sit tugurium Deo minus dignum. *Baron. in notis Martyrol. ad diem* 11. *Junii* docet, capellam, & cubiculum, de quo *Matth.* 6. *Intra cubiculum tuum, & ora*, esse idem; cubiculariosque SS. Petri & Pauli a S. Leone constitutos, *ut dicitur in Breviario Romano*, fuisse Capellanos: notat etiam Oratorium, & Sacellum, minus tamen proprie, idem significare: recentius autem Oratorium, quam Cubiculum appellatum esse; & Sacellum, quam Oratorium.

Hactenus de Altari, & ornamentis, & usu ejusdem juxta Rubricam Missalis, quæ necessaria ad Missam celebrandam comprehendit, & ut ita dicam, substantialia: accedunt alia, quæ hoc loco tacere non debemus.

Nam umbraculum, seu baldachinum super Altare appendi convenit forma quadrata, colore ubi commode fieri possit, conformi colori cæterorum paramentorum, pro temporum, ac Celebritatum varietate: quod si Ciborium adsit super Altare ex lapide confectum, umbraculum omitti potest. Hæc *in Cærem. Eccles. lib.* 1. *cap.* 12.

Tabernaculum, in quo assidue Divinissima servatur Eucharistia, conopæo serico, vel similis materiæ vestiri debet, ejus item coloris, cujus est Altaris pallium, quamquam pro colore nigro, violaceus congruentior erit in honorem Christi viventis, quod probabimus *infra* 3. *part. tit. de Feria* 5. *in Cœna Domini.*

Vasa quoque Sacrarum Reliquiarum exponi solent hinc inde, vel inter Candelabra, *ut Cærem. Episcop. loc. cit.* vel in gradu superiori. Qua in re cavendum illud erit, ne unquam supra locum Sacramenti, præsertim si exponatur populo pro Oratione publica, ea vasa collocentur: decet enim sedere Dominum in altiori loco supra servos suos; sicut diximus de Cruce prælata supra ipsa candelabra.

In Festis solemnioribus plura candelabra debent apponi; non tamen ultra sex in linea recta, etiam in Missa Solemni, non Pontificali; quæ neque omnino æqualia erunt, sed ab utroque Altaris latere surgent, ita ut ex eis altiora sint immediate prope Crucem. In Festis autem minus Solemnibus pauciora, saltem quatuor apponenda forent, ut supra diximus.

Floribus item, & exquisitis quibusdam ramulis apte & concinne dispositis, seu veris, seu fictis pro temporum varietate, sive in vasculis elegantibus, sive alia ratione ornari poterunt Altaria, exemplo Nepotiani, quem hac de re perhonorifice S. Hieronymus commendat.

Gradus Altarium vestiri poterunt tapetibus, & præsertim suppedaneum illud, quod proximum est Altari, super omnes gradus: in eoque arcula apponi posset ad sputum excipiendum a latere Evangelii, ne fœdetur suppedaneum tapeteve, aut pavimentum circum Altare.

Lampadem ardere ante unumquodque Altare, plures ante Altare majus, suadet auctoritas *Cærem. Episcop. loc. cit.*

Telis stragulis Altaria contegi decet, finitis Missis, & ante Missas, detractis stragulis, mappæ ipsæ detergendæ forent scopulis ad id tantum paratis, ut mundissimæ semper appareant. Ita S. Carolus in Regulis, & Instructionibus de nitore, & munditia Ecclesiarum; quas ad verbum compositas a Carolo a Basilica Petri Præposito tunc Generali nostro, & ad usum Congregationis nostræ editas, transtulit sanctus, ac pius vir in acta Ecclesiæ suæ Mediolanensis, ad totius Ecclesiæ utilitatem, & splendorem.

Denique sepimento Altaria munda conservantur, quo arcentur & laici, ne Altaribus inhæreant indecore. Alia, quæ ad nitorem, & munditias totius suppellectilis prædictæ ad Altaris usum spectant, dabimus infra, & debitas cujusque rei mensuras. Atque hic esto finis Rubricarum primæ partis.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

I. Rubric. & Gavant. lit. m — *Altare.* (Cum nulla unquam fuerit sine sacrificio Religio, nec ullum sine Altari Sacrificium, necesse est a Religionis nostræ primordiis fuerint Altaria in Ecclesia, cum in ea omnium maximum offeratur Sacrificium: & quamvis Hæretici veritatem Eucharistici Sacrificii negantes, inficientur Aras etiam antiquitus extitisse; nihilominus tot sunt in Sanctis PP. testimonia in illius rei confirmationem, ut cæcutire omnino videantur, qui contrarium asserere non dubitarunt. Hinc nonnulli ex Heterodoxis tot PP. auctoritate convicti, candide fassi sunt, Ecclesiam primis sæculis suas Aras habuisse, in quibus Deo Sacrificium offerret. Et quidem nonnulla de Altarium in Christiana Ecclesia origine, materia, forma, Consecratione, Ritu, &c. erudite scripta sunt a Gotofredo Voigto in libro posthumo, & primum in lucem edito a Joanne Alberto Fabricio, typis Spieringianis, anno 1709.

Cujus materiæ fuerint Altaria primis Ecclesiæ sæculis, an ex ligno confecta, vel lapide, adhuc

huc incertum est. Communis fert eruditorum opinio primis Ecclesiæ temporibus Altaria fuisse lignea. Profecto Christus Dominus in vulgari, ac lignea mensa incruente se ipsum Patri obtulit in Sacrificium; & Apostolos etiam Christi exemplo in Aris ligneis consecrasse persuadere videtur & nascentis Ecclesiæ simplicitas, & necessitas transferendi Altaria propter irruentes persecutiones. Servatur etiam nunc Romæ in Basilica Lateranensi Altare lignenm, in quo Div. Petrus, & reliqui Pontifices usque ad Sylvestrum, incruentum Deo Sacrificium obtulisse dicuntur, sicut & aliud in Ecclesia non S. Praxedis, ut scripsit Florentinus in Exercitatione ad diem primum Augusti, sed in Ecclesia S. Pudentianæ, ut tradidit clarissimus Præsul Franciscus Blanchinus in suis notis Anastasianis ad Pium I. Summum Pontificem; necnon Arringhius in Roma Subterranea *lib. 4. c. 43. n. 9.* & Mabillonius in Musæo Italico *tom. 1. pag. 60.* fusius vero de hoc ligneo Altari in Tit. S. Pudentianæ asservato, scripsit D. Carolus Maria de Era in suis Vindiciis, nondum evulgatis, veterum monumentorum prædicti Titul, seu Ecclesiæ *lib. 2. cap. 3.* Cæterum nobis arridet Card. Bonæ opinio statuentis antiquissimis illis temporibus tam ligneas, quam lapideas Aras usitatas fuisse, prout rerum, locorumque opportunitas ferebat; quamvis ligneorum Altarium usus expeditior videretur, quia facilius de loco in locum transferri poterant. Reddita Ecclesiæ pace frequentiores fuerunt Aræ lapideæ, & nonnulli, quos inter Gavantus ipse hoc titulo littera, a Silvestro PP. sancitum existimant, ut Altaria lapidea essent, neque liceret alicui Missam in Ara lignea celebrare, hujus tamen Decreti veritatem in dubium revocant Bona *lib. 1. cap. 20. n. 1.* & Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 3. art. 6. n. 4.* cum nullum hujus Decreti Silvestro suppositi in antiquis Scriptoribus vestigium appareat: & revera post Sylvestrum etiam in multis Ecclesiis Altaria ex ligno conficiebantur; ut pluribus ostendit Martene loco laudato. Quidquid autem sit de Sylvestri Decreto, certum est antiquissimum esse morem celebrandi in Ara lapidea, ut innuimus supra; & hic addimus Concilium Epaunense, anno 9. sæculi VI. celebratum statuisse, ut Altaria nisi lapidea Chrismatis unctione non consecrentur; qui Canon legi poterit in *tom. 10.* Conciliorum edit. Parisiensis *fol. 645.* Idem Canon reperitur etiam in Gratiani Decreto *part. 3. dist. 1.* ubi legitur; *Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis unctione non consecrentur.* In Capitularibus Caroli Magni quoque sancitum legitur: *Non consecranda Altaria nisi lapidea, appendice 1. cap. 1.* & habetur etiam *tom. 2.* Conciliorum edit. Parisiensis *fol. 301.* Rationem cur ex lapide facta sint Altaria, suppeditat Simeon Thessalonicensis de Templo apud Bevereg. not. in pandect. Can. Nimirum: *Ex lapide autem est Altare, quia Christum refert, qui etiam Petra nominatur: tumquam fundamentum nostrum, & caput anguli, & lapis angularis; & quia Petra, quæ olim Israelem pavit, hujus mensæ imago fuit.* Laudati Simeonis liber extat *in tom. 22.* magnæ Bibliothecæ PP. edit. Lugdunens. Anissonianæ, anno 1667. Cæterum prædictam consuetudinem, & institutionem celebrandi in Ara lapidea in præceptum profecto transiit; cum nonnisi in Altari consecrato Sacrificium peragi liceat. Lubet hoc loco aliqua addere de Altaribus metallicis; prisci enim Christiani non solum de ligno, lapideve, sed etiam de metallo curarunt Altaria facere: ita Pulcheria Arcadii filia, Theodosii soror, aureum, & pretiosum dedicavit Altare in Ecclesia Constantinopolitana; ut refert Sozomenus *Histor. Eccles. lib. 9. cap. 1.* ubi legitur, quod ex auro, gemmisque pretiosis admirabile quoddam donarium, & spectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate sua, & Imperio Fratris, Sacram Mensam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicavit. Romani etiam Pontifices, aliique idem metallum ad Altaria adhibuerunt; hinc illud portatile in Ecclesia Ratisponensi ad S. Emeramnum pondo marcarum auri septem, & sexaginta, Henrici IV. tempore extructum. Non desunt qui putant, quod fuerint laminæ aureæ in modum Altarium ita fabrefactæ, ut ipsa Altaria lapidea, vel lignea iis, ceu veste, circumdarentur. Id autem non obscure significat Anastasius, seu alius auctor libri Pontificalis in Vita Hadriani I. qui sæculo VIII. vixit, & quæ inserta reperitur in *tom. 18.* Conciliorum edit. Parisiensis *fol. 36.* his verbis: *Basilicæ Sanctæ Dei Genitricis, quæ est ad Præsepe, in Altari ipsius Præsepis fecit laminas ex auro purissimo historiis depictis, pensantes simul libras centumquinque, &c.* Simile quid legitur in Vita ejusdem Pontificis prædicto *tom.* Conciliorum *tom. 20. fol. 192.* de Leone III. Summo Pontifice. Ex argento quoque reperio Altaria constructa; & hoc legitur in Vita Sisti III. sæculo V. necnon in Vita Hilarii PP. eodem sæculo.

Quod spectat ad formam Altarium, certum est, ligneæ Arcæ similitudinem habuisse: hujusmodi enim est illud, quod Romæ cernitur in Æde S. Pudentianæ, sicut & illud, quod S. Sylvester in Lateranensi Basilica consecravit. Lapidea vero cava erant, ut in illis servari possent Reliquiæ Sanctorum. Cætera, quæ spectant ad originem, materiam, & formam Altarium, legi poterunt apud laudatos Scriptores; sicut & apud Bocquillot in sua Historia de Liturgia Sacra, & Jo. Baptistam Thiers in opere singulari, quod de Altaribus scripsit.

II. Gavant. lit. m — *Non potest Episcopus deputare Oratoria in domo privata.*) Certissimum est, ut notat Gavantus, non habere Episcopos facultatem deputandi Oratoria, in quibus celebrentur Missæ in quacumque domo privata: soli enim Summo Pontifici competit hæc auctoritas concedendi licentiam celebrandi in privatis Oratoriis, ut per literas circulares singulis Episcopis significavit Congregatio Concilii jussu Pauli V. apud

Che-

Clericatum de Sacrificio Missæ *decis.* 12. *sub n.* 59. & refert etiam Pasqualigus *de Sacrif. novæ Legis tom.* 1. *qu.* 447. *n.* 3. Nomine autem Oratorii privati venit illud, quod in particulari domo inservit usui privato, nullamque habet portam in via publica, sive ingressum indifferentem omnibus permissum, ad differentiam Oratorii publici, quod debet semper habere ostium in via publica, quæ quidem publica Oratoria solent etiam habere unicam campanulam. Ita Quarti *p.* 3. *sect.* 5. *tit.* 19. *num.* 19.

In prædictis autem Oratoriis privatis, quamvis concedatur a Summis Pontificibus licentia Missam celebrandi; nihilominus in suis Diplomatibus Apostolicis nonnullæ continentur clausulæ, & exceptiones, quæ perlegi possunt apud Pasqualigum, Tamburinum, La Croix, & alios, exemplaria talium Diplomatum referentes, & explicantes in suis tractatibus de Missæ Sacrificio. Præsertim vero hæ clausulæ leguntur in Brevi Apostolico Innocentii X. ad cujus normam ejusdem successores solent tales facultates elargiti. Inter limitationes autem, & clausulas expressas in præfatis Diplomatibus, habetur, quod in prædictis Oratoriis privatis possit qualibet die unica tantum Missa celebrari; & quod in diebus solemnioribus Paschatis, Nativitatis Domini, &c. nulla possit dici Missa; ut notat Gavantus supra, & habetur pariter in Decretis S. R. C. spectantibus ad dicta Oratoria privata, quæ hinc exhibentur.

In Privatis Oratoriis, & privilegiatis non potest celebrari Missa in Festis solemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria 5. in Cœna Domini, Paschate, Ascensione, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione B. M. V. Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum &c. S. R. C. 17. Novembris 1607. & dato in nostro Indice *sub num.* 74.

Quamvis in hoc Decreto prohibeatur Missa in privatis Oratoriis diebus Paschatis, & Pentecostes; notandum tamen est, quod nomine Paschatis, & Pentecostes venit tantum prima dies, ut tradunt plures Doctores, quos refert, & sequitur doctissimus noster P. Pasqualigus *de Sacrific. novæ Legis tom.* 1. *qu.* 639. *n.* 2. Propterea adnotandum etiam est circa Festum Annunciationis B. M. V. quod vigore prædicti Decreti intelligitur prohibita Missæ celebratio in Oratoriis privatis, etiam eo die, ad quem transfertur Annunciatio cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus; prout statutum fuit in Decreto emanato 1690. 11. Februarii, & 11. Martii dato in nostro Indice *sub num.* 495. Deinde advertere debemus, quod in prædictis Oratoriis privatis neque potest celebrari Feria 5. in Cœna Domini; ut colligi potest ex Decreto emanato 1712. 15. Martii, & dato in nostro Indice *sub num.* 620. & talis prohibitio intelligenda est etiam eo Anno, in quo tali Feria 5. occurrit Festum S. Josephi, vel Annunciationis; licet in dictis casibus aliquæ permittantur Missæ Privatæ in Ecclesiis, & Oratoriis publicis; ut liquet ex Decretis emanatis 1692. 13. Septembris, & 1716. 12. Septembris. Denique celebrari Missa permittitur in prædictis Oratoriis in Sabbato Sancto; ut clare patet ex allegato Decreto emanato Anno 1690. 11. Februarii, & 11. Martii.

Missæ plures non possunt celebrari in Cappellis privatis Nobilium. Ita S. R. C. 15. Februarii 1667. & datur in nostro Indice *sub n.* 428.

In Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licet Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis celebrare, ubi unica Missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit; prout videre est etiam reliqua contenta in Decreto Apostolico emanato die 15. Decembris 1703. & dato in nostro Indice *sub num.* 579.

Sacra autem Concilii Congregatio die 30 Maji 1669. in Neapolitana statuit, quod si Regulares celebraverint Missas in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica Missa in Apostolico indulto concessa, potest Episcopus in eos animadvertere, servata forma Concilii: refert hoc statutum Monacellus in Formulario legali practico *part.* 1. *tit.* 6. *formula* 20. *sub num.* 21.

In privatis cubilibus Regularium prohibetur erectio Altaris, in quo Missa celebretur, sub quocumque prætextu. S. R. C. approbante etiam Innocentio XIII. 13. Maji 1623. & in nostro Indice fusius *sub num.* 648.

Missæ Sacrificium peragi potest in publico Oratorio extra aliquod Oppidum constructo de licentia Episcopi in diebus solemnibus Anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate villicorum circumhabitantium; dummodo habeat omnia requisita ad Ecclesiam, vel saltem ad publicum Oratorium constituendum. S. R. C. 2. Septembris 1661. & in nostro Indice *sub n.* 329.

III. Gavant. ead. lit. m *o - Non tamen intelligitur domus privata Episcopi.*) Quamvis Episcopi in propria domo privata possint habere Oratorium, in quo celebretur quotidie Sacrificium Eucharisticum; nihilominus extra domum propriæ habitationis non licere Episcopis in domibus laicis erigere Altare, statuit Clemens XI. ut habetur in Decreto a nobis dato sub *num.* 578. Verum prædictum Decretum, ad Episcopos quod attinet, moderatum fuit ab Innocentio XIII. die 3. Maji 1723. in sua Constitutione edita super Ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum *sub n.* 23. prædicta autem Constitutio incipit his verbis: *Apostolici Ministerii, &c.* Eamdem moderationem quoad Episcopos confirmavit Benedictus XIII. die 7. Septemhtis 1724. in sua Constitutione, quæ incipit: *In supremo Militantis Ecclesiæ*: & rursus in Synodo Romana habita anno 1725. *tit.* 15. *cap.* 3. ubi iterum referuntur præcisa verba Innocentii XIII. quæ dantur etiam in nostro Indice *sub num.* 649.

IV. Gavant. ead. lit. n — *Missa non fiat, nisi*

in

in Altari.) Certissimum est Sacrificium Eucharisticum peragi non posse, nisi in Altari sive fixo, sive portatili, & ab Episcopo consecrato. Dubitatur tamen, utrum in casu necessitatis, v. g. deferendi Viaticum infirmo, possit Missa celebrari extra Altare consecratum. Quarti *part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 7. sustinet nunquam licere absque Altari consecrato celebrare, nisi adesset periculum vitæ, vel infamiæ; dummodo tamen metus non esset incussus in contemptum Religionis, sed solum ob alium finem indifferentem; cui sententiæ adhæret etiam Bissus *lit. A num.* 243. §. 6.

Hujusmodi Altaria, in quibus offertur quotidie Eucharistica Victima, debent esse munda; ideoque laudabile erit bis saltem in anno ea finitis Missis, spoliare, & scopis reverentur undequaque mundare; id etiam fieri debet quotiescumque mutantur mappæ; & ut facilius mundæ custodiantur, laudabile erit pannum lineum ceratum ad mensuram Altaris factum, super ipsius mensam sternere. Gerlacus Vinitor in suis adnotationibus super hunc titulum *num.* 7. qui hoc eruit ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. *cap.* 14. *tit. de mensa, Altari, & tela cerata.*

Ut Altaris mappæ mundæ ab omni pulvere, cera, aliave sorde conserventur, finitis Missis contegantur tela viridi, aut aliis stragulis: prius vero leviter purissima scopula ejus generis, quod pro vestimentjs adhibetur, purgentur; & idem fiat quando mane eadem Altaria deteguntur, ut semper mundissima appareant. Gerlacus Vinitor §. 11. cum Gavanto supra, & ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis.

V. Gavant. lit. o - *Ara lapidea &c.*) Communis est sententia Doctorum aram Altaris, super qua peragitur Sacrificium, debere esse lapideam; nec posse constare duobus lapidibus adunatis, quia alioquin in duobus Altaribus fieret Consecratio, in uno Hostiæ, in altero Calicis. Debet igitur lapis constituens aram esse unus, & integer, illiusque extensionis, quæ a Gavanto supra describitur.

Decreta autem pertinentia ad hanc materiam Altarium fixorum, seu portatilium, hæc sunt:

Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet non obstante Constitutione Synodali; dummodo habeat solitum Reliquiarum repositorium. S. R. C. 10 Novembris 1612. & in nostro Indice *sub num.* 132.

Altare ligneum si quis voluerit ædificare in sua Capella, non indiget facultate S. R. C. dummodo Altare ligneum cum sacro lapide colligatum amovibile non sit, & altaris portatilis imaginem non præseferat. S. R. C. 3. Decemb. 1661. & in nostro Indice *sub num.* 393.

Cancellos qui circumstant Altaria, Presbyteri tantum, & Clerici, ingrediantur; neque ullo modo ibi Sæculares, maxime dum Divina Mysteria celebraatur, admitti debent, idque sæpe Patres admonent, & Apostolica Decreta præscribunt; ut liquet in Concilio Romano *supras. tit.* 28. *cap.* 4.

VI. Gavant. lit. u - *Quæritur, an Altari, cujus icon, seu tabula etc.*) Superior Rubrica præscribit in Altari, ubi Sacrificium peragitur, ponendam esse Crucem inter candelabra; de qua late Gavantus in suis supra expositis Commentariis. Quærit autem hoc loco, utrum collocanda sit talis Crux, quando in Altari est icon, seu tabula picta, seu statua, ubi est Crucifixi imago: & resolvit hoc non sufficere; sed adhuc juxta dispositionem Rubricæ debere poni Crucem distinctam ab illa imagine. Nihilominus alii, quos refert Quarti *p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. in fine, sentiunt, quod in prædicto casu non requiritur Crux altera, seu distincta ab icone, seu imagine Crucifixi, si sit in prospectu, & ob oculos Sacerdotis: hac ducti ratione, quia quando Rubrica præscribit ponendam esse Crucem inter candelabra, debet intelligi regulariter, quando icon Altaris non est tabula, seu statua Crucifixi, cum habetur finis intentus a Rubrica per iconem, vel imaginem Crucifixi: quæ quidem sententia propugnata a Diana, Tamburino, Trimarchio, Grisolio, relatis a Quarti, quoad statuam Crucifixi in Altari collocatam loco iconis, vel tabulæ, confirmata remanet per Decretum S. R. C. 4. Augusti 1663. & datum in nostro Indice *sub n.* 400. in quo habetur.

In Altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa.

Aliam quæstionem proponit noster Quarti loc. cit. nimirum, utrum sufficienter adimpleatur dispositio Rubricæ, si ponatur in Altari Crux nuda inter candelabra sine imagine Crucifixi. Gavantus supra videtur requirere Crucem cum imagine Crucifixi, quod revera optimum consilium est; sed cum Rubrica nihil exprimat de imagine Crucifixi, videlicet fieri satis dispositioni, si ponatur sola Crux sine ulla imagine Crucifixi inter candelabra: & ita tenet etiam Bissus *litt. A num.* 284. §. 2. immo addit Quarti sufficere prædictam Crucis imaginem in tabula, vel pariete depictam. Verum idem Quarti loquens de parva Cruce, quæ aliquando est in summitate Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum, dicit hanc non sufficere; quia non est ob oculos Sacerdotis celebrantis, neque apta fini, propter quem Crux adhibenda præscribitur.

VII. Gravis etiam agitatur quæstio inter Doctores: utrum in Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, debeat apponi aliqua parva Crux, quando in eodem Altari Missa celebratur. Gavantus *p.* 2. *tit.* 14. *n.* 6 sententiam tenet negativam, non ex professo, sed obiter: nam loquendo de incensatione Altaris quando est expositum SS. Sacramentum, ait: *Pro Cruce, quæ adesse non debet, incensatur Sacramentum.* Gavanto adhærent Bissus *lit. C n.* 446. §. 1. Bauldry, & alii multi. Contrariam tamen sententiam tuentur Pasqualigus *tom.* 1. de Sacrificio novæ Legis *qu.* 715. *num.* 1. ubi ait: *Necessaria est Crux pro observantia Rubricæ in Altari, sive ibi conservetur Eucharistia, sive non, sive ibi*

ibi sit exposita, sive non. Favet etiam huic sententiæ Paulus Maria Quarti *part.* 1. *suorum Commentar. in Missalis Rubricas tit.* 20. necnon Didacus Diaz de Escobar peritissimus Cæremoniarum Magister Metropolitanæ Hispalensis Ecclesiæ in Directorio Divini Officii, quod ipse evulgavit anno 1683. Denique amplectuntur hanc sententiam Henao *tom.* 2. *de Sacrific. Missæ disput.* 25. *sect.* 5. *num.* 90. & 91. Oliverius Bonarcius *de Missæ Sacrif. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. Cæremoniale PP. Exalceatorum SS. Trinitatis *part.* 1. *cap.* 2. §. 2. *num.* 11. necnon Cæremoniale PP. S. M. de Mercede Redemptionis Captivorum *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 6. a qua quidem sententia recedere non possumus, quia hæc controversia nunc est decisa a S. R. C. quæ *die* 24. *Maii* 1707. *in una Senarum* statuit, & declaravit, numquam omittendam esse Crucem in Altari, etiam ubi est expositum SS. Sacramentum, quod quidem Decretum datur in nostro Indice *sub num.* 604. & est maxime commendandum, quia est conforme Rubricæ, quæ indefinite loquitur de Cruce apponenda supra Altari, ubi Sacrificium celebratur, nullam admittendo exceptionem; quando autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: sive igitur sit expositum Sacramentum in Altari, sive non, semper adesse debet Crux cum imagine Crucifixi.

Neque officit, quod ubi est figuratum, nempe Christus Dominus realiter præsens sub speciebus Eucharisticis, non requiratur figura, nempe Crux imagine Crucifixi; nam figuratum est quidem præsens realiter ob oculos Fidei, & mentis; non vero ob oculos corporis. Rubrica autem præscribit præsentiam figuræ, quæ sit ob oculos corporis Sacerdotis celebrantis, ut facilius actus sibi revocet in memoriam Passionis Christi, ejusque cruentum Sacrificium; quæ quidem memoria, attenta infirmitate nostrarum distractionum, magis ex Crucis sensibilis aspectu, quam ex ipsa Hostia consecrata excitatur; ut fatetur etiam Gavantus supra, ubi sustinet requiri Crucem in Altari, ubi est reconditum SS. Sacramentum: & idcirco statutum est a SS. PP. & ait Bonaventura *de Mysterio Missæ*, etiam a Gavanto relatus, ne quisquam in aliquo loco Missam celebret, nisi ubi imago posita sit Crucifixi.

Rursus neque incongruum est figuram cum figurato adesse simul, ut bene enim ponderat Quarti, nullum est inconveniens, ut ubi est persona Principis, ibi sint etiam ejus insignia, & imago: axioma autem illud: *ubi est figuratum, debet cessare figura:* intelligi debet, ut explicat idem Quarti, de Sacrificiis veteris legis, quæ erant figura Sacrificii Crucis & Christi crucifixi, non vero de Imagine Crucis & Crucifixi, quia repræsentatur ipsa realis Crucifixio jam consummata; quæ omnibus modis recolenda est, & memoriæ commendanda, dum celebratur idem Christi Sacrificium incruentum: alioquin post Consecrationem jam peractam, oporteret removere Crucem ab Altari, ne simul cum figura esset præsens figuratum; & tamen etiam post Consecrationem, juxta Rubricarum dispositiones, requiritur Crux cum imagine Crucifixi in Altari, ubi Sacrificium peragitur: immo nullum est inconveniens, quod in eademmet Hostia consecrata habeatur impressa imago Crucifixi.

Cæterum, utrum præfata Rubrica de apponenda Cruce supra Altari sit præceptiva, & obliget sub gravi, Aversa *de Sacrif. Missæ qu.* 11. *sect.* 3. affirmativam tenet sententiam, negativam alii amplectuntur quoad culpam peccati mortalis in omissione talis Crucis: sed ad summum culpam venialem committi ab iis, qui non servant talem Ritum, communior sententia sustinet: de prædicto enim præcepto sub mortali non constat neque ex jure, neque ex consuetudine, quæ fuerit hoc animo introducta. Communiter tamen ita servatur, ait Anellus *lib.* 8. *c.* 8. *dub.* 8. ex majori devotione, & ad Rubricæ directivæ, vel ad summum præceptivæ sub levi culpa satisfaciendum. Hanc sententiam tenet D. Thomas *Quod.* 9. *art.* 5. Suarez *disp.* 81. *sect.* 6. Vasquez *disp.* 233. *c.* 3. De Lugo, Bonacina, & alii, quos citant, & sequuntur Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 28. & Quarti supra citatus *dub.* 10. & recentissime Raphael ab Herissomo in suo libro, cui titulus *Manuductio Sacerdotis, &c. tract.* 1. *sect.* 5. *cap.* 3.

Inserenda hic sunt duo sequentia Decreta, utpote spectantia ad præsentem materiam.

Ante ostiolum Tabernaculi SS. Sacramenti, in quo depicta est imago D. N. J. C. non est retinendum vas florum, vel quid simile; sed potest collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in nostro Indice *sub num.* 555.

Cruces Altarium, seu Processionum non sunt benedicendæ de præcepto. S. R. C. 12. Julii 1704. & datur in nostro Indice *sub num.* 584. Sententiam huic Decreto conformem amplectitur Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 89. ubi dicit imagines, quæ adhibentur in Templis, posse, sed non debere necessario benedici.

VIII. Gav. lit. y — *Puto ad litteram, quia in criptis fiebat Missa, &c.*) Cereorum usum in Ecclesia fuisse etiam tempore persecutionum, tot a nostris Auctoribus probatum est argumentis, ut insanire omnino videantur Hæretici, qui id in dubium revocare conati sunt: unam hic S. Prudentii afferemus auctoritatem, quæ rem clarissime demonstrabit: itaque Christianus ille Vates in Hymno, quem in honorem S. Laurentii composuit, sic Tyrannum alloquentem inducit:

Hunc esse vestris orgiis
Moremque, & artem proditum est;
Hanc disciplinam fœderis
Libent, ut aureo Antistites
Argenteis scyphis ferunt
Fumare Sacrum Sanguinem;
Auroque nocturnis Sacris
Adstare fixos cereos.

Ri-

Ridiculum autem foret alios hic intelligere cereos, quam qui in celebratione Mysteriorum adhibeantur. Idcirco vero primis illis temporibus cereis utebatur Ecclesia, quia Sacrificia noctu celebrabantur; quod & laudati versus produnt, & non una Tertulliani auctoritas confirmare posset. Aliam vero rationem, quam hic Gavantus assignat, nimirum, quia in cryptis fiebat Missa, etsi possit videri probabilis, non sola tamen est, atque præcipua: non enim prioribus illis Sæculis Fideles semper in cryptis sacros conventus agebant. Reddita vero Ecclesiæ pace etiam in die accensi sunt cerei, non ad fugandas tenebras, ut scite Hieronymus adnotavit; sed vel in lætitiæ signum, vel ad majus Sacrificii decus, & pompam; hanc consuetudinem cum Vigilantius superstitionis argueret, merito castigatus est ab Hieronymo. Videri possunt quæ de cereorum antiquitate in Ecclesia eruditissime scripta sunt a Josepho Vicecomite *lib. 7. de Missæ apparatu cap. 25.* a Card. Bona *lib. 1. cap. 25. num. 7.* a doctissimo Episcopo Svessionensi in confutatione Claudii de Vert §. 26.

IX. Gavant. ead. lit. y — *An sufficiat unicum lumen, &c.*) Aliquod lumen, dum Missa celebratur, requiritur ex gravi Ecclesiæ præcepto; ut fert communis sententia Doctorum, quam refert Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 8. sect. 6. §. 3.* & adeo urget hoc præceptum, ut sine ullo lumine licitum non sit celebrare etiam ad communicandum infirmum moribundum; ut tenent Henriquez *lib. 9. de Eucharistia cap. 26.* Bellarminus, Fagundez, & alii apud Quarti *part. 1. tit. 20. dub. 11.* & consequenter a culpa lethali immunis non est, qui totam Missam, vel partem illius notabilem in quocumque casu nullo ardente lumine celebrare auderet. An autem duo requirantur lumina ex vi præcepti Ecclesiastici, video a Doctoribus disputari. Placet nobis Azotii sententia, cui adhæret noster Gavantus supra, nimirum saltem in casu necessitatis unico solo ardente cereo posse Missam peragi. Cætera ad hanc luminum materiam spectantia, satis resolvit idem præclarissimus Auctor; & idcirco nihil aliud addimus.

X. Gavant. lit. f — §. *Numquam in Mari, &c.*) Gavanti sequentiam sequitur etiam Rotarius ejusdem Congregationis Cleric. Reg. S. Pauli scriptor insignis, atque Theologus *tom. 3. suæ Theologiæ Regularium lib. 1. cap. 2. punct. 12. num. 9.* Motus non solum ratione periculi effusionis Sanguinis, quod generaliter imminet celebrantibus in navi; sed etiam quia in navibus vix reperiri potest locus decens pro Sacrificio; pro qua sententia citat etiam Homobonum de examine *tom. 1. tract. 4. cap. 14.* Suarez, Angelum, Sylvestrum, Dianam, & alios: subdit vero, quod loquendo de navigatione Indica, quæ fieri nequit nisi in magnis navibus, & in quibus per plures, & plures menses notabilis hominum quantitas reperitur, possit celebrari, tranquillo tamen Mari, & sereno Cælo, & a peritis naucleris habito testimonio de morali certitudine, quod nullum instet periculum; tunc enim, ait ipse, quia in magnis illis navibus nullum est irreverentiæ periculum, & facile invenitur necdum locus decens ab omni immunditia & fœtore purgatus; sed solet etiam adesse Capella magnifice ornata, atque periculo effusionis Sanguinis ex improvisa Maris commotione facile occurritur, quia pro brevi tempore celebrationis Missæ nautarum peritia has commotiones prævidere posset, & ante Missæ initium Sacerdotem monere ne celebret; ob has, inquam, rationes tenet præfatus Auctor posse in magnis illis navibus Missam celebrari, quam sententiam sustinet etiam Giribaldus *tract. 5. cap. 65. num. 65.* Castropalaus *tract. 22. punct. 8. num. 10.* Fagundez *lib. 1. Præcept. 1. Eccles. cap. 10. num. 15.* Verricell. *tit. 8. de Sacramento Eucharistiæ, qu. 133. n. 14. & seqq. & quæst. 134.* Schiara in *Theologia Bellica tom. 2. lib. 7. difficult. 3. num. 9. & 10.* Scortia *de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 13. num. 5.* aliique apud Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 40. & p. 9. tract. 1. resol. 55.* & alii apud Dandin. *de suspectis de hæresi cap. 3. sect. 1. sub sect. 4. num. 15. & seqq.* qui etiam subdit nullo modo dici suspectum de hæresi Celebrantem supra Mare. Præfati omnes, inquam, Doctores in ea versantur sententia, quod habentes privilegium Altaris Portatilis, dum Mare est tranquillum, & Cælum est serenum, & absit periculum effusionis Sanguinis, possint in magnis navibus, & in loco ibi decenti & honesto celebrare. Et quamvis contrariæ opinionis Doctores, nimirum Turrecremata *in cap. Concedimus num. 5. de Consecratione dist. 1.* Grass. *decis. aur. part. 1. cap. 42. num. 10.* Pax Jordanes *elucub. part. 1. lib. 4. tit. 1.* Antonellus *de loco legali lib. 1. c. 5. num. 4.* sustineant non posse dictos privilegiatos etiam super magnis navibus in Mari, vel flumine tranquillo uti Altari itinerario ad Missam celebrandam, hoc præsertim argumento permoti, quia Mare est instabile, super quo fidere non convenit Sacra Mysteria, & specialiter Sanguinem Domini nostri Jesu Christi; nihilominus quia experientia comprobatum est in Mari tranquillo sub cælo sereno in magnis navibus anchoratis nullius inconvenientis adesse periculum, nec in brevi spatio Missæ Mare vehementer conturbari posse; ideo non est improbanda sententia illorum, qui hanc facultatem concedunt: & quidem in navigatione ad Indos super navi se celebrasse dicit Franciscus de Lugo *lib. 5. de Sacramentis cap. 6. qu. 1. num. 9. & 14.* Quod si in casu aliquo non prævideretur tempestas, seu Maris commotio, quæ inopinate evenire posset, hoc nihil officit probabilitati ejusdem sententiæ: in tali enim eventu non præviso a nautis etiam peritioribus, deberet Sacerdos se gerere eo modo, quo in aliena Ecclesia faceret Celebrans, si terræmotus non prævisus insurgeret.

Non desunt tamen Auctores, qui adstruunt in prædictis navibus Indicis speciale privilegium celebrandi concessum fuisse a Clemente VIII. & Pau-

Paulo V. & hoc refert Pignatellus *tom.* 8. *consultat.* 124. *num.* & recentissime non solum dignitate, sed etiam scientia ac pietate Eminentissimus Card. Petra in suis doctissimis Commentariis ad Constitutiones Apostolicas *Constitut.* 2. *Urbani V.* docet in hac re concludendum esse, ex sola concessione Altaris portatilis minime inferri, quod quis possit eo uti in navibus cujuscumque sint generis: tum quia in hujusmodi privilegio apponi solet clausula, quod eo quis utatur *in loco honesto, & tuto,* in *Const.* 57. Gregorii XIII. ad favorem PP. Missionariorum Societatis Jesu; unde excluduntur, ait ipse, naves quæ sunt loca non tuta; tum quia Episcopi prohibere debent, ne Missæ Sacrificium celebretur in navigiis, ut ex resolutionibus S. C. apud Dianam citatum *resol.* 45. S. *ult.* & Pignatellum *cit. consult.* 124. *num.* 4. ubi adducit resolutiones Congregationis S. Officii. Immo ex stylo, & consuetudine id comprobari, prosequitur idem Eminentissimus Auctor, quia recurritur ad Summum Pontificem ad obtinendum hoc indultum: unde non ex solo privilegio Altaris portatilis, sed ex illo speciali celebrandi super Mare censet secutas fuisse celebrationes per Missionarios, aliosque in casibus adductis a supracitatis Doctoribus. Hinc etsi milites Jerosolymitani habuissent privilegium Altaris portatilis, nihilominus petierunt speciale privilegium celebrandi in suis magnis navibus occasione longæ navigationis in alto Mari contra Infideles: & prævio voto S. C. Concilii sub die 13. Martii 1706. Clemens PP. XI. concessit dictæ Sacræ Religioni Jerosolymitanæ, ut in suis navibus, quæ sunt magni ponderis, ac firmæ structuræ, cum unaquæque sustineat quinquaginta ænea tormenta bellica, celebrari faciat Missam, eo dumtaxat tempore, quo Mare est tranquillum, & Cælum serenum, & cum assistentia alterius Sacerdotis, seu Diaconi; itaut adesse non possit periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione: habetur hoc privilegium in particulari Bullario Clementis XI. *part.* 1. *Const.* 26. quæ incipit: *Exponi nobis.* Olim tamen denegatum fuit Principi Philiberto indultum, quod posset celebrari Missa super suis triremibus, quia istæ modico flante vento facile moventur: magnæ autem naves anchoris alligatæ immobiles fere stant; & ideo in his, cum nullum subsit periculum, stante Mare tranquillo, effusionis Sanguinis, facilius conceditur Apostolicum indultum celebrandi Missam. Rursus dictum privilegium fuisse passim denegatum a Summis Pontificibus, asseverat Card. Albitius *de Inconstantia in Fide cap.* 34. *n.* 131. & ubi plures casus talis denegationis adducit, ultra illam, quæ data fuit, ut mox innuimus, Principi Philiberto, quoad celebrationem super triremibus.

Cæterum plura extare antiquitatis monumenta, ex quibus colligitur non tantum pluries in Mari Missas celebratas extitisse, sed continuo super naves Eucharistiam deferri olim solitum fuisse, colligitur ex Baronio ad annum 57. & ann. 404. & annum 700. ex Surio de S. Ludovico *ad diem* 25. *Augusti*, & ex S. Gregorio, S. Ambrosio, & Metaphraste, Verriccel. *de Apostolicis Missionaribus titul.* 8. *quæst,* 132. *num.* 9. Pasqualigo *de Sacrif. novæ Legis quæst.* 471. *num.* 3. *& seqq.* Et hæc sint satis pro præsenti materia, & pro complemento hujus 1. Partis.

COM-

COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS SECUNDA.

Ritus servandus in celebratione Missæ.

Altera pars Rubricarum generalium in duo capita dividitur; quorum alterum ea complectitur, quæ ad integram & accuratam Missæ celebrationem spectant, nempe Ritus, & Cæremonias; alterum ea continet, quæ scitu sunt necessaria, ne male celebratio fiat, videlicet, defectus occurrentes, quibus & adhibentur remedia. Sufficiens ergo hujus partis est divisio, ut rite semper, & male numquam celebretur.

De præparatione Sacerdotis celebraturi. I.

RUBRICA.

Sacerdos (a) *celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, saltem* (b) *Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet, &* (c) *Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur:* (d) *accipit Missale, perquirit Missam, perlegit; & signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. Postea* (e) *lavat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde* (f) *præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul* (g) *cum Patena itidem inaurata,* (h) *ab Episcopo consecratas) super ejus os* (i) *ponit purificatorium mundum, & super illud Patenam* (l) *cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, & eam tegit* (m) *parva palla linea, tum* (n) *velo serico; super velo ponit* (o) *bursam coloris paramentorum, intus habentem* (p) *Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum; sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem* (q) *simul cum palla benedictum.*

GAVANTUS.

(a) *Sacerdos.* Ita dictus est quasi Sacra dans, vel Sacra dos, id est, ipsamet Sanctitas; vel Sacer dux, vel Sacra docens; nam docere debet verbo, docere exemplo, Sanctus esse, & Sacra aliis dare, ut Sancti fiant.

De Confessione Sacramentali dicemus infra, cum de defectibus animæ. Hoc loco monebo tantum, ne Sacerdos indutus Sacerdotalibus indumentis confiteatur, sed antequam ea vestiat; hoc enim magis decet; quod & notavit *Didacus Murilius in Scala spiritual. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 15.

(b) *Matutino cum Laudibus.* Missam ante Matutinum ne præsumamus dicere, aperte his ipsis verbis vetuit Innocent. IV. *ad Episcop. Tusculan. Canon.* 11. Recenset *Barbosa de potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 24. *num.* 15. Auctores viginti, quos ipse sequitur, negant esse peccatum mortale, celebrare Missam ante Mautinum; & ibi dem numerat alios decem & novem, quibus addi debet *Francol. de tempor. Horar. Canon. cap.* 42. affirmantes esse peccatum mortale; inter quos duos Sancti numerantur, Sanctus Antoninus, & Sanctum Raymundus: excusat autem justa causa. *Silv. v. Missæ* 1. *qu.* 6. Quid faciet pie lector, in re tam dubia, in qua totidem sunt hinc inde Auctores pro affirmativa sanctiores? Præterea vero duo Summi Pontific. Innocent. IV. & Pius V. qui collocavit hunc inter defectus graviores, *tit.* 10. *de Defectibus num.* 1. inter eos defectus, qui de communi Doctor. sententia non accidunt sine culpa mortali de suo genere; ego certe tutiorem, quæ in Rubrica est, sequor libentius sententiam.

(c) *Orationes inferius positas.* Scilicet Antiphonam *Ne reminiscaris*, quæ in Duplicibus duplicatur; & pariter ante eas Missas, quæ Ritu Duplici celebrantur, hoc est cum unica Oratione, sive sit Votiva pro re gravi, sive pro Defunctis, (quamquam pro Defunctis omitti possunt Antiphona & Psalmi, ut dicemus infra) & tempore Paschali additur *Alleluja.* Psalmos quinque habes cum Orationibus: *Quam dilecta tabernacula, &c.* de quibus mentio est apud *Micrologum cap.* 1. *&* 23. ut interius, inquit, & exterius Sacerdos summo Sacerdoti placere valeat: addit *Innocent. III. lib.* 1. *cap.* 47. ut quidquid immundum quinque sensuum transgressione committit Sacerdos, quinque Psalmorum Oratione detergat: quædam enim continentur in ipsis quæ recte conveniunt celebraturis Missam, ut legenti patet. Eosdem hoc loco instituit Cælestinus I. *ex Durand. lib.* 4. *capit.* 2. Micrologus unam tantum Orationem pro peccatis novit. Innocent. III. plures, quæ, inquit, manifesto per-

pertinent ad impetrandam cordis & corporis munditiam, & munimen; ex quo conjicio de iisdem Orationibus eum loqui, quæ apud nos sunt in usu; numero sunt septem juxta numerum petitionum Orationis Dominicæ, ad septiformem gratiam Spiritus Sancti obtinendam: has ego legi *in Missali MS. Vaticano ante* 300. *annos scripto, vol.* 4743. Oratio *Conscientias*, est Ambr. *ex Pamelio in Sabb. Dom.* 5. *Advent. Ambrosiano more.* Septem autem versus præcedentes respondent iisdem Orationibus. *Cum autem habeatur in titulo, & Rubrica, *Pro temporis opportunitate*; inde patet, nullum esse peccatum, si celebraturus eas omittat; & communius omittuntur ii Psalmi a Sacerdotibus.

(d) *Accipit Missale.* Nec sine libro Missa celebranda est; alias graviter peccatur. *Navar. cap.* 25. *num.* 85. *Azor. lib.* 10. *cap.* 29. *quæst.* 4. Neque aliud Missale, nisi Pii V. adhiberi potest a Romanis, ex ejusdem Pii Bulla. * Convestitur Missale ab accurationibus proprio integumento coloris Missæ convenientis, tum ad decorem, tum ad reverentiam in eo contentorum. Quod autem hoc loco jubetur, ut perlegatur Missa, sive prælegatur, eo fine dicitur, ut si mutanda sit Oratio, maxime Secreta, quæ sit eadem cum alia, pura Commemorationis, & Festi opportunæ mutationis sit provisum; & præterea ne accidat error in prolatione verborum cum scandalo auditorum.

(e) *Lavat manus.* Ut spiritualiter mundet actus, *Innos. III.* 1. *cap.* 49. & propter reverentiam tanti Sacramenti. *Durand. supra cap.* 3.

(f) *Præparet Calicem.* Calix a voce Græca, *Hylix*, *ex Macrob. lib.* 5. *Saturn. cap.* 2. ab aqua calida dictus, ut ajunt *Varro lib.* 4. *Latin. ling. & Festus lib.* 3. quam vino mixtam habebant veteres in deliciis, *ut Persius docet*; * vel ab alia voce græca, Κάλυξ, quæ lignum significat. *Isidor. lib.* 20 *orig. cap.* 5. nam ex ligno, ait, fiebant Calices. Porro in Calice argenteo consecrasse dicitur Christus *a Baronio, ex Beda, Ann.* 34. *num.* 63. vereor tamen ne Calix hic, in quo, *ut narrat ibidem Beda*, servatur spongia potus aceti mixto, & habet duas ansas hinc inde, adhibitus fuerit potius ad potandum Christum felle & aceto, quam ad ultimam cœnam. Valentiæ venerantur Calicem lapideum alium pretiosum ex agatha, quam vocant, quo dicunt usum fuisse Christum in ultima Cœna: *lege Carthagenam de Euchar. homil* 26. ἀγαθον, latine bonum: & quid bonum ejus, nisi vinum * hujus Calicis germinans Virgines? *Zachar.* 9. inde mos inolevit, quod non in alio vase, quam in Calice Sanguis consecretur; *ex Paschasio de Sanguine, & Corpore Domini in cap.* 20. Vasculum dixere Patres, *Concil. Tribur. cap.* 18. Vas mysticum *Synæsius Constit.* 2. Poculum *Clem. lib.* 8. *Constit. cap.* 15. Poculum *Sanctus Nazianz. orat.* 25.

Ligneos autem adhibuere Calices Apostoli; *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 89. deinde vitrei decreti sunt a Zephyrino, *apud Damasum in ejus Vita*; & Calicem vitreum fractum, a S. Donato Aretino restitutum, habes *in libr.* 1. *Dial. S. Gregor. cap.* 7. Sed & tunc temporis argentei erant in usu apud aliquos; *ut notat. Baron. in notis Martyrolog.* 7. *Augusti, ex August. epist.* 165. Urbanus argenteos, & aureos instituit, *de Consecr. dist.* 1. *cap. Vasa, ex Concil. Triburiensi cap.* 18. non ex ære, neque auricalcho fiant, ne ærugo generetur, neque vomitus provocetur; potius ex stamno, *ead. dist. cap. ut Calix, ex Concil. Rhemensi cap.* 6

Octo angulis formabantur, *ex Prudentio apud Bulengerum lib.* 2. *cap.* 20. Imaginibus etiam decorabantur, quos effigiatos historia Pastoris, & ovis docet *Tertull. de pudicit. cap.* 7. & 10. & imaginatos Calices ideo appellat S. Remigius in suo testamento. Quid? idem inscripsit in Calice proprium nomen, citra vanitatem, *apud Sur. tom.* 1. Calicem vero gemmatum misit Epiph. Constantin. ad Hormidam; unde etiam *in Ord. Rom.* paratoria dantur, id est, capsæ ad Calices recondendos. Solebat (quod doleo) dicere S. Bonif. Mart. & Episc. Ultrajectensis: quondam aurei Sacerdotes utebantur ligneis Calicibus; nunc lignei Sacerdotes aureis Calicibus. *Valafr. Strabo. c.* 24. & *in c. Vasa.*

(g) *Cum Patena.* Patena, seu Patina; vox tamen prima est frequentior. Discus *in Liturgia S. Jacobi* appellatur. A patendo est dicta, *Amalar. lib.* 3 *cap.* 27. vel quia patula est, *Valas. cap.* 24 vel quia dispansis patentibusque oris sit; *Isidor. lib.* 20. *Orig. cap.* 4. Patenæ vero ejusdem fuere materiæ cum Calicibus. Forma earumdem nunc multo minor, quam antiquarum; nam erant *apud Damasum in vita S. Silvestri* ponderis quindecim, vel triginta librarum, cum multi in Missa communicarent, patena adhibita tunc temporis pro Pyxide.

(h) *Ab Episcopo consecratus.* Habetur Consecratio hæc *in Ordine Romano;* & durat Consecratio donec frangatur, vel intus de novo auro liniatur, *Suarez. disp.* 81. *sect.* 7. idcirco Calix, & Patena vocantur vasa Sacra *a Sixto de Constit. dist.* 11. *cap. In Sancta*, & ungi Calicem expresse jussit Silvester, *ex Innocent. III epist. Decret.* Hinc fit, quod non omnibus licet illa vasa tangere: non licuit Subdiaconis ante Conc. Laodic. *ubi cap.* 11. iisdem interdicitur eorum contactus: fuit concessus in *Bracaren.* 1. *can.* 28. inferioribus autem aliis negatus in *Concil. Rom.* 2. *c.* 9. nisi mappula adhibita, *juxta Ord. Rom.* An vero sub mortali? negat *Bonac. disp.* 4. *quæst. ult. punct*, 9 *n.* 20.

Quid si Sacerdos bona fide adhibeat Calicem non consecratum? an egeat consecratione? negat Diana *tract.* 14. *de Celebr. Missarum resol.* 69.

(i) *Ponit Purificatorium* Neque nomen purificatorii, neque rem apud antiquos de Ritibus Scriptores inveni. *Durand. lib.* 4. *c.* 55. perfusionem digitorum appellat purificationem; & inde purificato-

rium ad extergendum digitos perfusos, & Calicem dictum esse patet. *Burchard.* vocat purificatorium.

Quærunt, an sit benedicendum: negat *Suarez* 3. *part.* 81. *sect.* 8. Quare nec in Ritualibus invenitur Benedictio propria, sicuti neque veli, neque bursæ Corporalis, de quibus statim dicemus: ratio esse potest, quia sine his videbatur Sacrificium non incommode fieri posse: utebantur enim parvis mantilibus a manipulo diversis, ad tergendas manus, & mappulis quibusdam, *Ex Beda in Collect. cap. de septem Ordinibus*, quas & tenebant manibus, *ex Durand. lib.* 3. *cap.* 6. sed decentius fit proprium adhibendo purificatorium; quod ut ab aliis lineis pannis ad tergendas manus dignoscatur, convenit, ut in medio illius pingatur Crux, *ut in Conc. Provinciali* 3. *Mediol. in instruct. supell. lib.* 2. *fuit decretum.*

(l) *Cum Hostia.*) De hac plenius, & commodius infra *tit.* 7. *num.* 2.

(m) *Parva palla linea.* Ad differentiam Corporalis, quod & Palla dicebatur, *Can. Sacratas, dist.* 23. *ex Sother.* nam erat Corporale magna palla; palla vero a palliando, *Durand. lib.* 4 *c.* 29. vestimentique genus est, *ex Baisio de re vestiaria c.* 13. Cæterum *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 56. eam distinguit a corporali, quatenus Calicem tegit: antiquitus enim Corporale quoque tegebat Calicem altera sui parte, *ibidem.* * S. Anselmus antiquior, *in lib. de divers. Sacram.* putat tutius, quod Calix operiatur, ne aliquid indecens in illum cadat: ergo eo tempore palla fuit in usu apud aliquos: quia non præcipit, sed suadet Anselmus, quod est tutius, geritque vicem Corporalis, sed divisi: quare & ejusdem materiæ debet esse, cujus est Corporale, de quo paulo post dicemus. Cur autem vulgo *Animetta* vocatur? Auctor Græcus, *in Liturg. quadam cit. a Vicecom. lib.* 7. *c.* 5. eam vocat Psichiam, & Phsichi significat animam; vel quia intra Corporale plicatum asservatur, quasi anima intra corpus.

* Qui duplicem adhibent pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hostia, approbante, ut ajunt, Summo Pontifice, non sunt reprehendendi; non tamen imitandi sunt ab aliis sine Pontificia facultate: esset enim additio Ritius, est a Pio V. prohibita.

(n) *Tum velo serico.* De hoc antiqui. *Clem. Can.* 72. ubi quia lavari jubetur, e lino conjicitur fuisse. Pepli, sudarii, vel aeris, quo operiuntur Sancta, meminit *Chrysost. in Liturgia*: vocat *S. Germanus in Theoria* velamen, & velamentum; & significare docet aerem tenebrosum noctis Passionis Domini, seu lapidem monumenti. Sericea vela donata fuerunt Hormisdæ ab Epiphanio cum Calice gemmato; de quo supra, *ut in epist.* 1. *Hormisdæ*; & benedici solita cum aliis vestibus puto, quia *in Can. cit.* 72. sanctificata dicuntur: docet *Amal. præfat.* 2. *ad lib. de Eccles. Offic.* apud Romanos Calicem involutum sudario ad Altare porrigi; velumque inde dicitur, quia velando Calicem, ejusdem etiam velata esse Mysteria signat.

* *Victorianus Premol. in memor. Cler. part.* 3. *cap.* 7. numerat velum hoc inter alia necessaria sub mortali, nullo auctore, nulla ratione allata; quod non placet ex dictis supra, cum de purificatorio ageremus.

(o) *Bursam.* Peram vocat *Chronicum Moguntin.* Sed Bursam *Burchard.* convenitque, ut Crucem in medio habeat, ut mos est. Non videtur in usu fuisse ante Concilium Rhemense, in quo *cap.* 5. jubetur recondi Corporale simul cum libro, seu cum Calice: quæ vero pars ejus aperta est, in hoc casu Celebrantem respiciat, velo anteriori super eam revoluto, ut Calix commodius deferri queat a Sacerdote ad Altare: intra quam bursam (alias superflua bursa est) omnino recludatur Corporale (neque gratis distinguas, utrum plures, an pauciores in Ecclesia dicantur Missæ) ut cautius, & decentius Corporale deferatur. Pius V. dispensavit cum Hispanis, ut extra bursam Corporale portari queat; *ex Hieron. Cantono in suo Ordinario Divin. Offic.* Vereor ergo, ne pigeat aliquos educere Corporale de bursa; & quid si in via in terram cadat?

(p) *Corporale plicatum.* Palla dicitur a *Clem. epist.* 2. *ad Jacobum.* Syndon *ab Isid. Pelus. lib.* 1. *cap.* 123. Palla Corporalis *in Ord. Rom. tit.* de *Pallis.* Corporale vero dicitur, quia in eo ponitur Corpus Christi. *Alcuin. cap.* 2. *de Celebr. Missæ*, ejusque auctor est Eusebius Papa ante Silvestrum, quem communiter auctorem dicunt: *Lege Burchar. lib.* 3. *Decret. cap.* 99. Sixtum auctorem facit *Polid. Virg. lib.* 6. *cap.* 12.

Ex lino debet esse, *c. Consulto, de Consecr. dist.* 1. *ex Epist. Euseb. & Silvest.* quia Syndonem Christi repræsentat, *ibidem.* Ex cannabe fieri posse concedit *Azor. lib.* 10. *c.* 28. *qu.* 8. neque debet misceri alia materia etiam pretiosiore, *ex Concil. Rhemens. c.* 3. sed hoc intellige in inferiori parte tam Corporalis, quam pallæ parvæ: nam in illius extima, & pallæ superiori parte potest sericum, & aureum addi; ut ait *Suar.* 3. *par. disp.* 81. *sect.* 6. Nunc ara breviori facta, brevius etiam est Corporale, quam apud antiquos.

Quod attinet ad plicaturam Corporalis, docet *Alcuin. loc. cit.* ita plicandum esse, ut nec initium, nec finis appareat; quod & hodie observatur ab accuratioribus in Ecclesiastica disciplina: quia, inquit, Corporale significat Linteamina, & Sudarium præsertim capitis Christi. Cum autem caput Christi sit Deus, qui nec initium habet, nec finem; eadem, ut in Corporali sacra palla pallientur, & abscondantur, quam maxime decet.

(q) *Simul cum palla benedictum. Cap. Consulto, de Consecr. dist.* 1. neque benedicitur palla separatim, quia est unum quid, & veluti pars Corporalis; nec in Pontificali datur distincta Benedictio: unde & eodem cultu veneranda sunt, & adeo, ut non modo non tangenda sint a laicis, nec a sacratis feminis. *Can. Sacratas, dist.* 23 *ex Sothe-*

Sothero, ut Damasus ait; non ex Sixto, ut ait Platina; sed neque lavanda ea sunt in communi vase, ut statuit S. Clemens, & *in Ord. Rom.* habetur ejusdem Decretum. Possunt quidem Corporalia tangi post eorumdem Benedictionem, & lotionem, sed non post usum: neque post lotionem iterum debent benedici. *Silvest. verbo Corporalia.* Si vero immunda adhibeantur notabiliter, peccatum mortale est *Emmanuel Sa, verbo sacra num.* 5. & est Communis. De eorumdem vero vetito contactu, an sit peccatum mortale, dic, ut supra de Calice.

Novæ Observationes, & Additiones &c.

I. Gavant. lit. c — *Et tempore Paschali additur Alleluja.*) Ita etiam ad finem cujuscumque Psalmi debet dici *Gloria Patri*, tempore Passionis, excepto ultimo triduo; quia hujusmodi preces Rubricas Officii, non vero Missalis sequuntur. Hippolytus a Portu, de cultu Dei, & hominum, &c. *tit.* 1. *Rubr.* 1. *num.* 3.

II. Gavant. lit. e — *Lavat manus &c.*) Hinc deducitur errare omnes illos, qui statim lavant manus, & deinde accipiunt Missale: Missamque perquirunt, & signacula ordinant: hæc enim omnia debent peragi ante manuum lotionem; & deinde manibus lotis præparandus est Calix. Philippus Angeli, in Praxi Missæ Privatæ *par.* 1. *tit.* 1.

III. Gavant. lit. f — *Porro in Calice argenteo consecrasse dicitur Christus.*) Quamquam hoc asseratur a Baronio ex Beda A. C. 34. *n.* 63. veretur tamen rationabiliter Gavantus, ne Calix hic (de quo loquitur Adamnamus Abbas *l.* 1. *de locis sanctis c.* 8. non autem Beda, ut sibi Baronius persuasit) sit ille, quem Christus adhibuit, quando sacratissimam Eucharistiam instituit. Et revera Chrysostomus, *Homilia* 51. *in Matthæum*, asseverat Calicem Domini, nempe in quo Christus Dominus Eucharisticum Sacrificium peregit, non physice, sed mystice pretiosum fuisse; negatque ex metallo nobiliori factum esse his verbis: *Non erat ex argento illa Mensa, nec ex auro ille Calix, quo Christus Discipulis Sanguinem præbuit suum: pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia spiritu abundabant.*

IV. Gavant. ead, lit. f — *Nunc lignei Sacerdotes aureis Calicibus, &c.*) Negari non potest fuisse in veteri Ecclesia usum Calicum ligneorum: interrogatus siquidem S. Bonifacius Episcopus Moguntinus in Concilio Triburiensi sæculo 9. habito, an in vasculis ligneis liceret Sacrificium peragi? Respondit, ut refert hic Gavantus: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.*

Verum Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 25. *rerum Liturgicarum* censet ex verbis Bonifacii inferri non posse usum lignei Calicis fuisse communem in primitiva Ecclesia; sed credit S. Antistitem, potius zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse. Sed quia Concilium Triburiense statuit, ne quis deinceps Sacra Mysteria in ligneis vasculis conficere præsumat; & quia Canones quoque editi in Anglia sub Edgaro Rege *c.* 41. Calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omnino in ligneo fiat Consecratio; hinc idem Cardin. Bona fateri cogitur saltem in aliqua Ecclesia, vel propter rerum penuriam, vel propter Sacerdotum incuriam, invaluisse usum Calicum ligneorum.

Qui plura scire desiderat de Sacrorum Calicum antiquis Ritibus, materia, forma, variis speciebus & denominationibus, perlegere poterit ea, quæ tradunt eruditissimi viri Joseph Vicecomes de Missæ apparatu *lib.* 6. *cap.* 8. *usque ad cap.* 17. *inclusive:* Casalius de veteribus Sacr. Christianorum Ritibus *cap.* 11. Card. Bona *loc. cit.* Andreas Du-Saussay, in sua Panoplia Sacerdotali *lib.* 8. *a pag.* 182. *usque ad pag.* 281. noster P. Aloysius Novarius in *l.* 5. *Sacrorum Electorum cap.* 94. 95. 96. Antonius Bellotte in suis observ. ad Ritus Eccl. Laudunensis *pag.* 446. *& seq.* Joannes Ciampinus in tract. de pane azymo, & ferment. &c. *pag.* 169. 175. 179. Lazarus Bocquillot in tract. Hist. Liturg. Sac. Gallice exarato; Carolus Du-Fresne in Glossario; Dominicus Georgius Liturg. Roman. Pontificis disquisit. de Sac. Minist. *cap.* 3. *& inter* Heterodoxos Joannes Dougheti Anglo Britannus *in lib.* cui titulus *de Calicibus Eucharist. veterum Christ.* impresso Bremæ, anno 1694. in 8. necnon Gothof. Voigt. in suo libro de Altaribus veterum Christianorum *cap.* 12. *num.* 10. *& seq.*

V. Gavant. lit. g — *Patena adhibita tunc temporis pro Pyxide.*) Patenæ, quæ antiquitus pro Fidelium communione deserviebant, Ministeriales vocabantur & quia tunc omnes in Missa communicabant, amplæ adhibebantur: nunc autem, quia pauci in Missa communicant, minor Patena rite adhibetur, quæ a Græcis Discus appellatur. De Patenarum ministerialium, vel communicalium usu, materia, forma & consecratione, vide mox allegatos eruditissimos Auctores, nimirum Josephum Vicecomitem ibidem *a cap.* 18. *usque ad cap.* 26. Card. Bona *cit. loco* §. 3. Andream Du-Saussay *l.* 9. *a pag.* 281. *usque ad pag.* 300. & Aloysium Novarinum *toto cap.* 97. quibus adde Joannem Mabillon Comment. in Ord. Rom. §. 8. & Dominicum Georgium *loc. cit.* Hoc loco animadverto, antiquitus duplicem in Missa Patenam adhibitam fuisse, unam ad Cleri, alteram ad Populi communionem, ut constat ex Ordine Rom. 5. *pag.* 68.

VI. Gavant. lit. h — *Vel intus de novo auro liniatur.*) Ex his Gavanti, & ex superioribus Rubricæ verbis, colligitur, Calicem debere esse aureum, vel argenteum, aut qui habeat saltem cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum Patena pariter inaurata. Verum *tit.* 10. de defectibus in ipso ministerio occurrentibus, nulla fit mentio de inauratione cuppæ argenteæ; nisi forte dicatur hoc ibi jam supponi, juxta dispositio-

nem superioris Rubricæ. Idem dicendum est de Patena, quam & intus deauratam esse decet. In Canone vero *Ut Calix* 145. *de Consec. dist.* 1. simpliciter dicitur ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat; & Claudius La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *dub.* 5. *qu.* 47. asserit, Auctores passim negare cuppam argenteam intus deaurandam esse: sed verba allegatæ Rubricæ, clare nimis loquuntur de intrinseca inauratione cuppæ.

VII. Gavant. ead. lit. h — *Idcirco Calix & Patena vocantur vasa Sacra, &c.* Ex contextu Rubricæ, & ex verbis Gavanti eruitur, aliud esse rem aliquam consecrari ab Episcopo, aliud ab eo benedici, vel ab alio facultatem habente: in Consecratione siquidem intervenit unctio Chrismatis, non vero in Benedictione: inter ea autem quæ consecranda sunt, numerantur Calices, quibus Sacerdotes utuntur in Sacrificio celebrando. De Calicibus consecrandis loquitur Innocentius III. *l.* 1. *Decretal. cap. Cum venisset*; ubi mentionem facit de unctione adhibenda in Consecratione Altaris, & expresse pariter loquitur de Chrismate, quo ungi debent Calix & Patena, quando consecrantur.

VIII. Gavant. ead. lit. h — *Hinc fit quod non omnibus licet hæc vasa tangere.*) Auctor libri Pontificalis in S. Sixto Romano Pontifice, qui ann. Domini 116. Romanam Ecclesiam regendam suscepit, asserit, dictum Pontificem constituisse, ut Sacra vasa ab aliis quam a Sacris Ministris non tangerentur, & ideo hoc vetuit, quia tam Calix quam Patena erant vasa consecrata: idem decrevit postea Concilium Laodicænum a Gavanto allegatum, & anno circiter 363. celebratum; in quo *Canone* 21. sancitum est, Subdiaconum non debere contingere vasa sacrata: & Concilium Agathense, anno 506. sub Symmacho *Can.* 66. statuit, non oportere Sacratos Ministros contingere vasa Dominica: Subdiaconis tamen data facultas ista est in Concilio Bracarensi sub Joanne III anno 563. *Can.* 10 *Placuit, ut non liceat cuilibet ex Lectoribus Sacri Altaris vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerunt ordinati.* Ex Ordine tamen Romano 5. *pag* 68. manifestum est, etiam Acolythis in Ecclesia Romana, eandem licentiam concessam fuisse.

IX. Gavant. ead. lit. h. — *Quid, si Sacerdos bona fide adhibeat Calicem non consecratum? &c.*) Diana *part.* 2. *tract.* 14. *de celebratione Missæ resolut.* 69. allegatus a Gavanto, & *part.* 5. *tract.* 16. *resol.* 60. tenet in casu prædicto, Calicem non consecratum non egere amplius consecrari, & eandem sententiam tuentur Crimarchius, Peyrinus, & alii, quos citat, & sequitur Niger in Addit. ad Ruiz *par.* 6. *animad.* 8 *numer.* 4. Alii vero idem etiam esse dicendum sustinent, etiamsi mala fide quis celebret in Calice & Patena non consecratis. Ita Sa *verbo Eccles. numer.* 19. Tambur. opusc. de Sacrific. Missæ *lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *num.* 2. quibus adhærere videtur Henricus Pisart in appendice, ad expositionem Rubricarum Missalis *num.* 5. ea ratione motus, quia ad rationem peccati quidem in similibus aliquid facere potest bona fides, quod non facit mala fides, nimirum, qui ignoranter Calice non consecrato utitur, utique non peccat; si vero scienter, & mala fide Calicem non consecratum in Sacrificio peragendo quis adhibeat, a gravi peccato non excusatur. Cæterum, si in primo casu ratione contactus Sacramenti Eucharistici consecrantur Calix & Patena; ratione ejusdem contactus, etiam in secundo casu, eadem Altaris vasa consecrata evadent, & apta ad Sacrificium reddentur.

Attamen Cardin. de Lugo *de Euch. disput.* 20. *num.* 91. Suarez *disput.* 91. *sect.* 7. §. *Alia autem forma*, & alii, quos citat, & sequitur Paulus Maria Quarti in Commentariis ad Rub. Missalis *p.* 2. *tit.* 1. *dub.* 3. & mox laudatus Pisart, ibidem, negant in dictis casibus vasa non consecrata, non indigere alia Consecratione: quia ea, quæ pendent ex institutione Ecclesiæ, non possunt suppleri alio Ritu diverso ab eo, quem Ecclesia designat, & determinat. Cum autem Consecratio, qua vasa Altaris redduntur apta ad Sacrificium, fuerit instituta ab Ecclesia sub certis & determinatis Ritibus, & verbis per determinatas personas adhibendis; hinc fit, quod non adhibitis tali Ritu & tali forma verborum, per idoneam personam, nunquam evadunt vasa consecrata, id est Calix & patena non redduntur apta ad Sacrificium: & quamvis Sacramentum Eucharistiæ sit dignissimum plus quam sit unctio Chrismatis, & Benedictio Episcopalis; nihilominus non habet alios effectus, quam quos ipse Christus illi attribuit suo fini proportionatos. Quapropter non habet effectus aliorum Sacramentorum, nec Sacramentalium, quæ ex libera institutione Ecclesiæ dependent. Juxta hanc sententiam etiam Corporale, mappæ, & vestes sacerdotales, quæ vere benedictæ non sunt, proportionaliter tales non evadent, nisi per Benedictionem in eum finem ab Ecclesia institutam: & Templa non consecrantur per Missas in eis dictas, sed per solam formam & Ritus ab Ecclesia institutos ad Consecrationem inducendam in Templa prædicta.

X. Gavant. i — *Quærunt: At sit benedicendum? &c.*) Quamvis Suarez teneat purificatoria non esse benedicenda; nihilominus ex verbis Gavanti, & ex ratione ab ipso allegata concludendum videtur pro Benedictione purificatorii, cum Sacrificium sine eo commode fieri non possit, cui accedit, quod quamvis non assignetur peculiaris Benedictio pro velis; dicat tamen se existimare ea cum aliis vestibus benedici solita, ut videre est inferius ubi loquitur de velo serico, &c. Sed fortior ratio, quæ militat pro Benedictione purificatorii, quia magis propinque Sacrificio inservit purificatorium quam velum: ut optime ponderat Pisart *loco superius citato num.* 6. ubi subnectit,

nectit, quod cum quandoque aliquæ particulæ Corporis, aut guttæ Sanguinis Dominici purificatorio adhærere possint ex Calicis extersione, aut abstersione digitorum in negligentibus præsertim, & minus accuratis Sacerdotibus; hinc eadem benedicenda esse censet, nec laicorum manibus tractanda, adhærens sententiæ Layman *tract.* 5. *c.* 6. Quoniam vero purificatorii pariter peculiaris non reperitur Benedictio, sumatur, inquit, una, quæ convenientior apparet, v. g. Benedictio linteaminum, mutata in secunda oratione, voce *Altare*, in vocem *Calicem*. De his, & aliis Benedictionibus paramentorum, infra cum eodem Gavanto sermonem habebimus.

XI. Gav. lit. m — *Antiquitus enim corporale quoque tegebat Calicem altera sui parte.*) Verissimum est, quod antiquitus Corporalia longiora & latiora fuerunt, quam nobis sint in usu: unico enim Corporali tota tegebatur ara, & a parte posteriori supra Calicem elevabatur, eumque contegebat; & hæc vocabantur pallæ, nec aliæ a Corporali distinctæ tunc adhibebantur pallæ; talibusque magnis Corporalibus adhuc utuntur PP. Carthusiani antiquis Ritibus addictissimi, necnon Ecclesia Lugdunensis in Gallia; ut refert D. Du-Moleon, in suis itineribus Liturgicis Gallice exaratis, *pag. mihi* 57. *& pag.* 60. Ita pariter viget hic usus in Ecclesia Sanctæ Crucis Aurelianensi, ut tradit idem Auctor *pag.* 200. & in Ecclesia B. V. Rothomagensi, ut idem refert *pag.* 286. & hinc est, quod Joannes Stephanus Duranti *lib.* 1. *de Eccl. Ritib. c.* 12. *n.* 8. asserit Romanos, Italos, & Alemannos duobus Corporalibus uti, quorum utrumque pure lineum esse debet; Gallos vero uno tantum. Nomine secundi Corporalis intelligitur parva palla, quæ nunc communiter adhibetur ad Calicem contegendum, quæ est a Corporali distincta, sed ejusdem materiæ cum ipso, cum quo pariter benedici debet, ut inferius dicetur. Agit erudite de Corporali Joseph Vicecomes *vol.* 4. *suarum observ. Eccl. lib.* 7. *c.* 11. *& seqq.* Card. Bona *lib.* 1. *c.* 25. §. 11. Antonius Bellotte *in suis observ. ad Ritus Eccl. Laudunensis p.* 454. *& seq.* Claudius de Vert. *tom.* 3. *super Rubr.* 69. Lazarus Andreas Bocquillot *in suo tract. histor. de Sacr. Liturg. l.* 1. *c.* 5. *p.* 88. Videri etiam possunt Ordo Rom. 1. *n.* 12. & Ordo 2. inter evulgatos a Jo. Mabillon *num.* 9. Item Ordo 6. *n.* 7. qui ibi de Sacris Corporalibus mentionem faciunt.

VII. Gavant. ead. lit. m. — *Qui duplicem adhibent pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hostia, non sunt reprehendendi.*) Hic usus duplicis pallæ, unius ad cooperiendum Calicem, alterius, super qua collocatur Hostia, ante & post Consecrationem, usque ad usum Patenæ, ut facilius colligantur fragmenta; hic, inquam, usus a S. Cajetano & Paulo IV. Summo Pontifice Congregationis nostræ conditoribus, ipso nascenti Religionis suæ exordio invectus fuit, & a Clemente VII. Pontifice Maximo approbatus; ut late ostendit Joseph Silos in Histor. ejusdem Congregat. Cleric. Regul. *tom.* 2. *lib.* 9. *pag.* 390. *& seqq.* necnon Franciscus Magius in suo Galateo Religioso *disqu.* 20. Et Pasqualigus de Sacrificio novæ Legis *qu.* 792. Hunc nobis alterius pallæ usum commendarunt pariter alii Summi Pontifices, necnon nonnulli Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & denique Petrus Ruiz, de præparat. Sacerdotis §. 11. *fol.* 266. ac Joannes Alcozer tract. de Missa Privata *Class.* 1. *fol.* 960. Trimarcus in Cærem. & Niger in addit. ad Ruiz *part.* 1. *præsup.* 3. *qu.* 10. quos refert laudatus Magius, cit. loco.

XIII. Gavant. ead. lit. m. — *Non tamen imitandi sunt ab aliis, &c.*) Hinc Gavanti sententiæ neganti hujus pallæ usum aliis Sacerdotibus, adhærent noster Megalius *tom.* 2. *variar. resol.* 199. & Paulus Maria Quarti in Rubricas Missalis *par.* 2. *tit.* 5. *sect.* 3. *dub.* 4. cui videtur talis Ritus permissio personalis; & ideo personas, quibus permittitur, non egrediens. Sed his non obstantibus in nostris Ecclesiis, omnes externos Sacerdotes hanc pallam posse in Divinis Mysteriis usurpare, tenent ex nostris Molphesius in Summa *tract.* 9. *cap.* 11. *n.* 61. *& seqq.* Joseph Silos, Franciscus Magius locis citatis, & Paschalius de Sacrif. Missæ *qu.* 793. hac ratione permotus, quia usus hujus pallæ sub Hostia non importat diversum Ritum a Romano, sed potius accessionem quamdam ad eundem Romanum Ritum coadjuvandum, ut decentiori modo se habeat. Rursus ex eodem Pasqualigo, hujus pallæ usus sub Hostia invectus est; ut fragmenta super ipsa remaneant, & possint facilius colligi, & in Calicem immitti. Et proinde talis usus est inductus tanquam observantia interpretativa ordinarii Ritus, reducens ipsum ad majorem commoditatem colligendi fragmenta. Siquidem Ritus ordinarius est, quod Hostia ponatur super Corporali; & hic Ritus observatur secundum substantiam: sed addit circumstantiam, quod ponatur super parte Corporalis, tanquam sejuncta a reliquo Corporali, quia ratione circumstantiæ hujusmodi provenit facilior collectio fragmentorum. Igitur, cum declaratio virtualiter contineatur in declarato, ut observant Deciatus *Consil.* 243. *in fine*, Socin. Jun. *Consil.* 95. *n.* 74. hinc potest unusquisque sequi hanc interpretativam observantiam, seu declarationem, ubi eam reperit: quia non erit sequi novum Ritum, sed ordinarium declaratum ab observantia. Hanc Pasqualigi sententiam, quoad hanc partem non improbat Tonellius in suo Sac. Ench. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 6. nec Bulla S. Pii V. *in Missali Rom.* edita hunc Ritum, & hanc consuetudinem abrogavit; sed potius excepit illis verbis, nisi consuetudo ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata sit; id quod observat Pasqualigus *in citata quæst.* 793. ubi pariter negat contra Paulum Mariam Quarti, quod talis Ritus, seu pallæ usus sub Hostia, dicendus sit personalis, quia non continet aliquid concessum personis; sed est ipsemet Ritus Roma-

nus, cum circumstantia speciali declarativa; seu sic interpretatus, ut commodiori modo, & decentiori peragatur.

Idem Pasqualigus in eadem quæstione sustinet etiam omnes eos, qui Ritui Romano non sunt addicti, posse usurpare hunc pallæ usum in quibusvis Ecclesiis: quia etiam ipsi possunt recipere aliquam interpretationem, seu additamentum circumstantiæ supra Ritum proprium, quod concernat majorem decentiam, & securitatem, nimirum, ne Sacræ Hostiæ fragmenta pereant. Idemque ibidem asserit multo magis probabile esse, quod unusquisque Ritui Romano addictus, extra Clericorum Regularium Ecclesias amplecti possit hujus pallæ usum, ob supradictam rationem; & hanc eandem sententiam docuit, suasitque ad praxim deduci doctissimus Cardinalis Baronius Sacrorum Rituum zelo, & peritia nemini secundus: quippe cum Turiosane (ut refert Silos *tom.* 2. *Historiæ Cong. Cler. Regul. lib.* 9. *fol.* 389.) *Quæ urbs est in Aragonia, Sacra administraret Didacus Yespes, Antistes qua doctrinis, qua probitate conspicuus: torquebat hunc ea maxime cura, ne quid fragmentorum e Missæ Sacrificio deperiret. Videbantur namque sibi haud ita accurate colligi posse, quin diligentiam aliqua effugerent. Cumque cresceret in dies stimulus, atque acriter vellicaret, perscribere ad Cæsarem Cardinalem Baronium rem statuit; ratus fore, ut vir sapientissimus, aut præsenti aliquo remedio fragmentorum jacturæ occurreret, aut saltem animum componeret plus nimio anxium. Et Baronius quidem cum alia quædam in rem opportune Episcopo significavit; tum illud addidit, percommodam nempe fore pallam, qua ex laudabili instituto, Regulares Clerici uterentur. Quod ubi Antistes reipsa comprobavit, & adhibuit ipse Ritum, & in morem sua in Ecclesia subinde induxit, qui hodie perdurat.* Hactenus Silos. Exemplum literarum Cardinalis Baronii fatetur laudatus Magius apud se habuisse; & adstruit in Archivio illius Cathedralis Ecclesiæ Turiasonensis autographum extare.

XIV. Gavant. eadem lit. m — *E lino conjicitur fuisse.*) Quamvis antiquitus velum, quo Calix tegebatur, lineum fuerit, præscribitur tamen a Rubrica velum Calici imponendum, debere esse sericum coloris convenientis.

III. Gavant. lit. q. — *Neque benedicitur palla separatim.*) Certissimum est corporalia simul cum palla esse benedicenda una & eadem Benedictione: & sicut præscribitur hoc de palla, qua tegitur Calix, idem dicendum est de altera palla, qua utimur nos Clerici Regulares, de qua mox mentionem facimus. Rursus advertendum est sub die 22. Januarii, anno 1701. emanasse hoc Decretum. In Sacrificio Missæ non est adhibenda palla a parte superiori drappo serico cooperta. Ita S. R. C. in una *Camaldulensium ad* 6. *dubium* — Pallæ igitur, quamvis modo a Corporali sejunctæ, semper tamen debent esse ex eadem materia confectæ, ac Corporalia ipsa, nempe ex candida subtili, sed firma tela, semperque etiam nitidæ, & mundæ esse debent.

XVI. Gavant. eadem lit. q — *Unde & eodem cultu veneranda sunt.*) Hanc sequelam, quam ex Canone *Sacratas de Consecr. dist.* 1. deducit Gavantus, non approbat Henricus Pisart in sua appendice superius citata §. 6. quo ad pallam Calicem tegentem, scilicet eodem cultu venerandam esse, quo Corporale: alia siquidem res erat, quando non separabatur ab ipso Corporali. Quidquid tamen sit de intellectu præfati Canonis, quia talis palla immediate Christi Sanguinem respicit, & tegit, in veneratione semper eam haberi decet. De altera vero palla, quam nostra adhibet Congregatio, super qua ponitur Hostia consecrata, nemini dubium esse potest, quin summa veneratione sit contrectanda, & non possit a laicis, neque a sacratis feminis tangi, nisi post ejusdem ablutionem ab aliquo Diacono factam; ut de Sacris Corporalibus præscribitur in capite, *Nemo per ignorantiam, de consecr. distinct.* 1. *ubi ita disponitur: Pallas vero, & vela Sanctuarii si sordidata fuerint, ministerio Diaconi cum hominibus Ministris intra Sanctuarium lavent, non ejicientes foras a Sacrario: & velamina Dominicæ mensæ abluant: ne forte pulvis Dominici Corporis male decidat, &c.*

Utrum autem graviter peccent Sanctimoniales, ac laici, qui Corporalia primum lavant, controvertitur a Doctoribus. Affirmativam sententiam tuebatur Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 8. *diffic.* 29. *n.* 5. & eos a mortali solum excusat, qui summis digitis sic prehendunt, ut nihil nisi extrema contingant, neque manus aut digitos in eandem aquam immittant. Venialiter vero peccare Sanctimoniales, & laicos, si Corporalia, purificatoria, & pallas in prima lotione lavant, censent Ludovicus a S. Joanne *in summa quæst.* 11. *de Euchar. art.* 19. *dub.* 2. *diffic.* 3. Paulus Maria Quarti *in Rubricas Missalis par.* 2. *tit.* 1. *sect.* 2. *dub.* 6. necnon Pasqualigus *qu.* 795. hac ratione ductus: quia, quod prima lotio fiat a laicis, non dicit aliud supra lotionem, quæ fit a personis Sacris, ratione cujus prohibita esse possit quoad laicos, nisi contactum; sed si Corporalia tangantur a laicis sine contemptu, tradunt communiter esse veniale peccatum: immo quamplures, si ex causa id fiat, nullum intervenire peccatum censent: ergo idem dicendum si primo Corporalia vel a laicis, vel a Sanctimonialibus abluantur. Mox allegati Auctores, præsertim vero Pasqualigus, tenent, quod quamvis deceat, ut aqua, in qua Corporalia & purificatoria abluta sunt, in peculiarem piscinam, quæ Sacrarium appellatur, projici; peccatum tamen nullum esse, secluso contemptu, eam extra Sacrarium in locum decentem projicere, quia ea de re nullum præceptum extat; & dictum Canonem *Nemo per ignorantiam*, quoad hanc partem lotionis esse tantummodo directivum: quapropter id solum omnino servandum esse, quod exigitur ex

ipsa

ipsa natura rei, scilicet, ut ne in locum immundum dicta aqua projiciatur. Sed venia tanti viri contraria sententia est amplectenda; præsertim prima, quia in Ordine Romano allegato a Josepho Vicecomite *tom. 4. lib. 1. cap. 8. observat. Ecclesiast.* præscribitur, quod: *ubi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lavari; sed ipsa aqua in Baptisterium debet vergi.*

RUBRICA.

2 *Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quæ* (r) *non debent esse lacera, aut scissa, sed integra,* (s) *& decenter munda, ac pulchra; &* (t) *ab Episcopo item,* (u) *vel alio facultatem habente benedicta,* (x) *calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior* (y) *saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Prælatus sæcularis, supra* (z) *rochettum; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra* (a) *superpelliceum, si commode haberi possit; alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula* (b) *singulas Orationes inferius positas.*

GAVANTUS.

1 * Paramenta non debent poni in Altari, in quo Missa est facienda, nisi solis Episcopis, & Cardinalibus; ut decrevit Sac. Rituum Congregatio *die 7. Julii* 1612. Deficiente vero Sacristia, aut mensa separata, si in casu necessitatis ponantur in Altari, nunquam tamen in medio, sed in cornu Evangelii collocentur.

Birretum deponens Sacerdos, ut paramenta induat, ne illud super Missale deponat, neque super Calicem. Scopis item se purget, & mundet a pulvere.

(r) *Non debent esse lacera.* Si figura paramenti destruitur, vel inepta sit ad usum sacrum, amittitur quoque Benedictio, *arg. cap. quod in dubiis de Consecr. Eccles. vel Alt. ex Suarez, 3. part. disput. 82. sect. 2.* Cingulum ergo nondum ruptum potest nodo reparari: quod si rumpatur, altera quidem parte poteris uti; non autem toto per nodum resarcito fine nova Benedictione, quia forma amissa est: & nota, quod ligamina, quibus vere te cingis, sunt magis de forma cinguli, quam illæ ejusdem partes, quæ pendent versus terram; ut scias ferre judicium de eodem iterum benedicendo.

(s) *Et decenter munda.* Lethale peccatum admitti docet *Silv. verba Missæ 1. qu. 2. §. 3.* si enormiter quis cum immundis celebret paramentis; lavanda vero sunt in proprio vase, *ex Conc. Herd. Can. 4. de cons. d. 4. c. omnis.*

(t) *Ab Episcopo benedicta.* * Sacra vocat, hoc est benedicta indumenta ante alios primus *S. Anacletus Papa epist. 2. tum Sotherus epist. 2.* deinde Sacrata dicta sunt, *cap. Vestimenta, de Consecr. dist. 1. ex Stephano:* quod autem docet *Navar. in Man. cap. 26. n. 84.* de vestibus, intelligitur etiam de cingulo, contra *Scotum 4. dist. 13. q. 2.* An vero benedictio vestium præcipiatur sub mortali? affirmat *Navar.* & habentur *in Ord. Rom.* præter cingulorum Benedictiones, etiam omnium vestium sacerdotalium.

* Quod autem ab Episcopo sint benedicenda, docet expresse *Innoc. III. lib. 1. Myst. Missæ c. 9.* & addunt DD. Benedictionem hanc esse Ordinis Episcopalis, non jurisdictionis; quam idcirco Episcopus aliis delegare non potest sine facultate Papæ.

(u) *Vel alio habente facultatem.* Hac de re dicemus infra in proprio loco circa finem Missalis, ubi de paramentorum Benedictione.

(x) *Calceatus pedibus.* Præceptum volunt esse *Silv. verb. Missæ, & Sotus 3. dist. 13. qu. 2.* sed nonnisi ad majorem honestatem, & decentiam hoc præscribi notat *Suar. 3. part. disp. 82. sect. 3.* Ordo Romanus *de Parasceve*: non licet, inquit, Presbyterum, Diaconum, vel Acolythum ad Altare ministrare per nudos pedes: & *Exod. 13.* Cum calceamentis edebatur Agnus, quo significatur asperitas vitæ *ex Nazianz. Orat. 42.* & promptitudo ad omnia, *ex Esaia Abb. tract. 22.* laudandi vero sunt Clerici Regulares nostri, qui in Sacristia deponunt etiam communes crepidas, seu calceos, & alias, ibidem ad id paratas crepidas induunt, ad majorem nitorem, & Sacri Ministerii splendorem.

(y) *Saltem talum pedis.* Vestis Cleric. erat antiquitus etiam talaris; unde & vocatur Caracal. *Beda testante de gestis Angl. lib. 1. cap. 7. & eum exponente, Baronio, ann. 303.* In Clericis peregrinis, & rusticanis tolerandæ videntur breviores vestes; non tamen supra medium crus. *Homob. tract. 4. qu. 145.*

Vestis autem, & tonsura sunt sibi invicem correlativa, de qua *Dyon. Eccl. Hierar. part. 2. c. 3. & Baronius anno 58. num. 13.* Extat Bulla Sixti V. contra non ferentes habitum & tonsuram gravissimis impositis pœnis. Significat tonsura abjectionem terrenarum cogitationum, *Aug. lib. de contemptu Sæculi*; tum vitiorum resecationem, *Steph. Edvens. in prol. lib. de Sacr. Altaris*; tum regiam Sacerdotis dignitatem, *Isid. lib. 2. de Offic. cap. 4.* tum coronam Christi spineam, quam peccatores denotant, portandam a Sacerdote, *S. Ger. in Theoria.* De hac *Ezechiel. 16. ut legit Hier.* coronam gratiarum suscipiet vertex tuus. Concil. autem Palentinum sub Urbano VI. definivit, coronam Sacerdotis esse debere ad mensuram majoris Hostiæ. Tolet. 4. coronam Clerici ad mensuram minoris Hostiæ: ergo Diaconorum, & Subdiaconorum erit formæ mediæ.

(z) *Rochettum.* Dicebatur linea, quia ex lino, *in Ord. Rom.* & quidem hoc ordine numerantur ibi vestes Pontificis: linea amictus, linea dalmaticam (quam *ibid.* vocat albam) cinguli, dalmatica, orarium, stola, & planeta; ergo linea Pontif. ante amictum, rocchettum erat. Remansit in linea Sanctus Cyprianus prope martyrium; ex

Pontio, hoc est in rochetto, *ait Baron. ann.* 261. alii explicant in alba; sed assentior Baronio. * Quod si verum est, adhuc habes antiquiorem lineæ, seu rochetti usum apud Adonem *in Martyrol.* 26. *Novemb.* ubi Sanctus Alexander Episcopus & Martyr sub Antonio dicitur suscepisse gladium stans in linea: quo fere loquendi modo utitur Pontius in Sancti Cypriani morte. Nomen est novum, cujus synonymum est ricca *apud Cnass. lib.* 1. *cap.* 21. Gallica profecto vox. Avenione forte, cum degerent ibidem Summi Pontif. introducta: nam in Calepini dictionario septem linguarum Latina vox, Supparus, Gallice sic vertitur, Roquet. Supparus autem *ex Varrone lib.* 4. *de Latina lingua* dictus est, quod supra induatur; sicut subucula, quod induatur subtus. Ignatius Braccius a Græco deducit idiomate: Primo, ut simplex vocabulum a ῥόκα, quod, ut vetera lexica testantur, corymbi sunt ornatus gratia Sacerd. stolis annexi, atque ita dicti ob mali punici similitudinem: limbus autem rochetti lineis corymbis, aut alio simili artificio acu pingi solet. Deinde, ut vocabulum compositum, ex ῥῶ, & χιτὼν: siquidem ῥῶ particula, molle, & delicatum significat, *ut magnus ait Etymologistes*; χιτὼν tunicam significat *ex eodem*, & præcipue lineam, ita ut Rochiton, Græce, sit Latinis tunica mollior, & delicatior. Idem ab Hebræo deduci posse docet, a verbo, Rah, quod est spectare, intueri, & a nomine, *Cheram*, quod est lineum, qua ratione rochettum esset linum spectabile, seu vestis linea speciosa. Hæc ille argute. Manicas habet angustiores, ut ad opera bona manus sint expeditiores: in ceteris significationem communem habet cum superpelliceo, de quo statim scribo.

(a) *Superpelliceum.* Antiquitus induebatur hæc vestis supra tunicas pelliceas, de pellibus animalium factas, *Durand. l.* 3. *c.* 1. ad indicandam innocentiam supra peccatum Adæ, quem vestivit Deus tunica pellicea; ideoque coloris albi est hæc vestis. * Meminit *S. Hier. l.* 1. *adversus Pelag.* candidæ vestis ad usum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui Ordinis Ecclesiastici in administratione Sacramentorum: quæ vero alia inferiori Clero potuit esse communis vestis, nisi superpelliceum? Et item laxa, quia Clericalis vita debet esse in eleemosynis larga, *Gem. lib.* 1. *cap.* 232. induitur supra communes vestes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: & habet formam Crucis, ut Passionis Christi vestigia imitetur Ecclesiasticus. *Durand. loc. cit.* qui, & *cap. seqq.* in superpelliceo, veste prima ante amictum, intelligit fidem.

Sed unde cotta dicitur? Hetrusci vocant cottam quam vestem, & togam Latini appellant. Joachimus Perionius *de linguæ Gallicæ cum Græca cognatione l.* 3. vocabulum Gallicum, *Cotte*, a Græca voce deducit χιτωνίσκα, quæ tuniculam significat; mutatisque inter se litteris duabus factum esse ait, Gothinium, χιτώνιον autem est diminutivum a χιτὼν, de quo diximus supra, cum de rochetto. Pagninus *in Enchiridio* ait, *Chitam*, vel *Chetam* significare linum, unde & *Chitana*, idest tunica linea; quamquam *Angelus Canonius* putet hæc Punica potius esse vocabula, quam Hebræa. Ignatius Braccius addit, non incongrue *a cottis*, quod apud Dores caput significat, *ex Rodig lib.* 7. *cap.* 23. cottam dici posse, eo quod in eam caput primo inferatur; mox reliquo corpore velato solum fere caput ex ea conspiciatur exertum. Extendebatur ultra medias tibias superpelliceum Clericale, *Conc. Basil. sess.* 21. & camisia ideo dicta est *a Codino de Offic. Constantinopolitanis*, *apud Buleng. lib.* 2. *cap.* 59. ad usum Lectorum, & Psalmistarum.

(b) *Singulas Orationes. Severus Alexandrinus* meminit precum ad sacras vestes induendas. *Steph. Edvens. de Sacram. Alt. cap.* 10. habet eandem precem ad manipulum, qua nos utimur. *Chrysostom. in Matth. homil.* 38. indicat recitari aliquas preces; & certe convenit, cum sint hæ sacræ vestes ad Sacrificium ordinatæ.

Concordant Orationes hæ majori ex parte cum significationibus vestimentorum sacerdotalium tropologicis, seu moralibus, quas antiqui tradidere, & nos infra enarrabimus. Sed dubitari potest, an Orationes originem ducant a prædictis interpretationibus; an vero interpretationes ab Orationibus? Crederem ego, Orationes omnes, ut sic ad Missam præparatorias, longe posteriores esse, etiam post Durandum, qui sequutus antiquiores, de stola scribit significare jugum Domini, & casulam charitatem, *citato Ordine Rom. in Ordinatione Presbyteri*; quæ interpretationes discordant ab Orationibus hodie dicendis ad stolam & casulam induendas: illam enim in Oratione appellamus stolam immortalitatis; hanc vero jugum Domini suave. Sensus autem dictarum Orationum patebit, cum infra de Mysteriis vestimentorum agemus in fine hujus tituli.

Neque debent omitti hæ preces sine causa; alias lethale peccatum est *Navar. c.* 25. *n.* 73. licet *Burchard. Decretorum etiam Doctor* moneat, non ex præcepto, sed ex devotione eas dici solita esse. Excusat *Suarez disp.* 82. *in tert. part. initio.*

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

XVII. * — *Paramenta non debent poni in Altari, in quo Missa est facienda, nisi pro soli Episcopis, & Cardinalibus.*) Non solum Episcopi, & Cardinales, sed etiam Prælati Episcopis inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, Sacras vestes ex Altari sumere possunt; sed solum quando Pontificaliter Divinis vacaturi sunt; prout declaravit & decrevit Sac. Rit. Congr. 27. Septembris 1659. in decr. gen. §. 11. quod datum est in nostro Indice *sub n.* 548.

XVIII. Gavant. lit. y — *Vestis autem, & tonsura sunt sibi invicem correlativæ.*) Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. *de Reform.* & *sess.* 22. *cap.* 1. pariter *de Reformat.* varia præscribi de-

de vestibus, & tonsura clericorum. Accedunt pariter in omnibus Diœcesibus varia Decreta Synodalia, & Episcoporum sanctiones, quibus Clerum suum ad decentiam, & vestium Clericalium modestiam instruunt, & dirigunt. Præsertim vero in Concilio Romano celebrato anno 1725. a Benedicto Papa XIII. *tit.* 16. *cap.* 3. sancitum est, quod qui ignominiam sæcularis habitus, & comas capitum pro Christi amore deposuerunt, veste ac tonsura Clerici congruente semper utantur, comamque fictitiam, vulgo *Perucca*, aut *Cerchietti* vulgo *Girelli* nunquam adhibeant. Sed ante præfati Concilii sanctionem editum jam fuerat decretum, in quo præscribitur, quod — Missa non potest celebrari cum cæsarie ficta — Ita S. R. C. 3. Augusti 1652. *in Mileviana.* Datur hoc Decretum in nostro Indice *sub n.* 309.

XIX. Gavant. lit. z — *Rochettum dicebatur linea &c.*) Statutum est, quod — Regulares rochettum non deferant, nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat — Ita S. R. C. die 27. Septembris 1639. in Decreto generali §. 9. & in nostro Indice datur hoc Decretum sub *n.* 346.

RUBRICA.

3 *Ac primum accipiens* (c) *amictum circa extremitates & cordulas* (d) *osculatur illum in medio, ubi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit cordulas sub brachiis, & circumducens per dorsum ante pectus reducit, & ligat. Tum* (e) *alba induitur, caput submittens; deinde* (f) *manicam dextram brachio dextro, & sinistram sinistro imponens, albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, & a lateribus, hinc inde*, (g) *& cingulo per Ministrum a tergo sibi porrecto se cingit. Minister elevat albam supra cingulum circumcirca, ut honeste dependeat, & tegat vestes: ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter supra terram æqualiter fluat. Sacerdos* (h) *accipit manipulum*, (i) *osculatur Crucem in medio, &* (l) *imponit brachio sinistro, deinde ambabus manibus* (m) *accipiens stolam simili modo* (n) *deosculatur, & imponit medium ejus collo, ac transversando eam* (o) *ante pectus in modum Crucis* (p) *ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram; & partem a dextro humero pendentem ad sinistram; sicque utramque partem stolæ* (q) *extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.*

GAVANTUS.

(c) *Amictum.* Ab amiciendo dicitur amictus Anabolagium, ambolagium, anagolagium, humerale, & amictus eadem sunt *in Ord. Roman.* Superhumerale dictum est *ab Alc. de cap. Quid signif. vest.* Humerale *ab Honorio quoque in Cem. lib.* 1. *cap.* 201. quia humeros tegit. *Raban.* 1. *Instit. Cler. cap.* 15. vocat Ephod Bat, & esse ab Hebræis deductum ad nostros scribit; eo Apostoli sunt usi. Orale, de quo *Innoc. III. c.* 53. putat Vicecomes esse amictum; sed idem Innoc. distinguit ab amictu, *de quo cap.* 50. hic enim ante albam, illud post albam induitur: diversa est utriusque forma, ut Romæ videre est; & orale quod hodie dicitur, fanon, *a Marc. in Cærem. Pap. lib.* 2. *cap.* 14. est propria Papæ vestis.

Caput amictu cingitur, tum collum, dorsum, & pectus: de collo *Amalar. lib.* 2. *cap.* 17. de vittis reliqua cingentibus. *Gemma supra, & Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 50. Mysteria aperiemus infra.

(d) *Osculatur illud in medio.* Cruces in vestibus sacerdotalibus adhibitas esse a tempore Sancti Marci Papæ, *tradit Baron. ann.* 336. hodie in amictu, manipulo, & stola Cruces adesse solent ad recolendam Domini Passionem: sicuti stola imponitur collo cum osculo, ut ait *Durand. lib.* 3. *cap.* 5. ita simili Ritu imponendus est capiti amictus in honorem Sanctæ Crucis. Omittant igitur hoc loco signum Crucis, quod præter Rubricam sibi faciunt quidam manu, & amictu simul a fronte ad pectus; vel signent se, antequam accipiant amictum: nam antiqui ter se signabant; *ut scribit Severus Alexandr. de Ordin. oblationis*, ante amictum, & manu tantum. Quod autem super casulam reflectitur amictus a Regularibus, indicant hunc Ritum, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 19. & *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 58. ex quo sequitur simplicis amictus usum esse valde novum.

(e) *Alba induitur.* Poderis est appellata a *Nazianzi Or.* 3. quia Græci vocant pedes, podas, & hæc vestis ad pedes demittitur *Durand. lib.* 3. *cap.* 9. camisia *ab Amalar. cap.* 18. Tunica *a Rabano loc. cit. cap.* 17. Tunica linea *ab Ivone sermon.* 3. *de indum.* Dicta quoque est Linea Dalmatica *ab eodem Ordine Romano super n.* 2. *citato*: ubi etiam & absolute Linea, quia ex lino. Denique suppatus *ab Alcuino.* Alba vero ante amictum ab Ambrosianis; a Romanis autem post amictum induitur: *ut in Liturg. Chrys. in Concil. Cartag.* 4. & *in Ord. Rom.*

(f) *Manicam dextram brachio, &c. Burch.* Motus enim naturalis a dextra est in sinistram; & creditur Christi manus dextra Crucis prius affixa fuisse, quam sinistra, *ex Beata Birgitta lib.* 1. *cap.* 10. & *lib.* 4. *cap.* 70.

(g) *Et cingulo, &c. Ord. Rom.* Cingulum nominat *Alcuin. supra* Zonam. Balteum, *Joan. Diacon. in vita S. Gregor. lib.* 4. *c.* 80. & *Gemma An. lib.* 1. *cap.* 201. Duarum ejusdem summitatum meminit *Innoc. III. lib.* 1. *c.* 37. fortasse enim tunc temporis, ut apud nos, extremitates cum ornatu erant. *Leo IV. in epist. ad Episcopos*, non meminit cinguli (quia non est vestis) inter vestes sacerdotales.

(h) *Ac-*

(h) *Accipit manipulum.* Quarto loco indui manipulum scribit aperte *Rabam. loc. cit. cap.* 18. alii vel negligunt ordinem vestium, vel Episcopalium ordinem servant. Mappulam *Ord. Rom.* appellat, qua pituita oculorum, narium, & oris detergebatur, inquit *Alcuin. loc. cit.* Sudarium *Alcuin. idem*, & *Amalar. cap.* 17. quo sudor abstergitur. Cingulum brachiale, *Ord. Rom. in Consecr. Episcop.* Fanonem *Leo IV. Epist. ad Episcop.* & *Gemma. c.* 208. Manipulum *Rup. lib.* 1. *cap.* 33. & *Hugo Victor. in Spec. cap.* 6. Phanonem, & Mantile *Rabanus de institut. Cleric. lib.* 1. *cap.* 18. qui & mappam parvam vocaverunt. Linteum, Cincticulum Sacerdotale, *Hesychius apud Bulenger. libr.* 1. *cap.* 42. Aerem *Chrysost. in Liturgic.* Decem ergo nomina certa manipulus habuit; & apud antiquos Patres in usu fuisse tradit *Concil. Rhomen. apud Burchardum lib.* 2. *cap.* 50. nomina quidem sunt ad placitum, sed res eadem est apud prædictos: tum ex fine, ad tergendum pituitam, & sudorem; tum ex eo, quia in læva secundum omnes portabatur.

Dubitatur: an idem sit cum manipulo mappa illa linostima, quia ex lino erat apto ad tergendum, quam concessit Diaconibus Sanct. Silvester, ut cum dalmaticis ad lævam uterentur? Affirmans sententia placuit valde Roberto Cardinali Bellarmino, quocum eam communicavimus. Vox ipsa linostima, vim facit, quasi linostoma, quæ ex duabus constat vocibus Græcis, altera significante linum, altera os: nam usus manipuli erat ad tergendum os, & oris pituitam ut diximus: *Sanct. Isidor. lib.* 19. *Orig. c.* 22. habet *Linostema*, quam dicit ibidem esse ex lana linoque contextam; & sic dictam, quia in stamine linum, in trama (hoc est subtegmine) lanam habet. Stolam volunt esse alii; *ex Damaso citato in Act. Eccles. Mediol.* de cujus tamen expositione non constat; & stola potius lævum, non lævam tegit, humerum pectus, & dextram partem convestit. Manipulus proprie lævam partem tantum ornat: fimbrias additas manipulo describit *Rupert. loc. cit.* qui primus inter Scriptores eum manipulum appellavit. Quod si hanc vocem legas apud Severum Alexandrinum, seu Stephanum Edvensem, adverte quod est interpretum vox recentiorum, non Græcorum Auctorum Ruperto antiquiorum.

(i) *Osculatur Crucem in medio.* Ut supra de amictu est dictum.

(l) *Et imponit brachio sinistro.* Concordant omnes citati Auctores, eo fine, ut brachium dextrum liberius sit ad ministerium: unde & ideo Ministri manipulos deponunt in induendo Pontifice, ut longe sint expeditiores in eo ministerio; quod notat *Durand. lib.* 3. *cap.* 5. Adde, quod dextra manu commodius tergebantur oculi & os, mappula pendente a læva manu: ligari vero debet manipulus infra cubitum, non supra, nec longius a manu: ut ex prædicto fine & usu consiat.

(m) *Accipiens stolam.* Orarium eam vocat *Ord. Rom.* in genere masculino, alii in genere neutro: quia Oratorum, hoc est Prædicatorum habitus est, *ex Alcuino supra*; quare non datur nisi Presbyteris & Diaconibus, quorum tantum munus proprium est concionandi. Ab Oratione deducit *Beda vocabulum in Collectan. cap. de septem ord.* quia in Oratione & ministerio Sacramentorum frequens est stolæ usus. Stola dicta est etiam *in Ord. Rom.* a Græco στολή, idest indumentum; vel a στέλλω, id est orno. Ad genua cadit, *ex Amalar. lib.* 2. *cap.* 20. nam licet stola esset vestis candida pertingens ad talos usque, ut ait *Auctor Gemmæ lib.* 1. *cap.* 204. tamen, introducta alba, seu camisia sacerdotali, mutata est stola in torquem, *ut ibid.* & *apud Dur. l.* 3. *cap.* 5. cum fimbriis eam describit *Rupert. l.* 2. *c.* 33. ejusque usus habetur *in Actis S. Clem. Metensis, patrui S. Clem. Papæ apud S. Antonin. part.* 1. *tit.* 6. *cap.* 26. qui stola sua cinxit draconem. Sed & *Cedrinus apud Bulenger. lib.* 1. *cap.* 38. scribit, Augustæ stolas Apostolorum fuisse repertas.

Stolam vero in Missa omnino adhibendam esse decrevit *Concilium Bracar.* 3. *cap.* 3. & *habetur* 23. *cap. Ecclesiastica.*

(n) *Deosculatur. Durand. loco citato*, ut de osculo amictus supra diximus: & imponit collo, ut torquem, ait *Gemma. loc. cit.* non longe a collo, contra quosquam; longe enim a collo est proprium Episcopi; * Premens cervicem, & utrumque humerum, ait *Conc. Bracar. citatum*: si premit cervicem, ergo prope collum.

(o) *Ante pectus in modum Crucis.* Ita *Conc. Brac. loc. cit.* quod tamen Innoc. III. tempore Romæ non observabatur: ut ipse indicat *lib.* 1. *cap.* 54. nisi forte dicamus, eum ibi loqui de stola Pontificali, in qua neque hodie observatur prædicta forma Crucis, quia Crucem pectoralem Episcopus habet.

(p) *Ducit partem a sinistro humero. Burcard.* Hoc autem est notandum diligenter; tum quia a sinistro ad dextrum latus stolæ ductio prior in memoriam revocat me esse prius Diaconum, quam Sacerdotem (stola namque Diaconalis est ab humero sinistro ad dextrum latus) sicut Episcopus prius inducit tunicellam Subdiaconi, & postea dalmaticam Diaconi, ut quasi per gradus meminerit suæ summæ dignitatis; tum quia in Ordinatione Sacerdotis eodem prorsus modo aptata fuit stola collo ejusdem ab Episcopo, & sic ad ejusdem rei memoriam est continuandum; tum quia hac ratione, si bene advertas, pars dextra stolæ formans Crucem in pectore remanet superior supra partem sinistram ejusdem, quod infra *tit.* 3. in simili casu, non casu fieri dicendum est, pollice dextero, inquit Rubrica, super sinistrum posito, in modum Crucis. Meminit autem hujus Ritus in stola distincte, *Ivo Carnot. serm. de signif. indumentorum.*

(q) *Extremitatibus cinguli*, &c. Et hoc etiam describit *Ivo ibidem cum Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 54.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

XX. Gavant. lit. c — *Ab amiciendo dicitur amictus.*) Amictus inter vestes sacerdotales hodie in Romana Ecclesia primum locum tenet; induitur enim ante omnem aliam vestem; antiquitus vero vigebat usus accipiendi amictum post albam; ut colligitur ex Ordine Romano quinto ex vulgatis a Joanne Mabillon *tom. 2. sui Musei Italici.* Missale pariter plenarium Vaticanum, annorum supra septingentorum, relatum a Dominico Georgio, loco inferius citando, præcipit pariter amictum sumendum post albam & cingulum, adjecta illa precatione, quæ refertur ab eodem Georgio. Hic usus induendi amictum post albam perseverat adhuc in Ecclesiis Lugdunensi & Mediolanensi: etenim in Missa Ambrosiana, jussu Sancti Caroli edicta, post cingulum præcipitur, ut imponatur amictus: sed Missale Romanum Vellicellaneum Sæculi 11. accipiendum amictum ante albam indicat: unde colligitur ante prædictum Sæculum in Romana Ecclesia hunc morem invaluisse induendi amictum ante albam, & quamcumque aliam vestem sacerdotalem. Præter ea, quæ tradidit Gavantus supra de amictu, videri possunt, quæ fusiori calamo exaravit Joseph Vicecomes de Missæ Apparatu *lib. 2. c. 3. & seqq.* ubi agit de nominibus variis, quibus hæc vestis appellata fuit, idem de materia, forma, vario usu, necnon de veteri more adhibendi amictum in Christianorum Sacris. Legi pariter poterunt ea, quæ de amictu tradidit Andreas Du-Saussay in Panopl. Sac. *lib. 1. pag. 1. usque ad* 8. Card. Bona *lib. 1. rerum Liturgic. cap. 24. n. 3.* Antonius Bellotte in suis observ. ad Ritus Eccl. Lugdunensis *pag.* 240. Lazarus Bocquillot in suo tract. hist. de Liturg. *c. 7. n. 4.* & recentissimus Dominicus Georgius *tom. 1. de Liturg. Rom. Pontif. cap.* 39.

XX. Gav. lit. d — *Osculatur illum in medio, &c.*) Sacerdos sibi amictum imponens osculari eum debet in medio, ubi est formata Crux; si autem careat amictus Cruce, vel mutetur, vel pollice imprimatur Crux, si commode fieri potest, ut aliquo modo Crux osculetur, Angel. *part. 1. tit. 1. n. 1. & part. 3. tit. 1. num.* 29. Osculatum amictum debet Sacerdos immediate inducere non super collum, sed prius supra caput, & deinde eo vestium collaria circumtegere. Hinc graviter invehitur Gerlacus Vinitor *part. 2. tit. 1. n.* 28. in Sacerdotes collaria sua ante celebrationem deponentes; cum Rubricæ collaria amictu tegi debere, clare præscribant.

XXII. Gav. lit. e — *Poderis est appellata, &c.*) Describit hic Gavantus albam, nempe secundam vestem sacerdotalem: verum qui plura scire desiderant de variis albæ nominibus, veteri more eam induendi, de materia, ex qua confici debet, necnon de ejusdem forma, origine, & aliis hujusmodi, evolvere poterunt Josephum Vicecomitem supracitatum *a c. 7. usque ad c.* 12. & Andream Du-Saussay, *qui toto lib. 1. suæ Panoplie Sacerdotalis, nempe pag. 13. usque ad* 34. de hac materia erudite disserit: Card. Bona *loc. cit. §. 4.* Antonium Bellotte *loc. cit. pag.* 242. Lazarum Bocquillot *cit. loc. num. 6.* & Dominicum Georgium *cit. loc. cap.* 16.

XXIII. Gav. lit. f — *Motus enim naturalis a dextra est in sinistram.*) Albæ manica dextra (elevante illam, & extendente Ministro) imponenda est brachio dextero, deposita & convoluta supra humerum sinistrum, & super brachii sinistri partem superiorem ejusdem albæ parte sinistra; ut Sacerdotis manus sinistra expeditior sit ad vestiendum dexterum brachium: postmodum manica sinistra elevata pariter a Ministro, sinistro brachio aptetur per ministerium manu dexteræ Sacerdotis, & Ministri. Ita Castaldus, Tornellius, Bonamicus, quos refert, & sequitur Hippolytus a Portu in suis adnotationibus ad hanc Rubricam *n. 6.*

XXIV. Gav. lit. g — *Cingulum nominet, &c.*) Vinculum, seu subligaculum illud, quo Sacerdotes albam præcingunt, tribus nominibus compellatum est, nimirum cingulum, zona, & baltheum, ut ex veteribus auctoribus collegerunt Joseph Vicecomes *loco superius allegato cap.* 13. necnon Dominicus Georgius *cit. loc. cap.* 17. Inter vestes missales, præfatum cingulum alii secundum, alii tertio loco collocarunt; ut tradit laudatus Vicecomes. Alia nonnulla ad hoc vestimentum sacerdotale spectantia; nimirum, qui fuerint cingulorum colores, quæ materia, quinam Ritus in eo præcingendo, quæ preces recitandæ, &c. late explicant mox allegati auctores, necnon Antonius Bellotte loco superius cit. *pag.* 245. & Andreas Du-Saussay, *toto lib. 3. suæ Panopliæ Sacerdotalis a pag.* 34. *ad* 62. Die vigesima Januarii 1701. emissum fuit a S. R. C. hoc Decretum circa cinguli materiam — Sacerdotes in Sacrificio Missæ congruentius utuntur cingulo lineo, quam serico. Ita respondit S. R. C. *in una Camaldulensium ad 7. dubium* — Et sub die 8. Junii 1709. *in una Bracaren.* ad *4. dubium*, S. R. C. declaravit Sacerdotes posse uti cingulo coloris paramentorum. Primum ex dd. Decretis datur in nostro Indice *sub num.* 555. secundum vero *sub num.* 616.

Romanus Pontifex præter cingulum adhibet etiam succinctorium, cujus nomine venit subcingulum illud, quod dependet a cingulo, quo stola Pontificis cum ipso cingulo colligatur. De hoc succinctorio mentionem faciunt Innocentius III. *lib. 1. Mysteriorum Missæ cap.* 52. & Gulielmus Durandus in Rationali, &c. *lib. 3. cap. 1. n. 4.* Honorius Augustodunensis, *Gemma Animæ lib. 1. c.* 206. Hugo a S. Victore de Sacramentis *l. 1. c.* 49. & Cardinalis Bona *rerum Liturg. l. 1. c. 24. §. 15.* qui tradit neminem hodie in Ecclesia Latina uti succinctorio, nisi solum Romanum Pontificem, quando solemniter celebrat, ac esse instar parvi cujusdam manipuli, & a sinistro latere pendere; & quidem in

Cæ-

Cæremoniali S. R. E. a Marcello Corcyrensi edito fit mentio de succinctorio Romani Pontificis *in lib. 2. c. 14.* In cæremoniali vero Episcoporum nulla fit mentio de prædicto succinctorio; nihilominus succinctorium fuisse unum ex novem ornamentis Episcoporum, tradit Div. Thomas *lib. 4. in Magistrum sententiarum distinct. 24. art. 3.* Rursus de Episcoporum succinctorio mentionem etiam faciunt Bruno Episcopus Signinus, qui obiit anno Domini 1111. necnon Sicardus Cremonensis, relati a Gregorio mox citato, qui subnectit se censere omissum fuisse succinctorium ab Episcopis, ex quo iis, ex Cæremonialis Episcoporum præscripto, stola aptetur modo diverso: nam disponitur *lib. 2. cap. 8. §. 14.* ut ad eam commodius aptandam chordulæ retro, & ante ipsi stolæ annectantur, quibus firmari possit, ne huc illucque vagetur. Hæc citatus Georgius.

XXV. Gavant. lit. h — *Mappulam Ordo Rom. appellat, quia pituita oculorum, &c.*) Cardinalis Bona *lib. 1. rerum Liturg. cap. 24. §. 5.* adstruit: quod: *Mappulæ, sive sudarii lintei usus duravit, donec in locum ejus manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est; qui propterea ejus materiæ & texturæ est, ex qua stola & planeta fieri solent.* Deinde subnectit se conjicere hanc mutationem mappulæ in manipulum secutam esse sæculo decimo, ex quo Alcuinus & Amalarius, qui sæculo nono vixerunt, mappulæ usum tunc viguisse ostendunt. Verum huic sententiæ Cardinalis Bonæ opponitur Dominicus Georgius *com. 1. de Liturg. Rom. Pontificis cap. 30. §. 3.* ubi ex aliquibus antiquitatis monumentis editis post prædicti sapientissimi Cardinalis decessum, demonstrat, manipuli nomen in ministerio Altaris antiquius esse sæculo 10. In Codice siquidem Monasterii Sancti Dionysii in Francia, sub Caroli Magni tempora scripto, inter preces ad Sacra indumenta accipienda habetur Oratio ad *Manipulum.* Ita ex Martene *part. 1. de veteribus Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 12.* colligit laudatus Georgius, qui deinde subdit, Witreddus Comes Barcinonensis & Widinilles Comitissa, anno Dom. 888. 12. Kal. Maii, quo die dedicata est a Godemaro Episcopo Ausonensi Ecclesia S. Mariæ Rivipullensi, tradiderunt eidem Ecclesiæ, vel prædicto Pontifici, id est Comites, *Calicem & Patenam de auro, Missale, Lectionarium, planetam, & albam, stolam, & manipulum.* Hæc eruit præfatus Auctor ex appendice Marcæ Hispanicæ *n. 45. pag. 817.* Præterire non debeo eundem Dominicum Georgium *in eodem eruditissimo suo opere lib. 2. cap. 5. §. 2.* referre ex Mabillon. Annal. *Bened. lib. 25. §. 33.* ad annum Dom. 781. donationem Aldegiastri Monasterio Obonensi apud Astures factam, cujus verba sunt: *ad ornamenta vero Ecclesiæ* (dant) *octo vestimenta* (forte ad ornandum Altare) *tres mantos, seu casulas, sex stolas, & quinque manipulos, & quatuor Corporalia, & quinque pallas, & sex sabanas, seu manutergia, duas literatas, & quatuor sine serico: unam cuppam sericam, & tres Calices, duos scilicet ex argento, & unum ex petra; unum Missale unam Crucem ex argento, & duas ex ligno, quatuor frontales ex serico duas campanas ex ferro. De libris: Lectionarium Responsorium, duo Psalteria, unum Codicem dialogorum, scilicet Sancti Gregorii, & unam regulam de Ordine Sancti Benedicti, &c. — Facta Charta Testamenti 16. Kal. Februarii æra octingentesima decima octava:* hoc est anno Dom. 781. Ex quibus clare evincitur, non solum sæculo 9. sed etiam sæculo 8. & rem & nomen manipuli inter sacras vestes fuisse.

XXVI. Gavant. lit. h — *Rupertus loc. cit. qui primus inter Scriptores eum manipulum appellavit.*) Noster præclarus Auctor adhærens Sententiæ Josephi Vicecomitis, qui *volum. 4. suarum Observ. lib. 2. c. 34.* asserit manipuli usum in locum linteæ syndonis non nisi Ruperti Abbatis ætate, hoc est A. D. 1129. introductum fuisse; noster, inquam, Auctor, tali sententiæ inhærens, cui eodem Vicecomite asserit, quod Rupertus Abbas primus eum manipulum appellavit. Verum ex prædicta Aldegiastri donatione, & ex aliis, quæ mox attulimus, corruunt ejusmodi opiniones; constat siquidem ante Ruperti tempora manipulum fuisse in usu, & inter sacras vestes enumeratum fuisse, ejusque nomen ante Rupertum reperiri expressum. Quæ dicta sunt in Vicecomitis & Gavanti sententiam, refellunt etiam opinionem Claudii de Vert, cui placet mutationem mappulæ in manipulum sæculo tantum duodecimo contigisse; quamvis non ignoraret manipuli vocem ante illud sæculum in usu fuisse, *tom. 1. pag. 319.* Ultimo loco adnotare lubet cum Card. Bona manipulum proprium Subdiaconi indumentum, ut Scholastici existimant, veteri usu non fuisse; ut colligitur ex Lanfranco Cantuariensi, qui epistola 13. dicit: *In Cœnobiis Monachorum etiam laici, cum albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre manipulum.* Verum hæc consuetudo, ut in notis ad eandem epistolam vir eruditus Lucas Ducherius observat, abrogata postmodum fuit in Concilio Pictaviensi sub Paschali II. *cap. 5.* statuente, ut nemo Monachorum deinceps manipulis utatur, nisi fuerit Subdiaconus. Manipulo nostro respondet apud Græcos epimanicium, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam *n. 12.* Cum planeta totum corpus ambiret, ut infra videbimus, manipulus extremo loco, brachio expedito imponebatur: hic Ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peracta Confessione a Ministris imponitur: prisco autem more post Confessionem casula elevari solebat; & tunc a Ministro imponebatur Sacerdoti manipulus. Alia ad Manipulum spectantia videri possunt apud mox allegatos auctores necnon apud Andream Du-Saussay *lib. 4. sui Panopliæ Sacerdotalis*, & apud Antonium Bellocte in suis observat. ad Ritus Ecclesiæ Laudinen-

nensis *pag.* 247. ac Claudium de Vert *tom.* 2. *uarum explic. Sac. Cær. pag.* 311. *lib.* 2. *cap.* 2. *& alibi*.

XXVII. Gav. lit. l — *Ligari vero debet manipulus infra cubitum.*) Huic Gavanti sententiæ adhærent Tonellius, Bonamicus, Cabrinus, & alii, quos refert Hippolytus a Portu in suis adnot. *ad lit.* 1. *Rubr.* 3. *n.* 10. In hac eadem sententia versatur pariter Bauldry *part.* 1. *cap.* 16. *n.* 9. E contra vero sustinent manipulum imponendum esse supra cubitum, Lotner *part.* 6. *tit.* 1. §. 7. *lit.* l., cui adhæret Hyppolitus a Portu *cit. loc.* ex eo quia si manipulus ligetur supra cubitum, minus impediet Sacerdotem in suis functionibus; & post Consecrationem nullum erit periculum tangendi, & extrudendi sacratissimam Hostiam extra Corporale, immo etiam extra Altare: certum præterea est apud omnes, firmandum esse manipulum articulis, aut chordulis, ne decidat e brachio Sacerdotis.

XXVIII. Gav. lit. m — *Accipiens stolam &c.*) Hoc nomen *Stola* apud profanos Scriptores tam Græcos, a quibus fluxit, quam Latinos, qui illud usurparunt, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Erat autem proprium matronarum vestimentum; ut docet Octavius Ferrarius de re vestiaria *lib.* 3. *cap.* 17. Et Lazarus Baylius *in cap.* 17. *lib.* 1. pariter de re vestiaria; adeo ut impudicæ mulieris nota foret brevior tunica; & Tertullianus *lib. de pallio cap.* 4. inter signa ejuratæ pudicitiæ recenset matronam in publico sine stola. Interdum tamen sumptam legimus stolam pro totius corporis indumento, & tunica vulgari, non solum mulierum, sed etiam virorum usui accommodata, tam in profanis, quam in Sacris litteris. Hinc Nonius Marcellus *in lib. de proprietate serm. cap.* 14. observavit stolam veteres nominasse, non honestam vestem solum, sed etiam omnem, quæ corpus tegeret: hinc etiam *Genes. c.* 41. legitur quod cum Pharao constituit Joseph super universam Terram Ægypti, vestivit eum stola byssina; & ipse Joseph. *Genes.* 45. singulis fratribus suis proferri jussit binas stolas, id est vestes mutatorias, ut una deposita, festiviori die assumere possent aliam. Eodem sensu usurpatur pro tunica muliebri *in lib. Judic. cap.* 16. ubi dicitur: *Accepit stolam ad decipiendum illum:* quapropter stola primario usu non aliud fuit, quam tunica talaris, seu vestis ab humeris ante, & retro ad pedes usque profusa. Hinc Durandus in Rationali *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 6. dicit, quod: *Stola antiquitus fuit vestis candida pertingens usque ad vestigia, qua Patriarchæ utebantur ante Legem, quam primogeniti, cum Benedictionem patris acciperent induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant: sed postquam alba cœpit portari, mutata est in torquem.* Quapropter optime dicit Gulielmus Burius in suo Onomastico etymologico v. *Stola*, quod sicut Canonici quidam Augustiniani pro integro rochetto, tantum fasciam aliquam lineam portant, instar parvi scapularis; ita modo stola, quæ quondam integra erat vestis, est tantum aliqua fascia e collo Sacerdotis hinc inde dependens, data Presbyteris, & Diaconis quorum munus est prædicare verbum Dei, a quibus fertur super uno tantum humero sinistro sub axillam dexteram connexa, ad distinctionem Sacerdotum, qui utroque humero portant a collo quidem ante pectus in modum Crucis cingulo conjuncta, quando celebrant: solutam vero hinc inde, quando ab ipsis adhibetur in aliis Sacris ministris una cum superpelliceo: sicut etiam hoc modo gestatur ab Episcopis, ut videbimus infra, etiam cum Sacris operantur, ob rationem, quam paullo inferius adducit Gavantus.

Stola igitur, de qua nunc est sermo, & cui quartum inter vestes sacerdotales locum veteres Christiani attribuerunt (vel quia tunc non adhibebatur manipulus, vel quia hic ultima loco imponebatur, ut videbimus) ab Auctoribus Ecclesiasticis optime describitur: quod sit vestis sacra, longa, non lata, & veluti torques a collo demissa, & ad anteriora descendens usque infra genua Sacerdotis Divino Ministerio defungentis. De origine, de antiquo usu, de materia, de forma, de colore, & de modo inducendæ stolæ, præter antiquos Liturgicos Auctores, Albuinum Flaccum, Alcuinum, Rabanum Maurum, Amalarium, Fortunatum, Walafridum Strabonem, Rupertum Abbatem Honorium Augustodunensem, Gulielmum Durandum, & alios, eruditissime disserunt Joseph Vicecomes *volum.* 4. quod est *de Missæ apparatu, lib.* 2. *c.* 18. *& sequent.* Andreas Du-Saussay *lib.* 5. *suæ Panopliæ Sacerd.* Antonius Bellotte in suis observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis *pag.* 259. *& seq.* Cardinalis Bona *lib.* 1. *rerum Liturg. c.* 24. §. 6. Dominicus Georgius *tom.* 1. *de Liturg. Rom. Pontificis lib.* 1. *c.* 20. Joannes Baptista Thiers in sua erudita disceptatione de stola in Archidiaconorum visitationibus gestanda a Parochis præsertim *c.* 15. & Bocquillot in tract. hist. de Liturg. *c.* 7. *n.* 8.

XXIX. Gavant. eadem lit. m — *Orarium eam vocat Ordo Romanus &c.*) Nonnulli Auctores Liturgici stolam idem esse censent, quod orarium: hinc Binius in Concilio Laodicæno sub Sylvestro *cap.* 22. *tom.* 1. *part.* 1. ait: *Orarium idem est in antiquis Patribus quod stola; quæ est vestis Sacra, non lata, cujus usus Sacerdotibus ac Diaconis concessus, Subdiaconis interdictus est.* Hoc ipsum confirmat Concilium Bracarense *c.* 27. apud eundem Binium. Appellatur igitur ab aliquibus PP. & Conciliis stola, *Orarium* ab orando, sive orationem ad populum habendo: alii vero Auctores, quos refert Bellotte *cit. loc.* stolam distinguunt ab orario, quatenus stola in plerisque Scripturæ locis pro tunica sumitur. Denique ab aliis, ut videre est apud Vicecomitem *cit. loc.* stola vocata fuit etiam *Palla linostima*, forte quia tunc ex lino conficeretur; & ab aliis, ut tradit Walafridus Strabo *c.* 24. de rebus Ecclesiasticis, dicta fuit *Pallium linostimum*: ait enim cit. loc. *Syl-*

ve-

vester ordinavit, ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, & pallio linostimo eorum læva tegeretur. Anastasius tamen, sive alius Auctor libri Pontificalis asserit, Zosimum, qui Pontificiam Sedem A. C. 417. regebat, constituisse ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis: unde est, quod nonnulli nomine hujus pallæ intelligunt stolam Diaconalem ex lino, & lana contextam, quam Diaconi in humero sinistro deferunt, ad differentiam stolæ Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis, ut mox diximus; sed usus præfatæ stolæ Diaconalis a tempore Concilii Laodiceni A. circiter 363. celebrati, ut pariter innuimus, jam invaluerat.

XXX. Gavant. lit. u — *Et imponit collo, ut torquem, non longe a collo.*) Inter Auctores Liturgicos quæstio agitatur, quomodo stola sit aptanda collo Sacerdotis; utrum casula sit contegenda, vel potius debeat apparere. Patres Societatis Jesu stolam collo ita aptant, ut Crux stolæ a planeta non contegatur, sed exterius appareat. Dominicus Flumata in Cæremoniali Cleric. Regul. Min. *part.* 1. *cap.* 22. hunc usum approbat: præscribit enim quod Sacerdos *Stolam circa collum aptabit ita, ut non excedat colore tunicæ, & Crux in medio appareat.* In Cæremoniali pariter Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 8. ita de epistola Sacerdos admonetur; *Collo a tergo aptabit, ut in medio Crux appareat.* Hoc idem præscribitur in Cæremoniali Augustianensium Discalceatorum *lib.* 1. *cap.* 13. & in Cæremoniali PP. Cappucinorum a Zacharia Boverio edito *lib.* 1. *cap.* 4. Et contra noster Andreas Castaldus in Cæremoniali *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. præscribit, quod Sacerdos *Stolam ita circa collum collocet, ut ultra non protrahatur; neque rursus adeo supra collum extollatur, ut planeta summitatem excedens appareat, sed decenter aptetur*: & idem in praxi Cæremoniarum *lib.* 2. *sect.* 7. *cap.* 1. *num.* 12. *Stola*, inquit, *circa collum ita accommodari debet, ut a superflua casula tegatur*: suamque assertionem comprobat dicendo. *Omnes enim, qui de Eccles. Ritibus scripserunt, casulam super alia omnia indumenta collocandam dixerunt; ita ut cætera infra ipsam posita non appareant*: & de nostro more aptando hoc modo stolam subnectit: *Propterea nostræ Congregationis PP. Sacrorum Rituum observantissimi, ita stolam adaptant, ac vitta ipsi cingulo a posteriori firmant, ut nullo modo supra casulam elevari possit; quod etiam a Romano Pontifice, & Prælatis omnibus observatur.* Hunc nostrum morem approbant, & Castaldo subscribunt Videns Bonamicus *part.* 1. *observ.* 2. *num.* 6. Hippolytus Tonellius in Enchiridio *lib.* 2. *tit.* 1. *not. in Rubr.* 3. *num.* 5. ubi ait: *Stolam sibi imponit non longe a collo, ac si torquem imponeret sibi.* Idem docet Honorius Augustodunensis *lib.* 2. *cap.* 24. *Gemmæ &c.* & Durandus in Rationali *lib.* 3. *cap.* 5. Versantur pariter in hac sententia Sarnell. *par.* 4. §. 2. *num.* 7. Angel. *part.* 3. *num.* 3. Archipresbyter Gervasius in catalogo errorum suæ instruct. *n.* 14. & recentissime Ludovicus Gerardus Episcopus Cortonensis in compendio errorum, qui accidunt Sacerdoti celebranti *cap.* 2. *n.* 14.

RUBRICA.

4 *Si Celebrans sit Episcopus* (r) *non ducit stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; & antequam accipiat stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam* (s) *osculatur, & collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere*: (t) *manipulum quoque non accipit ante stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in confessione dicit, Indulgentiam, illumque prius osculatur.*

GAVANTUS.

(r) *Non ducit stolam in modum crucis.* Qui ante pectus gestat ejus loco Crucem pectoralem quam ante stolam accipit, ut solus notat *Innoc. III. c.* 53. qua de re infra cum de vestibus pontificalibus.

(s) *Osculatur.* Scribit *Durand. lib.* 3. *cap.* 9.

(t) *Manipulum quoque.* De quo idcirco *Innoc. idem cap.* 43. & 59. post casulam Episcopales agit: apertius *Durand. lib.* 4. *c.* 7. & idem habetur *in Ordine Rom.* causamque cum aliis dabimus infra *num.* 6.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

XXXI. Gavant. lit. r — *Non ducit stolam in modum Crucis.*) In recentibus Missalis Romani Rubricis, post illa verba, *si Celebrans sit Episcopus*, adduntur hæc alia, *vel Abbas, ut supra*, ex quibus deducitur, quod non ducere stolam in modum Crucis ante pectus, convenit non solum Episcopis, sed etiam Abbatibus, qui Pontificaliu usu fruuntur: probabile tamen est hoc Abbatibus convenire, solummodo quando pontificaliter celebrant; sicut tunc solum ex Altari sumere possunt vestes, ut superius diximus; quia tunc solum instar Episcoporum ante pectus parvam Crucem gestant.

RUBRICA.

5 *Postremo Sacerdos accipit* (u) *planetam.*

GAVANTUS.

(u) *Planetam. Ord. Rom.* Usitatum est vocabulum planetæ, quidquid neget Durandus apud Latinos antiquiores reperiri, *lib.* 1. *cap.* 9. ubi negat, fuisse unquam a Græcis usurpatum. Planeta vero errorem sonat, & limbus planetæ Sacerdotis errabundus erat utrinque; & idcirco ad brachia reflectebatur, & sublevabatur, *inquit Honor. Gemma lib.* 1. *c.* 207. Penula quoque dicta fuit, nata-

imen ea, de qua Paulus 2. *Timoth.* 4. *Vide Ba-n. anno* 58. *n.* 69. Casula item dicitur *ab eodem rdine Romano*, hoc est, parva casa, *in Gemma co citato.* Insula *ab Hugone Victor. in Specul. ccles. cap.* 6. Tunica item *a Severo Alexandri-i ad Ord. oblat.* Cappa *ab Isidor. lib.* 13. Orig. *p.* 12. ex conjectura tantum, quia capit totum ominem: sed vide, quæ diximus de pluviali *in ima parte, tit.* 19. *num.* 3. *contra Durandum.* elonium dicitur *in actis Eccles. Mediol. part.* 4. §. 2. Planetæ S. Petri meminit *Hugo Cluniacen-s in Vita S. Hugoni Abb.* quæ asservatur Pari-is: ergo ab Apostolis ortum habet. Erant pla-tæ totæ clausæ, post tempora Ruperti divisæ nt, *& Innoc. indicat. l.* 1. *cap.* 42. *&* 58. olim m Cruce, etiam in parte posteriori: nunc cum lumnæ potius specie, recentiori usu, quæ & ad assionem Domini spectat, quasi Sacerdos sit in-r Columnam, & Crucem Christi.

* Qui aliquam prædictarum vestium sponte o-iserit, peccat mortaliter *ex communi DD. sen-ntia.* Qui vero aliquod ex indumentis omittit casu necessitatis, non peccat, ait *Dianæ tract. de Celebr. Miss. resp.* 58. sed non explicat, od omitti queat. Ego puto albam, stolam, pla-tam singillatim omnino necessaria esse.

Novæ Observationes & Additiones, &c.

XXXII. Gav. lit. u —*Usitatum est vocabulum anetæ, &c.*) Postrema vestis Sacerdotalis, pla-eta appellatur de cujus vocis etymologia, & an-quitate sapienter tractat juxta morem suum Jo-ph Vicecomes *vol.* 4. quod est *de Missæ appara-lib.* 2. *c.* 27. Variis, aliisque nominibus hoc acerdotale indumentum pariter appellatum fuit, mirum *Penula, Casula*, de quibus pariter dis-rit mox laudatus Vicecomes *cap.* 28. & post i-um Andreas Du-Saussay *lib.* 6. *Panopl. Sacerd. p.* 1. *&* 2. Dominicus Georgius de Liturg. Rom. ontif. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. Bocquillot *cap.* 7. 10. *&* 11. *sui tract. hist. de Liturg. Sac.* nec-on Claudius de Vert *tom.* 3. *variis locis*, & ard. Bona *lib.* 1. *rerum* Liturg. *cap.* 24. §. 8. bi optime describit formam antiquæ casulæ, sive lanetæ, dicendo, quod planetæ rotundæ pror-us erant, totum ambientes hominem a collo us-ue ad pedes, unicam in medio aperturam ha-entes, per quam caput immittebatur: qua de ausa necessarium erat, ut Sacerdotes operari, & anibus libere uti possent, eas super brachia re-olvere, & complicare; sicque indutos Pontifices Sacerdotes in priscis Ecclesiarum parietibus cer-imus: hoc etiam ex vetustissimis Sanctorum Pa-um tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ onismis, qui ex antiquis, & authenticis exem-laribus expressi sunt, conspicimus: in quibus rimitivæ Ecclesiæ Sacerdotes depicti cernuntur, schemate, quo Divinis consueverant operari Mysteris. Apud Orientalem Ecclesiam sunt etiam odie casulæ, seu planetæ ejusdem formæ: in La-tina vero Ecclesia ad evitandum incommodum proveniens ex amplitudine talis formæ, totum cor-pus cum brachiis circumcludentes planetæ a la-teribus paullatim scindi, & decurtari cœperunt, donec ad formam, quæ hodie est in usu, reda-ctæ sunt. Quoniam vero planeta, seu casula, to-tum Sacerdotis corpus involvebat, unde casula, quasi parva casa dicebatur, ut tradit Honorius Augustodunensis *in Gemma lib.* 1. *cap.* 267. hinc ortus est usus, ut a Diacono tum Sacrificio mi-nistrante, Sacerdoti Divinam Hostiam, & mysti-cum poculum elevanti ad supremum cultum, de-fluentis in ejus brachia, manusque oneris pondus alleviaretur; ut ponderat Du-Saussay. *lib.* 6. *cap.* 11. vel ne pedibus obversatis Sacerdoti genua fle-ctenti impedimento esset, elevabantur extremæ oræ sacræ vestis. De quo more rituque adhuc in Ro-mano Cæremoniali de officio Diaconi hæc Rubri-ca extat: *Dum Celebrans genuflectit post Conse-crationem Hostiæ, statim posteriorem planetæ par-tem, per infimam partem in medio capit sinistra; & elevat: & statim facta elevatione antequam Celebrans genuflectat, eam deponit sine osculis, dextera vero Celebrantem circa brachium dexterum sustentat, dum surgit.*

Et infra: *Dum Celebrans consecrato Calice ge-nuflectit, ipse iterum capit planetam, & eam elevat, ut prius* (nempe Diaconus) qui usus adhuc perseverat, tametsi cessante causa, superflua sit talis praxis; ut animadvertunt præclarissimi mox laudati Auctores, Card. Bona, & Du-Saussay loc. cit. nam adeo decisa est planeta impræsentiarum, ut vix quoad utrumque latus infra humeros de-pendeat; & adeo decurtata, ut vix ultra genua protendatur; tantum abest, ut pertingat usque ad talos. Alia spectantia ad antiquitatem, materiam, formam, usum & ritus casulæ, seu planetæ, nec-non ad Mysticas ejusdem significationes, legi pos-sunt apud mox allegatos Auctores, aliosque an-tiquiores Sacrorum Rituum expositores, congestos in collectione Hittorpiana, & in Bibliotheca ma-xima SS. Patrum, qui hanc materiam doctissime discusserunt.

XXXIII. Gavant. ead. lit. u — * *At ego puto albam, stolam, planetam omnino necessaria esse.* Paulus Maria Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *sect.* 4. *dub.* 5. refert nonnullos Doctores, qui censent omissionem solius cinguli, sine justa causa, fore peccatum veniale, quia est vestis minus considerabilis: & aliqui addunt etiam omissionem solius manipuli fore peccatum veniale, ob materiæ levitatem: se-cus si utraque prædicta vestis simul omitteretur. Idem Quarti *dub.* 6. autumat in casu gravis ne-cessitatis, ut ad communicandum moribundum, licitum esse celebrare absque prædictis vestibus minoribus; nullo modo vero, urgente quacunque necessitate, celebrari posse absque vestibus majo-ribus, nimirum alba, stola, & planeta, vel sal-tem absque aliqua illarum, quia censetur præva-lere præceptum Ecclesiæ, ob reverentiam hujus Sacrificii, necessitati privatæ alicujus infirmi. Lo-

hner

hner vero *par.* 6. §. 9. censet peccatum esse mortale, si sine omnibus præfatis vestibus (extra casum, quo mors, aut aliud gravissimum damnum, non cedens in contemptum Religionis immineret) quis celebraret; & asserit cum P. Gobat ita omnes Doctores sentire: sed Tamburinus *opusc. de Sacrific. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. tenet in nullo simpliciter casu, sine omni veste sacra celebrari posse: Layman vero *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. & Gobat citati ab eodem Lohner, docent per accidens in gravi necessitate, sine aliqua ex his vestibus v. g. sine stola, aut manipulo licite celebrari posse; gravem autem necessitatem, seu causam judicant illi esse si v. g. grave murmur, aut scandalum populi timendum, aut infirmus communicandus sit, non autem si præcise præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, aut regulæ, seu fundationi beneficii satisfaciendum sit. Ego vero censerem non esse recedendum a nostri Auctoris allegata sententia, nimirum, albam, stolam, planetam omnino necessaria esse ad celebrationem Sacrificii, ita ut in nullo casu possint sine illis Sacrificium peragi, ut tenet etiam Suarez *disp.* 82. *sect.* 3. Cajetanus *part.* 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & alii Doctores ibidem agentes de obligatione legum humanarum, huic præsertim innixa fundamento: quia ex omissione majorum vestium sacerdotalium tanta resultat irreverentia, & tantum generatur scandalum, ut etiam periculo mortis præponderet. Verum quidem est, quod mox laudatus Suarez numerat stolam inter minores vestes, sed certe stola est vestis propria Sacerdoti; & in *Canone* 8. *dist.* 23. singulariter præcipitur.

RUBRICA.

6 *Si sit Episcopus, & solemniter celebret,* (x) *accipit paramenta, & alia ut in Cæremoniali.*

GAVANTUS.

(x) *Accipit Paramenta.* Hoc est caligas, amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram, anulum, & manipulum; de quibus hoc loco, quia in Missali hoc ordine nominantur: omittamus tamen ea, quæ sunt communia Sacerdoti.

Caligæ, sandalia, *apud Sanctum Hieronymum in Isai. lib.* 5. *cap.* 20 sunt idem. Soleæ dicuntur *ab Alcuin. cap. Quid signif. vestim.* sed distinguuntur in habitu Episcopali, *ex Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 48. nam caligæ primum induuntur usque ad genua, & sandalia generis feminini, seu sandalium apud alios, pedes tantum contegunt, *Ivo Carnotem. serm. de sign. indum. Sacr.* Caligæ quia ligantur, sic dictæ, *ex Isid. lib.* 19. *Orig. cap.* 34. Cambagi, & pedules in *Ordin. Rom.* Compagi, *a S. Greg. lib.* 7. *epist.* 28. Campobi, *ubi Amalar. lib.* 2. *c.* 18. quorum usus ab Apostolis manat, *ex Rabano lib.* 1. *instit. Cleric. cap.* 22. & probat *ex Marci cap.* 6.

De Cruce pectorali, quam Philacteria * seu Fi[la]teria (eo quod filo suspendi soleret, *Vicecom[es] ait*) appellat *S. Gregorius Papa lib.* 12. *epist.* [7] *ut notat Baron. ex Jo. Diacono, anno* 604. *&* 82[7] & Encolpium vocat *Nicephorus Episc. Constan[t.] ad Leo. III. Pap. ut exponit idem Bar. anni* 81[1] solus aperte ante alios *Innoc. III. ait.*, Cruce[m] appellans pectoralem; quia pectus ornat, ut supr[a] significavimus *num.* 4. & laminæ Hebrææ ea[s] suffectam esse tradit *idem ibidem.*

Tunicellæ & dalmaticæ originem & causas a[b] tulimus supra *in prima part. tit.* 19. *num.* 5. qu[æ] ambæ *in Ordine Romano* ad usum Pontificis a[d]i quando dictæ fuerunt dalmatica major, & minor qui altera latior, altera strictior. Cur autem u[t]traque datur Episcopo? an quia in eo eminente[r] omnium Sacrorum Ordinum sunt gradus? an qu[ia] duorum Testamentorum custos? Ita *Dur. supr[a] cap.* 10. *&* 11. *ex Hugone Victorin. in Spec[.] Eccl. cap.* 6. Antea vero non induebant dalmat[as] cas Episcopi sine Papæ licentia, ut indicat *S. Greg. lib.* 7. *epist.* 113. *ad Aregium, & habet[ur] can. Communis filius, dist.* 23. primumque a Sy[l]vestro concessa est Episcopis dalmatica, *ex De[cr.] rand. lib.* 3. *cap.* 11. hoc est aliquibus, sed sic[ut] ti ea, quæ *in Ordine Romano* lanea erat, seric[a] deinde fuit, *ex Edvensi cap.* 11. ita, quæ aliqu[ot] rum erat, omnium deinde Episcoporum facta e[st] communis vestis.

Chirothecæ *ab Ordine Romano* dicuntur manic[æ] quia manuum sunt ornamenta; convenit enim, Episcopi qualibet pars ornatior appareat: ab A[po]postolis deducit hunc Ritum *Gem. lib.* 1. *de a[nt]iq. Rit.* 215. Mitra seu Apex *ex August.* 2. *Ci[v.]* 15. seu sertum cum gemmis, *ex Ennodio de m[i]tra Sancti Ambrosii*, seu corona Sacerdotali, *Ammiano Marcell. lib.* 29. seu corona gloria[e] *ex Eusebio Cæsariensi lib.* 10. *Histor. cap.* seu pileum generis neutrius, vel galea, vel tia[ra] *ex Isidor. lib.* 19. *Orig. cap.* 21. seu insula, *Hug. Vict.* 19. *l.* 1. *de Sacr. c.* 55. seu cidari[s] *ex Alcuino cap. de singulis vestibus;* seu Phr[y]gium *ex Niceph. l.* 14. *c.* 34. quod imposuit c[a]piti S. Silvestri Constantinus; seu lorum, *ex B[a]samone apud Buleng. de vestib. Pontif. l.* 1. *c.* seu auriphrygium circulare, *ab Innoc. III. in S[er]de S. Silvestro* (nomina multa, eadem res) Apostolis ortum habet, *ex Baron. an.* 34. *n.* 2[9] & inter Episcopi insignia enumeratur, ad orna[n]dum illius caput, & erudiendum Episcopum, infra. * Abbatibus non fuit concessa ante annu[m] 1291. quod Urbano II. eam dedit S. Petro Cave[n]si Abbati Cluniacensis Ordinis, qui & eandem sibi minus congruam recusavit, *Acta Concil. M[e]nev.* Alii docent ante annum 1000. a Sylvestro datam fuisse mitram Abbati S. Savini Placentin[i] & a Leone IX. anno 1040. Abbati S. Justi[n]i Patavino; & extant hodie diplomata Placentiæ, Patavii. Mitra vero (ut alia taceam nomina) *ex Varrone lib.* 1. *de ling. Lat.* vox est Latin[a] Græca, & Syriaca, vel Hæbrea, quæ verba int[er] pre-

pretatur Josephus Scaliger hoc modo: mitra Syriacum, diadema Græcum, vitta Latinum, idem significant in lingua sua, nempe vinculum. *Cæl. Rodig. lib.* 16. *cap.* 10. *a μίτος* eam deducit, quod significat filum, ut *μίτρα* sit quasi vitta ex filo: erat enim fascia ad obligandum caput, *ex Hier. in Isa.* 3. ad usum feminarum in capite, *Judith. cap.* 10. virorum etiam *ex Cerophio in suo Vertunno.* Sacerdotum quoque *Exod.* 39. ubi LXX. cidarin legunt ex bisso. Duo redimicula addebant Phryges in Festis Solemnibus per maxillas fluentia; *ex Hieron. in Prolog. in Ezech. cap.* 21. *vers.* 26. vel sub mentum ligabantur, *ex Buleng. loc. cit.* quæ in nostra mitra habentur, & forte ab iisdem Phrygibus auriphrygiata mitra aliquid accepit; de qua *in Cærem. Episc. lib.* 1. *c.* 17. Duo cornua mitræ accepta puto a cidari Hebræorum referente quasi cornua Moysi ex consortio Dei. *Nic. Lyran. Ex.* 28. *ex Joseph.* asserit, quod mitra in acutum tendebat, & quod lamina aurea secundum aliquos corniculata erat.

Pars mitræ S. Sylvestri asservatur Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus, quæ acutam formam refert, non altiorem palmo communis manus: serico & auro est contexta, coloris cærulei, cum imagine B. V. & pueruli Jesu inter duos Angelos stantes, Diaconali veste indutos. Valentiæ quoque visitur mitra S. Augustini altioris formæ, & item acutæ, qui, ut supra, eam apicem appellavit; serica est, & alba, quam cingit, & dividit a cuspide linea cærulea serico, & auro texta: testatur eandem esse *Martinus V. in serm. de S. Monica:* similem ego vidi Bononiæ in Ecclesia S. Stephani, auro & margaritis ornatam, quæ erat S. Isidori Hispalensis, cujus corpus ibidem quiescit: ex quibus probatur antiquitas formæ in nostra mitra.

* Quod si velis cum Abb. Constantino Cajetano, opusc. de tribus Hispaniarum Patronis, alium esse Isidorum, non Hispalensem, quem ille recte probat Hispali mortuum, & ibidem quiescere corpus ejus; sed Italosiculum in Sicilia Episcopum, qui Bononiæ obiit; non perit argumentum nostrum de antiquitate: quia hi duo Isidori ex eodem Cajetano fuere condiscipuli S. Gregorii Magni, & coætanei. Lubens auctores nomino, honoris & veritatis ergo; quod & facere debuerat recentior, qui de jure Abbatum scribens, in suum librum transtulit ipsamet verba, quæ de mitra, & aliis Abbatialibus vestibus in hoc volumine scripsi, tacito auctoris nomine, nominato in levioribus aliis a se non semel.

Regula vero est, mitram & baculum in Episcopis esse correlativa, ut dicitur *in Cærem. Episc. l.* 1. *cap.* 17. & licet in Missali nihil de baculo, quia ad eum assumendum nullam Episcopus recitat Orationem, sicut ad alia ornamenta præscriptas Orationes recitat in Missali positas; quarum causa de his hoc loco cum Missali agimus: tamen de eo breviter hæc notabo, ne baculo omisso, a lectore sine baculo corripiar.

Baculus, virga pastoralis, pedum, ferula, & capuita sunt synonyma, *ex Ivone Carnot. epist.* 8. *& Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 217. Cambuttam alii vocant apud *Petrum Comestorem in Hist. Exodi cap.* 52. Cambuttam vocat *Ordo Romanus in Dedic. Eccles.* sed capuita, & cambutta, corruptæ sunt voces, a cambura voce barbara, quæ significat baculum retortum. Porro tres habet partes summam retortam, ut pedum pastorum recurvum ad colligendas, *ut ait Festus*, oves, mediam rectam, imam acutam; talis est S. Saturnini Apostolorum discipuli, qui Tolosæ cum imagine Sancti antiquissima habetur; & Valentiæ S. Augustini baculus qui est eburneus, & rotundus; & item S. Isidori, quem ego vidi Bononiæ, ut supra, cum mitra ejusdem; datur enim Episcopo ad regimen animarum, unde versus:

Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Et sub imagine præfata Sancti Saturnini legitur iste versus:

Curva trahit, quos virga regit, pars ultima pungit.

Ut refert *Hugo Victorin. Specul. Eccles. cap.* 6. *Innoc. autem III. lib.* 1. *cap.* 62. affert hoc carmen auctore incerto:

Collige, sustenta, stimula vaga, morbida lenta: Id est, collige vagos, sustenta debiles, & punge pigros. Est autem baculus ultimum Episcopi ornamentum. *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 10. quem gestat ille manu sinistra, quæ cordis esse dicitur, & partem curvam populo vertit. *Cærem. Episc. lib.* 2. *cap.* 8. nec ornatur sudario, quod convenit Abbatiali. *Acta Mediol. Eccles. in Instruct. fabr. Eccles.* ad differentiam Episcopalis.

Anulus datur Episc. *de quo Optat. Milev. lib.* 1. *contra Parmenidem, & Ordo Rom. in Consecratione Episcopi*, qui & aureus debet esse. *Innoc. III. lib.* 1. *c.* 46. & Benedictus, ut *in Ord. Rom.* daturque ad honorem & significationem, quod Ecclesiæ suæ sponsus est, & quod velut anulo signatorio non omnibus omnia revelare Mysteria debet, *ait Isidor.* 1. *de Eccles. Offic. cap.* 5. & regulariter quidem in digito indice manus dextræ defertur: neque in gemma sculptum quid esse debet, *ex Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. sed in Missa Pontificali jubetur Episcopus gestare anulum in digito anulari dextræ manus, *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 7. *& lib.* 2. *cap.* 8. * qui & in eodem digito in Consecratione datur concelebraturo cum Consecrante, *Pontif. Rom.* Alii caveant, ne unquam anulum gestent in Missa, qui expresse prohibitus fuit Protonotariis non participantibus, quibuscumque Doctoribus a S. R. C. *die* 11. *Februari* 1623. & item Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, qui se majores æstimabant Protonotariis *die* 20. *Novembris* 1628. Canonicorum vero nomine hac in re intelliguntur etiam dignitates, sive sint, sive non sint de gremio Capituli.

Ultima vestis Episcopi est manipulus *Ord. Rom.* de quo supra diximus non pauca. Hoc loco quæritur, cur ille sit ultima vestis Episcopi? Solus

Durand. lib. 4. cap. 7. hunc Ritum in Episcopo declarat: & primo, inquit; quia dum eum accipit in confessione ante Missam, ornamentum accipiens inferioris Ordinis, & ab inferiori Ministro, id est Subdiacono, cujus propria vestis est manipulus, humilietur Episcopus coram Deo. Secundo, ut quod ore confitetur se peccasse, per fructum boni operis, qui significatur in manipulo ad brachium ligato, reficiatur in mente. Tertio, ut concessa temporalia per manipulum adumbrata, videatur accipere per alienam manum, & cum sui cognitione in humilitate, ne ob temporalia elevetur in superbiam. Quarto, ad notandum, quod tunc bonorum operum manipulum cum præmio portabimus cum Christo, quando ad Altare Dei æterni tribunal Judicis pervenerimus; nam Episcopus typum gerit Christi capitis nostri.

De gremiali Episcopi, quia ad ejus gremium ponitur ita dicto, neque Missale, neque nos loquimur; & præterea nihil de eo occurrit dicendum, nisi quod Episcopo deservit tantum super femora, cum planetam indutus sedet. Succinctorium dici putat *Vicecom. lib. 3. c. 15.* sed *Innoc. III. lib. 1. c. 10.* tertium succinctorium dat locum: tum solus Papa eo utitur, *Cærem. Papæ lib. 2. cap. 14.* & usus ejus est circa renes, *ex Ivon. Carnot. loc. cit.*

Pluviale item est vestis Episcopi ad horam Tertiam, Vesperas, Laudes, & Processiones, de quo diximus supra: de quibus autem Missale tacet, ut de pallio Archiepiscopi, orali Papæ, & aliis ejusdem vestibus ad Missam spectantibus: alias, Deo dante scribemus.

Nunc brevissima prædictorum omnium indumentorum subjiciamus significationem, quam supra promisimus, quæ triplex est, Anagogica, Allegorica, Tropologica, seu Moralis.

Anagogica significatio est de Christo, cujus imago gloriosa est Episcopus.

Allegorica est de passione Christi, quam Sacerdos minus gloriose vestitus indicat.

Tropologica, seu Moralis, eruditionem continet, conformem moribus Sanctorum quorumcumque Ministrorum Ecclesiasticorum, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi.

Expositio Anagogica vestium Pontificalium, de Christo.

Caligæ & sandalia denotant Incarnationem Christi, de qua *in Psal. 59. In Idumæam extendam calceamentum meum. Ex Stephano Edvensi de Sacram. Alt. c. 11.*

Amictus latibulum capitis, id est Divinitatis in Christo. *Idem Steph. c. 1.*

Alba Resurrectionis gloriam. *Idem Edvens. ibid.* Novitatem vitæ in Christo. *Innoc. III. lib. 2. c. 36.* & munditiam ejusdem. *S. Bonavent. de Mysterio Missæ.*

Cingulum charitatem Christi, cujus extremitates duæ sunt; fecit, & docuit. *Innoc. c. 37.* Majestatem Deitatis. *S. Germ. in Theoria.* Virginitatem Christi, *Bonavent. loc. cit.*

Crux pectoralis passionem Christi, exempla passionum aliorum Martyrum, quorum Reliquiæ in Cruce asservantur. Nihil apud Auctores inveni in hoc sensu anagogico.

Stola designat obedientiam Christi, *ex Stephano Edvensi loc. cit.* & voluntariam servitutem. *Bonaventura loc. cit.*

Tunicella doctrinam Christi inconsutilem, quæ scindi non potest. *Innoc. cap. 36.*

Dalmatica misericordiam Christi erga nos latam, & largam. *ibid. cap. 40.*

Chirothecæ, hœdorum pelliculæ, similitudinem carnis peccati in Christo. *Idem cap. 41.*

Planeta Ecclesiam universalem, Christi vestem: posteriorem quidem partem antiqui Testamenti; anteriorem novi. *Idem cap. 32.* Integra ea erat undique clausa antiquitus, quia una Ecclesia est, *Rupert. 1. cap. 22.* Plenitudinem gratiæ Christi. *Ex Biel. lect. 11.* indicat.

Mitra summam Christi honorificentiam, *Innoc. cap. 44.* baculus potestatem. *Idem cap. 45.*

Anulus perfectionem donorum Spiritus Sancti in Christo. *Idem cap. 46.*

Manipulus in læva beatitatem Christi, qui viator, & comprehensor erat, *idem cap. 43.* vel humilitatem Christi, *Bonavent. de Myst. miss.* vel amorem cordis ad passionem, *Tolet. lib. 2. cap. 24.* Fusius ista leges explanata locis citatis.

Expositio Allegorica Vestium Sacerdotalium de Passione Christi.

Amictus significat velamen faciei Christi. *Gabr. Biel. in Can. lect. 11.* seu coronam spineam, nam velat caput, non faciem, amictus. *S. Thom. 3. part. quæst. 87. art. 5.*

Alba vestem ab Herode Christo datam. *S. Thom. quæst. 40. art. 7.*

Cingulum flagellum a Pilato jussum. *Durand. lib. 3. c. 4.* vel funes, *S. Thom. loc. cit.*

Manipulus funem, quo captus est, *Sanctus Thomas loc. cit.*

Stola ligaturam ad Columnam, *Durand. cap. 5.* vel Crucem. *S. Thom. loc. cit.*

Casula purpureum vestimentum coram Pilato. *S. Germ. in Theoria.*

Sex numero sunt Sacerdotales vestes, in quarum senario numero, *ait Zachar. adnot. de Miss. lib. 2. cap. 1.* recolenda est illius passio, qui sex diebus creatum mundum, sexta ætate, sexta die, & hora sexta eundem reparavit.

Expositio Theologica omnium vestium Pontificalium, et Sacerdotalium.

Multæ sunt, eæque ornatissimæ Sacerdotis tunicæ, quia Sacerdotalis Ordo est veluti oculus ipsius Dei, vel Ecclesiæ, quibus per Zachar. *cap. 2.* dicitur: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam*

lam oculi mei; & sicuti multis tunicis munitur oculus, & tegitur, iisque adeo speciosis, ut Iridis speciem referat; quod late docet *Galenus de usu partium lib.* 10. ita Sacerdos tam variis, tamque ornatis voluit Deus vestiri tunicis, ut memores essent, se tamquam oculos a Deo diligi, illudque muneris sui proprium esse, ut in Ecclesia Dei oculorum vice fungantur.

Itaque caligæ & sandalia monent, gressus rectos esse faciendos, & genua roboranda in præparationem Evangelii, quod est proprium Episcoporum, & prædicatorum, & item affectuum custodiam, qui sunt pedes animæ, *ex Ivone Carnot. serm. de signif. indum.* concordant hæc cum Oratione, quæ dicitur ad caligas.

Amictus docet decem: Labores esse ferendos. *Alcuin. c. Quid signif. vestim.* Vel custodiam vocis quæ formatur in collo, *Amalar. in lib.* 2. *c.* 17. Vel spem cælestium, qua onus portamus, cujus vittæ duæ sunt Fides, & operatio, timor pœnæ, desiderium gloriæ. *Honor. in Gemma lib.* 1. *c.* 201. Vel justitiam. *Hugo Victor. in Specul. Eccl. c.* 6. Vel munditiam bonorum operum. *Rabanus de instit. Cleric. lib.* 1. *c.* 15. Vel galeam salutis, *Gemma lib.* 1. *c.* 82. concordat hoc cum propria Oratione. Vel fortitudinem operum cum duabus quasi vittis, intentione, & fine *Innoc. lib.* 1. *c.* 50. Vel Fidem, *Biel. lect.* 12. Vel fiduciam, *Scortia lib.* 2. *c.* 8. Vel contemplationem. *S. Thom. quæst.* 83. *art.* 5.

Alba connotat duodecim. Perseverantiam. *Alcuinus supra.* Vel castigationem totius corporis. *Amal. supra cap.* 18. Vel castitatem totius vitæ. *Gemma supra c.* 20. Vel munditiam animæ. *Hugo Vict. loc. cit.* & concordat cum propria Oratione, quæ dicitur ad albam. Vel munditiam carnis, *Idem Erud. Theolog. lib.* 1. *c.* 46. Vel continentiam. Vel summam justitiam. *Rabanus cap.* 16. *supra.* Vel novam vitam Sacerdotis. *Rupert. sup. c.* 20. Vel loricam justitiæ. *Gemma lib.* 1. *c.* 82. Vel munditiam vitæ latam in libertatem filiorum Dei. *Innocentius III. supra cap.* 51. Vel Fidem, & innocentiam. *S. Thom. loc. cit.*

Cingulum indicat septem: Discretionem moderatricem virtutum omnium. *Alcuin. supra.* Continentiam. *Amalar. supra, cap.* 22. Custodiam cordis, *Gemma cap.* 203. Castitatem corporis. *Hugo Vict. supra.* Fervorem continentiæ, ne sit remissa. Raban. *cap.* 17. concordat cum Oratione propria. Arcum contra hostes. *Gemma lib.* 1. *c.* 83. Fortitudinem. *Hysich. lib.* 5. *in Levit.*

Crux pectoralis memoria est Passionis Christi & Martyrum, ut eam Pontifex recondat in pectore. *Innoc. III. cap.* 53. concordat cum sua Oratione.

Stola decem significat. Jugum Christi est, feratur ergo utroque humero. *Alcuin. sup.* ad genua tendit ad humilitatis indicium, *Amalar. sup. cap.* 20. ab humeris ad utrumque latus descendit, ut per arma justitiæ a dextris, & a sinistris muniamur; cingulo colligatur, quia virtutes virtutibus juvantur. *Ivo Carnot. supra.* Obedientiam Evangelii significat, quæ tum a sinistro humero activæ vitæ; tum a dextro contemplativæ Crucem in pectore formet, & mundo crucifixum facit. *Gemma lib.* 1. *cap.* 204. Fortitudinem cum perseverantia. *Hugo dicto cap.* 6. Munditiam vitæ, *Idem supra cap.* 48. Orarium ad pectus est, ut ore & corde precetur. *Raban. sup. cap.* 19. Hasta est contra hostes. *Gemma supra cap.* 82. Memoria est Passionis Domini, & Crucis in pectore. *Bonavent. in Mysteriis Missæ.*

Tunicella, quæ non videtur in Episcopo, demonstrat virtutes intimas Episcopi proprias. *Amal. lib.* 2. *cap.* 42.

Dalmatica immaculatæ vitæ typus est. *Durand. supra cap.* 11. Liberalitatis erga pauperes. *Innoc. III. cap.* 56. & ideo fuit etiam data Diaconis, quorum munus erat præcipuum ministrare mensis. *Act.* 6. Religionis immaculatæ, quæ *ex Jacobo est apud Deum Patrem, visitare pupillos & viduas in tribulatione, & immaculatum se custodire. Amalarius cap.* 21. *supra.* Charitatis geminæ. *Victorin. supra, cap.* 6.

Chirothecæ manus tegunt, ut opus sit in publico, intentio in occulto. *Gemma cap.* 215. vel exempla Sanctorum præ manibus habenda esse monet. *Durand.* 3. *cap.* 12.

Planeta, quæ super omnes est, charitatis est symbolum. *Alcuin. supra:* ideo duplex est, ante pectus, & post humeros, ut Deus ametur, & proximus, amicus, & hostis, *Amalar. cap.* 19. parva casa est, quæ totum hominem tegit, charitas. *Gemma lib.* 1. *cap.* 207. Vel prudentiam cum charitate duæ casulæ partes persuadent. *Hugo supra, cap.* 6. contra hostes clypeus est, *Gemma dicto cap.* 82. reliqui supra citati charitatem interpretantur. Pars anterior strictior est, quia Deus unus, posterior est latior, quia proximi amor est multiplex. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 2. Obedientiam denique significat *ex Bellarmino nostri Ordinis in Doct. Concil. Trid. pag.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Concordare potest Oratio propria cum prædictis, quia jugum amoris casula est; & stola jugum patientiæ, inquit *Suar.* 3. *par. disp.* 83. *sect.* 2.

Mitra cum duobus cornibus scientiam requirit utriusque Testamenti contra hostes. *Hugo Victorin. supra cap.* 6. duæ vittæ, seu fimbriæ posteriores sunt, Spiritus, & Littera: ad humeros pendent, ut, quod docet Episcopus, opere compleat. *Innoc. III. c.* 60. Baculus correctionem pastoralem docet, ex ratione, qua *Hugo Victorin. d. cap.* 6.

Per baculum rectum doceas Episcopo recte
Vivere, per flexus ferri, properes misereri.

Anulus fidei Sacramentum est cum Sponsa, a qua numquam discedendum est, *ex Steph. Edvens. de Sacram. Altar. cap.* 2. fertur in digito indice manus dexteræ, quia digitus index salutaris dicitur a *Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. digitus autem significat Spiritum Sanctum, cujus dona Episcopus distribuit in Oratione Cleric. *Innoc. III. cap.* 46. In gemma nihil sculptum esse debet, *ex*

Synod. Mediol. de Sacra supellectili: ut Deum ipsum in anulo venerentur Episcopi.

In Missa vero Pontificali fertur anulus in digito dexteræ manus, non autem sinistræ, quod est sponsæ proprium, & item in digito anulari, qui est remotior ab indice; ne indice quasi coronato ab anulo, Episcopus uti videatur ad Consecrationem Corporis Christi, si, quod sentio, dicere liceat: nam anulus corona manuum dicitur a Sapientioribus; & coram Christo digitorum coronam deponere convenit, seu remotius saltem gestare: unde & aliis, ut dictum est supra, prohibetur usus anuli in Missa; tum ad differentiam Episcopi; tum ad humilitatis indicium coram SS. Sacramento, quod manu tractari debet.

In manipulo septem disce: quia portatur in sinistra, præsentem vitam laboriosam repræsentat. *Alcuinus supra.* Repudium mundanæ cogitationis, quia eo tergebatur pituita. *Amalar. supra cap.* 24. Pœnitentiam cum fletu, ad tergendas animæ labes. *Gemma an.* 207. & concordat cum Oratione, quæ dicitur ad manipulum. Vigilantiam contra accidiam, quia eo tergebantur oculi, *Edvens. c.* 10. contra hostes clava est. *Gemma dict. cap.* 82. Discretionem devotam. *Biel. lect.* 12. Retributionem futuram bonorum operum. *Rupert. lib.* 1. *cap.* 33. *Ex Psalm.* 125. *Venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Verum clausula sit cum *Ivon. Carnot. serm. cit.* Ornamenta hæc, ait, non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tamquam scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Provideat ergo, inquit Innoc. III. *cap.* 64. diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet; ne forte similis sit sepulchro deforis dealbato, intus autem omni pleno spurcitia; quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam jam honor non commendet vestium, sed splendor animarum. *Hæc Innoc.*

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

XXXIV. Gav. lit. x. — *Accipit paramenta, hoc est caligas, &c.*) Etiam hoc loco animadvertere est, quod in Missalis Romani Rubricis, recenter impressis, post illa verba, quæ habentur in superiori Rubrica, nimirum: *Si sit Episcopus*, adjiciuntur hæc alia: *vel Abbas, ut supra, habens usum Pontificalium.*

De vestibus Sacerdotalibus, scilicet, amictu, alba, cingulo, &c. egit superius præclarissimus noster Auctor, eumque nostris Observationibus & Additionibus prosecuti sumus. Progreditur nunc, inhærendo textui Rubricæ, ad explicanda indumenta illa, quibus Episcopi Divinam rem solemniter peragentes utuntur: hujusmodi sunt caligæ, sandalia, Crux pectoralis, tunicella, dalmatica, chirothecæ, mitra, baculus pastoralis, &c. Ad illustranda Gavanti Commentaria aliqua adjicienda forent, etiam circa præfatas vestes Pontificales: verum ne nimius sim, & ne in immensum crescat hoc opus, satis duco lectorem remittere ad Auctores illos, qui de præfatis Episcopalibus indumentis fuse & erudito calamo conscripserunt. Evolvi igitur possunt Andreas Du-Saussay in sua Panoplia Episcopali, Joseph Vicecomes *lib.* 3. *de Missæ apparatu*, necnon Dominicus Georgius *tom.* 1. *de Liturg. Rom. Pontificis lib.* 2. *cap.* 13. *& seqq.* Antonius Bellotte agit pariter de baculi pastoralis usu, & figura *pag.* 239. de discrimine vero baculi pastoralis Græcorum, & Latinorum *pag.* 92. suarum observationum ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis. Idem discurrit de mitræ Episcopalis antiquitate, usu, forma, &c. *pag.* 142. *& seqq.* De anulo vero Episcopi, & de concessione ornamentorum Pontificalium solis Episcopis jure ordinario facta, idem agit a *pag.* 87. *usque ad pag.* 93. De prædictis omnibus denique summatim, sed suo more sapienter disserit Card. Bona *lib.* 1. *rerum Liturgicarum cap.* 23. *a num.* 9. *usque ad num.* 15. *inclusive.*

XXXV. Gav. ead. lit. x — *Anulus datur Episcopo &c.*) Non solum Episcopo datur anulus cum gemma deferendus in Missa, sed etiam Abbatibus habentibus usum Pontificalium, ut advertit Bissus *v. Anulus n.* 373. Quando autem Gavantus dicit, quod regulariter in digito Indice anulus deferri debet, id intelligit extra Missam. Præter prædictos, nullus alius potest deferre anulum cum gemma in Missa.

Decretum a Sac. R. C. emissum die 29. Augusti 1601. in quo sancitur quod — Protonotarius titularis non participans potest apponere pileum super insignibus & habere anulum dum celebrat, dummodo non cum gemma — Referunt Corradus in praxi dispensationum *lib.* 5. *cap.* 6. *sub n.* 52. necnon noster Gavantus in Manuali Episcoporum *v. Protonotarii* in additionibus *sub num.* 3. & Barbosa in summa Apostolicarum decisionum *v. Protonotarius*: quia tamen, ut advertit Clericatus de Sacrif. Missæ *decis.* 49. *sub n.* 47. & 48. credit, quod idem sit anulus cum gemma & sine gemma. Verum quidquid sit de hoc, certum est nobis non constare de dicto Decreto: quia in registris S. R. C. quæ non incipiunt nisi ab anno 1602. reperiri non potest, & quamvis extitisset, ipsi derogatum fuisset per posteriora Decreta a Gavanto in suo superiori Commentario allata, in quibus sancitum est, quod anuli usus in Missa prohibetur Protonotariis non participantibus, & quibuscumque Doctoribus, necnon Canonicis Cathedralium Ecclesiarum. Sed moderata fuerunt hæc duo Decreta per aliud posterius editum die 4. Augusti 1565. datum in nostro Indice *sub numero* 413. in quo statuitur, quod — Possunt Canonici Missam celebrare cum anulo aureo, & de rigore uti, sed sine gemma, & sine aliqua effigie — Ita Sacra Rom. Cong. *in una Dal-*

ma-

Natiarum respondit ad 2. dubium; quod quidem Decretum confirmari videtur ab illo, quod asseritur emissum sub die 22. Augusti 1601. de quo superius mentionem fecimus.

Præterire hic non debeo, quod quamvis Canonici uti possint anulo supradicto in celebratione Missæ, non possunt tamen uti palmatoria, vulgo *Bugia*; ut decrevit S. R. C. sub die 11. Julii 1699. *in Vicentina*; quod Decretum datum est in nostro Indice *sub n.* 541.

XXXVI. Gav. ead. lit. x — *Ultima vestis Episcopi est manipulus.*) Quærit hic Gavantus cum Durando, cur manipulus sit ultima vestis Episcopi, & quamvis nonnullas adducat rationes, nihilominus eam præterit, quæ magis congrua videtur, nimirum quod cum planeta antiquitus totum corpus ambiret, ut superius vidimus, prisco more post Confessionem a Ministris elevari solebat; eaque super brachia Sacerdotis celebrantis apte complicabatur, & tunc brachio sinistro discooperto, & expedito, manipulus extremo loco imponebatur: hic autem Ritus, qui omnibus Presbyteris tunc communis erat, nunc in solis Episcopis remansit; quibus peracta Confessione a Ministris in brachio sinistro prope cubitum manipulus collocatur. Hæc omnia comprobantur auctoritate Ordinis Romani 14. in quo legitur: *Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris, planetam super brachia Pontificis apte complicent, et si Pontifex prope Altare induitur, Subdiaconus in ipsa plicatura brachii sinistri collocet, et quasi abscondat manipulum Pontificis tradendum sibi ab Acolytho. Quod si Pontifex longe ab Altare vestiatur, non debet Subdiaconus tunc imponere manipulum, sed debet ipsum portare cum libro Evangeliorum; et cum Pontifex pervenerit ad Altare, imponat, et si aptet manipulum prædicto modo.* Et paullo inferius post illa verba: *Quod si Pontifex juxta Altare induatur*, habentur hæc alia: *Pontifex autem inclinatus paullulum ante Altare Confessionem facit assistentibus ei Capellano a parte dextera, et Diacono a sinistra; Subdiaconus vero si debet immittere manipulum Pontifici, immittat.*

XXXVII. Gav. ead. lit. x — *De gremiali Episcopi, etc.*) Gremialet est pannus, qui in gremio Episcopi celebranis ponitur, cum sedet & cum Ordines confert, de quo agit Cæremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 11.* Hoc gremiale subcinctorium appellari putat Vicecomes de Missæ apparatu *lib. 3. cap. 15.* ut notat etiam noster Gavantus, sed revera, subcinctorium cum gremiali non debet confundi, quia est peculiare solius Summi Pontificis ornamentum, quia utitur quando solemniter celebrat, estque instar parvi cujusdam manipuli, & e sinistro latere pendet; de hoc superius mentionem fecimus, cum de cingulo locuti sumus.

XXXVIII. Gavant. ead. lit. x — *Pluviale item est vestis Episcopalis.*) De pluviali cum eodem Gavanto superius, nempe *part. 1. tit. 19.* sermonem habuimus. De aliis vero, quorum Missale mentionem non facit, ut de pallio Archiepiscopi; sicut Gavantus nihil tradit, ita pariter nos ejus vestigiis inhærentes, de eodem pallio, necnon de orali Papæ, & de aliis ejusdem vestibus omnia silentio præterimus; & solum mentionem facimus de Auctoribus, qui eruditas disceptationes instituerunt super præfato indumento Archiepiscopali, & Patriarchali: hi autem sunt Joannes Garnerius *in lib. de diurno Roman. Pontif. variis locis, præsertim vero dissert. 3. suæ appendicis:* Christianus Lupus *dissert. 1. de Africanæ Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam provocationibus c. 17 necnon 13. et alibi;* Petrus de Marca *lib. 6. c. 6. de concord. Sacerdotii, et Imperii:* Dominicus Georgius *tom. 1. Liturg. Rom. Pontif. lib. 2. c. 25.* Bissus *in Hierurgia, v. Pallium Archiepiscopale.* Cantellius *in Histor. Metropol. Sedium.* Franciscus Pagius *in Vita Sancti Marci Pontificis Roman.* qui anno Domini 336. Thronum Apostol. concedit; Carolus Du Fresne *in suo Glossar.* Thomasius de veteri, & nova *Eccles. discipl. t. 1. lib. 2. a c. 53. usque ad* 57. sed fusius præ cæteris, & eruditissime tractat hanc materiam de pallio, nunquam satis commendatus Joseph Vicecomes *lib. 4. de Missæ apparatu a cap. 1. usque ad* 13. necnon Card. Bona *lib. 1. rerum Liturg. cap. 23. n. 16.* & Nicolaus de Bralion in toto suo opere super hac materia, impresso Parisis anno 1648. in 8. His addi possunt Theodoricus Ruinart in *disquis. hist. de Pallio Archiepisc. inter opera posthuma tom. 3.* Franciscus Florens *ad lib. 1. Decretalium tit. 8. de usu, et auctoritate pallii, tract. 8.* & denique Marcus Paulus Leo Romanus e Societate Jesu *de auctoritate et usu pallii Pontificii.*

De orali vero Papæ, & de aliis ejus ornamentis, indumentisque Pontificalium, erudite agit pluries laudatus Dominicus Georgius in suo præclariss. opere *de Liturg. Rom. Pontif. tom. 1.*

De ingressu Sacerdotis ad Altare. II.

RUBRICA.

1 *Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu destera super Calicem tenens-et* (a) *facta reverentia Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare,* (b) *Ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata)* (c) *præcedente, superpelliceum induto, procedit, autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare majus capite cooperto, faciat ad illud reverentiam; si ante locum Sacramenti,* (d) *genuflectat; si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc* (e) *ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, detecto.*

cto capite illud adoret: nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

GAVANTUS.

(a) *Facta reverentia.* Hæc vox, quæ hoc loco primum occurrit, *Reverentia*, est nomen generi-cum, quod habet species, id est inclinationem capitis, vel genuflexionem; poniturque in sequentibus Rubricis juxta specificam significationem, quæ rei congruit, cui fit reverentia; quod semel dixisse sit satis; & hoc loco reverentia fit capite cooperto, & profunde *ex numer. sequent.* inclinato: non enim verbum illud *cooperto*, concordat tantum cum sequenti, *accedit*, sed etiam cum præcedentibus; nec inconvenit, cum paullo post idem fieri præscribatur, quando transit Sacerdos ante Altare majus, in quo item Crux esse debet, *juxta Rubr. superiorem in prima parte tit.* 20. Coopertum vero caput hoc loco significat cum birreto: quare de Regularibus non loquitur Rubrica, * quos neque decet uti birreto, nisi sint Canonici Regulares.

Prima sit hoc loco de Sacris imaginibus mentio, de quibus præclare scripsit *Tobias noster de Sacris Templis part. 1. c.* 63.

(b) *Ministro cum Missali.* Si Missale tantum gestandum erit, quod magis deceret, illud portet Minister ambabus manibus erectum ante pectus; manus apponens angulis inferioribus ejusdem; cæterum sine Ministro celebrari non debet. *De fil. Presbyt. tit.* 17. *cap. Proposuit, ex Alex III.* sub mortali, *ex S. Thom. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 12. neque Minister fœmina sit, *Azor. lib.* 10. *cap.* 29. *ubi fusius, ex cap. Inhibendum, de cohabit. Cleric. ex Concil. Mogunt.* Unus autem sufficit Minister, *ex Concil. Nannet. c.* 39 *apud Ivon.* 3. *part. c.* 70. posset tamen excusare necessitas, ut sine Ministro fieret Missa, & Sacerdos responderet sibi, ut ad *Orate fratres*, & ad *Kyrie*; vel prædicere laico præsenti, quæ respondere debet, ne Populus careat Miss. *Suar. disp.* 88. *sect.* 2.

(c) *Præcedente.* Eodem modo incedente, ut mox dicitur de Sacerdote, oculis demissis, & incessu modesto, factis debitis reverentiis Cruci in Sacristia, Altarique majori simul cum Celebrante, a latere sinistro ejusdem, paullo post eum.

(d) *Genuflectat.* Cooperto adhuc capite, ne amota manu dextra, cadat aliquid de Calice. Sacramento vero patente in Altari caute se gerat, dum amovet manum dexteram ad detegendum caput, juxta proximam Rubricam. * Neque incedat idcirco longius aperto capite; quod titulo majoris reverentiæ aliqui faciunt, sed minus caute ob Calicem, quem manu gestant.

(e) *Ministratur Sacramentum.* Eodem modo fiat, si expositum sit in Altari SS. Sacramentum, vel si advertat in Altaribus minoribus adhuc esse post Consecrationem Sacramentum. * Hoc loco similiter significat quidem genuflexionem unico genu; sed in elevatione Hostiæ usque ad Calicis depositionem duobus genibus fit adoratio.

* Si vero transeat ante Altare, in quo sit exposita solemniter Reliquia insignis Sancti, de quo fit Festum ibidem, convenit ut apertum caput inclinet illi profunde: in aliis Reliquiarum expositarum casibus habeatur ratio Altaris tantum.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ privatæ, a discessu Sacerdotis a Sacristia, usque ad primum accessum ad Altare.

I. Rubr. *Accipite manu sinistra Calicem.*) Quamvis super hæc Rubricæ verba nihil se extendat in suo Commentario Gavantus; nihilominus aliqua animadvertenda sunt, nimirum, quod Sacerdos nihil ponere debet super Calicem præter ea, quæ a Rubrica præscribuntur, non sudariolum, seu manutergium ad emundandas nares; præscribitur enim hoc in Decreto a S. R. C. edito sub die 1. Septembris 1703. in quo statuitur, quod — *Sacerdotes non debent deferre manutergium super Calicem tam eundo, quam redeundo ab Altari* — Quod Decretum datur in nostro Indice *sub num* 564. Debet igitur sudariolum pendere a parte dextera cinguli sub planeta. Bissus in Hierurgia *tom.* 2. *lit. S. num.* 205. citans nostrum Gavantum hoc *tom.* 1. *tit.* 20. Hippolytus a Portu in suis adnotationibus *ad tit.* 2. *num.* 1. & archipresb. Franciscus Gervasi in Catalogo errorum *num.* 15. Item neque rem aliam supra bursam ponat, nec clavem Sacrarii, neque Patenam cum Hostiis pro communicantibus. Cæremoniale PP. Discalceatorum SS. Trinitatis *part.* 2. *cap.* 1. §. 2. *n.* 3. Denique neque perspicilla, si iis utatur; sed ea tradere debet Ministro deferenda. Bauldry *part.* 3. *tit.* 2. *num.* 1. *in notis*, & Gervasi *loc. cit.* Itaque Sacerdos omnibus paramentis Sacris indutus, accipit birretum, eoque caput tegit; & deinde accipit manu sinistra Calicem per nodum. Castaldus *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 32. Tobias Lohner *part.* 2. de Ritibus in ipsa Missa observandis *tit.* 3. *num.* 1. quem deferre debet, nec nimis distantem, nec pectori adhærentem, & ita, ut ejus summitas pertingat ad mediam pectoris altitudinem. Hippolytus a Portu *loc. superius cit. num.* 3. manu dextera posita super bursam Calicis, nimirum, extensis manus dexteræ apertæ digiti, ad firmandam dictam bursam, ne aliquid decidat. Hippolytus a Portu *ibidem n.* 4. & Paulus Maria Quarti *par.* 2. *tit.* 2. §. *Quo ad primum*, necnon Castaldus *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 31. & Bissus *tom.* 2. *lit. S. num.* 20. §. 3. & denique Tonellius *lib.* 2. *tit.* 2. *Rub.* 1. *num.* 2. qui tamen ibidem *Rubr.* 1. *num.* 1. adjungit decere, quod Sacerdos antequam accipiat Calicem salutet aperto capite alios Sacerdotes, si qui forte sunt in Sacristia; idemque esse observandum post Missam, deposito prius Calice. Verum non videmus in praxi observari, quod hæc reverentia fiat aperto

to capite: altas si Sacerdos paratus deberet alios Sacerdotes salutare in Sacristia aperto capite, majorem honorem præberet ipsis, quam Cruci, cui Sacerdos, ut infra dicemus, reverentiam facit capite cooperto; qnod observat Bissus *tom. 2. littera S. num.* 20. §. 4. Quapropter cum Rubrica Missalis de hanc reverentia a Tonellio excogitata, nihil enunciet; satius videtur eam præteriri debere.

II. Gavant. lit. a - *Cui fit reverentia.*) Sacerdos accepto Calice, ut supra, antequam a loco paramentorum discedat, facit Cruci, vel imagini, quæ in Sacristia est, reverentiam capite cooperto profundam, hoc est profunda capitis & humerorum inclinatione; ut quoad hoc ultimum tenet Consettus *tit. 1. part. 1. cap. 1. num.* 12. Bonamicus *part. 2. num. 4.* & Archipresbyter Gervasi supra §. *Dapoi.* Advertendum tamen est Bauldryum *part. 3. tit. 2. num. 1.* docere quod si Sacerdos non deferat Calicem (quia forte rationabili de causa est jam ad altare præparatus) procedit junctis manibus, & caput detegit imagini, quæ est in Sacristia, & Altari quando transiens ante illud genuflectit, vel profunde se inclinat, quia manus non habet occupatas. Quoad reliqua vero superius dicta, tenent communiter omnes Rubricistæ cum Gavanto. Cœterum cum impræsentiarum de reverentia, seu inclinatione mentio facta sit; sciendum est, inclinationes ab Auctoribus peritioribus ad tres reduci classes, quæ dicuntur Profunda, Media, & Infima. Inclinatio profunda fit capitis atque humerorum profunda incurvatione; & bene describitur in Cæremoniali PP. Discalceatorum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo *part. 1. §. 3.* ubi dicitur, quod profunda inclinatio, seu integra, est cum stando, ita deorsum flectitur caput & corpus, ut in modum Crucis manus ambæ dispositæ utrumque genu facile contingant. Hanc profundam inclinationem facit Sacerdos, quoties in Rubricis præscribitur profunde esse inclinandum, veluti dum Altari, in quo celebraturus est (si in eo non asservetur Sanctissimum Sacramentum,) aut Prælatis in Rubrica specificatis, exhibet reverentiam; & dum dicit *Confiteor, etc. Munda cor meum etc. Jube Domne benedicere etc. Dominus sit in corde meo etc. Te igitur clementissime Pater etc. Supplices te rogamus etc.*

Inclinatio media dicitur illa, quæ fit capitis, & modica humerorum inclinatione. Hæc inclinatio media fit, quoties in Rubricis absolute aliquantulum esse inclinandam præscribitur, velut ad vers. *Deus tu conversus, et* usque ad *Aufer a nobis*, exclusive, cum dicit *Oramus te, Domine, etc. In spiritu humilitatis etc. Subscipe Sancta Trinitas etc. Sanctus* usque ad *Benedictus, qui venit*, exclusive. Item ad utramque Consecrationem, dum cubitis super Altare positis profert verba Consecrationis. Ad *Agnus Dei*, & tres sequentes Orationes ante Communionem; ad *Domine, non sum dignus, etc.* & dum sumit Corpus Domini. Denique dicens *Placeat tibi Sancta Trinitas etc.*

Inclinatio infima est illa, quæ fit sola capitis inclinatione. Hæc inclinatio infima, nempe solius capitis, subdividitur ab aliquibus in tres alias classes, quarum prima vocatur Minimarum maxima, secunda Minimarum media, tertia Minimarum minima. Prima, nimirum minimarum, seu simplicium reverentiarum maxima, consistit in capitis profunda inclinatione, quæ trahit secum modicam etiam humerorum inclinationem. Secunda, nempe minimarum media, comprehendit notabilem solius capitis inclinationem. Tertia, seu minimarum minima, absolvitur levi capitis inclinatione. Primam ex dictis inclinationibus sibi vindicat nomen Jesus, transitus ante Crucem Altaris, accessus ad eam, & recessus ab ea, prolatio plurium verborum, in quibus proferendis præscribitur a Rubricis inclinandum esse caput; ut ad *Gloria Patri, et Filio:* & cum sub Hymno *Gloria in excelsis* dicitur *Adoramus te, gratias agimus tibi, etc.* & cum sub *Credo* dicitur *In unum Deum — Jesum Christum — Simul adoratur, etc.* Secunda fit cum proferimus nomen Mariæ, quod est proprium Deiparæ. Tertia denique fit cum proferimus nomina Sanctorum, & Papæ viventis, de quibus suo loco dicemus. Regulariter igitur prima ex dictis inclinationibus correspondet adorationi latriæ, secunda adorationi hyperduliæ, & tertia cultui duliæ, & amissa hac inclinationum divisione majori claritate, & facilitate conciliantur diversæ Rubricarum & Doctorum Rubricistarnm dictiones, ac dispositiones. Hæc collecta sunt ex Bauldry *part. 3. cap. 5. num.* ex Gerlac. Vinitore *part. 2. titul. 2. §. 13. & seqq.* ex Hippolyto a Portu, Constantino Hagerer, Francisco Gervasi, Pennatio & aliis.

III. Gavant. lit. b - *Illud portet Minister etc.*) Minister accepto Missali, & deportato, ut docet Gavantus, debet Cruci, seu imagini, quæ est in Sacristia, genuflectere, ut docet Bauldry *part. 3. cap. 17. n. 13.* ad differentiam Sacerdotis, qui profundam tantum inclinationem facit: vel etiam ipsemet Minister profunde eidem imagini se inclinet; ut vult Bonamicus *part. 3. num. 83.* Hippolytus tamen a Portu supra *n. 5.* censet, quod, si in Sacristia adsit Crux, tunc a Ministro sit genuflectendum, si vero sit in prædicta Sacristia imago tantum alicujus Sancti, tunc a Ministro facienda sit profunda inclinatio. Deinde accedens ad frontem aquæ benedictae, quæ solet esse ante ostium Sacristiæ, accipiat aspersorium, ipsumque reverenter osculando Sacerdoti porrigat atque ab eo genuflexus aspergatur. Piscara, Castaldus *lib. 1. sect. 4. c. 1. n. 7.*

IV. Gav. ead. lit. b - *Neque Minister fœmina sit.*) Optime observat hic Gavantus præfatum Ministrum debere esse masculus: adhibere enim fœminam in Missæ Ministerio prohibetur a jure Cano-

nico his verbis: *Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere.* Ita in *cap. Prohibendum lib.* 3. *Decretalium tit.* 2. Idem prohibetur pariter expresse *in part.* 3. Rubricarum Missalis *tit.* 10. *de defect. in ministerio ipso occurrente*; unde omnis usus in contrarium detestabilis abusus est; ut recte ostendit Bosco *disp.* 5. de Sacrificio Missæ, relatus ab Henrico Pisart. *part.* 2. *tit.* 2. *in observ.* unde potius esset celebrandum sine ullo Ministro, quam fœminam admittere. Ita Scortia de Sacrificio Missæ *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 2. Tonellius *lib.* 1. *cap.* 1. §. 9. *n.* 5. & 6. Abreù in instit. Paroch. *lib.* 4. *n.* 111. Gobat in experim. Theolog. *tract.* 3. *n.* 393. qui censent talem prohibitionem obligare sub gravi: posset tamen fœmina longe ab Altari respondere Sacerdoti: nunquam vero ampullas, &c. ministrare, ut tenet Alozz. in alphabeto morali *v. Missa sect.* 3. *n.* 67. & communiter DD. Item ministranti viro circa altare, Monialis e Choro respondere potest; idque nullo jure prohibitum esse docet Card. de Lugo de Euchar. *disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 103. allegatus a Tonellio *loc. cit. n.* 7. qui pariter *n.* 9. *notat* cum Pasqualigo *quæst.* 348. quod Celebrans qui pro Ministro uteretur suo filio illegitimo, graviter delinqueret, nisi casus necessitatis excusaret; vel Missa celebraretur in loco secreto, aut etiam in publico, dummodo a circumstantibus ignoraretur talem Ministrum esse illegitimum filium Sacerdotis. Ita pariter Bissus *tom.* 2. *litt. M. n.* 162. §. 1. Tradunt præterea Abreù, supracitato n. 110. & Alozz. *cit. n.* 56. parum referre, quod Minister bene, vel male pronuntiet; laudabilius tamen esset adhibere Ministrum habilem, & bene instructum, quia negotium est magni ponderis. Bissus supracitato §. 3.

V. Gavant. ead. lit. b - *Posset tamen excusare necessitas, ut sine Ministro, etc.*) Casus necessitatis, in quibus sine Ministro celebrari potest, sunt, quando debet dari Viaticum infirmis, vel urget præceptum de audiendo Sacro, ne Populus careat Missa, ut notat noster Gavantus. Item tempore pestis, ad vitandum mortis periculum, sine Ministro celebrari potest, quod jam fuisse positum in usu, refert Gobat ad Pax Jordanum *loc. cit. n.* 390. Censetur etiam casus necessitatis, si Sacerdos debeat celebrare ad lucrandium necessarium ad suæ vitæ sustentationem, & ad celebrandum ratione fundationis; idem Gobat *n.* 395. Præterea, etiam extra casum necessitatis, si non possit haberi Minister idoneus, dummodo adsit, qui possit ministrare ampullas, posse Sacerdotem, eo solo adhibito, Sacra peragere, docet Abreù *loc. cit. num.* 108. & *num. seq.* excusat Parochum, qui sic celebravit, ne tanto Sacrificii fructu se suasque oves privaret. Verum adverti debet, quod docet Gavantus noster, nimirum, quod in tali casu Sacerdos posset sibi respondere, ut ad *Orate fratres*, & ad *Kyrie*, vel prædicere laico præsenti, quæ respondere debet, & quæ dicenda sunt. Tandem censetur casus necessitatis, si Sacerdos jam Missam incœpit, & Minister abeat, expectatusque aliquantulum, non revertatur. In tali casu Henriquez, & Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *sect.* 4. *dub.* 1. relati a Tonellio *num.* 4. *loc. citat.* censent Sacerdotem debere prosequi sine Ministro Missam incœptam, etiamsi Minister abierit ante Canonem. Hoc loco animadvertendum esse censeo, non competere Vicariis generalibus celebrare cum duobus Ministris: extat enim Decretum, editum die 7 Augusti 1627. a Sac. R. C. in quo sancitum est. - ad Missam Vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ in Altari, nisi hoc fieret propter solemnitatem diei Festi; nec illi assistere debent duo Capellani cum cottis - Quod Decretum datum est in nostro Indice *sub num.* 215.

VI. Gavant. lit. e - *Eodem modo incedent.*) Facta, ut supra diximus, Cruci, seu imagini in Sacristia reverentia, Minister ante ipsum Sacerdotem oculis demissis, gravi ac modesto incessu procedat ad Altare, quem sequitur ipse Sacerdos item oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore, ut in Rubrica. An liceat Sacerdoti tunc recitare submissa voce Psalmum aliquem, ex gr. *Miserere*, aut aliquid aliud, non conveniunt Doctores, affirmant Bonamicus *part.* 2. *n.* 3. Angel. *part.* 1. *tit.* 2. *n.* 14. §. *Tempore*, negant Cabrinus *cap.* 3. *Quidem.* Premolus *part.* 3. *cap.* 9. §. 2. *Quidem reliqui solent*, *&c.* Ego cum Hippolyto a Porta supra *n.* 11. negativæ sententiæ adhærendum esse crediderim, quia nihil imperatur in Rubrica recitandum in accessu ad Altare, sicut imperare debuisset, & ut de facto imperat in recessu.

VII. Gavant. lit. e - *Eodem modo fiat, si expositum sit in Altare Sanctissimum Sacramentum.*) Si contigerit Sacerdotem transire ante Altare, ubi expositum sit Sanctiss. Sacramentum, debet prius genuflectere, vel unico genu, ut volunt aliqui, & præsertim Bauldry *par.* 3. *tit.* 2. *de ingressu Sacerd. ad Altare. num.* 1. *in notis. n.* 3. & Bissus *tom.* 1. *lit. C. n.* 24. §. 2. & ratio est, quia regula generalis ad faciendam genuflexionem utroque genu, est, quando fit aliqua pausa; hic autem nulla pausa est facienda, & idcirco, &c. Verum juxta communem usum Romæ receptum Sacerdos in dicto casu genuflectere debet utroque genu, & postea deponere birretum, & caput deinde profunde inclinare, postmodum debet ponere birretum in capite antequam surgat, & sine alia reverentia prosequi suum incessum cum birreto in capite. Quapropter non sunt approbandi ii, qui ad majorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, quousque sint extra conspectum Altaris, in quo est expositum Augustissimum Sacramentum, tum quia operantur contra Rubricam, tum quia adest periculum, quod aliquid de Calice decidat. Præterire non debeo, quod in prædicto casu, & in similibus, birretum non est ponendum supra Calicem, ut male plerique faciunt; sed ets porrigendum Ministro,

vel

vel tenendum ab ipso Sacerdote manu dextera inclinata, & cum parte aperta birreti versus se. Ita docet Cæremoniale Missæ Privatæ Cardinalis Cantelmi auctoritate editum *cap.* 1. §. 7. Gervasi in instruct. Missæ Privatæ *cap.* 2. §. *Quando poi.*

Si Sacerdos transeat ante Altare, in quo tunc elevatur, vel ministratur Sacramentum, genuflectat utroque genu (quia in isto casu facit pausam, seu morula intercedit) cum birreto in capite: deinde eo detecto Sacramentum adoret (porrigendo prius birretum Ministro, quod magis convenit, vel tenendo illud in manu dextera demissa, ut mox dixi) capite profunde inclinato; nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem supra Corporalem: & aliqui addunt, vel donec fuerit peracta Communio Fidelium. Verum contra hanc secundam opinionem extat Decretum, in quo sancitur, quod — Sacerdos Missam celebraturus, transiens ante Altare, ubi sit Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quousque terminetur Communio. Ita Sac. Rit. Congreg. 8 Julii 1698. *in Colen. ad* 19. *dubium* — & datur in nostro Indice *sub num.* 531. Redeundo nunc ad ea, quæ dicebam, Sacerdos antequam surgat, ponat birretum in capite; & sine aliqua genuflexione, sive reverentia prosequatur viam suam, ut supra pariter diximus. Quod si advertat in Altaribus minoribus adhuc esse post Consecrationem Sacramentum, genuflectat unico genu, deinde detegat caput (& non prius, ut male plerique faciunt, & minus caute ob Calicem, quem manu gestat) & facta adoratione Sacramenti, ponere debet birretum, priusquam surgat, ut supradictum est, Bauldry *part.* 3. *Rubr.* 1. *num.* 3. Polacus, Bonamicus, Cabrinus, Lohner, & Tonellius: quos refert a Portu supracit. §. 14.

Oritur hic dubium, quod non facile potest resolvi ex Rubrica, neque ex Auctoribus: nimirum, quomodo se gerere debeat Sacerdos eundo per Ecclesiam, quando advertit, quod in pluribus Altaribus minoribus inest Sacramentum ob Missam, quæ ibi celebratur post Consecrationem, nimirum, utrum debeat in tali casu genuflectere ad omnia Altaria, in quibus dictæ Missæ celebrantur? Ad hoc respondendum videtur, quod nimis incommodum foret in tali casu Sacerdoti eunti per Ecclesiam genuflectere ad omnia Altaria, cum deberet se vertere modo ad hanc, modo ad illam partem; excepto igitur quando transiret immediate ante Altare, cui magis particulariter appropinquaret, tunc deberet genuflectere unico genu, deinde caput aperire, & postea prius caput tegere, & deinde surgere, ut mox diximus, vel etiam posset genuflectere unico genu absque eo quod caput detegat, quia cum Sacramentum sit absconditum ob Sacerdotem celebrantem, est in illo Altari, quasi esset in Tabernaculo, & sic communiter Romæ fit. Rursus, si per Ecclesiam fiat ei obviam Sacerdos deferens Sanctissimum Sacramentum, tunc genuflectendum erit, donec transeat; & quidem utroque genu, quando immorandum est; unico vero genu, si in transitu & absque mora genuflectendum erit dicto Sacerdoti eunti per Ecclesiam. Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *n.* 1. Tonellius *lib.* 2. *titul.* 2. *Rubr.* 1. *in notis n.* 6. §. *Hujusmodi.* Si contigerit Sacerdotem transire ante Altare majus, in quo non asservatur Sacramentum, faciet cooperto capite profundam reverentiam Cruci: Minister vero in hoc casu debet genuflectere: juxta vero sententiam Venantii *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 5. etiam Minister in dicto casu facit tantum profundam reverentiam Cruci; quod tamen haud libenter admitto. Debet idem Minister semper genuflectere, & se inclinare, dum Sacerdos genuflectit, aut se inclinat, Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 1. *n.* 8. Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 12.

VIII. Gavant. ead. lit. e - *Convenit, ut apertum caput inclinet illi profunde.*) Hanc Cavanti sententiam, nimirum, quod si Sacerdos transeat ante Altare, in quo sit exposita solemniter Reliquia insignis Sancti, de quo fit Festum, aut quia est in magno honore apud populum, debeat capite aperto profunde illi inclinare; hanc inquam sententiam tuentur pariter Lohner *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 3. Corsettus *de Rubr. Gener. cap.* 2. *n.* 14. Arnaldus *part.* 2. *tit. n.* 4. Moncius *in instruct.* §. 5. *num.* 23. E contra vero Tonellius supra §. *Caput*, Cabrinus *cap.* 8. *Quando vero*, Bauldry cit. *num.* 3. Hippolytus a Portu supra *n.* 12. negativam sententiam amplectuntur, præsertim ob hanc rationem, quam adducit postremus ex allegatis Auctoribus, nimirum, propter paritatem de Cruce exposita tum in Sacristia, tum in Altari, cui exhibetur proportionata reverentia, sed tecto capite; tum etiam quia dexteram tenere debet super Calicem, ne aliquid labatur. Idem Hippolytus a Portu cit. §. *forte.* De aliis Reliquiis, quæ forte distribuuntur ad ornatum Altaris, nulla est habenda ratio, ac si non essent; sed solum de Altari ratio haberi debet, ut tenet noster Gavantus hic, necnon Lohner, Bauldry, Hippolytus a Portu supra *num.* 12. §. *Hæc eadem*: & de Altari quidem, si SS. Sacramentum in eo reperiatur: alioquin nullam Altari illi, vel aliis exhibendam esse reverentiam, tenent Lohner & Hippolytus a Portu *supra*, ex eo quod Rubricæ de solius Altaris majoris consideratione sermonem habeant.

Si igitur in Altari, in quo ostenditur illa insignis Reliquia, asservetur pariter SS. Eucharistia; tunc sufficit, si Sacerdos tecto capite genuflectat absque eo quod alia exhibeatur reverentia. Ita Tonellius, & a Portu *supra*, nec non Carolus Venanzi *in sua praxi Sac. Cærem. cap.* 2. cum in genuflexione includatur profunda inclinatio.

Lubet præterea adjicere, quod si Sacerdos transierit per chorum, in quo cantetur *Gloria Patris*, finis alicujus Hymni, vel alia Oratio, in qua caput inclinandum est, debet manere reverenter

ter inclinatus, donec perficiatur. Ita Castaldus *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. Montius supra *num.* 2. & a Portu supra. §. *Si transierit.*

Item quando Sacerdos transit per medium Chori, in quo est Clerus, vel transierit ante illum, debet salutare Clericos, qui in eo sunt, cooperto capite; sicut etiam Episcopus paratus salutat Canonicos in eo existentes. Cærem. Episcop. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 28. Bauldry. *loc. cit.* & Bissus *tom.* 1. *lit. G. num.* 24. §. 3.

Rursus si Sacerdos accedens ad Altare, obviam habeat alium Sacerdotem ab Altari redeuntem, sequens viam a latere suo dextero, eum tecto capite salutat. Bauldry *tit.* 12. *de Benedict. Rub.* 6. *not. num.* 1. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 12. *Rub.* 6. *n.* 3. Simon a Larciano *in Sac. Cærem. Sylva lib.* 4. *cap.* 4. *v. Si vero*, & Hippolytus a Portu §. *Si obviam*, contra Lohner *de Sacrificio Missæ p.* 2. *tit.* 4. *num.* 4. qui tenet tunc Sacerdotes nullam sibi invicem debere exhibere reverentiam.

Neminem salutare debet aperto capite; sed si forte ante Prælatos, Magnates, Clerumque, ut supra adnotatum est, transeat, tantum cooperto capite plus, minusve sese inclinet, prout eorum postulat dignitas: quia universaliter dum Calicem defert, nemini caput aperire debet, Castaldus *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 31. & aliis quos refert, & sequitur Hippolytus a Portu supra §. *Si forte*: necnon Archipresbyter Gervasii loc. supracitat. Nemini autem convenit, quod caput aperiat: quia dexteram super Calicem tenere debet, ne aliquid decidat; præsertim Patena cum Hostia: quod magis curandum est, ob Sacrificii reverentiam, quam caput Prælatis, aut quibuscumque Magnatibus detegere. Quarti supra *titul.* 2. §. *Quod ultimum*, & a Portu *loc. citat.* Alia ratio de non discooperiendo capite in casu adducto est manifesta: quia Sacerdos dum tenet Calicem, non detegit caput, etiam dum genuflectit ante Altare in quo est inclusum Sanctissimum Sacramentum; ut supra innuimus, & hic infra dicemus. Bissus *tom.* 1. *litt. G. num.* 24. §. 3. Cæterum neminem alium etiam salutarus salutat. Bonamicus *part.* 2. *num.* 4. Hippolytus a Portu, Archipresb. Gervasi *loc. cit.* Si igitur transeat ante Altare, in quo SS. Sacramentum reperitur in Tabernaculo inclusum, genuflectere debet Sacerdos unico genu dextero, & capite tecto, at aperte loquitur Rubrica, quæ est exacte observanda, nisi alicubi capitis aperitionem exigeret legitima consuetudo ob majorem Populi ædificationem.

Pro coronide hujus nostræ observationis, animadvertere est, quod si Sacerdos accedens ad Altare non deferat manu Calicem (quia forte rationabili de causa est jam ad Altare Calix præparatus) procedit, ut supra etiam dixi, junctis manibus ante pectus: & tunc detegit caput imagini, quæ est in Sacristia, & Altari, in quo servatur Sanctissimum Sacramentum; quando transiens ante illud genuflectere debet, eo quia manus non habet occupatas: & ob eamdem rationem debet pariter caput detegere Episcopo Diœcesis, necnon Cardinali, Legato Apostolico, & magno principi, si illi obviam occurrunt egrediendo e Sacristia, & ad Altare procedendo.

RUBRICA.

2. *Cum pervenierit ad Altare, stans ante illius infimum gradum* (f) *caput detegit, birretum Ministro porrigit, & Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ profunde inclinat. Si autem in eo sit* (g) *Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris; ibi* (h) *ad cornu Evangelii sistit. Calicem, extrahit Corporale de bursa, quod* (i) *extendit in medio Altaris, & super illud Calicem* (l) *velo coopertum collocat; bursam autem ad cornu Evangelii: Si* (m) *in Altari paramenta accepit, hoc idem facit, antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.*

GAVANTUS.

(f) *Caput detegit. S. Paulus* 1. *Cor. Omnis vir orans velato capite deturpat caput suum; caput viri Christus*: signum enim est libertatis, sicut in feminis & Sacerdotibus Hebræis velatio capitis indicium est servitutis, & subjectionis. Nudo capite, quia non erubescimus, ait *Tertull. libr. de Oration.* Zacharias itaque Papa *c. Nullus de Consecr. dist.* 1. jussit, non velato capite Sacerdotes adstarent Altari; peccaret autem, si absque justa causa, & sine dispensatione tecto capite, etiam pileolo, qui celebret. Si vero necessitas adsit, & difficile sit petere dispensationem, vel non sæpe accidit, excusatur a peccato. *Sylvester verbo Missa* 1. *quæst.* §. 1. sed eo casu secreto celebret. *Navarr. de Celebrat. Missæ consil.* 7. *n.* 1 & quamvis ibi concedat, *idem Navarr.* posse renovare antiquum Ritum amiciendi caput amictu, qui ante albam assumitur; negat tamen, nisi si incommodæ valetudinis gratia. *Azor. supra c.* 28. *quæst.* 16.

Verum Sedi Apostolicæ reservata est hæc facultas concedendi pileoli usum, tum ex Decreto, quod est Papale, & in Concil. Roman. tum ex praxi Romana: nam Sacra Congreg. Cardin. super negotia Episcoporum 2. *Januarii* 1590. & 17. *Januarii* 1595. concessit extra Canonem usum pileoli Episcopo Faventino; & respondit Archiepiscopo Urbinati, eo non posse uti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem sensit Sacra Rituum Congregat. 31 *Januarii* 1626. *et* 24 *Aprilis eodem Anno*, ad Papam scilicet spectare hanc dispensationem.

* Asserunt DD. dispensationem hanc (sine qua non sufficit justa causa, ut dicitur *in defec-*

tit.

t. 10. *num.* 1. *Si celebrat*, inquit, *capite cooperto sine dispensatione*) fieri posse ab Episcopo; id dicunt quidem, sed non probant. At Canon ille tam Episcopo, quam Presbyteris prohibet, ne velato capite assistant Altari. An ergo Episcopus, cui fuit prohibitum a Papa, secum ipse, & cum aliis dispensabit? *Joann. Andreas Host. Host. in cap.* 1. de *sup. negl. præl. in* 6. dicit notabile verbum (observante hoc *Sylvest. verb. Dispensatio*, *quæst.* 13.) Ubi Canones, ait, imponunt legem ipsis Episcopis, non dispensat Episcopus, nisi hoc reperiatur concesum: & omæ vidi pauperes gratis dispensatos a Summo Pontifice. Hinc prædictæ Sacr. Congregat. constanter remittunt ad Papam, ut dispenset; & ita respondit rursus Sacr. Rituum Congregat. *die* 26. *Februarii*, *et* 7. *Augusti* 1628. a quibus non debet dissentire Decretis. Vide initio Missalis reconiti sub Urbano VIII. Decretum hac de re impressum.

(g) *Tabernaculum.* Hic prima mentio de Tabernaculo immobili Sanctissimi Sacramenti, quod appellatum est Pastophorium a *Clemente libr.* 8. *Constitut. Apostol. cap.* 13. hoc est Thalamus, *ex Hieronym. cap.* 40. *in Ezech.* Ad formam columnæ fabricabatur illud ætate S. Basilii, *ex Amphil. in ejus Vita:* item ex auro, vel argento, *ibid.* armariolum ligneum erat *apud Renerum S. Laurentii*, *de quo Durand. lib.* 1. *cap.* 16. * Quod autem hic dicitur, *Genuflectens debitam facit reverentiam*, intellige unico genu; ut alias diximus.

(h) *Ad cornu Evangelii sistit.* Ad cornu nobilius prima vice Calicem excipit; sed revera hoc fit, quia cornu Epistolæ occupatur a Missali.

(i) *Extendit in medio Altari.* Solent multi acu pingere Crucem in Corporali, circa oram, & in medio: tunc congruit, ut latus illud ad anteriorem partem Altaris referatur. *Acta Mediolan. Eccles.* Osculantur autem eandem Crucem osculaturi Altare; quod nec approbo, nec reprobo. Certe convenit, ut ora Corporalis oram Altaris tangat; ut manus intra Corporale post Consecrationem contineatur commodius.

(l) *Velo coopertum.* In anteriori parte lateat totus Calix, quousque relevato Calice revelentur propria Passionis Christi Mysteria, ut dicemus, cum de Offertorio. Habet igitur Mysterium velatus Calix.

(m) *In Altari paramenta.* Ex tolerantia hoc licitur, desinente Sacristia, & eo casu fiat, quod supra diximus *tit.* 1.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, a primo ingressu Sacerdotis ad Altare, usque ad descensum ab eodem Altari.

IX. Gavant. lit. f — *Caput detegit.*) Cum Sacerdos ad Altare pervenerit, Minister sistit se ad ipsius dexteram: & facta cum ipso reverentia, nelius tamen genuflexione, prout supra innuimus, deinde stans ibidem, accipit a dicto Celebrante birretum manu dextera, cum osculo tantum illius; illudque nullo modo recipit supra Missale: sed ad minorem sinistræ manus digitum appendit, Bonamicus *part.* 1. *observ.* 3. *num.* 1. Durantus de Ritib. Ecclesiast. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 22. Hippolytus a Portu *in Rubr.* 2. *hujus tituli n.* 3. & Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 15. qui subnectit loquendo de Ministro: *Postea genuflectit*, *licet Celebrans non genuflectat.* Celebrans vero ante infimum Altaris gradum, detecto capite, ut supra, Altari tantum profunde se inclinat, si ibi non asservetur SS. Sacramentum.

Utrum vero Minister semper, quando transit ante medium Altaris, ratione Crucis ibi propositæ genuflectere debeat, non conveniunt in hoc Sacrorum Rituum explanatores. Negativam sententiam tuentur aliqui, quos suppresso nomine refert Bauldry ibidem *num.* 17. affirmativam vero sententiam idem Bauldry sustinet, sicut etiam Bonamicus *part.* 1. *observat.* 12. *num.* 11. & Hippolytus a Portu *supra numer.* 4. quibus adhærendum esse crediderim ob rationem a Bauldry adductam, nimirum quia Ministri Sacri Solemni Missæ inservientes jubentur a Rubrica Missalis *part.* 2. *titul.* 2. *numer.* 7. in medio Altaris, in quo sit sola Crux, semper genuflectere; qui procul dubio sunt privato Ministro, & simplici Clerico multo digniores. Citatus tamen Bauldry asserit, quod si talis sit consuetudo in aliquibus Ecclesiis, ut idem Minister tantum se inclinet ad Altare, in quo non est Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti; illam non audet improbare, cum gravissimi Auctores id sentiant. Verum quamvis Minister in multis transiens ante Crucem, se tantum profunde inclinet, juxta præfatam consuetudinem, & sententiam, nihilominus concurrens cum Celebrante & ipso genuflectente, aut se profunde inclinante, prædictus Minister semper genuflectere debet, ut accidit in primo accessu ad Altare, & in ultimo recessu ab eodem.

X. Gavant. ead. lit. f — *Peccaret autem, si sine dispensatione tecto capite, etiam pileolo quis celebraret.*) Certissimum est uullum posse celebrare cum pileolo, sine Pontificis dispensatione, & hoc declaravit Sac. Rit. Cong. die 31. Januarii, & 24. Aprilis 1626. *in Firmana*, *et Veliterna* his præcisis verbis — Facultas concedendi usum pileoli in Missa spectat ad Papam — Quod Decretum datur in nostro Indice *sub numer.* 197. Deinde hoc idem declaravit Sacra Congreg. Episcoporum, 2. Januarii 1690. & 17. ejusdem 1685, ut refert Baruffaldus in Commentariis ad Rituale Romanum *titul.* 80. §. 5. *numer.* 51. Denique cum per Sacram Rituum Congregation. decisum fuerit — Parochos deferentes Sacramentum ad infirmos non debere uti pileolo, neque de die, neque de nocte sine speciali Sacræ Congregat. licentia — quod quidem Decretum emissum fuit die 3. Augusti 1695. & datur in nostro

nostro Indice *sub num.* 509. & iterum hoc idem confirmavit Sac. Congr. die 21. Januarii 1696. ex hoc infertur multo minus posse Sacerdotem uti pileolo in Missæ celebratione, non interveniente dispensatione Summi Pontificis; & etiam si obtenta fuerit talis facultas, nullus tamen potest uti pileolo tam in Solemni, quam in Privata Missa, a Præfatione usque ad peractam Communionem; ut docet Pyrr. Corrad. *in praxi dispens. libr.* 3. *cap.* 6. *num.* 31. Polac. *part.* 1. *n.* 13. *in aphoris.* & est communis Doctorum sententia.

XI. Gavant. lit. g — *Genuflectens debitam facit reverentiam.*) Dixi Sacerdotem se inclinare debere Cruxi existenti super Altare, in quo ipse Sacrum debet peragere: verum si in eo Altari sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, tunc & ipse genuflectens debitam facit reverentiam, id est facit genuflexionem, quæ est reverentia debita Sacramento, ut advertunt Tonellius *lib.* 2. *titul.* 2. *Rubrica.* 2. *numer.* 2. Archipresbyter Gervasi in sua instruction. §. *Giunto il Sacerdote;* necnon Carolus Venanzi in sua Praxi Sacr. Cæremon. *cap.* 2. ubi reprehendit eos, qui materialiter intelligunt verba illa: *Genuflectens debitam faciat reverentiam, si in Altari sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti*, quæ habentur in superiori Rubrica. Male igitur aliqui imperiti aliam reverentiam addunt post genuflexionem, cum genuflexio ipsa includat reverentiam illam, quæ a Rubrica citata præscribitur: & talis genuflexio facienda est unico genu tantum, in plano Capellæ, juxta Cærem. Episcop. *lib.* 15. *cap.* 15. §. 5. & Gerlacum Vinitorem *part.* 2. *tit.* 2. *in adnot.* §. 17. Juxta tamen fere communem praxim fit talis genuflexio supra infimum Altaris gradum. Ita Bissus *tom.* 1. *lit. S num.* 16. §. 5. Hippolytus a Portu supra *num.* 5.

Ista reverentia, vel genuflexione facta, Sacerdos ascendit ad medium Altaris, & Minister pariter surgit, & per planum ad partem lateralem Epistolæ deambulans, deponit birretum loco congruo. Castaldus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 9. Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 17. & alii cum Hippolyto a Portu supra *numer.* 6. & postmodum præfatus Minister per idem Epistolæ cornu ascendit ad Altare, ubi deponit librum clausum super cussinum, collocando partem, quæ aperitur versus medium Altaris. Bauldry, & Hippolytus a Portu *loc. citat.* ita ut pars inferior Altare tangat, superior autem pulvino adhæreat; & ita ut Missalis ora adæquet oram cussini, medium Altaris respicientem, ne dum aperitur idem Missale a Sacerdote, ab Altari decidat. Minister per eamdem viam descendens, vadit per planum, & facta in medio Capellæ consueta genuflexione sistit genuflexus a parte anterioris Evangelii in plano distanti per duos, aut tres circiter cubitos ab infimo gradu pro loci commoditate; ut sic, aliquantisper sit post Celebrantem. Hæc omnia tradita, & collecta sunt ab Hippolyto a Portu supra *loc. cit.*

XII. Gavant. lit. b — *Sed revera hoc sit, etc.*) Sacerdos itaque postquam ascendit, & perveni ad medium Altaris, ibi ad cornu Evangelii Calicem deponit, non ob aliquod Mysterium, sed ad majorem commoditatem, quia cornu Epistolæ occupatur a Missali, ut cum Gavanto supra docent etiam Gerlacus Vinitor citat. §. 18. Bissus supra §. 6. a Portu *num.* 7. Quarti *part.* 2. *titul.* 2. *Rubrica* 2. *num.* 3. Postea statim ambabus manibus explicato velo revoluto super Calicem in parte anteriori, accipit sinistra manu bursam, a qua dextera manu extrahit Corporale eo modo, quo infra dicemus. Gervasi supr. §. *subito.* Unde deducitur, quam aperte errent ii, qui auctoritate propria deferunt Corporale extra bursam; cum, ut extra eamdem deferatur Corporale, requiratur Apostolica dispensatio nam Sanctus Pius V. hoc dispensavit cum Hispanis; ut tradit Hieronymus Cantonus in suo Ordine Divini Officii, relatus a nostro Gavanto supra *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 1. *lit. M.* Ut igitur Sacerdos extrahat Corporale, apprehendit illud manu dextra ab ore bursæ. Quomodo autem Corporale debeat esse plicatum in bursa, vide Gavantum supra *tit.* 1. *lit. P*

XIII. Gavant. lit. i — *Extendit in medio Altaris.*) Extracto Corporali modo prædicto, illud extendit in medio Altaris, ubi est ara consecrata, & extendit illud ambabus manibus, ita ut non excedat anteriorem Mensæ, sive Altaris partem. Quarti *part.* 3. *tit.* 2. *Rubrica* 2. *num.* 3. Archipresbyter Gervasi *supra*, & Hippolytus a Portu *tit.* 2. *Rubrica* 2. *in adnot. num.* 9. sed nihilominus Corporalis ora extremitates anteriores Altaris tangat, ut de tempore Consecrationis Sacerdos intra Corporale, manus contineat, dum genuflexionem facit Sanctissimo Sacramento. Anonymus Italus *cap.* 2. §. *Subito*, & Hippolytus a Portu supra *ibidem.* Quod si in Corporalis extremitate reperiatur aliqua Crux acu picta, hæc extremitas collocetur ad partem anteriorem Altaris, ut Sacerdos Altare deosculans, illam pariter osculetur. Ita præter Gavantum supra, docent etiam Tonellius, *libr.* 2. *tit.* 2. *Rubrica* 2. *num.* 5. Bonamicus *part.* 2. *num.* 5. Lohner *part.* 2. *titul.* 15. *num.* 1. Philippus Angeli *part.* 1. *num.* 3. §. *Quando*, & Hippolytus a Portu supra *ibidem.*

XVI. Gavant lit. l — *Velo coopertum collocat.* Deinde ambabus manibus Calix collocatur super Corporale, undequaque coopertus; vel ad minimum in parte anteriori, quando veli brevitas non pateretur amplius: & hoc usque dum perficiatur Missa, quæ dicitur Catechumenorum scilicet usque ad Offertorium: quia in Missa quæ dicitur Fidelium, scilicet ab Offertorio usque ad peractam Communionem, idem Calix dicoopertus remanet; cum magis expresse revelari debeant Mysteria Passionis Dominicæ. Quarti supra, & Bauldry *part.* 3. *supra num.* 4. quo refert, & sequitur inhærens nostro Gavanto Hip-

po y-

polytus a Portu supra §. 10. Pars bursæ aperta medium Altaris respiciat; dummodo imagines Sanctorum, aut quid simile in illa non repræsententur; tunc enim illarum habenda esset ratio, ne eorum caput invertatur. Bursa vero supradicta deponitur, manu sinistra, quæ illam jam apprehendit, dum super Altare manu dextera extra habetur Corporale; deponitur inquam ad cornu Evangelii; ut præscribit superior Rubrica in loco quidem congruo, v. g. inter candelabra, non sub candelabro, ne liquescente cera deturpetur. Ita advertit Tonellius supra, necnon Bissus supra allegatus, Moncius, Philippus Angeli, allegati ab Hippolyto a Portu supra *num.* 11.

XV. Gavant. lit. m — *Ex tolerantia hoc dicitur, deficiente Sacristia.*) Si deficiente Sacristia Sacerdos Paramenta acciperet ab Altari, tunc supradicta omnia faciat antequam descendat ab eo pro facienda Confessione. Quomodo autem sint sumenda paramenta ad Altare, docet Gavantus noster supra *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 2. ubi dicit quod Sacerdos in tali casu sumat paramenta ad Altare, non quidem in medio, sed in cornu Evangelii. Ita etiam Bauldry hic, Quarti *part.* 2. *tit.* 2. *sect.* 4. *dub.* 4. & Bissus *tom.* 2. *lit. P num.* 28. §. 11. Ad Altare vero, in quo est expositum Sacramentum, nullus omnino sumere debet paramenta: sed deficiente Sacristia in alio loco, a Presbyterio remoto ob reverentiam tanti Sacramenti, paramenta sumantur. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. *art.* 1. *num.* 2. & Bissus *supra.*

RUBRICA.

5 *Si est consecraturus* (n) *plures Hostias pro communione facienda, quæ ob quantitatem super Patena manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem; aut in aliquo Calice consecrato, vel* (o) *vase mundo* (p) *benedicto ponit eas retro post Calicem, et alia Patena, seu* (q) *palla cooperit.*

GAVANTUS.

(n) *Plures Hostias.* Hoc est Particulas, ita dictas *infra tit.* 10. *n.* 6. de qua voce *vide Baronium ann.* 57. *n.* 149. *ubi Tertull. de Monogam. c.* 11. eas vocat Buccellas, *et S. Aug.* Particulas. *Albaspineus* tamen explicat Tertullianum, *in notis ad eumdem*, de eleemosynis, quæ pane erogato fiebant.

(o) *Vase mundo.* Id est Pyxide, *infra tit.* 10. *n.* 6. quam usurpat *Sanctus Leo Papa ad Mich.* Ciborium etiam a cibo, quem continet, appellavit; & parvum Ciborium *S. Chrysost. homil.* 42. *in Acta Apostolorum.* Turrim vocat quæ a Diacono gestari poterat, fortasse ob formam, *Gregor. Turonens. lib.* 1. *de gloria Martyr. cap.* 86. frequentius Pyxidem *Symmachus Papa in libr. Pontificali.* Arca illustrationis Dei dicta est ab *Hesychio apud Bulenq. lib.* 2. *cap.* 18.

(p) *Benedicto. Burchardus* ait, consecrato: Iste tamen sumitur hic Consecratio pro simplici Benedictione, quæ habetur in *Ord. Rom.* sine unctione; decet enim Pyxidem benedici saltem ut Corporale; & ab eo benedici potest, a quo & Corporale.

Nec est necesse, quod sit ejusdem materiæ, cujus est Calix, vel Patena, quia nullum jus de hac re, *Suarez* 3. *parte disput.* 81. *sect.* 7. qui monet, in vase inferioris materiæ, carente etiam auro lito, includendum esse aliud vas lineum simile Corporali, ob reverentiam tanti Sacramenti: sed melius est linire auro vas interius ad dignoscenda, & colligenda fragmenta: & experientia teste, amylum, quo linum illud induitur, generare solet animalia quædam minuta in Pyxide.

(q) *Palla cooperit.* Si Pyxis proprium habet operculum, eodem tegatur.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, ab eodem ingressu, usque &c.

XVI. Gav. lit. n — *Plures Hostias, hoc est Particulas.*) Quando consecrandæ sunt plures Particulæ pro communióne laicorum Fidelium, & aliorum non celebrantium, quæ ob quantitatem super Patenam manere non possunt (quando enim Particulæ paucæ sunt, uti quinque vel sex, debent poni supra Patenam, & subtus Hostiam, ad offerendas illas una cum Hostia simul, & post oblationem ponantur supra Corporale separatæ ab Hostia; ita tamen, ut remaneant supra petram Sacram, & ex parte sinistra Celebrantis, juxta communem usum; sed ante Calicem, juxta Rubricam superiorem) Sacerdos dum aptat Calicem initio Missæ, eas locat super Corporale, ita, ut mox diximus, remaneant supra petram Sacram, & ante Calicem, juxta superiorem Rubricam, ut docent etiam Quarti hic, Bissus *litt. S n.* 20. §. 8. & Hippolytus a Portu *tit.* 2. *Rubric.* 3. *n.* 3. aut juxta usum magis communem, a parte Evangelii, seu a sinistris Celebrantis; ut docent Cæremoniale Missæ Privatæ *cap.* 11. *de Consecrat. Particularum, et de Commun. Fidelium*, §. 1. necnon Gervasi supra §. *Se poi.* Observandum etiam, quod quando sunt super Corporale, nunquam moventur neque ad oblationem, neque ad Consecrationem. Cæremoniale Missæ Privatæ *supra.* Si vero dictæ Particulæ sint aliquo Calice, vel vase mundo consecrato (qui Calix, vel vas ponitur retro, seu post Calicem, mox allegati Auctores loc. cit.) cooperitur alia Patena, vel palla.

XVII. Gavant. litt. q — *Si Pyxis proprium habeat operculum, &c.*) Nomine vasis intelligitur hic Pyxis, & quidem intus inaurata, ut docet noster Gavantus supra, quæ loco pallæ cooperiri debet proprio operculo, quod habeat in summitate parvam

ram Crucem, Bissus *supra*: cooperienda tamen est velo, & quidem pretioso, taliterque elaborato, ut ipsi Pyxidi bene aptetur. Gavantus noster infra *de mensuris Sacr. supellect.* & Bissus *tom. 2. lit. V. num.* 16.

RUBRICA.

4 *Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ; Missale super cussino aperit, reperit Missam, & signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primùm* (r) *Cruci reverentia,* (s) *vertens se a cornu Epistolæ, descendit* (t) *post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.*

GAVANTUS.

Aperitio libri ad Sacerdotem spectat, qui repræsentat Agnum aperientem librum. *Apocal.* 5. *ex Innocent. III. lib. 2. cap.* 3.

(r) *Cruci reverentia.* Cum capitis inclinatione, quod in sequentibus observa; & fit semper profunda, *ut supra n. 2. dictum est.*

* Multi addunt similem Cruci reverentiam, collocato Calice in Altari, antequam accedat ad librum aperiendum; qui Ritus placet, uti valde pius; & habetur *in libro de Cærem. Missæ edito Romæ* 1628. eo quia fit post actionem circa Calicem, quæ moram habet.

(s) *Vertens se a cornu Epistolæ.* Sensus horum verborum est juxta motum naturalem; qui clarius describitur *infra tit. 5. n. 1.* cum Celebrans dicturus est *Dominus vobiscum*; & militat in utroque casu eadem ratio motus a dextra Sacerdotis, quæ est sinistrum latus Altaris.

(t) *Post infimum gradum.* Non supra gradus, sed in plano Capellæ, ad humilitatem coram Deo magis indicandam.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ privatæ, ab eodem ingressu, usque &c.

VIII. Gavant. litt. r — *Crucis reverentia cum capitis inclinatione.*) Quamvis hanc reverentiam Cruci faciendam Rubrica non præscribat, antequam Sacerdos accedat ad cornu Epistolæ, ut ibi Missale super cussino aperiat; non est tamen damnabilis pius multorum usus, qui faciunt in dicta circumstantia inclinationem simplicem, vel mediocrem Cruci. Cæremoniale Missæ Privatæ *cap. 1. §. 2. num.* 10. §. 5. Bauldry *pag. 3. tit. 2. Rubric. 4. in notis num.* 1. & Gavantus noster sive melius alius Anonymus in additione ad ejus Commentarium facta, & asterismo connotata; necnon Hippolytus a Portu *tit. 2. Rubric. 4. tom.* 1. permotus a regula generali, quæ docet a Sacerdote inclinandum esse in Missa, quoties transit ante Crucem, vel accedit, aut recedit ab ea; nisi paulo ante recessum, aut paulo post accessum præscribatur a Rubrica deosculatio Altaris, aut alia inclinatio, ut cum dicitur Symbolum. Non desunt tamen Auctores, qui contrariam sententiam tuentur; & hi sunt Bonamicus *p. 2. n. 1.* Polaccus *p. 1. §. 5.* Quarti *post p. 2. tit. 13. dub. 4. in compendio §. 3.* Mox Sacerdos facta, ut supra, dicta reverentia, accedit ad cornu Epistolæ manibus junctis, ut ibi aperiat Missale super cussino collocatum, ut præscribit superior Rubrica; aperroque Missali reperit Missam, & signaculis revisis, ea iterum suis locis aptat. Libro a se, ut dixi, non a Ministro aperto, redit Sacerdos ad medium Altaris manibus ante pectus junctis: ibi facit Cruci profundam reverentiam, juxta communiorem sententiam: nonnulli enim per usum contrarium satis receptum, præsertim Romæ, non censent indecens, si quis faciat mediocrem tantum inclinationem. Ita Cæremoniale Missæ Privatæ *cap. 1. §. 2.* & Gervasi *supra §. Riveduti si Signaculi.*

Adnotare est etiam hoc loco, quod Celebrans non debet oculos ad Crucem elevare, antequam faciat reverentiam; neque deinde ibidem immorari, ut faciat aliquam Orationem, & recitatt v. g. *Actiones nostras*, vel aliam, antequam descendat in planum pro incipienda Missa, ut nonnulli gratis faciunt: quia hoc est expresse contra Rubricam, ut advertunt Gervasi in catal. errorum *num.* 29. Hippolytus a Portu *supra Rubrica 4. in adnot. num. 4.* & alii.

Facta autem Cruci debita reverentia, Celebrans ut se vertat, retrahit se aliquantulum a medio Altaris, ne directe descendendo, Cruci vel Tabernaculo terga vertat. Tonellius *lib. 2. titul. 2. Rubric. 4. num.* 4. Gervasi *supra*; Angeli in catalogo errorum *num.* 5. §. *in via ad, &c.* & Hippolytus a Portu *supra num.* 5. Et quidem vertendo faciem non ad partem Evangelii, sed ad cornu Epistolæ; & humeros ad prædictum cornu Evangelii, eodem modo, quo ad *Dominus vobiscum* infra dicemus: & ratio est, quia cum ordo motus naturalis sit a sinistra ad dextram, quando quis se vertit; ideo dextera Sacerdotis, quæ respicit sinistrum Altaris latus, nempe cornu Epistolæ, Celebrans se vertit ad partem Epistolæ; ut etiam Gavantus *supra*; Quarti *part. 2. compend. edit. nostræ, §. 2.* de ingressu Sacerdotis ad Altare, & Hippolytus a Portu, necnon Gervasi *loc. supracit.*

Advertendum pariter est, quod Sacerdos ab Altari ad Confessionem faciendam non prius descendere debet, quam in Altari cerei accensi sint, aliaque ad Sacrificium in Altari necessaria parata. Octavius Frangipanus *in direct. Ecclesiast. discipl. cap. de Divin. Offic. num.* 65. relatus a Vinitore *part. 2. tit. 3. in adnotat. §. 1.* Item dum descendit ab Altari, ut faciat Confessionem, caveat ne inter descendendum faciat signum Crucis versus populum. Vinitor *supra §. 7.*

Igitur Sacerdos cum primum descendit post infi-

infimum Altaris gradum pro facienda Confessione, semper tamen oculis demissis, & manibus ante pectus junctis, non debet stare super gradus, sed in plano Capellæ; ut docet Rubrica *in tit. seq.* & noter Gavantus ibi *Rubr. 1. lit. d.* Verum si in Altari plures extant gradus quam tres, & in diversos ordines distinguantur, tunc sufficit descendere post infimum gradum primi ordinis. Castaldus *l. 2. sect. 8. c. 1. n. 12.* Gerlacus Vinitor *p. 2. tit. 2. in addnot. §. 27.* Baldassarius *p. 1. c. 1.* Quod si nullus adsit gradus, prout in Oratoriis privatis, & in angustioribus locis solet contingere: tunc vertat se, ut supra, & se sistat in tali loco, ut inter ipsum & Altare sit aliqua distantia. Vinitor *supra*, & alii communiter.

RUBRICA.

In Missa Solemni (u) *Missale apertum super Altare, Calix vero, et* (x) *alia necessaria præparantur* (y) *in credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare, ipse autem* (z) *procedit cum Diacono, et Subdiacono, qui capite cooperto, simul cum eo tenent manus junctas ante pectus.* (a) *Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde* (b) *collocantur super credentia, et cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris* (c) *antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.*

GAVANTUS.

Ritus & Cæremoniæ in Missa Solemni servandæ, parcius in Rubricis Missalis sunt descriptæ, cum quia de his in Cæremoniale Episcoporum paulo ante Missalis recognitionem actum erat satis, tum quia minutiora prosequi non videbatur in Missali peropportunum; quare, ne quid in his nostris commentariis Sac. Rit. studiosiores desiderent, addam suis locis non pauca, immo plurima, quæ in Cong. habita super Missalis recognitione, sub Clemente VIII. me quoque præsente, declarata fuerunt; adnotata jam magna ex parte in Cæremoniali Congregationis nostræ multo cum labore vestro, & jussu Capituli generalis nostri, ejusque auctoritate approbato, & edito, & locupletius, anno 1637.

Illud autem primum admonebo, Missam Solemnem, de qua hic loquimur, dici in Rubrica Principalem, & Conventualem. Publicam *vocat Ordo Romanus titulo de Dedic. Eccles. et Conc. Vasen. I. cap. 2.* Canonicam *S. Gregorius in libro capitulari cap. 45.* Generalem *Micrologum cap. 45.* tum eam fuisse antiquiorem Privatam, ut *ex Dionys. de Eccles. Hierarch.* colligitur, *et Clemente in Constit. Apostolicis*, nam *Baron. ann. tantum 418.* Missæ Privatæ novit originem.

Ea vero est Solemnis hoc loco, quæ in Festis Solemnioribus cantatur, in qua nihil omittitur, quod ad Solemnitatem indicandam spectat: nam in professis cantantur quidem Missæ cum Ministris; sed aliquando absque incensatione Altaris, & Chori, sine credentia, sine osculo pacis; quæ tolerantur potius, quam conceduntur in Collegiatis (ajunt) ut inter Festa, & Profesta appareat differentia; quo casu Subdiaconus portat Calicem, Diaconus librum de Sacristia ad Altare. Hic deposito, & aperto libro, descendit ad Celebrantem, cum quo Confessionem facit: interim Subdiaconus, explicato Corporali, collocat Calicem in medio Altaris, quod etiam innuitur *infra tit. 7. n. 9. initio;* eodemque modo finita Missa, revertuntur in Sacristia. Toleranda hæc sunt potius, quam concedenda: & de his non scribimus, quæ minus approbamus.

(u) *Missale apertum super Altare.* Per Cæremoniarium, aut Sacristam poni debet, antequam Celebrans incipiat Confessionem, sin minus illud antequam veniat ad Altare, collocatum fuerit: quia etiam in Missa Privata aperitur Missale ante Confessionem.

(x) *Alia necessaria.* Nimirum Missale unum, seu duo, pro Epistola, & Evangelio cantandis; velum longum pro Subdiacono, pelvicula cum urceolis, & manutergio, Calix cum purificatorio, Hostia in Patena, palla cum velo, bursa cum Corporali; Calix autem erit in medio credentiæ; cætera hinc inde.

(y) *In credentia cooperta linteo.* Erit hæc brevis, demissa, simplex, a latere Epistolæ, sine gradibus, sine Cruce, vel imaginibus cooperta linteo usque ad terram undequaque pendente. *Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 12.*

(z) *Procedit cum Diacono, &c.* Antequam exeant e Sacristia, Celebrans imponat, capite aperto, incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, cum Benedictione, eo modo prorsus, qui describitur *infra tit. 4. n. 4.* & nos ibidem exponemus. Thurifer autem portans thuribulum manu dextra, in anulum quidem majorem pollice immisso, anulum vero catenæ mediæ, sive operculi anulari digito substentans, & naviculam, illius scilicet pedem, sinistra manu tenens, ita ut pars, quæ aperitur, a parte exteriori sit, non pectus respiciat, præcedit ante omnes, sicut in Sacris Processionibus; Diaconus, & Subdiaconus, de quibus hic procedunt capite cooperto, unus post alium. *Hugo Victor. de Offic. Eccles. l. 2. c. 14.* Pares autem cum Celebrante, si hic pluviali sit indutus pro aspersione aquæ benedictæ. *Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 30. et 31.*

(a) *Acolythi, &c.* Latine, Ceroferarii; quorum ordo apud *Baron.* idem est Acolythorum, *anno 58. n. 70.* qui sint pares statura, ut æqualia in motu sint candelabra. Ferant autem eadem illi ita, ut qui a parte dextera incedit, apponat dextram nodo candelabri medio, sinistram pedi ejusdem,

dem, & qui a sinistra incedit; e converso sinistram nodo, dextram pedi. Si adsit Cæremoniarius, procedit solus post Acolythos. *Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 3. in casu simili.*

(b) *Collocantur super credentia.* Ante Confessionem. *Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 8.* & collocantur accensæ in cornibus mensæ anterioribus, ad differentiam candelabrorum, quæ collocantur in Altari, & ut suis præsto sint Acolythis.

Birreta Celebrantis (qui dat Diacono suum) & Ministrorum, deponuntur a Caremoniario extra credentiam super aliquod scamnum, puta ubi sunt sessuri, vel in alio decenti.

(c) *Antequam ascendat.* Genuflectit, si in Altari est Tabernaculum SS. Sacramenti; vel si non est, caput profunde inclinat Cruci, antequam incipiat Confessionem. Ministri vero omnes, etiam Cruci, quæ in Altari est, genuflectunt in tota Missa, *ut in titul. 4. num. 7. expresse habetur*, simile quid habes in absolutione post Missam Defunctorum, in qua Diaconus genuflectit Cruci, quam portat Subdiaconus: ergo genuflectunt Cruci inferiores Ministri ad differentiam Celebrantis: ad Confessionem autem genuflectunt Acolythi & Thuriferarius prope credentiam. Cæremoniarius, si adest, genuflectit ubi vult a latere commodiori ad functionem suam, cui neque stanti assignari potest certus locus in presbyterio, ut plurimum stabit a cornu Epistolæ.

Porro processio ante Missam antiqua est, & habentur *in Ordin. Roman.* cum Acolythis candelabra & incensum portantibus, cujus Mysteria, sicut & sequentium Rituum, uno in loco collecta post finem Missæ totius indicabimus una cum Mysteriis Missæ Privatæ.

Si in hac Processione contingat transire ante Altare Sanctissimi Sacramenti, fiat ut supra in Missa Privata; sed Celebrans semper detegat caput, quia non gestat Calicem, & genuflectat medius inter Ministros, qui & eadem cum eo præstare debent.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, & ab iis quæ præparanda sunt pro Missa Solemni, usque ad ejusdem initium.

XIX. Gav. *Ritus & Cæremoniæ in Missa Solemni servandæ parcius in Missali sunt descriptæ.*) Optime fatetur hic Gavantus Ritus & Cæremonias in Missa Solemni servandas in Missali parce descriptas esse; hinc nos omnem curam adhibebimus, ut in his nostris Observationibus & Additionibus nihil desit, quod ad exacte peragendas prædictas Cæremonias sit necessarium: & ut debito ordine procedamus, expendemus ante omnia

Ea quæ præparanda sunt ad Missam Solemnem.

In Sacristia super mensam oblongam, & majorem extendantur eleganter paramenta omnia consueta, Sacerdotalia in medio; vestimenta verò Diaconalia a dextris, & Subdiaconalia a sinistris, coloris convenientis Festivitati. Extendantur igitur tres albæ, & totidem cingula, tres manipuli, duæ stolæ, Dalmatica, & tunicella, prima pro Diacono, secunda pro Subdiacono, si eis utantur; alias duæ planetæ plicatæ, quando eis indui debent. Item extendatur planeta, seu casula pro Celebrante, & etiam pluviale; si sit facienda aspersio aquæ benedictæ, ut contigit in diebus Dominicis. Rursus præparetur thuribulum cum navicula, & thus intus cum cochleari, deinde duo candelabra cum candelis accendendis, pro Ceroferariis.

XX. Gavant. lit. u — *Missale apertum sit super Altare.*) In Missa Solemni Missale aperitur super suum cussinum, situm in altari in cornu Epistolæ, cum suis signaculis, suis locis ordinatis, ut docet Gavantus hic.

XXI. Gavant. lit. X — *Alia necessaria, nimirum Missale, &c.*) Alia pariter debent præparari pro Missa Solemni, & poni super credentiam, quæ parari debet in cornu Epistolæ, in plano Presbyterii, antequam Sacerdos veniat ad Altare; & si fieri potest ita collocetur, ut illius pars anterior respiciat Aquilonem, vel eam partem, quæ pro Aquilone habetur, pro situ loci. Bauldry *p. 3. cap. 2. art. 2. num. 2.* & Bissus *lit. C num. 552.* & Cærem. Monast. *lib. 3. cap. 4. §. 1.* super eamdem credentiam ponatur Calix paratus, ut tradit Gavantus *supra hac lit. X* Sed advertendum est, quod pars bursæ aperta super Calicem respiciat parietem, ut bene administretur, & exhibeatur per Cæremoniarium Diacono, suo tempore, Bauldry *supra n. 4.* Bissus *supra §. 3.* necnon Hippolytus a Portu *tit. 2. Rubr. 5. in adnot. num. 2. §. Quomodocumque.*

In dextero cornu versus Altare ponatur pelvicula cum ampullis, quæ quantum fieri potest omnino vitreæ sint; & harum una sit plena vino albo, si possit haberi; altera plena aqua; & ambæ suis operculis coopertæ; & prope ipsas ponatur parvulum manutergium. Bauldry *cit. num. 3.* & Bissus *supra §. 3.*

In cornu sinistro ponatur Missale, quod debet inservire Diacono pro Evangelio, & Subdiacono pro Epistola: aliqui super credentiam ponunt etiam Missale pro Celebrante, quod cum cussino post primam incensationem ponitur super Altare ab uno ex Acolythis: sed melius est servare Rubricam, quæ præscribit dictum Missale debere poni super Altare ante Missæ initium. Hæc Missalia ab aliquibus cooperiuntur tegumentis coloris Missæ convenientis; quod est valde laudabile, & juxta Cæremoniale Episcoporum *l. 1. c. 12. §. 15.* & habeant prædicta Missalia signacula suis in locis recte disposita. Item super credentiam poni potest thuribulum cum navicula, finita incensatione Altaris initio Missæ; carbones tamen, qui in eo sunt, prius extrahantur. Quod si thuribulum non ponatur super credentiam, appendi poterit in aliquo lo-

loco remoto a parte Epistolæ. Prope supradictas ampullas ponunt aliqui instumentum pacis cum velo coloris paramentorum ad illius manubrium appenso; alii hoc instrumentum ponunt super Altare a parte Epistolæ inter candelabra. Bauldry *supra n.* 4. & Bissus §. 4. & 5. Si sit facienda Sanctiss. Communio, vel consecrandæ Particulæ relinquendæ in Tabernaculo, poterit super credentia præparari Pyxis, vel Calix, cum Particulis consecrandis: quod si Pyxis jam sit in Tabernaculo cum aliis Particulis consecratis; tunc Particulæ consecrandæ præparentur alio decenti modo super credentiam, deferendæ ad Altare paulo ante Oblationem. Bissus *lit. C. num.* 552. §. 6.

Item super credentiam ponatur campanula pulsanda ad elevationem Sanctissimi Sacramenti; præterea in parte sinistra ponatur velum oblongum, seu humerale plicatum pro Subdiacono coloris paramentorum: in multis tamen Ecclesiis velum prædictum extenditur super Calicem, & super alia; & favet Cæremoniale Episcoporum *l. 1. c. 12. §. 14.* licet aliqui velint quod prædicta supra credentiam posita tantum sint cooperienda quando celebrare debet Episcopus. Advertendum tamen est, quod bursa Corporalis, ubi est talis consuetudo cooperiendi prædicta laudato velo, non debet tegi, sed debet esse posita desuper; ut cum Diaconus suo tempore debet illam ad Altare deferre, eam commodius de credentia per manus Cæremoniarii, vel alterius Ministri, parte aperta ad se conversa, accipere possit. Bauldry *num.* 4. & Bissus §. 7.

Debent autem super credentiam omnia ita disponi, ut locus relinquatur pro ponendis candelabris, quæ Ceroferarii deferunt de Sacristia; utrum vero relinquendus sit locus in angulis anterioribus, an posterioribus, dicemus infra suo loco. Item loco etiam convenienti, atque a conspectu populi remoto prope Altare, si commode fieri possit, vel in Sacristia, si non multum distet, ponatur vas parvum cum prunis ardentibus, ac forcipibus, pro immittendo igne in thuribulum. Possunt etiam super eandem credentiam poni candelulæ, si forte opus sit, sicut etiam faces, seu intortitia quot sufficiunt secundum numerum assignatum ad elevationem Sanctissimi Sacramenti, sicut & duo extinctoria, vel unum pro extinguendis, & accendendis cereis. Castaldus *lib. 1. sect. 9. cap. 1. num. 9.* & Bauldry *supra num. 5. & par. 1. cap. 15. art. 1. num. 1.* Præterea in latere Epistolæ paretur scamnum oblongum cum postergali, panno decenti viridi opertum, pro Celebrantis, & Ministrorum Sacrorum sessione. In medio ejusdem scamni ponatur pulvinum pro supradicto Celebrante, sicut etiam super dicto suo scamno extendatur tapete; ut colligitur ex Cæremoniali Episcoporum *lib. 2. cap. 3. §. 4.* & ex communi usu. Utrum vero sint præparanda sedilia, vel unum scamnum oblongum, in quo omnes tres sedere possint, servandam esse Ecclesiarum consuetudinem vult Bissus *tom. 2. lit. S. n. 118. §. 2.* Hippolytus vero a Portu *cap. 1. de Missa Solemn. num. 4. §. Ultra Scamnum*, vult quod certe præparandum sit scamnum, si Cardinalis, aut Episcopus loci ordinarius, & superior illi Missæ præsens interesset: extra vero hunc casum concedit quod poni possunt etiam tres sedes nobiliores; dummodo sedes Celebrantis sit nobilior, & sedes Ministrorum non sint brachiatæ.

Verum puto inhærendum esse Decreto a Sac. R. C. emanato die 15. Januarii 1611. & dato in nostro Indice *sub num.* 113. in quo sancitum est, quod — Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus solemniter celebrantes possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur *Gloria* & *Credo &c.* etiam si sint beneficiati, vel capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine — Unde juxta hanc sanctionem numquam concedenda est *sedes brachiata* Celebranti, neque alia sedes aliis Ministris: & hæc est praxis omnium Basilicarum Romanarum, & omnium fere Cathedralium, ita ut Canonici Missam celebrantes, non solum coram Episcopo nulla utantur sede, sed semper aliquo scamno oblongo, tapete, vel panno cooperto; sed etiam absente Episcopo in eodem scamno sedent, & quidem semper a latere Epistolæ, juxta Decreta S. R. C. quæ dantur in nostro Indice *sub num.* 142. & 208. quorum primum edictum fuit die 19. Maji 1614. secundum vero 12. Junii 1627. Nec contra superius dicta officit, quod in prælaudato primo ex dictis Decretis dicatur — Canonici Missam Celebrantes coram Episcopo non debent sedere in sede cum postergali, sed in aliquo scamno oblongo, &c. — quasi inferri possit, quod absente Episcopo possint dicti Canonici sedere in sede: nam usus & praxis communis, ut diximus, satis declarant, quod non solum coram Episcopo, sed etiam eodem absente adhibendum est scamnum oblongum, nunquam vero sedes a præfatis Canonicis.

Idem Hippolytus a Portu *cit. loc.* approbat, quod si celebraret Provincialis aut Generalis alicujus Religionis in Ecclesiis suæ Provinciæ, vel Ordinis, sedere posset ad partem Evangelii, sicut sedet Episcopus, loquendo præcise de sessione ratione loci, pro qua opinione citantur Bordonus *Concil. Reg. part. 2. n. 7.* Diana *par. 2. tract. 13. & par. resolut. 34.* necnon Rodericus *tom. 1. q. 12. art. 5.* quia Abbates Regulares, etiam non Pontificantes ibi sedent; prout præscribit Cæremoniale Can. Regul. Sancti Salvatoris *c. 17. § 56.* Verum super hac quæstione doctiores judicent.

Aliqui pro Cæremoniariis volunt destinari debere duo scamnula in tali situ, ut primus Cæremoniarius dum admonet, a Celebrantes & Ministris; secundus vero Cæremoniarius a Clericis videri possint. Ita Castaldus *lib. 1. sect. 1. cap. 1. num. 22.* Bauldry *par. 3. art. 5. num. 5.* & si adsint præfati duo Cæremoniarii, primus sedere potest in plano anguli, prope cornu Epistolæ apud Celebrantem: secundus vero Cæremoniarius prope cancellos, uterque faciem directe ad se invicem

vicem convertendo. Ex Hippolyto a Portu *supra* §. *Pro Cæremoniariis*. Si vero unus dumtaxat adesset Cæremoniarius, posset hic sedere cum aliis apud Celebrantem, vel ejus assistens.

Ad magis comprobandam prædictam sententiam utuntur aliqui Decreto edito a Sacr. R. C. 8. Maji 1617. *in Patavina*, & confirmato sub die 30. Aprilis 1701. *in Viterbien.* dato vero in nostro Indice *sub num.* 160. Verum ponderatis verbis dicti Decreti, sermo ibi est de Magistro Cæremoniarum exercente suum officium ad Vesperas & Laudes solemnes; non vero ad Missam. Quod quidem assumptum magis comprobatur ex verbis supplicationis porrectæ S. R. C. a Cæremoniariis Ecclesiæ Patavinæ, in qua hæc habentur — Cum in Ecclesia Patavina adsit substitutus Magister Cæremoniarum, qui est ex numero Capellanorum ejusdem Ecclesiæ; & quando celebrantur Vesperæ & Divina Officia solemniter in Ecclesia Cathedrali, induitur veste violacea, & baculum sericum virgulis argenteis ornatum manu gestare solet, & apud Celebrantes assistere, ut eis commode cæremonias subministrare possit; quia dum Vesperæ solemnes a Canonico hebdomadario celebrantur, ipse Canonicus celebrans sedere solet in Choro in primo stallo, seu sede ab ea parte, in qua est tabella Chori; & Assistentes ipsius Canonici celebrantis pluvialibus induti sedent inferius in secunda luna Chori, super omnes Capellanos, quæritur in quo loco tunc sedere debeat dictus substitutus Magister Cæremoniarum. An apud dictos Assistentes Celebrantis, quos ducere debet ad præintonandas Antiphonas ut Canonici, prout Canonici, prætendunt? an vero sedere debeat inter Capellanos in suo stallo, seu loco, in quo sedere solet quando officium præfatum Magistri Cæremoniarum non exercet, ut dicti Capellani prætendunt? — Et proposito hujusmodi dubio, quod iisdem omnino verbis adhuc reperitur descriptum in registris S. R. C. hæc respondit, prout exposuimus in Decreto dato in nostro Indice *sub num.* 160. Decretum vero, quod allegatur in *Viterbien.* editum die 30. Aprilis 1701 nihil aliud statuit, nisi id, quod decretum fuit in antedicta *Patavina*: quapropter evincitur ex Decretis ejusmodi nunquam probari, quod in Missarum Solemniis debeant concedi scamna ad sedendum Magistris Cæremoniarum: nam in Missa Solemni præter Celebrantem & Sacros Ministros nullus alius sedere debet: & hæc est praxis omnium Basilicarum Urbis, & aliarum Cathedralium, a qua non est recedendum.

Si Evangelium legatur in pulpito, & Epistola in alio pulpito, vel ambone, parari etiam debent pannis pretiosis, sed præcipue pulpitum Evangelii, coloris Missæ convenientis. *Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 12. §. 18. & Bauldry *supra num.* 7.

Hora assignata pro Missa Solemni celebranda, omnes tam Celebrans, quam Ministri, qui inservire debent, in Sacristiam conveniant; ad hoc ut singuli sumant paramenta sibi pro suo ministerio convenientia, in eadem Sacristia præparata. Antequam vero paramenta recipiant, decens est, quod non tantum celebrans, sed etiam omnes alii Ministri aliquantulum orent, ut tantum ministerium digne ac meritorie exercere valeant. Bauldry *citat. art.* 3. *num.* 1. & Bissus *litera H. numero* 47. §. 1.

Deinde Acolythi, id est Ceroferarii, & Thuriferarius, ac Navicularius lavant manus, & postea induunt cottas: Diaconus vero, & Subdiaconus lotis prius manibus induunt sibi paramenta convenientia (adjuvantibus Acolythis quemadmodum adjuvat, & vestit Sacerdotem Acolythus, seu Minister in Missa Privata) excepto manipulo, quem assumunt, postquam ipsi Celebranti vestiverint. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *artic.* 1. *num.* 3. & alii, quos refert a Portu *cap.* 1. *des Missa Solemni ad titul.* 2. *Rubric. insuis adnotat. num.* 3. §. *Quod Ministros*: ubi etiam refert Auctores illos, qui afferunt præfatos Ministros debere induere etiam dalmaticam & tunicellam solum postquam adjuverint, & vestiverint Celebrantem: sed ipse contrariam sequitur sententiam. Controvertunt Doctores, an prædicti Sacri Ministri recitare debeant Orationes in Missali assignatas pro quacumque veste? Affirmat Castaldus *libro* 1. *sect.* 7. *capit.* 1. Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 1. negat vero Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *artic.* 1. *num.* 3. & a Portu: quia in Rubricis de solo Celebrante sermo est, & non de Ministris Sacris; unde recitatio supradictarum Orationum remittitur eorum arbitrio.

Celebrans autem dictis Psalmiis & Orationibus pro Missæ præparatione lavat manus, porrigente aquam primo Acolytho & Ministris exhibentibus manutergium acceptum a secundo Acolytho, si Celebrans sit in aliqua dignitate constitutus, aut diei celebritas exigat majorem solemnitatem; alias accedere debet ad lavatorium in Sacristia, vel prope Sacristiam existens. Bauldry *part.* 3. *cap.* 12. *art.* 3. *n.* 2. Lotis autem manibus accedit ad paramenta, quibus indui debet, dicens ad singula Orationes in Missali assignatas aperto capite. Bauldry supra *n.* 5. Ministri vero Sacri Celebrantem adjuvant in paramentis induendis, advertendo, quod omnia principalius faciat Diaconus; ita ut Subdiaconus tantum adjuvet.

Primo igitur Diaconus accipit amictum, quem osculatur prope Crucem, quæ est in medio, postea illum Celebranti offert, qui Crucem in medio amictus designatam osculatur; quem deinde capiti ejusdem Celebrantis imponit, mox declinat ad collum: deinde illum etiam Subdiacono adjuvante aptat circa collum, ita ut Collaria omnino contegat; & chordulas pendentes, post tergum ductas, ante pectus ligat: postea ambo Ministri Sacram albam accipiunt, itemque Celebranti, prout opus est, accommodant, quam cingulo a tergo porrecto constringunt & eandem albam Acolythi aptant: ita ut æqualiter diffluat, & vestes contegat.

gat. Postea Subdiaconus accipit manipulum, quem osculantur in Cruce, quæ est in medio: tum osculata Celebrantis manu brachio ejus sinistro illum imponit, & ligat, non supra cubitum, sed infra. Diaconus accipit stolam ambabus manibus, & osculatur eam prope Crucem, quæ est in medio, quam offert Celebranti osculandam in eadem Cruce media; & postea imponit medium ejus collo Celebrantis, & accommodat ante pectus in modum Crucis, ducendo partem, quæ a sinistro humero pendet, ad dexteram; & partem, quæ ab humero dextero pendet, ad sinistram; ita ut pars dextera sit supra sinistram: & sic stolam in modum Crucis positam firmant Ministri, extremitatibus cinguli pendentibus a lateribus. Postremo iidem Ministri Sacri accipiunt planetam, quam Celebranti imponunt, & convenienter accommodant: tamen si sit facienda aspersio aquæ benedictæ, ut fit omnibus diebus Dominicis, loco planetæ imponunt pluviale. Hæc omnia colliguntur ex Cæremon. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 9. §. 1. & *cap.* 10. §. 2. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 12. & *seq.* & tradunt Lohner *part.* 3. *tit.* 2. *de Officio Diaconi* §. 1. *num.* 1. & *tit. de Officio Subdiaconi num.* 1. Bauldry *part.* 3. *supra a num.* 4. *usque ad num.* 9. *inclusive*, & *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *num.* 4. & *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 3. Bissus *litera H. n.* 46. §. 3. & Hippolytus a Portu supra §. *Postmodum*. Dum sic induitur Celebrans, vestes aliquo modo sibimet adaptat, ut videatur immobile simulacrum. Bauldry *part.* 3. *supra num.* 8. vel manus tenet conjunctas ante pectus, aut extensas, prout ad Orationem, juxta contingentiam. Hippolytus a Portu *supra*.

Dum hæc peraguntur, Navicularius, & Thuriferarius accendunt candelas Altaris, incipiendo a proximioribus Crucis; quo facto redeunt ad Sacristiam, ubi etiam accendunt candelas, quæ sunt in candelabris, quæ Acolythi Ceroferarii deferre debent.

XXII. Gavant. litera z — *Antequam exeant e Sacristia*, &c.) Peractis omnibus necessariis, ut supra diximus, tam pro Altari, quam pro Ministris, post Tertiam, vel aliam Horam juxta temporum opportunitatem, Celebrans solitis indutus paramentis, de quibus supra, sicut & Ministri, processurus ad Altare pro Missa Solemni celebranda, antequam exeat de Sacristia stans versus imaginem principalem in recta linea cum Ministris, habens Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris cum Thuriferario, qui stabit a dextris Diaconi, ad commodius thuribulum ministrandum, & si adsit Navicularius, stabit a sinistris ipsius Thuriferarii; Ceroferarii vero erunt hinc inde lateribus omnium postremi; si vero esset Sacristia angusta, Ceroferarii stare poterunt retro Celebrantem, & Ministros in alia linea, in medio vero eorum Thuriferarius, & Navicularius: sic igitur omnibus dispositis Celebrans aperiens sibi cum Ministris caput, quod cooperuerant tempore illo intermedio, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, imponit (ubi tamen mos est imponendi, nam in aliquibus Ecclesiis hic Ritus non est in usu) incensum in thuribulo, eo modo quo describetur infra. Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 5. Bauldry *part.* 3. *tit.* 13. *c.* 11. *art.* 4. *n.* 1. Bissus *tom.* 1. *lit. C. n.* 197. Hippolytus a Portu *supra n.* 3. §. *Sacerdote parato*; & Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli *lib.* 1. *consil.* 1. An Celebrans debeat de more tunc benedicere incensum dicens: *Ab illo benedicaris*, &c. non conveniunt Doctores: negat Corsettus *supra*; affirmat vero Lohner, Arnaudus, Bauldry, & noster Gavantus *supra*, quibus adhæret a Portu *loc. supracit.* hac ratione moti, quia Episcopus in Missa Pontificali priusquam exeat *ex* Sacello, seu ex Secretario, ut processionali Ritu procedat ad Altare, in quo Missa est celebranda, imponit, & benedicit thus; ita præscribente Cæremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 8. §. 23.

Imposito incenso in thuribulo Celebrans, & omnes alii antequam a Sacristia discedant, profundam faciant inclinationem Cruci, aut imagini principali, in quo conveniunt omnes Doctores; sed disputant, an nudis capitibus inclinare se debeant tunc præfatæ Cruci, seu imagini? Negat Corsettus *tr.* 1. *par.* 1. *c.* 5. *n.* 2. affirmat vero Bauldry, Byssus, & Hippolytus a Portu loc. cit. hac ratione ducti, quia tunc Celebrans non defert Calicem, ratione cujus in Missa Privata recto capite inclinare sese & Cruci, & Præsulibus, ac Principibus, docuimus supra. Postea cooperiunt caput & Ministri capite tecto, non aperto, ut præscribit Cæremoniale Cleric. Regul. S. Pauli *lib.* 1. *c.* 1. salutant Celebrantem, qui eis aliquantulum se inclinat, capite pariter tecto. Præfata omnia colliguntur ex Cæremoniali Episcop. *lib.* 2. *c.* 8. & ex Bauldry *part.* 3. *art.* 4. *num.* 2. & 3. & *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *num.* 6. & Lohner *part.* 2. *tit.* 3. *de Ritu Solemni num* 2. quos refert & sequitur Hippolytus a Portu *supra n.* 4. §. *Celebrans*; quibus hoc solum addendum esset, quod Celebrans ante ostium Sacristiæ (nisi facienda sit aspersio solemnis, quæ fieri solet in Dominicis diebus) aspergit juxta aliquorum usum Ministros, & Acolythos ante se unico genu flexo; deinde ad Altare procedunt incessu gravi oculisque ad terram demissis hoc ordine. Primus omnium præcedit Thuriferarius nudo capite portans thuribulum fumigans, hoc modo: manu sinistra illud tenens per manubrium, ut dicitur infra in observatione 15. ad titulum 4. eadem manu (si non adsit Navicularius) inter indicem & pollicem naviculam, ejus pede arrepto tenens; ita ut pars, quæ aperitur, sit a parte exteriori: cum vero incedit, dextera per catenulam thuribuli vas elevatum portat, & a se paululum remotum, ne forte superpelliceum aduri, vel commaculari contingat; illud tamen leviter agitabit, ne ignis extinguatur. Dixi ipsum debere deferre naviculam manu sinistra, si non adsit Navicularius: nam si adest, ipse procedit a sinistris Thuriferarii, deferens manu dextera naviculam, manu sinistra pectori admota. Si vero sit dies

Dominicus & facienda sit aspersio aquæ benedictæ; tunc Thuriferarius loco Thuribuli defert vas aquæ benedictæ cum aspersorio, &c.

Lubet tamen animadvertere, quod juxta Totinii sententiam in Cæremoniali PP. Camaldulensium *lib.* 1. *c.* 20. *n.* 3. Thuribulum delatum a Thuriferario, per quatuor fere digitos debet esse apertum, & per planum a superpelliceo remotum, & sine incenso, nisi prius imposuerit Celebrans, altera manu, pectori admota, etiamsi deferat naviculam; cujus cornua debent respicere dextrum, ac sinistrum humerum Acolythi eam deferentis.

Rursus præterire non debemus, quod juxta Cæremoniale Papale *lib.* 3. *sect.* 5. *cap.* 2. Acolythus, sive Cæremoniarius accipit thuribulum cum prunis ardentibus, & ponit catenularum anulos in manu sua sinistra; itaut dependeat thuribulum; naviculam autem incensi portat dextera cum apertura naviculæ a parte exteriori; ut etiam nos innuimus supra: quamvis Totinii opinio non sit rejicienda.

Denique juxta Cæremoniale Clericorum Minorum *part.* 2. *c.* 3. Acolythus Minister, seu Navicularius quando adest, gestabit naviculam non manu dextra, sed sinistra. Sic illi ex Cæremoniali Episcoporum *lib.* 1. *c.* 2. & Castaldo in praxi *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 4. sed Cæremoniale Ambrosianum *lib.* 1. *tit.* de Thuriferariis ita statuit: Acolythi Thuriferarii duo saltem sint, quorum unus a sinistris naviculæ pedem portet: alter vero a dextris thuribulum; uterque tamen & naviculam & thuribulum unica manu dextera elevata æqualiter cum sinistra portabit.

Secundo, post prædictos sequuntur Acolythi, seu Ceroferarii cum candelabris accensis, ea deferentes nudis & discoopertis manibus: ille, qui est a parte dextera, ponit dexteram suam in medio candelabri globo; sinistram vero in pede ad angulum: Ceroferarius autem, qui est ad sinistram, accipit e contra globum candelabri sua manu sinistra; sua vero dextera pedem dicti candelabri, postea Ministri unus post alium, manibus ante pectus junctis, recto capite: ultimus omnium Celebrans capite cooperto, manibusque pariter junctis ante pectus: Cæremoniarius vero, si unicus sit, nudo capite, & manibus junctis debet incedere post Acolythos, & ante Subdiaconum. Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *art.* 4. *n.* 3. & Bissus *tom.* 2. *littera* O. *n.* 422. Verum Castaldus *lib.* 1. *sect.* 1. *c.* 2. *n.* 17. Corsettus *tract.* 1. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. & Hippolytus a Portu supra *n.* 5. tenent, Cæremoniarium debere præcedere omnes, etiam Navicularium, & Thuriferarium; non autem incedere immediate ante Subdiaconum, nec a sinistris post Celebrantem, ut opinantur alii hoc loco debere incedere; quia si primus, Cæremoniarius præcedet omnes, poterit impedimenta submovere obviantia in via ad Altare, v. g. aperire aditum inter Populi frequentiam, aperire januas forte clausas, & alia hujusmodi, quod non ita facile poterit supplere Thuriferarius, & multo minus ipsemet Cæremoniarius, si incedat ante Subdiaconum. Hæc Hippolytus a Portu supracit. ubi addit, quod si duo aderunt Cæremoniarii, conciliari poterunt diversæ Doctorum sententiæ, dicendo, quod secundus Cæremoniarius præcedat Thuriferarium, & primus incedat ante Subdiaconum. Postea sequitur Subdiaconus solus, & post eum Diaconus, ultimo loco Celebrans, & hi tres recto capite, ut supra diximus, & manibus junctis ante pectus, Bauldry, & Bissus, *supra*, &c.

Animadvertere tamen est hic, quod si Celebrans sit cum pluviali, ut sit in Benedictione candelarum, aspersione aquæ benedictæ, &c. tunc Diaconus & Subdiaconus procedunt pares cum Celebrante, Diaconus videlicet a dexteris, & Subdiaconus a sinistris, elevantes a lateribus fimbrias pluvialis ejusdem Celebrantis; Diaconus quidem elevat manu sinistra, dextera pectori admota; Subdiaconus vero elevat manu dextera, sinistra pectori admota. Bauldry *supra*; Corsettus *tractat.* 1. *parte* 1. *capite* 5. *de Celebratione n.* 2. & Bissus *supra* §. 1.

Præterea advertendum pariter est, quod si Sacristia sit retro Altare, tunc parati pro Missa Solemni exeant, si fieri potest, portam a latere dextero Evangelii, & regrediantur per portam a latere Epistolæ, si duæ sint, post finem Missæ. Bissus *tom.* 1. *lit.* C. *num.* 197. §. 6. & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *num.* 11.

Prædicti parati, si procedendo transeant ante Altare majus, ad quod forte Missa non sit celebranda, omnes genuflectunt unico genu, capite discooperto, dummodo in eo asservetur Sanctissimum Sacramentum; si vero non adsit Sacramentum, nihilominus omnes genuflectunt Cruci, excepto solo Celebrante, qui tantum profunde Cruci se inclinat: quod similiter faciunt Ministri Sacri, nisi sint Ecclesiæ Cathedralis Canonici. Si autem transeant ante Santissimum Sacramentum expositum, tunc omnes utrumque genu flectunt, capite discooperto; quod idem observare debent, si transeant ante aliquod Altare, supra quod jam sit Hostia consecrata, vel ministretur Sacramentum; sed in hoc casu satis est, si flectant unicum tantum genu. At si contingat eos transire ante, in quo elevetur Sanctissimum Sacramentum, omnes genuflexi expectant, quousque Sacerdos deposuerit Calicem super Altare, Bissus *supra* §. 3. & *tom.* 2. *lit.* S. *num.* 20. §. 3. Ministri quidem Sacri a lateribus Celebrantis, Ceroferarii in locis suis, habentes Thuriferarium medium, & Navicularium ab ejus sinistris, si adsint. Aliis Altaribus privati nulla fiat reverentia, nisi forte ratione Sanctissimi Sacramenti, quia tunc debet servari regula supraposita. Ex Bisso hic, & ex aliis communiter.

Si Celebrans & Ministri transeant ante, vel per Chorum, tunc debent nudo capite salutare omnes in Choro existentes, qui etiam stantes nudo capite resalutant cum profunda reverentia,

exce-

exceptis Prælatis, qui caput non detegunt, sed stando capite cooperto consalutant. Ex Cæremoniali Episcopotum recognito sub Benedicto Papa XIII. fel. record. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 1. & ex Bauldry *cit. num.* 5. necnon ex Bisso *supra* §. 4. Quod si Altare ita situm sit, ut Celebrans ad illius medium accedere non possit, quin prius transeat per partem Evangelii, aut Epistolæ, v. g. quando Sacristia est retro post Altare, aut alio modo; tunc Ministri illius partis parum retrocedere debent, ut Celebranti transitum facile præbeant, cui profunde illi tunc se inclinant (quibus præfatus Celebrans simplici vel ad summum mediocri capitis inclinatione respondet) videlicet Diaconus & Subdiaconus, & primus Ceroferarius, si transeat per latus Epistolæ; & viceversa Subdiaconus & secundus Ceroferarius, si per latus Evangelii transeat. Bauldry supra *num.* 6. Bissus supra §. 2. & Gerlacus Vinitor *par.* 4. *tit.* 3. *in adnot. in Missam Solemnem* §. 8.

Si vero pergant ad Altare recta linea, dum ad illud accedunt, Diaconus, Thuriferarius & primus Ceroferarius recedunt a parte Epistolæ; Subdiaconus vero, Navicularius, quando adest, & secundus Ceroferarius a parte Evangelii, ibique expectant Celebrantem. Bauldry *num.* 7. Bissus *supra*, & Vinitor §. 9. Cum autem ad infimum Altaris gradum pervenerit; an cum Celebrante Ministri, & Acolythi, seu Clerici consistere debeant in recta linea, æqualiter ante supradictum infimum Altaris gradum, non conveniunt Sac. Rituum interpretes. Affirmativam sententiam amplectuntur Bauldry *part.* 3. *supra n.* 8. *& par.* 1. *cap.* 13. *art.* 3. *num.* 2. necnon Bissus *lit. C. n.* 197. §. 1. negativam vero sententiam tuentur noster Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 1. *num.* 11. Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Hippolytus a Portu supra *num.* 7. quibus adhærendum esse mihi videtur: quia Presbyterium communiter non est tam amplum, ut commode, & cum debita distantia inter se omnes disponi possint: tum quia nec in Missa Pontificali, Ministri omnes stant in eadem linea cum Episcopo, præter Presbyterum assistentem, qui stat a dexteris ejus, & Diaconum Missæ, qui a sinistris, & apud eum modicum retro stat Subdiaconus. *Cærem. Episcopor. lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. Igitur, præsertim si locus Presbyterii nimis angustus sit, recta linea in plano sequenti ordine sese disponant, videlicet:

Subdiaconus a sinistris Celebrantis, Celebrans in medio, Diaconus a dexteris ejus; retro post Subdiaconum unus Acolythus Ceroferarius cum candelabro, retro post Diaconum alter Acolythus Ceroferarius cum candelabro; retro post Celebrantem Thuriferarius cum thuribulo a dexteris; & a sinistris ipsius Navicularius cum navicula, quando etiam ipse reperitur. Quod si supradictus Presbyterii locus non sit angustus, Ceroferarii se locabunt hinc inde aliquantulum a gradibus Altaris distantes, & modicum retro Ministros Sacros, nimirum primus Ceroferarius a dexteris Diaconi, alter a sinistris Subdiaconi. Si adsit, ut decet, Cæremoniarum Magister, hic stabit ut plurimum in cornu Epistolæ; cui tamen determinatus locus assignari nequit, cum de ratione sui officii sit omnia ordinare: unde modo unum, modo alium, secundum quod ipse opportunum judicabit, locum tenebit. Bissus *supra* §. 2. & Bauldry *n.* 8.

Omnibus ut supra dispositis, Celebrans detegit caput, quod idem faciunt Ministri Sacri, & præbet suum birretum Diacono, qui illud recipit, cum quasi osculo illius; ut tradit Bauldry *part.* 3. *cap.* 10. *articul.* 4. *n.* 9. & Hippolytus a Portu *supra num.* 7. §. *Celebrans, & Ministri*, a quo tamen quasi osculo abstinendum est, si Missa celebretur coram Sanctissimo Sacramento exposito. Postea Cæremoniarius, vel alius colligit a Diacono, & Subdiacono omnia birreta, & ea post factam genuflexionem ponit super scamnum deputatum ad sedendum. Bissus, Bauldry *supra*, *& cap.* 31. *art.* 1. *n.* 6. & alii cum Gavanto *supra*: nunquam tamen in Altari ponantur; quod etiam in Missis Privatis observandum est; Gerlacus Vinitor *par.* 4. *titul.* 3. §. 10. vel si scamnum non sit paratum, quia fortasse propter reverentiam sanctissimi Sacramenti expositi sederdum non est, tunc birreta ponantur in alio decenti loco; non vero super credentiam, & multo minus, ut dictum est, super Altare. Bissus *supra loc. cit.*

Detectis capitibus genuflectunt omnes unico genu, si Tabernaculum adsit cum Venerabili incluso. Gavantus *supra*, Arnaudus supra *par.* 2. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 1. *tit.* 11. & alii communiter &c. & unusquisque quidem in suo loco, hoc est Celebrans cum ministris Sacris genuflectit super infimum gradum Altaris; Clerici vero in plano Capellæ genuflectunt. Hippolytus a Portu *supra*, & Benvenuti *in instruct. pro Sacerd. Celebr. in Missa Solemn.* Quod si non adsit Sacramentum in Tabernaculo inclusum (ut adesse non deberet, *ex Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 12. §. 8.) tunc solus Celebrans profundam facit reverentiam; cæteri vero omnes Cruci genuflectunt unico genu, ut supra diximus, ad differentiam Celebrantis. Gavantus *supra*, & cum eo omnes communiter. Si vero Diaconus, & Subdiaconus essent Canonici Ecclesiæ Cathedralis, etiam ipsi cum Celebrante profundam Cruci reverentiam faciunt. Bauldry *part.* 3. *supra*, *eodem num.* 9.

Ceroferarii vadunt ad credentiam (facta ut supra genuflexione) & supra eandem deponunt candelabra cum candelis accensis, in angulis anterioribus ejusdem, juxta sententiam Gav. *supra*, necnon Cabrini, Corsetti, & Nicolai de Bralion, ut sint commodiori usui iisdem Cerofesariis ad ea citius sumenda de credentia. Bauldry tamen *part.* 1. *cap.* 4. *tit.* 3. nec non Bissus *lit. C. num.* 552. §. 8. tenent prædicta candelabra collocari debere in angulis posterioribus cre-

dentiæ, tum quia ibi commodius, & securius ponuntur, tum quia talis videtur communis consuetudo. Prædicti Ceroferarii discedendo ab Altari, & accedendo ad credentiam, hunc Ritum observent.

Statim erecti a genuflexione cum aliis facta, secundus Ceroferarius, qui est in cornu Evangelii primo discedat expectatus a primo Ceroferario, qui est in cornu Epistolæ, ut ita simul ad credentiam pro deponendis candelabris accedant. Advertat autem secundus Ceroferarius, ne aliam genuflexionem, aut reverentiam faciat cum transit ante medium Altaris; sed recto tramite pergat, & se uniat primo Ceroferario, qui est post Diaconum in cornu Epistolæ, & deinde una cum eo vadant ambo simul ad credentiam, ibique deponant candelabra, ut dixi. Primus ponit suum candelabrum ad dexterum latus propius Altare; secundus ad sinistrum latus credentiæ remotius ab Altari: deinde vel ibi genuflectunt a lateribus credentiæ, quasi collaterales candelabris, manibus junctis, facie ad Altare conversa; vel recedunt a Presbyterio, utpote inutiles, donec iterum sumere debeant candelabra, quando Evangelium cantari debet, juxta Ecclesiarum consuetudines. Si remaneant in Presbyterio, donec Celebrans ascendit ad Altare, manere debent genuflexi usque ad finem Confessionis a lateribus credentiæ, non ante eam, sed quasi collaterales candelabris, quantum fieri potest, primus scilicet ad dexterum latus versus Altare, secundus ad sinistrum, manibus junctis facie ad altare conversa, se signantes, & pectus cum aliis, dum dicunt *Mea culpa*, percutientes; Bauldry *part.* 3. *tit.* 13. *c.* 11. *de Missa Solemni art.* 4. *n.* 10. Thuriferarius vero etiam facta genuflexione cum aliis recedit, & in plano prope cornu Epistolæ genuflexione manet &c. agitans aliquantulum thuribulum apertum: Cæremoniarius, si adsit, genuflectit in loco apto & commodo ad functionem suam; ut plurimum vero stat; vel genuflectit ad partem Epistolæ, nisi sit alibi occupatus. Bauldry *ibid. num.* 12. Juxta consuetudinem vero nonnullarum Ecclesiarum, Thuriferarius, & Naviculario, quando Celebrans erectus incipit Missam, remanent retro illum aliquantulum distantes, ambo genuflexi; nec se erigunt, nisi quando Celebrans & Ministri ascendunt ad Altare ad faciendam primam Altaris incensationem ante Introitum Missæ.

RUBRICA.

6. *In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Cæremoniali ordinatur; cujus ordinem Episcopus nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.*

GAVANTUS.

De Missali Pontificali nihil habet amplius Pontificale modernum post editionem Cæremonialis Episcoporum, in quo tradita est integra Pontificalis Missa. Quare in præcedentibus, & sequentibus pro *Pontificali* intellige Cæremoniale Episcoporum.

De principio Missæ, & Confessione facienda, III.

RUBRICA.

2 *Sacerdos cum primum descenderit* (d) *sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare; ubi stans in medio*, (e) *junctis manibus ante pectus, extensis, & junctis pariter digitis, et* (f) *pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis* (*quo semper servatur quando junguntur manus, præterquam post Consecrationem*) *detecto capite, facta prius Cruci, vel Altari profunda reverentia, vel si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.*

GAVANTUS.

(d) *Sub infimum gradum.* Clarior loquendi modus, & habetur *num.* 4. ante infimum gradum.

(e) *Junctis manibus.* Meminit *Nicol. Roman. Pontifex. ad Consecrat. Bulgarorum rescribens* de constrictis ante pectus manibus in Oratione: & ait fieri humilitatis gratia, quia in Evangelio (*Matthæi* 22. *Ligatis manibus.*) reproborum manus ligari reperiuntur, quasi dicat orans; Domine, ne ligari manus præcipias; quia ecce jam eas ligavi, & ecce in flagella paratus sum. *Hæc ille* Item junctio manuum devotionem significat. *Durand. lib.* 4. *cap.* 7. supplices etiam manus indicant supplicio destinatas esse.

(f) *Pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis.* Ita *Burchardus.* Quadrat junctioni manuum secundum prædicta; nam forma hæc, & signum Crucis excitant ad humilitatem, & devotionem, & videtur hoc Ritu quasi formari modus vinculi manuum, de quo paulo ante.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, a descensu Sacerdotis ab Altari, usque ad Missæ seu Confessionis initium.

I. Gavant. litera e — *Junctis manibus*, *&c.*) Quemadmodum ut se Sacerdos humiliet coram Deo, descendit sub infimum Altaris gradum; ita nobiliorem locum sibi proprium occupat stans in medio ante Altare, ut sui muneris servet dignitatem: quando autem celebrat ad præsentiam Superioris, se recipit ad latus, ut suo loco dicemus. Quarti *part.* 2. *tit.* 3. *Rubr.* 1. §. *Convenit*; & a Portu *tit.* 3. *Rubr.* 1. *in addit. num.* 3. Stans igitur Sacerdos in medio plano Capellæ, ante supradictum infimum gradum, junctis manibus

nibus ante pectus extensis, & junctis pariter digitis absque ulla gesticulatione in prædicta manuum junctione manui approximatur; ita ut quilibet digitus suum similem tangat: v. g. index manus sinistræ indicem manus dexteræ, medius sinistræ medium dexteræ: nulla tamen cogit necessitas, ut in qualibet sui parte totaliter se tangant, quod etiam verificatur de anterioribus, & inferioribus manuum palmis, dummodo inepte non distent inter se, Bonamicus *part.* 1. *observ.* 11. *num.* 2. neque directe faciem Celebrantis, neque terram directe respiciant. Idem Bonamicus *supra*, & Gervasi *in catalogo errorum nnmer.* 34. necnon *in instructione cap.* 3. §. *Disceso.* Itaque manus sic junctæ, prout dictum est, planetam ne tangant, quantum fieri potes. Idem Gervasi *supra*, & Castaldus *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. necnon a Portu supra *num.* 4. Id quod facile assequemur, si cubitos pectori propius accommodaverimus, quam lateribus. A Portu *supra n.* 4. In supradicta manuum conjunctione semper junguntur digiti, prout supra expositum est: solum excipitur, ne post Consecrationem pollex dexter ponatur super sinistrum in modum Crucis, cum non disjungantur tunc pollices ab indicibus. Bauldry *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. Sacerdos itaque detecto capite, remoto etiam pileolo (de quo supra satis locuti sumus) & facta prius Cruci, vel Altari profunda inclinatione capitis, & humerorum; ita ut, sicuti observat modernus Auctor, possit manibus extensis tangere genua; *Cærem. Missæ Priv. cap.* 1. §. 1. & Gervasi *supra cap.* 2. §. *E Giacchè*; vel si in eo Altari sit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, tunc faciet genuflexionem unico genu, cui non addenda est alia inclinatio; & postea erectus incipit Missam, ut infra dicemus. Notandum hoc loco est, quod quando Sacramentum non asservatur in Altari, sed ad latus in cornu Evangelii, ut adhuc in multis locis inclusum est extra Altare; tunc non debet illi fieri genuflexio a Sacerdote, antequam incipiat Confessionem. Bauldry *supra*, & Bissus *tom.* 2. *lit. S*, *num.* 20. §. 10.

RUBRICA.

2 *Si celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris* (g) *a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat.* (h) *Accepta Benedictione erigit se, & stans aliquantum versus ad Altare incipit Missam. Si autem sit* (i) *coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha,* (l) *Archiepiscopo, & Episcopo,* (m) *in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis; stans ante infimum gradum a cornu Evangelii, ut supra, expectat: dato signo facit profundam reverentiam Prælato, & versus ad Altare incipit Missam.*

GAVANTUS.

(g) *A cornu Evengelii.* Eo quia Summus Pontifex occupare debet locum medium ante Altare, utpote nobiliorem: idem locus debetur aliis Prælatis: Minister autem erit in cornu Epistolæ. Si vero locus non capiat Prælatum in medio; nihilominus Celebrans prædicto in cornu Missam incipiat.

(h) *Accepta Benedictione.* A Papa petit Celebrans Benedictionem, non ab aliis inferioribus Papæ; quibus profunde tantum inclinat caput, quia vestibus paratus est sacerdotalibus; illi vero etiam genuflectit tanquam summo Sacerdoti.

(i) *Coram Cardinale.* Addit *Burchard.* in loco sui Tituli, seu Cardinalatus: sed vere ubique Terrarum Card. aliquam juridictionem habent, & summam in toto Orbe præeminentiam, *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 4. tanquam Consiliarii Papæ: unde & ubique mozzettam, seu birrum lacernum induunt, indicium jurisdictionis; & est (colore rubeo excepto) vestis Episcopalis. *Apud Baron. de Sancto Cypriano anno* 261. Plura de birro *Gabriel Pennotus in histor. tripartita Can. Reg. lib.* 1. *cap.* 22.

(l) *Archiepiscopo.* In tota ejusdem Provincia, in qua idcirco & ipse mozzetram induit.

(m) *In eorum residentiis.* Episcopis datur hic honor in Ecclesiis etiam Regularium, & exemptis intra suas diœceses, in quibus usum habent rocchetti nudi, & mozzettæ, quæ sunt plenaria jurisdictionis indicia.

Docet *Microl. cap.* 22. Sacerdotem sacrificaturum debere se inclinare Episcopo pro licentia celebrandi; id est si proprius est Episcopus.

* Cum aliis Principibus, & Prælatis debet Sacerdos ita se gerere, ut eos quidem honoret, sed parcius, quam prænominatos in Rubrica, puta antequam accedat ad Altaris gradus Calicem tenens manibus, ut supra, sese illis inclinet, capite tecto profunde, & profundius pro dignitate personarum. Idem præstare poterit in fine Missæ recedens ab Altaris gradibus, dum adhuc est in plano capellæ.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ coram Summo Pontifice, seu Cardinale &c.

II. Gavant. lit. g. — *Utpote nobiliorem.*) Sacerdos celebraturus coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a latere in cornu Evangelii; Minister autem erit in plano capellæ a latere in cornu Epistolæ. Antequam vero incipiat Missam, genuflectit in plano, in eodem scilicet loco, in quo confessionem facere debet; & ita genuflexus ad Summum Pontificem se vertens expectat ab eo benedictionem.

III. Gavant. lit. h — *A Papa petit Celebrans Benedictionem, non ab aliis inferioribus Papa.*) Sacerdos igitur coram aliis Prælatis, Summo Pontifice inferioribus, celebraturus, quamvis genuflexio-

xionem faciat in cornu Evangelii; non tamen genuflectit Prælato, neque expectat Benedictionem: hoc enim solum Summo Pontifici est præstandum, uti Summo Sacerdoti: qua Benedictione accepta, surgit, & aliquantulum versus Altare se vertens, incipit Missam, prout in Ordinario Rubrica supra *num.* 2. & Gavantus *ibid. tit. H* necnon Bissus supra §. 11. & a Portu *par.* 2. *cap.* 4. *tit.* 3. *Rubrica* 2. *in adnot.*

IV. Gav. lit. i — *Coram Cardinale, &c.*) Coram Cardinale ubique Terrarum; coram Legato Sedis Apostolicæ in tota sua Legatione; coram Patriarcha in toto suo Primatu; coram Archiepiscopo in tota sua Provincia; coram Episcopo in tota sua Diœcesi, & etiam in Ecclesiis, Regularium, quomodolibet exemptis, sed existentibus infra fines talis jurisdictionis, in quibus habent usum rochetti nudi, & mozzettæ, quæ sunt plenariæ jurisdictionis signa, debet Sacerdos coram prædictis celebrans adimplere ea, quæ tradit Gavantus supra, nimirum non petere ab illis, utpote Papa inferioribus, Benedictionem; sed illis tantum profunde inclinare caput, ut supra dictum est, postquam accepit signum ab aliis respective celebrandi Missam. Corsetus *tract.* 1. *par.* 2. *cap.* 16. *num.* 4. Bauldry *par.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 14. & a Portu *supra* inhærentes nostri Gavanti, & communi sententiæ. Idem præstare debet, quod præstat ad præsentiam supradictorum, si celebret coram Abbate benedicto, & habente usum mitræ & baculi, vel alio simili Prælato exempto, & habente pariter usum Pontificalium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, ex paritate dignitatis, in locis tamen suæ jurisdictionis. Bauldry *par.* 5. *cap.* 9. *n.* 1. *& tit.* 6. *Rubr.* 6. *num.* 3. a Portu *supra num.* 5.

Si autem contingat Sacerdotem celebrare coram Prælatis extraneis, sive coram proprio Prælato, sed in aliena Diœcesi; tunc ita se gerere debet, quoad prædicta, ac si illi non adessent. Lhoner. *par.* 4. *tit.* 5. *num.* 9. Bauldry *supra n.* 12. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 14. Nihilominus si contingat celebrare coram Prælato proprio, sed in privato Oratorio ipsius Prælati, & ad præsentiam solius suæ familiæ, tunc juxta sententiam Tonellii *lib.* 2. *tit.* 14. *num.* 9. Moncii de Missa coram Prælato, §. 2. & Hippolyti a Portu *supra num.* 6. tunc, inquam, idem agere deberet cum dicto Prælato, ac si celebraret in ejus jurisdictione.

* V. *Cum aliis Principibus, etc.*) Principum Sæcularium, etiam magnorum, quoad præsentem circumstantiam nulla foret habenda ratio, sicut non habetur Prælatorum extraneorum: nihilominus debet haberi ratio eorum dignitati juxta consuetudinem locorum legitime introductam: neminem quidem in via detecto capite salutare debet Sacerdos, quando Calicem defert, sed solum eo cooperto Prælatis, & Magnatibus pro personæ dignitate se inclinare, ut docet Tonellius *par.* 2. *tit.* 2. *Rubr.* 1. *in notis num.* 6. §. *Si Sacerdos:* & ut nos supra adnotavimus suo loco. Præterea Sacerdos antequam Missam incipiat, & ea finita salutat convenienti inclinatione dictos Magnates; id, quod duobus modis fieri potest. Primo antequam Missam incipiat, postquam Altaris gradus descendit, & antequam se ad ipsum Altare convertat, eos salutet: & in fine dum est in Capellæ plano, ab Altari discessurus. Secundo modo sic: postquam descendit Altaris gradus pro facienda Confessione, prius se ad Altare convertat, ut ei genuflexionem faciat, seu reverentiam, prout decet; postea se ad Prælatum, sive ad Magnates vertat, quibus debitam facit inclinationem, & iterum ad Altare conversus, Missam incipiet. In fine vero, lecto ultimo Evangelio, ab eodem loco se ad eos salutandos convertat. Quinam autem ex his duobus modis eligendus sit, praxis & consuetudo docebunt. Certe modus secundus videtur convenientior; tum quia initio Missæ prius fit reverentia Altari, deinde Prælatis, vel Magnatibus, quod utique magis decet; tum quia in fine fortasse non semper illi expectant, donec Sacerdos descenderit Altaris gradus in plano Capellæ.

Prætereundum non est, quod Sacerdos celebrans coram proprio Episcopo in loco ejus jurisdictionis, vel in ejus Oratorio privato, prout supra, debet ad illum se convertere, dum dicit, *Tibi Pater, & te Pater;* cui pariter, postquam dedit signum ut celebrare possit, & facit, ut diximus, profundam reverentiam, ad licentiam sacrificandi obtinendam; ut cum Micrologo adnotavit Gavantus supra, & docent pariter Lohner, & Bauldry supra: qua reverentia facta versus ad Altare incipit de more Missam, faciendo iterum profundam inclinationem, aut genuflexionem Altari; prout aderit, vel non aderit inclusum in Tabernaculo Sacramentum; & muniens se signo Crucis, dicit: *In nomine Patris, etc.* & sic prosequitur.

Reliqua spectantia ad hanc Missam celebrandam coram Summo Pontifice, Cardinale, Episcopo, &c. traduntur *ad tit.* 6. *Rubr.* 2. in Commentariis Gavanti, & in nostris Observationibus.

RUBRICA.

3. *Si autem solemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis, in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans a sinistris Prælati, facit cum eo Confessionem, ex alia servat, ut in Cæremoniali ordinatur.*

4. *Stans igitur Celebrans* (n) *ante infimum gradum Altaris, ut supra producens manu dxtra a fronte ad pectus* (o) *signum Crucis, dicit intelligibili voce. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari Celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet: sed continuat prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa Solemni; et simul* (p) *etiam a Ministris.*

G. A.

GAVANTUS.

(n) *Ante infimum gradum.* Id est in plano Capellæ.

(o) *Signum Crucis.* Ante omnem actum manus pingat Crucem: *S. Hieron. epist. 22. ad Epist. c. 16.* & manu dextera, *ex Justino Martyre ad Orthod. resp. ad quæst. 118.* & manu plena; hoc est, quinque digitis ad quinque vulnera Christi significanda: *Durand. lib. 2. cap. 46.* sed tribus digitis signum Crucis exprimendum esse, quia sub invocatione Trinitatis imprimitur, ajebat *Innoc. III. l. 2. cap. 45.* & memorat *Leo IV. epist. ad Episcopos*; ita ut manus a superiori descendat in inferius; & a dextera transeat ad sinistram: quia Christus de cælo descendit in terram, & a Judæis transivit ad Gentiles. Quidam tamen, *subdit ille*, a sinistra producunt in dexteram (quod nos hodie præstamus) quia de miseria transire debemus ad gloriam, sicut & Christus de morte transivit ad vitam. *Hæc Innocent.* ubi etiam habes invocationem Trinitatis, *In nomine Patris, &c.*

(p) *Etiam a Ministris.* Intellige de Ministris paratis, non de inferioribus. Sed expeditet Missas privatas facere procul ab Altari, ubi Missa fit Solemnis, vel omittere pulsationem campanulæ ad elevationem, judicio prudentis Sacristæ.

Novæ Observationes, Additiones &c., pro Ritu Missæ privatæ servando in ipsius initio.

VI. Gavant. lit. o *Ante omnem actum manus pingat Crucem.*) Sacerdos itaque pro incipienda Missa producit sibi a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dexterum signum Crucis, dicens intelligibili voce: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et prosequitur Confessionem. Aptissime incipit Ecclesia initium Missæ a salutifero Crucis signo, & invocatione SS. Trinitatis, a quo omnia auspicari semper Christianis solemne fuit, teste Tertulliano, qui *lib. de coron. milit. cap. 1.* inter ea quæ ex traditione sine ullius scripturæ testimonio usurpantur, hoc etiam recenset: quia oportet a Deo incipere, & ejus auxilium invocare, sine quo nihil boni inchoatur, nihil boni perficitur, & idcirco nomen SS. Trinitatis invocatur. Sanctus vero Cyrillus Hierosolymitanus *in cathec. 13. Non pudeat*, ait, *nos Crucifixum confiteri; sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur; & in aliis omnibus Crux fiat, & in panibus comedendis, &c.* Idem docet S. Cyprianus *epist. 58* D. Ambrosius *de Isaac, & Anima cap. 8.* & alii communiter. Quilibet igitur Christi athleta opus præsertim grande aggressurus, præmunire se debet Crucis signo ad terrendos inimicos, ad fugandos dæmones; ut monet D. Hieronymus *loc. a Gavanto supertus cit.* quapropter potiori ratione hoc facit Sacerdos in Missæ initio Crucis Mysteria celebraturus; ut latius explicat noster Molphesius, *summ. tract. 3. cap. 11. de partibus Missæ.* Quarti *part. 2. tit. 3. Rubr. 4.* Claudius de Vert *tom. 3. cap. 1. in Rubr. 1.* Petrus le Brun *tom. 1. part. 1. art. 2.* Auctor anonymus tractatus Missæ Parochialis Gallice exarati *part. 2. art. 3.*

VII. Gavant. eadem lit. o - *Sed tribus digitis signum Crucis exprimendum esse.*) In efformando prælaudato Crucis signo nobis Christianis mos est manu integra tribus digitis Crucis signum efformare: hinc merito legimus antiquitus vetitum, ne unico digito Crucis signum efformaretur, propter Monophisitas Hæreticos, qui unico digito Crucem effingebant: quandoquidem ipsi in Christo post unionem duarum naturarum, Divinæ & humanæ, has in unam coaluisse affirmabant, quod dum se uno digito signabant, satis aperte indicare viderentur; ut refert Nicephorus *lib. 18. cap. 43.* Notabilis ad hanc rem est historia Meletii Antiocheni Episcopi apud Nicetam *lib. 1. cap. 21. thes. Orth. Fid. Meletio igitur docenti in concione, Divinum Filium Æterno Patri esse consubstantialem, Archidiaconus Arianæ factionis, qui aderat; manu os occlusit; at ille tribus digitis expansis singillatim, tum in unum adductis, quod voce non potuit, signo declaravit, se Trinitatem Personarum Divinarum, et unicam Divinam essentiam credere*, quo facto Meletius omnem a se Arianismi suspicionem amovit. De hoc Ritu efformandi Crucem tribus digitis videri possunt ea, quæ tradit de Vert *loc. cit.*

Si antequam Sacerdos Missam incipiat, elevetur in Altari vicino Sanctissima Eucharistia, dum accommodat Calicem, aut requirit Missam, prosequatur quæ peragit: deinde descendens ad planam terram utrumque genu flectat in infimo gradu, si depositus nondum fuerit Calix; & item genuflectat utroque genu in eodem infimo gradu, si nondum inchoato *In nomine Patris*, dum descendit ab Altari, elevetur Hostia; nec surgat nisi deposito Calice, Bauldry *part. 3. tit. 3. Rubr. apud ipsum 3. num. 8.* Cabrinus *cap. 8. §. Celebrans non debet*, & Castaldus *lib. 2. sect. 8. c. 2.* sed si incœperit jam Missa (dum fit prædicta elevatio Hostiæ) eam continuare & prosequi debet usque ad finem: est enim unica moralis actio, quæ unionem moralem partium requirit; & consequenter continuationem, cui opponitur interruptio. Bissus *lit. S. num. 20. §. 15. et* Hippolytus a Portu *supra Rubr. 2. in adnot. n. 8.* ubi advertit se dixisse moralem, ut includeret actiones illas physicas, v. g. Panegyrim, Concionem, quæ licet non habeantur de lege ordinaria in Missa, tamen faciunt unum morale cum Missa, si habeantur.

Pro Ritu Missæ Solemnis.

VIII. Gavant. lit. p - *Etiam a Ministris. Intellige de Ministris paratis.*) Celebrans erectus cum Ministris Sacris, facta debita reverentia, ut suo loco adnotatum est, manibus junctis, deinde dexte-

dextera se signans a fronte ad pectus, sinistra extensa, & admota pectori (quod idem faciunt Ministri) incipit Missam, dicens: *in nomine Patris, etc.* eamque prosequitur cum Ministris Sacris, ut in Ordine Missæ: & ab hoc loco, nec Ministri advertere debent ad quemquam in alio Altari celebrantem, manusque ita teneant junctas ante pectus, ut si fieri potest, planetam, aut dalmaticam, sive tunicellam non tangant, neque ei prorsus submittant. Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *art.* 4. *n.* 13. & Gerlacus Vinitor *par.* 4. *tit.* 3. §. 13.

Dum Celebrans incipit *In nomine Patris*, Ministri inferiores maneant genuflexi a latere Altaris prope credentiam in cornu Epistolæ in plano, videlicet Thuriferarius in medio, primus Ceroferarius a dextris, & secundus a sinistris illius, ut alibi diximus; & si aderit Navicularius, vel alius Acolythus, dictus *de Libro*, tenebit locum a sinistris Thuriferarii & Ceroferarii, hinc inde omnium postremi in recta linea omnes junctis manibus se signantes dum dicitur, *In nomine Patris*, percutientes pectus, ad illa verba, *Mea Culpa:* Bissus *lit. C. n.* 193. §. 7. & statim ac Celebrans incipit, *In nomine Patris*, in Choro cantetur Introitus. *Cær. Episc. lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. Bissus *supra*, & Bauldry *loc. cit. num.* 16. Cæremoniarius genuflectat in loco, in quo maluerit, cum neque stanti, nec genuflexo certus in Presbyterio locus assignari possit. Gavantus *supra tit.* 2. *sub. lit. C.* Arnaudus *hic*, & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *num.* 12. qui subdit, quod, ut plurimum Cæremoniarius stat, vel genuflectit ad patrem Epistolæ, & satis congruenter, nisi sit aliter occupatus. Castaldus vero *lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. *n.* 19. docet, quod si Cæremoniarius genuflectat post Celebrantem in casu contingenti, commodior erit Celebranti, & ad implendum suum munus. Quoties Celebrans se signat, aut caput inclinat, toties ipse quoque se signat & caput inclinat; non tamen ad ejusdem Confessionem se inclinat, aut percutit pectus. Iterum, quando Ministri Confessionem faciunt, profunde se inclinat versus Altare, si genuflectat in latere Epistolæ, & pectus cum aliis percutit, & versus Celebrantem se inclinat, dum illi dicunt, *Tibi Pater, et te Pater.* Lohner *part.* 3. *titul.* 4. *n.* 5. Hippolytus a Portu *tit.* 2. *de Miss. Solemn. in adnot. n.* 8. §. *Cæremoniarius.*

RUBRICA.

5. *Cum seipsum signat, semper sinistram* (q) *ponit infra pectus, in aliis Benedictionibus cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Se ipsum benedicens, vertit ab se palmam manus dextræ, et omnibus illius digitis junctis, et extensis a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis, extensis, quod in omni Benedictione observatur.*

GAVANTUS.

Eadem omnia *Burchardus.*

(q) *Ponit infra pectus.* Ita ut sinistra manus sit extra terminos Crucis a dextra impressæ, sed tamen supra cingulum eam ponat. Reliqua patent, & habentur, *apud Innocentium III. citato loco.* Cur autem benedicens aliis rebus in Altare ponit sinistram super Altare, causam dabimus *infra tit.* 7. *num.* 5. nam in utroque hoc casu non decet sinistram manum suspensam quasi in ære teneri, sed deponi debet, ut quiescat; cum proportione tamen ad terminum, ad quem movetur dextera; & hæc docent Rubricæ.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ tam Solemnis, quam Privatæ in ipsius Missæ initio.

IX. Gavant. lit. q - *Ponit infra pectus.*) Sacerdos se signat (quod idem faciunt Ministri) dicens. *In nomine Patris, etc.* tangit materialiter (non moraliter in aere, sed versa ad se palma manus dexteræ, & omnibus illius digitis junctis, & extensis) frontem tribus mediis dexteræ digitis; Baldassarius *part.* 1. *cap.* 1. §. *Facto quæsto.* Dum dicit *et Filii* tangit pectus; dum dicit *et Spiritus* tangit humerum sinistrum, dum dicit *Sancti* tangit humerum dextrum; ita communiter omnes: postea dicit *Amen.* Celebrans, nec Ministri caput inclinent dum se signant, sed erectum habere debent, Bauldry *part.* 3. *tit.* 3. *Rubr.* 4. *num.* 1. Vinitor *part.* 2. *tit.* 3. §. 7.

X. Gavant. eadem lit. q. - *Cur autem benedicens aliis rebus in altari, etc.*) Sacerdos benedicens aliquid in altari, ideo sinistram ponit super Altare, quia non decet sinistram manum quasi in aere suspensam tenere; ut docet noster Gavantus. Hoc idem servari debet quoties præstandum est aliquid unica manu, v. g. quando vertenda sunt folia Missalis, vel aliquid simile agendum est; tunc enim alia manus deponi debet; ut observat supracitat. noster Gavantus, & cum eo Vinitor *supra* §. 9.

Deinde dicenda sunt omnia fideliter, ut in Missali, nihil addendo, nihil immutando, cum omni attentione, distinctione, & gravitate; cavere debet etiam Sacerdos, ne nimium præceps sit, atque festinus, ita nec æquo tardior, aut prolixior sit, magisque rationem habere debet publicæ ædificationis, quam sui affectus; quod ut honeste fiat, semihoræ spatium Missis Privatis & necessarium esse, & sufficere arbitratur Gerlacus Vinitor *supra* §. 12.

RU-

RUBRICA.

§ *Postquam dixerit, In nomine Patris, etc. ut supra jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiph.* (r) *Introibo ad Altare Dei: Minister retro post eum ad sinistram genuflexus (et in Missa Solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur) Ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum Ministro, vel Ministris alternatim Psalmum:* (s) *Judica me, usque ad finem, cum Gloria Patri. Quo finito, repetit Antiphonam, Introibo, cum Ministris, ut supra. Qui Psalmus* (t) *nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de tempore,* (u) *a Dominica Passionis inclusive, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive; in quibus semel tantum dicta Antiphona, Introibo, cum Ministris, ut supra, Sacerdos statim subjungit... Adjutorium, etc. ut infra, cum in fine Psalmi, dicit, Gloria Patri, etc. caput Cruci inclinat.*

GAVANTUS.

(r) *Introibo ad Altare Dei.* Habet *Ambros. l. 1. de Sacram. cap. 2.* & docet solitum dici *Microl. cap. 23.*

(s) *Judica me Deus, etc.* Habet *Microl. ibidem*, & ex Decreto Cælestini dici asserit *Durand. l. 4. cap. Cum Platina*, qui Martinum Cassinatem citat.

(t) *Nunquam prætermittitur, nisi, etc.* Quoniam in Missis Defunctorum, & Passionis tempore, abstinemus a versu lætitiæ, *Gloria Patri, et Filio*, quo Psalmus, *Judica*, concludi debet; ideo Psalm. totus omittitur, præterquam quod lætitiæ quoque Psalmus est, dum dicitur contra tristitiam: *Quare tristis es, anima mea?* at in his casibus non est fugienda tristitia.

(u) *A Dominica Passionis.* Docent aliqui recentiores Hispani, hinc Rubricam servandam esse quoque in Missis Votivis de Cruce, & Passione, tempore Passionis, & alteram item, de qua infra, ad *Lavabo*, ut non dicatur *Gloria.* Sed vere dispar est ratio: nam hæ Votivæ sunt, hoc est, non concordant cum Officio de tempore, tum Missa de Cruce discordat etiam in colore paramentorum a tempore Passionis.

Novæ Observationes & Additiones, &c. Pro Ritu Missæ Privatæ ab initio, Psalmi Judica me Deus, usque ad finem ejusdem Psal.

XI. Gavant. lit. r. - *Introibo ad Altare Dei.*) Formato signo Crucis (eo modo quo supra *n.* 9. diximus) Sacerdos iterum manus jungit ante pectus, deinde pronunciat voce clara, & intelligibili Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei*, Minister vero in Missa privata genuflexus ad cornu Evangelii in plano aliquantulum post Celebrantem a sinistris ejus, vel si sint plures graduum ordines, ante infimum supremi ordinis, & manibus junctis respondet, &c. Bauldry *part. 1. c. 17. de Minist. Miss. Priv.* unicus enim debet esse talis Minister Missæ Privatæ, cum. - *Neque Vicariis generalibus, etiamsi sint Protonotarii, duo Ministri cum cotta concedantur* - ut statutum est a S. R. C. die 6 Augusti 1627. & alibi diximus. Decretum citatum est in nostro Indice *sub num.* 215. Cum igitur Sacerdos incipit Missam, dicens: *In nomine Patris*, Minister pariter se signat cum eo, eique respondet, postquam dixit *Introibo*, *&c.* subnectens, *Ad Deum qui lætificat*, *&c.* similiter respondet ei ad Psalmum *Judica me Deus*, conformando vocem suam voci Sacerdotis celebrantis quoad fieri potest. Bonamicus *part. 1. obser. 7. num.* 3. Corsettus *tract. 1. part. 1. cap. 1. num. 1.* Hæc autem dicens Minister stat pariter erectus, & non inclinatus, quantumvis genuflexus. A Portu *tit. 3. Rubr. 4. in adnot. num.* 6.

Initio Missæ Sacerdos clara voce pronuntiat supradictam Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei, ex Ps. 42.* sibi statuens, & proponens finem, & sublimem terminum, ad quem tendit, & ad quem dirigere debet reliquas actiones, nempe Altare Dei, & oblationem Sacrificii, quo nihil dignius, & sublimius excogitari potest, ex Tridentino *sess. 22. in Decreto de observ. in Celebr. Missæ*, ut sic cautius procedat Sacerdos, & ad devotionem excitetur. Deinde recitat ut supra cum Ministro totum prædictum Psalm. 42. qui aptissimus est eidem Missæ initio, quo se disponit Sacerdos celebrans ad ingressum Altaris, & ad ascensum ad montem Dei. Quarti *part. 2. tit. 3.* de principio Missæ *num.* 6. & Card. Bona in tractatu ascetico de Missæ Sacrificio *cap. 5. §. 4.*

XII. Gavant. ead. lit. r. - *Habet Ambrosius l. 4. de Sacramentis.*) Hanc Antiphonam in Missæ initio tempore S. Ambrosii dici consuevisse, videtur asserere Gavantus supra, & expresse id adstruit Stephanus Duranti, *de Rit. Eccl. Cath. l. 2. cap. n. 4.* sed perperam, ut optime advertit Card. Bona *lib. 2. cap. 2. num. 3.* nam liber de initiandis D. Ambrosii *cap. 8. & lib. 4. de Sacr. cap. 2.* quæ duo loca citari solent in comprobationem hujus assertionis, nec de Sacerdote, nec de Missa loquuntur, sed de recenter baptizatis. *His abluta Plebs*, ait Ambrosius loco priori, *dives insignibus ad Christi contendit Altaria dicens, Introibo ad Altare Dei; ad Deum qui lætificat juventutem meam. Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata ut aquilæ juventus cæleste illud festinat adire convivium; & lib. cit. de Sacram. Veniebas*, inquit, *desiderans ad Altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet Anima tua: Introibo ad Altare Dei; ad Deum, qui lætificat juventutem meam, Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ juventutem; hæc præstiterunt tibi Sacramenta cælestia*, Baptismi videlicet, &

Con-

Confirmationis, de quibus in præcedenti sermo fuit.

XIII. Gavant. lit. s. - *Judica me Deus &c.*) Pronunciata a Sacerdote cum Ministro dicta Antiphona, incipit cum eodem Ministro alternatim recitare Psalmum: *Judica me Deus;* quem Psalmum non ante ducentos annos ab Ecclesia Romana fuisse susceptum, tradit Claudius de Vert *tom. 3. part. 1. cap. 1. in Rubr. 6.* Hæc tamen sententia validissimis impugnatur argumentis: Micrologus enim a Gavanto suprac. qui Ordinem Missæ Romanæ describit, hunc Psalmum ante Missam recitatum fuisse testatur: *Paratus*, inquit *cap. 23. Sacerdos venit ad Altare, dicens Antiphonam*, Introibo ad Altare Dei, & *Psalmum*, Judica me Deus, *post quem sequitur Confessio*, Addimus inconcussum Innocentii III. Pontificis testimonium, quo D. de Vert castigetur incuria: *Pontifex* (Innocentii verba sunt *lib. 2. de Myst. Miss. cap. 13.*) *ad Altare perveniens, et ad seipsum revertens, antequam ordiatur Sacrum Officium, de peccatis sui: cum astantibus confitetur, Psalmum illum præmittens, qui manifeste per totum sibi ad hoc dignoscitur pertinere, et convenire* Judica me Deus; *ut discretus a gente non sancta, et ab homine liberatus iniquo, ad Altare Dei dignus introeat.* Accedit Radulphi Tungrensis auctoritas, qui hunc morem ab Ecclesia Romana in alias emanasse fatetur. *Sacerdos igitur paratus*, ait Scriptor ille Sæculi XVI. *veniens ad Altare, Romano ordine dicit Antiphonam* Introibo *cum Psalmo* Judica; *et facit Confessionem.* Demum in Missali Romano ante annos quingentos exarto, quod extat M. S. in Bibliotheca Angelica, hæc leguntur: *cum autem indutus fuerit, accedat ad Altare, et dicat*, Introibo ad Altare Dei... Ad Deum, &c. *Psalmum*, Judica me Deus: *tum inclinet se ante Altare, et dicat*, Confiteor Deo &c. His atque aliis, quæ afferri commode possent, testimoniis, Scriptoris Galli funditus labefactatur opinio. Opponit tamen idem Claudius de Vert silentium Ordinis Romani XIV. acutissimum sane telum; sed eam tantum ferit dexteram, quæ illud imperite vibravit. Quid hoc Romani Ordinis testimonio disertius? *Indutus Dominus Papa*) sunt ipsissima illius Ordinis verba *int. 2. musæi Italici pag. 329. num. 71.* cujus nobis silentium tam confidenter obtruditur) *omnibus Pontificalibus, dicit ante Altare versic.* Introibo ad Altare Dei... Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Deinde Papa incipit Psalmum*, Judica me Deus; *completur tam per eum, quam per adstantes. Demum repetit*, Introibo ad Altare Dei.. ad Deum, &c. Videatur idem Ordo *pag. 314. n. 60. 318. n. 62. 324. n. 66. 316. num. 68.* Nolim cum Petro le Brun ex hac observatione malæ fidei Thesaurarium Cluniacensem arguere; adeo tamen turpis est error, ut *Viro ad eruendam, et asserendam simplicem, ac nudam Rituum Ecclesiasticorum veritatem nato* condonari absque scrupulo nequeat. Scimus quidem hujusmodi Ritum ante Missalis recognitionem a Pio V. peractam, ab omnibus non fuisse receptum, utpote arbitrarium, & hinc a quibusdam omissum, (ut etiam nunc ab Ecclesis Medialonensis, & Lugdunensi, a Dominicanis, & Carthusianis omittitur) ab aliis recitatum in ipso Sacrario (ut ab Ecclesiis Senonensi, & Rhemensi, & olim ab Ecclesia Aurelianensi) ab aliis dum Sacerdos pergeret ad Altare; quem Ritum servant hodie Carmelitæ, & aliquæ Galliarum Ecclesiæ. Verum alienam consuetudinem adscribere velle Ecclesiæ Romanæ, absque ullo legitimo teste, *Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.* Cæterum octingenti, & amplius anni sunt, ex quo hic Psalmus cum sua Antiphona ante Missam recitari consuevit; cum reperiatur in codice Chisio ab Eminentiss. Bona vulgato, in appendice rerum Liturgicarum, quippe octingentorum annorum ætatem superare videtur. Alia quæ spectant ad originem, & usum recitationis prædicti Psalmi in Missæ exordio, legi possunt apud Cardin. Bona *lib. 2. c. 2. num. 3.* necnon apud Jo. Grancolas *lib. de antiquis Liturgiis pag. 459.* & *in tract. de Missa pag. 4.*

XIV. Gavant. lit. s - *Et ex Decreto Cælestini dici asserit Durandus lib. 4. etc.*) Hoc loco Gavantus videtur adhærere opinioni Durandi ex Decreto Cælestini Summi Pontificis, (qui ann. 422. Romanam cæpit regere Ecclesiam) recitationem prædicti Psalmi in liturgiæ exordio institutam fuisse; cujus rei profecto nullum est argumentum: legimus enim in Anastasio Bibliothecario Cælestinum præscripsisse quidem recitationem centum quinquaginta Psalmorum ante Missæ Celebrationem; non vero recitationem tantum prædicti Psalmi, *Judica ma Deus*, ante Liturgiæ initium. *Hic constituit* (en verba Anastasii, seu alterius Auctoris lib. Pontificalis in Vita Cælestini Papæ) *ut Psalmi David ante Sacrificium psallerentur antiphonatim, quod ante non fiebat: recitabantur tantum Epistolæ Pauli, Evangelium; et sic Missæ fiebant.* Hinc & ex aliis supradictis magnum robur communi sententiæ accedit; & idcirco omnes Auctores Liturgici mox expositam Durandi sententiam communiter rejiciunt. Dubitant tamen, utrum ex institutione Cælestini canerentur omnes integri Psalmi Davidici; & an quædam Antiphonæ tantum ex Psalmis excerptæ? Cardinalis Bona *lib. 2. rer. Liturg. cap. 3. n. 1.* autumat nonnisi prædictas Antiphonas cum uno tantum integro Psalmo decantari consuevisse.

XV. Gavant. lit. t. - *Sed vere dispar est ratio.*) Optime decidit Gavantus, quod in omnibus Missis Votivis de Passione, & de Cruce, etiam tempore Passionis dicitur prælaudatus Psalmus, *Judica me Deus, et Gloria Patri*, in Introitu, & ad Psalmum *Lavabo*, quia non sunt Missæ de tempore, sed Votivæ: idem pariter docent Bissus *tom 2. lit. P. n. 255. §. 1. et 2.* Vinitor *supra §. 13.* & Turrinus in *directorio Sacrificantium part. 2. sect. 2. cap. 1.* ubi ex professo agitat hanc quæstionem, & satis docte nostri Gavanti sen-

ten-

tentiam pariter propugnat. Denique in eadem sententia versatur Hagerer *in append. tit. 1. de Missis Votivis privatis* §. 3. ubi allegat Decretum S. R. C. sub die 10. Februarii 1647. quod tamen non reperitur in registris Sac. Congr. extat quidem aliud Decretum datum in nostro Indice *sub n.* 440 & editum a S. R. C. die 21 Augusti 1669. *in Tornacen.* in quo sancitur — Missa B. M. V. sub invocatione septem Dolorum Feria 6. infra hebdomadam Passionis, ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, debet recitari cum Gloria ad Introitum, & cum Psalmo *Judica me Deus* ad Confessionem, sed sine *Gloria in excelsis* — Ex quo liquet, quod prædicta Missa tunc dicebatur in gradu Missæ Votivæ, cum prohibita fuerit recitatio Hymni *Gloria in excelsis*; & nihilominus præscriptum fuit, quod non omittatur recitatio Psalmi *Judica me Deus* ad Confessionem; *& Gloria Patri* ad Introitum.

Dum Sacerdos in fine Psalmi dicit *Gloria Patri*, tam ipse, quam Minister inclinat profunde caput solummodo, non corpus, ideoque inclinatione minima, seu simplici; in qua tamen aliqualem humerorum inclinationem talis capitis inclinatio secum trahit: unde debent se inclinare inclinatione minimarum maxima, de qua sermonem fecimus in nostris Observ. & Add. *tit. 2. Rubr. 1. n. 1. lit. A*, dicto Gloria Patri in fine Psalmi, Sacerdos repetit Antiphonam *Introibo* non addendo particulam *&*, ideoque non dicendo, *& Introibo ad Altare, &c.* Baldassarius *c. 1. §. Quando*; Angel. *in catal. errorum, n. 8. in Conf.* Tonel. *l. 2. tit. 3. Rubr. 6. num. 2.* & Gervas. *in catal. errorum num. 37.*

RUBRICA.

7 *Repetita Antiphona, Introibo, dextera manu producens signum Crucis fronte ad pectus dicit . . . Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram. Deinde Altari se profunde inclinans junctis manibus dicit,* (x) *Confiteor, ut in Ordine Missæ: & prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro, vel Ministris dictum sit Misereatur. Cum incipitur a Ministris Confiteor, se erigit; cum dicit:* (y) *Mea culpa, ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.*

GAVANTUS.

(x) *Confiteor* Deo. Liturgia B. Jacobi a Confessione incipit, *Azor. lib. 10. c. 36. qu. 1.* Damasum autem auctorem facit, quod apud Romanos sit in usu, *Radulph. prop. 23.* Pontianum *Berno de offic. Miss. c. 25.* & recte solet esse justus in principio accusator sui. *Prov. 18.* Meminit *Aug.* Confessionis hujus *serm. 48. de Tempore.* Neque addas arbitrio tuo in Confessione hac Patroni nomen, aut alterius Sancti: quia Pius V. hoc expresse concessit Ecclesiis Hispaniarum: ergo non sine Papæ licentia fieri debet additio. *Bull. Pii V.*

(y) *Mea culpa, ter pectus, &c.* Percutimus pectus exemplo Publicani, *Luc. 18.* quasi peccata intus inclusa contestantes, *ex Cypr. lib. de Oratione Dom.* vel ac si cogitationes velimus a corde pellere, *ex Hieron. in vita Hilarionis*; vel quia tunsio pectoris est contrisio cordis, *ex August. enarrat. 2. in Psal. 31.* vel *ex Nicol. I. cap. 54. ad Bulgar.* signamus, quod in nobis ferimus, antequam Deus feriat; vel flagellis, & percussionibus nos dignos fatemur, *ex Euthimio*; vel mundari cor optamus, & evacuari sordibus, *ex Hieron. contra Luciferianos*; vel ut, excitemus cor nostrum, ait *Theophil.* vel ad placandum judicem, ultionem de nobis sumimus, *ex Chrysost. hom. 41. ad Pop.* vel ut castigemus carnem nostram, qua Deum offendimus, *ex August. in Psal.* Ab Apostolis ortum habet hic Ritus, *ex Navar. de Hor. Canon. cap. 4.* Inclinationis autem ante Altare, quæ fit in Confess. antequam ascendatur, meminit *Cypr. epist. 64.* tunsionisque pectoris hoc loco ad Confessionem. *Aug. serm. 48. de tempore supra cit.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Psalmi, Judica me Deus, usque ad finem Confessionis.

XVI. Gavant. lit. x. — *Confiteor Deo &c.*) Repetita Antiphona, antequam dicat *Confiteor*, Sacerdos dicit versum *Adjutorium nostrum &c.* distribuendo voces, ita ut quando dicit *Adjutorium* signet frontem; quando dicit *Nostrum* signet pectus; quando dicit *In nomine*, signet sinistrum humerum; quando dicit *Domini*, signet dexterum humerum. *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 25. §. 5.* & Bauldry *part. 3. c. 3. n. 3. & alibi.* Minister pariter sic se signat. Castaldus *lib. 1. sect. 1. c. 5. n. 2. & 3.* Corsettus *tract. 1. par. 1. cap. 1. n. 15.* Bauldry *par. 1. cap. 17. n. 1.*

XVII. Gav. ead. lit. x. — *Liturgia S. Jacobi a Confessione incipit.*) Verissimum est, quod Liturgia S. Jacobi a Confessione incipit; cujus formula datur in illa, quæ vulgata fuit a Claudio de Sainctes, Ann. 1560. Antverpiæ ex officina Plantiniana. Incipit autem talis Confessio his verbis: *Peccatorum multitudine inquinatum ut me spreveris Domine Deus noster;* & paucis interjectis: *Peccavi in Cælum, & coram te, neque dignus sum, &c.* sed hæc Confessio fiebat a Sacerdote priusquam ad Altare accederet. Idem (ad tradita per Antonium Beliotte *in suis observationibus p. 354.*) testari videtur Liturgia D. Chrysostomi, quæ habet Confessionem in apparatu, nullam in ipsa Divini Mysterii Celebratione: unde procul ab Altari talis Confessio fieri consuevit; ut probat prædictæ Liturg. præparatio relata ab eodem Bellot. cit. I. Idem mos præmittendi Sacrificio hanc genr. Confess. repe-

reperitur in aliis etiam Liturgis Ecclesiarum Orientalium, præsertim in ea, quæ Divi Marci Evangelistæ nomen præfert, & etiam in ea, quæ Divo Basilio tribuitur, & in aliis relatis a Cardin. Bona *lib. 2. c. 2. n. 4.* Unde dubitandum non est quin aliqua formula generalis Confessionis antiquissima sit, & Apostolicæ traditionis, ut fatetur idem Card. Bona *cit. loc.* quinimmo non solum antiqui Christiani, sed etiam ipsimet Judæi in veteri Lege Confessionem in omnibus Sacrificiis præmittebant, quam Hebræi Doctores, inquit Fageus allegatus a Bellotte *cit. loc. p.* 353. vocabant, *Viddin*, *Haddenarin*, fiebatque his verbis: *Profecto Domine peccavi, inique egi, prævaricatus sum coram te; pœnitet me, & pudet operum meorum; nec ad ea unquam revertar*: quibus prolatis inchoabant Sacrificium: & hæc Confessio desumpta videtur ex Levitico *c. 16. vers. 1.* & hinc forsan æmulando, & imitando hunc pium Sacerdotum Judæorum usum, orta est Christianæ Liturgiæ Confessio in ipso Sacrificii exordio, tum etiam a naturali instinctu, quia exordium operum bonorum est confessio malorum, ut scripsit Augustinus *tract. 12. in Joan. sub fin.* & ut habetur Proverbiorum *cap. 18. vers. 17. Justus prior est accusator sui*; id quod etiam advertit noster Gavantus *supra* referens hunc textum. Vide Huetium *qu. Alnet. lib. 2. cap. 20. n. 3.*

XVIII. Gav. ead. lit. x. — *Damasum autem auctorem facit, quod apud Romanos sit in usu.*) Nonnulli recentiores, silentibus omnibus priscis Scriptoribus, innixi auctoritati Radulphi *de observ. Can. propos.* 23. adstruunt, quod Damasus Papa natione Hispanus, qui Romanum Pontificatum suscepit An. Dom. 370. præscripsit, ut Presbyter Confessionem faceret, antequam accederet ad Altare. Alii vero auctorem hujus Confessionis ante Missam faciunt *Pontianum*, qui Ann. 230. Romanus Pontifex electus fuit, adducentes in comprobationem hujus assertionis auctoritatem Bernonis Abbatis Augensis *de officio Missæ cap.* 25. qui quidem Auctor nec unum quidem verbum super hac re scripsit, & ejus libellus, *De quibusdam rebus ad Missæ officium pertinentibus terminatur*, *cap. 7.* unde admirari non desino quomodo allegetur ejusdem libelli *cap.* 25. Itaque si sermo sit de aliqua formula Confessionis generalis emittendæ ante Missæ initium, censerem hanc antiquiorem esse & Damaso, & Pontiano Summis Pontificibus: quia, ut supra diximus cum Card. Bona, talis Ritus antiquissimus est, & ab Apostolico fonte derivatus. Si autem sermo sit de formula illa Confessionis, qua nunc utitur Romana Ecclesia, certissimum profecto est hanc institutam non fuisse neque a Pontiano, neque a Damaso, cum sit eorum ævo valde posterior: & revera Micrologus, qui floruit circa undecimum Sæculum, refert *cap. 13.* diversam formulam ab ea, de qua nunc sermo est, & quæ in antiquis Missalibus, necnon Ritualibus revera reperitur. Verum tamen est, quod in multis MSS. ante Annum 1300. eadem prorsus legitur Confessionis generalis formula in Missæ exordio dicenda, quæ nunc in Missali S. Pii V. statuta est: unde fit, quod Petrus Le Brun *tom. 1. part. 1. art. 4.* asseverat Romanam Ecclesiam post initium sæculi 13. prædictam formulam adhibuisse; in Concilio 3. Ravennæ habito Ann. 1314. sequens Canon, qui habetur in Rubr. 13. sancitus est — Quoniam in Confessionibus, quæ sunt publice in Introitu Missæ, & alias, varii diversimode confitentur; statuimus, & de cætero observari præcipimus per totam Provinciam Ravennatem Confessiones hujusmodi fieri sub hac forma: *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, &c.* Suppressit igitur præfatum Concilium omnes alias, variasque formulas talis Confessionis: & prædictam solam, quæ nunc communis est, in omnibus suis Ecclesiis, ut uniformitas servaretur, dicendam esse statuit.

Qui scire desiderat varias hujus Confessionis formulas, quæ antiquitus in usu erant, & quæ in variis antiquis Liturgicis codicibus adhuc extant, evolvere potest ea, quæ super hac materia erudite collegerunt Card. Bona *l. 2. c. 3. nu. 4. & seqq.* Grancolas *lib. de antiq. Liturgiis a pag. 447 usque ad pag. 453.* necnon Bellotte *loc. superius cit.* qui pariter nonnulla alia tradunt, quæ spectant ad originem, ritum, diversumque modum, qui etiam nunc servatur ab aliquibus in proferenda hac publica, & generali Confessione in Sacrificii Eucharistici exordio. Inter prædictos varios modos faciendi hanc Confessionem præterire non possum illum, quem observat Rhemensis Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus orta, & edocta, ut bene ait Bellotte; in qua Celebrans assumptis in Sacrario vestibus, ibique ante imaginem Crucifixi profunde inclinatus Confessionem facit cum Ministris; qua peracta Chorum ingreditur: tum Sacerdos stans in medio ejusdem Chori profunde se inclinat altari: deinde facie ad Chorum conversa dicit: *Orate pro me fratres, & ego pro vobis*: mox ad altare conversus in infimo gradu stans, & profunde inclinans dicit: *Aufer a nobis Domine, &c.* denum manibus junctis super Altare, dicit *Oramus te &c.* ut in Ordine Missæ. Eundem morem servat Laudunensis Ecclesia, prædictæ Rhemensis Metropolitanæ suffraganea. Rursus eundem Ritum æmulantur etiamnum hodie, licet aliquantulum diversimode, Monachi Cluniacenses Ordinis Sancti Benedicti, necnon rigidioris disciplinæ Carthusianæ sectatores, qui generalem Confessionem ante gradus Altaris a parte Evangelii, versa facie ad Austrum peragunt sine stola, sine casula (utpote quæ sunt innocentiæ, & charitatis ornamenta); & ideo eas assumere non præsumunt, nisi post peractam prædictam Confessionem, & nisi mediante ipsa fuerint Deo reconciliati, exemplo Publicani, & Magdalenæ, quorum alter a longe stans, nolebat nec oculos ad Cælum levare; altera vero stans retro secus.

secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Non est tamen improbandus Ritus Romanus, & communis emittendi talem confessionem publicam, & generalem a Sacerdotibus etiam Sacris vestibus indutis: qui jamjam Sacramentali Confessione purgati, vel cum nihil sibi conscii sunt, quo se nocentes agnoscant, Sacerdotalia indumenta sumunt, & ad Aram accedunt, antequam iterum Confessionem publicam, & generalem proferant; quia cum hoc Sacrificium pro universis Christifidelibus offeratur ab Ecclesia; hinc in tali publica Confessione peragenda, quivis Sacerdos nedum sua, sed aliena, veluti propria peccata, in ipso Liturgiæ Sacræ exordio confitetur. Omnes enim cum simus unum corpus in Christo, quidquid mali inest in ipso corpore, id commune sibi faciant Sacerdotes, quibus incumbit communes omnium Fidelium injustitias Deo irrogatas ferre, & reparare injurias. Et revera in Ordine Divinæ Missæ Armenorum, Sacerdos faciens hanc publicam Confessionem, postquam dixit *Confiteor &c. omnia peccata commisi, quibus peccavi cogitatione, verbo, & opere* subnectit, *& pro omnibus peccatis, quæ homines perpetrarunt, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.* En igitur, quod Sacerdos Sacrum peragens, & Christi Domini personam gerens (qui peccata nostra pertulit in Corpore suo super lignum, ut fieret propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi) Confessionem generalem nomine omnium efficit, pro omnibus veniam impetrare, & omnium crimina Sacrificio Eucharistico, quod peragit, expiari intendit.

XIX. Gavant. eadem lit. x — *Neque addat arbitrio suo in Confessione, &c.*) In hac generali, & publica Confessione non addendum est nomen Patroni, aut alterius Sancti, ut docet Gavantus supra: quia cum Pius V. hoc expresse concesserit tantum Ecclesiis Hispaniarum: unde optime infertur sine licentia Papæ fieri non debere ejusmodi additionem: ex qua ratione ait Guyetus in sua Heortologia *lib.* 3. *cap.* 29. *quæst.* 8. Sequitur non esse damnandos illos, quibus id æque concessione Pontificis, aut jure Breviarii proprii, aut denique consuetudine præscripta, nec abrogata, usitatum est — Rursus cum sacerdos dictam Confessionem facit, non se vertat modo ad unam, modo ad aliam partem quando dicit: *Vobis fratres*, vel *Vos fratres*: quia nullam præstare debet reverentiæ signum erga Ministrum, aut Populum. Quarti *in comp.* §. 3. Bissus *lit.* 8. *num.* 20 & alii communiter. Utrum vero pronunciando illa verba *Beatæ Mariæ*, & *B. Mariam* inclinandum sit caput inclinatione minimarum media, hoc est inclinatione mediocri, non conveniunt Auctores: affirmant Pollacus *part.* 1. §. 1. negat vero Hippolytus a Portu *tit.* 3. *Rubr.* 5. *in adnot. n.* 5. cui adhærendum esse censeo, quia si Sacerdos non debet caput inclinare dum dicit *Oremus*, si inclinatum jam habet, multo minus in hoc nostro casu, & similibus, v. g. in tribus Orationibus Communionem Celebrantis præcedentibus, in quibus nominatur nomen *Jesus*. Præterea si dicendo Confessionem Sacerdos reperitur jam inclinatus inclinatione omnium maxima, hoc est profunda, ad quid superaddere deberet minorem aliam inclinationem capitis, scilicet aut minimarum mediam, proferendo nomen *Mariæ*, aut minimarum maximam, cum profert nomen *Jesus?*

XX. Gav. lit. y — *Mea culpa, ter pectus, &c.*) „ Cum Sacerdos dicit me a culpa, pectus percutiat dexteræ manus digitis omnibus simul junctis clausis, & curvis (tenendo sinistram apertam subtus pectus) qui Ritus observari debet tum a Celebrante, tum a Ministro; Castald. *lib.* 2. *c.* 7. *num.* 1. Bonam. *part.* 2. *observ.* 10. *n.* 1. licet non sint improbandi, qui aperta palma, & extensa pectus percutiunt, cum urbanius se gerunt, & circa hoc a Rubr. nihil expresse fuerit præscriptum. Caveant tamen tam Sacerdos, quam Minister a percussione vehementi, quam effugient, percutiendo palma aperta: nam pectoris percussione non ossa, ut ait D. Augustinus, sed ipsum cor nos conterere significamus. Vinitor *part.* 2. *tit.* 3. §. 17. & Gervasius in catalogo errorum *num.* 38. Modeste igitur, & non sonore in hac circumstantia pectus est percutiendum. Nonnulla, quæ spectant ad sacram eruditionem hujus percussionis pectoris, videri possunt apud Card. Bona *de rebus Liturg. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. necnon apud Grancolas *in lib. de antiq. Liturg. pag.* 453. ubi adnotat, quod in aliquibus Ritualibus præscribitur prædicta pectoris percussio, cum dicitur *Locutione*: in aliis vero MSS. se legisse asserit: *Inter pronunciandum hæc verba Cogitatione, Locutione, Opere, & Omissione, tertio pectus tundat.*

Dicto *Mea maxima culpa*, prosequitur Sacerdos Confessionem, stans eodem modo inclinatus ut supra, donec a ministro sit dictum, & completum *Misereatur tui, &c.* Minister vero dum dicit *Misereatur* caput versus sacerdotem profunde inclinat in reverentiæ signum. *Ex Cærem. Episcop. cap.* 7. §. 31. Post *Confiteor* seu ante Orationem *Misereatur*, nec Celebrans, nec Minister subjungit *Deo gratias*, aut particulam *Amen*, cum sit contra Rubricam.

Cum a ministro incipitur *Confiteor*, Celebrans erigit se. Minister in recitanda Confessione observat ea, quæ superius adnotavimus pro Sacerdote; sed in dicendo *Tibi Pater*, & *Te Pater* caput versus Sacerdotem profundius inclinat. *Ex Cæremon. Episcop. supra.* Remanet autem Minister inclinato corpore, inclinatione profunda versus Altare, usque dum Sacerdos incipiat *Indulgentiam*; qua incœpta a Sacerdote, se erigit, & sese signat signo Crucis.

RUBRICA.

8 *Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum Provincia, Civitate, vel*

vel Diœcesi constitutis, ubi dicit, Vobis fratres, dicat, Tibi Pater: similiter in fine: ubi dicit, Vos fratres, dicat, Te Pater, quod dicens, Summo, Pontifici genuflectit, aliis Prælatis profunde se inclinat.

9 *Cum Minister, & qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent, Confiteor, dicunt, Tibi Pater, & Te Pater, aliquantulum conversi ad Celebrantem.*

GAVANTUS.

Vide hoc loco dignitatem Sacerdotis, cui coram Papa dicitur a circumstantibus, tibi Pater, & te Pater.

Quid dicendum, si plures adessent Cardinales, seu Prælati æquales? sicuti nemoreorum osculatur Evangelium, ita non videtur dicendum *Vobis Patres:* sed tamen usus obtinuit, ut in numero plurali hæc dicantur.

RUBRICA.

10 *Facta a circumstantibus Confessione. Celebrans stans respondet,* (z) *Misereatur vestri &c. Deinde* iproducens *manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, dicit, Indulgentiam, &c.* (*& si est Episcopus* (a) *accipit manipulum, osculando illum in medio*) *& stans inclinatus junctis manibus prosequitur, Deus tu conversus, & quæ sequuntur in Ordine Missæ, clara voce, usque ad Orationem,* (b) *Aufer a nobis, &c. & cum dicit, Oremus,* (c) *extendit, & jungit manus.*

GAVANTUS.

(z) *Misereatur &c.* Habet *Microl. loc. cit.* & item *Indulgentiam;* Ad *Misereatur* Ministri adhuc inclinati manent sicut ad *Confiteor*; stant autem ad *Indulgentiam.*

(a) *Accipit manipulum.* Vide supra, quæ diximus *tit. 1. n. 4. de manipulo Episc. pag.* 134. & 135.

(b) *Aufer a nobis.* Habetur hæc Oratio in *Ordine Rom. Post Litanias in Benedictione Ecclesiæ;* quis hunc transtulerit ignoratur.

(c) *Extendit, & jungit manus.* Extensione manuum quasi colligit Sacerdos astantium corda: junctione quasi cogit eadem in unum ad Orationem: unde & clara voce dicit, *Oremus. Ita Melchior Huelamus de Carem. Missæ.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Confessionis usque ad deprecationem, Aufer a nobis.

XXI. Gavant. lit. z — *Habet Microl. loc. cit.*) Facta Confessione a circumstantibus, nimirum a Ministro, vices circumstantium gerente, a Portu *sup. Rub.* 6. *in adnot. num.* 1. Celebrans stans adhuc erectus, respondet *Misereatur vestri*, vestri (inquam) non tui: quia, ut dixi, Minister facit Confessionem nomine circumstantium. Sacerdos hanc precem dicens, nullatenus se convertit ad Ministrum, neque ad Populum. Dicendo *Dimissis peccatis vestris*, non addat *omnibus*, nec ad *Indulgentiam*, addat *omnium*: deletum est enim in Missali novo correcto, *omnibus, & omnium*, quæ in antiquo Missali habebantur; & ideo non licet illa amplius addere. Bauldry *part.* 3. *tit.* 3. Vinitor *supra* §. 16. Baldass. *part.* 1. §. *Finito.* Minister autem adhuc inclinatus profunde, respondet in fine *Amen.* Bauld. *par.* 1. *cap.* 17. *num.* 20.

Cæterum formula hujus precis *Misereatur*, refertur utique a Microl. *c.* 23. sed aliis verbis expressa, nimirum *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono: & perducat nos pariter Jesus Christus Filius Dei vivi in vitam æternam. Amen.* In aliis vero Missalibus post illa verba: *Liberet te ab omni malo*, leguntur hæc alia: *Conservet in omni opere bono; & perducat te per intercessionem Sanctorum ad gloriam sempiternam*; alias varias & diversas formulas hujus precis, quæ exstant in antiquis Ritualibus, & Pœnitentialibus, & Missalibus, recenset Jo. Grancolas *in lib. de antiq. Liturg. pag.* 453.

XXII. Gavant. eadem lit. z — *Stant autem ad Indulgentiam, &c.*) Prolata prædicta prece *Misereatur*, Sacerdos producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, ut superius innuimus, dicit *Indulgentiam, &c.* & dum se signat, distribuit verba, ita ut quando pronunciat *Indulgentiam*, signet frontem; dum pronunciat *Absolutionem*, signet se infra pectus; dum pronunciat *& Remissionem*, signet humerum sinistrum; dum pronunciat *Peccatorum nostrorum*, signet humerum dexterum. A Portu *supra n.* 5.

Hæc dicendo, non solum Sacerdos erectus manet, sed etiam Minister erigit se a profunda inclinatione, quando Sacerdos incipit *Indulgentiam, &c.* & modo supradicto sese signat. Bauldry, Castald. Bonamic. & alii.

Auctores, qui loquuntur de prece *Misereatur*, nullam faciunt mentionem de hac prece *Indulgentiam, etc.* ut advertit Grancolas *supra cit. pag.* 455. Micrologus tamen eam refert expressam his verbis: *Indulgentiam, et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus. Amen*; & in antiquis Ritualibus legitur cum aliquibus additionibus, sicut etiam in Missali Lugdunensi. Alia, quæ spectant ad eruditionem ejusdem precis, legi possunt apud cit. Grancol.

XXIII. Gav. lit. a — *Accipit manipulum, etc*) Manupulus extremo loco, brachio jam expedito imponebatur; qui Ritus, ut supra diximus, nunc communis erat omnibus Presbyteris; tunc vero in solis Episcopis remansit, quibus peracta Confessione, seu post *Indugentiam* a Ministro imponitur. Card. Bona *de rebus Liturg. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 5. Expleta autem Confessione & prolatis prædictis precibus, subduntur

aliquot

aliquot versiculi ex Psalmis deprompti, prout in Ordine Missæ; in quibus dicendis Sacerdos stat inclinatus, & junctis manibus ante pectus, inclinatione mediocri, qua inclinatione Minister quoque se inclinat: & postquam Sacerdos recitaverit suum versiculum, respondebit alternatim integre, juxta Ordinem Missæ, sed nec nimis festinanter, nec voce nimis remissa; quod semper observare debet dum Sacerdoti respondet. Hæc omnia respective traduntur a variis Auctoribus, quos refert a Portu *supra n.* 6. Prosequitur igitur Sacerdos dicens: *Deus tu conversus &c.* & ea quæ sequuntur in Ordine Missæ, clara voce, scilicet ordinaria, usque ad *Oremus* inclusive; quod verbum *Oremus* profert adhuc inclinatus mediocriter, ut erat.

XXIV. Gavant. lit. c. — *Extendit & jungit manus.*) Cum dicit *Oremus*, disjungit bene manus & denuo eas jungit, non autem elevat usque ad numeros; *Cærem. Missæ Priv. c. 4. §. 2.* nec humiliat manus tunc; a Portu *supr. n.* 11. nec elevat faciem in Cœlum. Postea submissa voce recitat Orationem *Aufer a nobis &c.* de qua prece infra aliqua dicemus.

RUBRICA.

Et tunc, si coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secreto, Aufer à nobis, ut in Ordine Missæ.

GAVANTUS.

In Missa Solenni Ministri se inclinent, percutiant sibi pectus, ut supra; sed ad *Oremus* non deducant manus, quod solius est Sacerdotis invitantis. Item manus semper junctas teneant a principio Confessionis usque ad finem. Signa quoque Crucis sibi adhibeant, quod etiam in tota Missa observant, excepto Subdiacono, dum Patenam tenet.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ privatæ, coram Summo Pontifice, &c.

XXV. *Si coram Summo Pontifice, &c.*) Si Sacerdos celebret coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut supra diximus, antequam ascendat Altare, genuflectit Summo Pontifici, aliis vero Prælatis reverentiam adhibet summa inclinatione. Quando autem est super Altare, soli Deo vacat, eumque adorat oblatione Sacrificii, usque ad dimissionem Populi: nam daturus Benedictionem, caput versus Prælatum inclinare debet, ut suo loco dicemus. Quarti *part. 1. tit. 3. n.* 22.

Novæ Observationes & Additiones, pro Ritu Missæ Solemnis, a Confessione usque ad Introitum, &c.

XXVI. *In Missa Solemni Ministri inclinent, &c.*) Celebrans in Missa Solemni peragit Confessionem, prout in Missa privata: cum dicit *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, aliquantulum se inclinat ad Ministros Sacros, videlicet dum dicit *Vobis*, & *Vos*, se convertit ad Diaconum; dum dicit *fratres*, ad Subdiaconum; quod idem facit dum dicit *Misereatur vestri*, Cærem. *Episc. lib. 2. c. 8. §. 82.* Bauld. *p. 3. cap. 11. de Missa Solemni art. 4. n.* 15. a Portu *cap. 1. de Missa Solemni tit. 2. Rubr. 5. n.* 8. & alii apud eundem.

Hæc inclinatio Sacerdotis erga Ministros successisse videtur osculo, quod in Ordine Romano VI. *pag.* 71. inter evulgatos a Mabillon., Pontifex dabat Presbyteris duobus: deinde Diaconibus, peracta Confessione: ecce verba dicti Ordinis: *Pontifex .... Presbyteris, qui eum ducebant, sive Diaconibus, manus ejus osculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans se, Deum pro peccatis suis deprecetur: tunc erectus, primum Presbyteris duobus, deinde Diaconibus per ordinem, omnibus pacis oscula dabat.* Similia quædam habentur *in Ordine Romano I. pag.* 66. deinde in Missa Illyrici habetur hoc idem de Episcopo solemniter celebrante. Ministri vero sacri in Missa Solemni, de qua nunc loquimur, dum dicunt *Misereatur tui*, usque ad ejus finem, semper manent inclinati profunde versus Celebrantem pariter adhuc profunde inclinatum; *Cærem Episc. supra*, & Rubricistæ omnes communiter; & dum dicunt *Confiteor*, Celebrans erigit se; Ministri vero profunde inclinati vertunt se ad Altare, & ad illa verba *Tibi Pater*, & *te Pater*, item profunde inclinati convertunt se ad Celebrantem: *Cærem. Episcop. supra*, Castald. *lib. 1. sect. 7. c. 1. n.* 6. & *cap. 1. num.* 4. aliique omnes Sacrarum Rubricarum expositores, dum dicunt *Mea culpa*, dexteræ digitis simul junctis pectus percutiunt, eo modo, quo adnotatum est *supra* de Celebrante in Missa Privata.

XXVII. Gavant. *In Missa Solemni &c.*) Præterea adnotandum hic est, quod si adsit Episcopus in propria Diæcesi, licet non celebret, sed tantum assistat Missæ Solemni, Celebrans debet ad Confessionem respondere Episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusive (& non ultra), non vero simul cum illo dicere: *In nomine Patris &c.*) Ita sancitum est etiam a Sac. Rit. Congreg. 4. Augusti 1663. cujus Decreti copia data est in nostro Indice *sub num.* 409. Nomine autem Confessionis hic venit etiam antiphona, & Psalmus præcedens formulam Confessionis, nempe *Confiteor &c.* Rursus advertere debemus, quod Episcopus, de quo loquimur, sit in loco suæ jurisdictionis, neque præsens sit ejus Metropolitanus, vel Patriarcha, vel Cardinalis, vel Legatus Sedis Apostolicæ. Item requiritur pariter habi-

tus certus in dicto Episcopo v. g. vel pluviale, & mitra in solemnioribus Festis, vel saltem cappa Pontificalis in Festis minus solemnibus. Cæremon. Episcop. *lib.* 2. *cap.* 9. & Vinitor *part.* 1. *tit.* 10. *n.* 1.

Peracta Confessione, dum Celebrans erectus dicit precem *Misereatur vestri &c.* donec totam hanc precem perfecerit, ipsi Ministri Sacri adhuc manent inclinati versus Altare; cum vero Celebrans dicit *Indulgentiam &c.* prælaudati Ministri Sacri erigunt se, & se signant cum eo. Ad verba *Deus tu conversus &c.* inclinant se cum Celebrante (non tamen, ut advertit Gavantus supra in hanc Rubricam; deducant manus ad vocem *Oremus*, sed solus Celebrans disjungit manus adhuc inclinatus, & statim conjungit) sed se profundius inclinant, quam Celebrans. Biss. *lit. C. - n.* 197. §. 8. Bauld. *supra*, & a Portu *loc. sup. cit.*

Statim ac Celebrans incipit Confessionem (nimirum Antiphonam, & Psalmum *Judica me Deus*, qui simul cum *Confiteor* integrat partem illam Missæ, quæ dicitur Confessio, ut supra diximus, & ut notat Turrin. *part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1.) Chorus incipit cantare *Introitum*, & deinde *Kyrie eleison.* Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 30. & Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *n.* 16. Verum illi, qui cantant *Introitum*, dum fit Confessio, non genuflectunt; non enim ipsi, ut alii, faciunt Confessionem. Bralion *in Cærem. Canonicorum p.* 2. *cap.* 2. *n.* 8.

Ex usu tamen communissimo Sacrarum Basilicarum Urbis, in quibus adest schola Cantorum præcinentium dictum *Introitum*, omnes Canonici, quamvis non sint parati, ac etiam in pluribus aliis Ecclesis tum Collegiatis, tum non Collegiatis, in quibus est schola Cantorum; omnes alii de Choro faciunt Confessionem bini, & bini, ut fit a Canonicis in Missa Pontificali; quo casu non genuflectunt, sed stant omnes, ut advertit de Bralion supra *n.* 7. idque deducit ex *Cærem. Episc. lib.* 2. *c.* 8. §. 33. Si autem ab existentibus in Choro non fiat modo prædicto Confessio, nec cantetur Missæ *introitus*, tunc omnes genuflexi manere debent, prout genuflectunt etiam laici in dicta circumstantia; sicut præscribit Cæremoniale Episcoporum *loc. supra cit.*

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis IV.

RUBRICA.

1 *DUm dicit, Aufer a nobis &c. Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, et ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare, et se retento; pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur) secreto dicit, Oramus te Domine, etc. et cum dicit: Quorum Reliquiæ hic sunt, (d) osculatur Altare in medio (e) manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis, quod semper servat, quando osculatur Altare, sed post Consecrationem pollices ab indicibus non disjungit. In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, (f) non producitur signum Crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est.*

GAVANTUS.

(d) *Osculatur Altare.* Meminit *Justin. in fine Apol.* 2. osculi Altaris inter orandum, in signum venerationis: hoc autem loco fit, *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 15. ut sicut Altare Christum designat, ita Sacerdos meminisse debet desiderii, & amoris sponsæ; *Osculetur me osculo oris sui, ibid.* Est etiam osculum signum reverentiæ, unde Esther osculabatur apicem virgæ Regis. Caveat ergo ne audiat Celebrans vocem illam: *Osculo Filium hominis tradis? Durand. l.* 2. *c.* 57. Caveat item ne osculetur a latere Altaris, sed in medio Altaris illud item osculetur, ubi sunt Reliquiæ Sanct.

Monet *Hieron. Cantonus in ordin. Divin. off.* quod ubi non sunt Reliquiæ Sanctorum, ex dispensatione Apostolica, in Altari, omitti debent verba: *Quod Reliquiæ hic sunt:* eoque casu osculum Altaris fieri debet ad ea, *Indulgere digneris*: & bene monet.

(e) *Manibus extensis, etc.* Hæc *Durandi lib.* 4. *cap.* 30. quia, inquit, si renuit operari, amor non est, *secundum Gregorium*; & quia omnium temporalium curam deponere debet, qui tanto Sacrificio operam dat, *Idem*; vel ad pacem indicandam a Christo utrique Populo nunciatam, qui significatur in utroque latere Altaris. *Edvens. c.* 12. Junctio item manuum ad anteriorem, & superiorem Altaris partem significat Christum fecisse utraque unum, *Scortia l.* 3. *c.* 12.

(f) *Non producitur signum Crucis.* Quia Altare, vel Ara est consecrata; liber etiam, & aliæ res aliis de causis sanctificatæ.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ privatæ, a deprecatione Aufer a nobis, usque ad initium Introitus.

1. Gavant. *Dum dicit, Aufer a nobis, etc.*) In Missa Privata, data Absolutione, & dicto clara voce *Oremus*, ut suo loco admonuimus, Sacerdos dicit secreto Orationem *Aufer a nobis, etc.* quam dum dicit, junctis manibus ascendit ad medium Altaris. Si nulli sint gradus, aut pauci, ascendens ad Altare Celebrans, lente ascendat; ut terminans vocem ultimam Orationis pertingat ad medium Altaris. Dum Sacerdos incipit ascendere, surgat & Minister, & genuflectat super ultimum Altaris gradum. Castald. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.*

num. 12. Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 22. ubi vero nulli sunt gradus, sed solum suppedaneum, tunc Minister stet in eodem plano, non super, sed prope suppedaneum genuflexus. Castald. *supra*, Bonamic. *part.* 1. *observ.* 5. *n.* 3. Corsettus *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 16. & Ordo Romanus continet hanc precem, *Aufer a nobis*, in Officio Dedicationis Ecclesiæ post Litanias; Microl. vero *cap.* 23. (ut observavit etiam Gavant. *in Rubr.* 10. *tit.* 3. *lit. B.*) eam refert, sed ante Sacerdotis Confessionem; in Liturgia vero Illyrici, evulgata a Cardinali Bona, est ante Psalmum *Judica etc.* In omnibus fere Liturgiis Sacerdos consimilem aliquam precem recitat, dum ad Sacram Aram accedit; quas quidem varias, sed consimiles preces recenset Jo. Granc. *in lib. de antiquis Liturg. cap.* 456.

II. Gavant. lit. d - *Caveat item ne osculetur a latere Altaris.*) Sacerdos itaque inclinatus mediocri inclinatione, manibusque junctis super Altare positis, Altare osculatur omnino in medio, & non ad latera; ut autem congruenter se inclinet Sacerdos in hac circumstantia, & alia simili, aliquantulum ab Altari retrocedat; quod etiam observet, quando ad Altare debet facere genuflexionem; Bissus *lit. S. num.* §. 18. Bauld. *part.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 1. *num.* 1. manus vero ponantur junctæ super Altare, hoc modo, ita ut sex digiti longiores simul juncti innitantur mensæ Altaris. Bauld. *supra*, & Vinitor *part.* 2. *tit.* 4. *in adnot.* §. 2.

Digiti vero parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu antependii tangant, residuo manuum inter Altare, & ipsum Celebrantem retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur) advertendo semper, ne parvi digiti, qui extremitatibus suis anteriorem partem mensæ Altaris tangunt, ab aliis digitis disjungantur. Bauldry *part.* 3. *cap.* 4. ex superiori Rubrica, Polacc. in Aphorism. *par.* 1. & alii communiter.

Hæc omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur ante Consecrationem: quia post Consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur, donec ipsi post Communionem Sacerdotis purificati, & abstersi fuerint.

Sacerdos post precem *Aufer a nobis* secreto pariter dicit *Oramus te Domine per merita, &c.* ex quibus patet, hanc Orationem inchoandam esse, quando junguntur manus modo descripto super Altare, & non ante, neque post; Angel. *in catal. errorum n.* 12. *de Confess.* & Gervasi *in catal. errorum n.* 39.

III. Gavant. ead. lit. d - *Ubi non sunt Reliquiæ Sanctorum &c.*) Sacerdos cum dicit illa verba, *Quorum Reliquiæ hic sunt*, osculatur Altare, non ad latera ipsius, sed in medio, ut dicimus, æqualiter, & recte se inclinando, manibus usque ad pulsum exclusive extensis, æqualiter hinc inde super Altare positis; extra Corporale tamen collocentur, nisi Corporale esset nimis magnum, ideoque gestus esset inconcinnus; Bauld. *part.* 3. *capite* 4. *numer.* 11. Osculatur vero Sacerdos Aræ mensam ad venerandas Sanctorum Reliquias ibi reconditas, & ad impetrandum eorum patrocinium. Quarti *part.* 2. *titul.* 4. *Rubric.* 1. *num.* 1. §. 3.

Quod si ex dispensatione Apostolica, vel ex incuria, nullæ in Altari conserventur Reliquiæ Sanctorum (intellige de Reliquiis, quæ esse debent in Ara consecrata; non de illis, quæ ponuntur ad ornamentum super Altare) an omitti debeant verba ista, *Quorum Reliquiæ hic sunt*, controvertunt Doctores: nam Gavant. supra, quem sequuntur Arnaudus *par.* 2. *tit.* 4. *num.* 2. Quarti supra *in dubiis cons. sect.* 1. *dub.* 1. Bauld. *part.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 1. *n.* 1. Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. Simon Buongiovanni a Larciano *in Sacrarum Cæremoniarum Sylva lib.* 4. *cap.* 6. *in notationibus*, Lohner, Vinitor, Angel. & alii; docet, inquam, Gavantus ex Hieron. Cantonio, *in ordinario Div. offic.* quod si in Altari non sint Reliquiæ Sanctorum, omittenda sunt illa verba, *Quorum Reliquiæ hic sunt*, quia inquit Quarti supra, quod prædicta verba valde improprie usurparentur in casu, de quo loquimur: unde Sebastianus Fantonus *in Cæremon.* PP. Carmelitarum *lib.* 2. *Rubr.* 53 *num.* 6. ait, quod si in Altari Reliquiæ non fuerint, nec in lapide consecrato, debent omitti præfata, & Oratio hoc modo recitari: *Oramus te Domine, per merita omnium Sanctorum tuorum, ut indulgere digneris, &c.* & tunc Sacerdos osculetur Altare. Hoc idem ex antiquis Rubricis notarunt Silvester *v. Altare num.* 1. & Angel. *v. Altare num.* 3. in Missali Romano non apponitur ea exceptio, quia supponit semper Reliquias in Altari; & ne detur occasio negligendi Ritum condendi in eo Sanctorum Reliquias. Nihilominus Castropal. *part.* 4. *tract.* 22. *punct.* 9. *num.* 6. vult, quod sit dicenda tota Oratio integra in casu supradicto, ac si essent Reliquiæ in Altari, & dicit hoc esse faciendum saltem ex decentia, & consuetudine. In hanc sententiam descendit pariter Donell. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 4. *num.* 4. necnon Bissus *lit. S. num.* 20. §. 18. hac ratione ducti, quia cum de more ibi collocentur Reliquiæ Sanctorum, sufficit hoc ad veritatem prædictæ communis Orationis, quamvis in hoc, vel illo Altari Reliquiæ desiderentur; regulæ enim Missalis, Orationesque, sicut & leges humanæ, non sunt pro hoc, vel illo casu particulari, sed pro communibus casibus: attendunt siquidem id, quod communiter contingit; & ideo simpliciter latæ censentur veræ, quamvis in uno, vel altero casu deficiant: & hæc est communis resolutio in materia de legibus, ut docet Fagundez de præcepto Eccles. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 8. Et revera in aliis casibus ad praxim deducitur hæc sententia: nam etiamsi unus tantum sit Mis-

sæ assistens, dicitur a Celebrante *Dominus vobiscum*, quasi essent plures: etiamsi non adsit nisi Clericus, qui Missæ inservit, dicitur pariter a Celebrante *Misereatur vestri*, non vero *tui*. Ita pariter Moniales dum dicunt *Confiteor* in Choro, utuntur communi formula, etiam ex Decreto Sac. Congreg. nimirum dicunt *Tibi Pater*, non vero *Tibi Mater*: & in Defunctorum Exequiis, etiamsi persona defuncta sit fœmina, dicitur tamen: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine.* Denique plures habentur expressiones in Canone, quæ non verificantur in omnibus casibus particularibus, sed solum communiter, & generaliter: quapropter idem dicendum crediderim de prædictis verbis: *Quorum Reliquiæ hic sunt, &c.*

RUBRICA.

2. *Osculato Altari accedit* (g) *ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolæ; ubi stans versus Altare, & producens a fronte ad pectus* (h) *signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, & prosequitur junctis manibus. Cum dicit Gloria Patri, tenens junctas manus,* (i) *caput inclinet versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius; & eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris ubi stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce ter* (l) *Kyrie eleison, ter Chrisie eleison, & iterum ter Kyrie eleison, alternatim cum Ministro. Si Minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.*

GAVANTUS.

(g) *Ad cornu ejus sinistrum.* Appellat *Ivo Carnoten. serm. de conven. novi, & veteris Sacrificii* Epistolæ latus dexteram partem Altaris, & significare dicit Israelitas, qui erant a dextris Dei: sed quod est sinistrum, sibi est dextrum, respectu dextræ Celebrantis. Idem habet *Innoc. III. lib. 2. cap.* 22.

(h) *Signum Crucis &c. Burchard.* Et hic præcise Missa incipit: quare convenit, ut signum Crucis faciat Sacerdos.

De introitu, & ejus partibus egimus *sup. part. 1. tit.* 8. *num.* 1.

(i) *Caput inclinat.* Cum Trinitati datur gloria, Crucifixo reverentiam exhibemus, in quo tota Trinitas ob unitatem essentiæ cum Verbo reperitur esse: & eo casu satis est convertere caput ad Crucem, non personam; quod in sequentibus nota.

(l) *Kyrie eleison supra tit.* 8. *n.* 2.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, ab initio Introitus, usque ad Kyrie eleison.

IV. Gavant. lit. g. - *Ad cornu Epistolæ.*) Sacerdos osculato Altari, sine ulla Cruci inclinatione ut advertit Bauldry *part. 3. tit. 4. num. 1.* & alii communiter, quia se inclinavit osculando Altare; quod semper servatur in pari casu; quemadmodum nulla fit Cruci tali particularis inclinatio in accessu, vel recessu a medio Altaris, quando a Rubrica præscribitur alia reverentia v. g. quando dicendum est *Credo.* Tonell. *lib. 3. §. 4. num. 2.* & apud ipsum Castald. Alcozer, &c. sed manibus de more junctis ante pectus, & naturaliter ambulando, ideoque sinistrum latus convertendo versus Altare (quod proportionaliter semper faciet) accedit ad sinistrum cornu Altaris, id est cornu Epistolæ; Hippol. a Portu *tit. 4. Rubr. 2. in adnot. num. 1.* quod quidem cornu Epistolæ dici potest pars Altaris dextera, sicut & cornu Evangelii, ut cum Ivone Carnot. advertit Gavantus *supra*, dicitur pars Altaris sinistra; loquitur tamen Ivo respectu Celebrantis, qui dum est ad Altare facie ad illud versa, a dextris habet cornu Epistolæ, a sinistris vero cornu Evangelii. Bissus *lit C. num.* 533. *& lit. S. num.* 20. §. 19.

V. Gavant. lit. h - *Signum Crucis etc.*) Staus igitur Sacerdos in prædicto cornu Epistolæ erectus & corpore, & capite, vertendo faciem versus Altare (caveat, ne Introitum incipiat adhuc ambulando versus cornu Epistolæ; quod contingere posset in illis Missis, quarum Introitus memoriter retinetur) & producens sibi a fronte ad pectus signum Crucis, quo etiam Minister se munit, Corsettus *tract. 1. part. 1. cap. 1. num.* 17. incipit intelligibili voce Introitum (qui num. quam omittitur, nisi Sabbato majoris habdomadæ, non modo in Solemni, verum etiam in Privatis Missis, si dicantur; de quarum prohibitione in tali die suo loco sermonem habebimus) & tunc prosequitur eadem clara voce, & manibus junctis ante pectus.

VI. Gavant. lit. i. *Crucifixo reverentiam exhibemus.*) Cum dicit *Gloria Patri*, junctis pariter manibus, caput inclinat versus Crucem inclinatione simplici, seu simplicium maxima: Tonell. *lib 3. cap. 1. §. 2. num.* 3. Bonamic. *observ. 12. num. 1.* hanc eandem inclinationem facit & Minister, Corsettus supra *num.* 17. neuter tamen oculos elevabit; quod servari etiam debet in pari casu. Tonell. *lib. 2. tit. 4. Rubr. 2. n.* 3. Baldassar. *c. 2. §. Cominciando.*

VII. Gavant. eadem lit. i - *Satis est convertere caput ad Crucem, non personam.*) Hanc Gavanti sententiam amplectuntur Corsettus *tract. 2. part. 1. sect. 1. numer. 4.* Vinitor *part. 2. tituł. 4. in adnotat. §. 7.* Arnaud. & alii; nihilominus contrarium opinionem, nimirum in prædicto

casu

casu converti debere ad Crucem etiam personam Sacerdotis seu corpus cum capite aliquantisper, tuentur Bauld. *part.* 3. *tit.* 4. *Rubr.* 2. *n.* 2. Angel. *in catal. errorum n.* 2. Tonell. & alii, quos refert Hippol. a Portu *supra n.* 7. hac ratione permoti, quia revera illa conversio, & motus videtur facilior, & naturalior ad significandam intentam reverentiam erga Crucem.

Dum Sacerdos reperit Introitum, non se signat iterum: tale enim signum fit tantum ratione principii: Vinitor *supra*, necnon Gervasi *supra*, & Benvenuti *pag.* 9.

VIII. Gavant. lit. l — *Kyrie eleison supra &c.*) Repetito *Introitu*, junctis manibus ante pectus, prout junctas tenebat, accedit ad medium Altaris, naturaliter deambulando, & idcirco dexterum latus ad Altare volvendo; ubi stans versus illud erectus & corpore, & capite, similiter manibus junctis, dicit voce intelligibili, & ordinaria ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & iterum ter *Kyrie eleison* alternatim cum Ministro.

Hinc patet errare illos, qui incipiunt *Kyrie*, dum procedunt, & antequam ad medium Altaris pervenerint; & multo magis errare illos, qui nondum repetito *Introitu* pergunt ad medium ipsius Altaris, cum aperte operentur contra Rubricam: antequam tamen incipiat primum *Kyrie eleison*, debet facere reverentiam Cruci minimarum, seu simplicium maximam, non elevando oculos; id quod semper observare debet, quoties accedit, vel recedit a medio Altaris; nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum præscribatur reverentia facienda a Missali; ut accidit quando osculatur Altare, & post Evangelium dum dicitur *Credo*, quia statim ad verbum *Deum* præscribitur reverentia facienda. Castald. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 10. Vinitor *supra* §. 8. Gervasi *c.* 2, §. *Notisi qui.* Tonell. Lohner, & alii; de quo quidem etiam nos superius locuti sumus.

Si autem dum Sacerdos dicit *Kyrie eleison*, nullus sit, qui ei respondeat, tunc ipsemet Sacerdos dicat *Kyrie eleison*, novies ordine supradicto. Bissus *supra*, §. 20.

RUBRICA.

3. *Dicto Kyrie eleison, Sacerdos stans* (m) *in medio Altaris, &* (n) *manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit, Gloria in excelsis. Cum dicit, Deo, jungens manus,* (o) *caput Cruci inclinat; quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, Adoramus te, Gratias agimus tibi, & Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, & iterum, Jesu Christe, caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine, Cum Sancto Spiritu se ipsum* (p) *a fronte ad pectus signat, interim absolvens, In gloria Dei Patris, Amen.*

GAVANTUS.

(m) *In medio Altaris.* Quia mediator Christus est, quem repræsentat Sacerdos; *dist.* 10. *Quoniam*, & quia Angeli media nocte Nativitatis Christi in medio pastorum hunc Hymnum cecinerunt. *Durand. lib.* 5. *cap.* 13.

(n) *Manus extendens, &c.* Ad decentiam motus hic terminus manuum præscribitur usque ad humeros, non ad Mysterium; & elevatio earum designat, quod cælestia diligimus: *ex Orig. hom.* 11. *in c.* 17. *Exodi:* extensio vero vim affectivam orantis, *ex Basil. c. Isai.*

De Gloria in excelsis, vide supra *tit.* 8. *n.* 3.

(o) *Caput Cruci inclinat.* In sex locis caput inclinamus in hoc Hymno: & ratio est summæ reverentiæ; ideoque caput inclinatur Cruci, quæ est in medio. Caput Deo inclinatur, *ait Burchard.* at Deus in Altari est in Cruce: ergo Cruci inclinemus, ut docet *Chrysost. in Liturg.*

* Monet *Jo. Baptista Constant. in monit. ad Curatos*, genuflectendum esse ad verbum *Adoramus*, & in Symbolo ad Verbum *Adoratur*, si nimirum ibi est Sacramentum: sed gratis dicit, & nullo Auctore.

(p) *A fronte ad pectus signat.* Hoc est signo Crucis, sicut etiam in fine Symboli: quia Hymnus Angelicus, & Symbolum sunt de verbis Evangel. quod Crucem continet. *Beleth. c.* 50. At sinistram infra pectus pone, ut supra; & junge manus in verbo *Amen* in fine.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Kyrie eleison, usque ad Hymnum, Gloria in excelsis Deo.

II. Gavant. lit. n — *Manus extendens, &c.*) Dicto ultimo *Kyrie*, Sacerdos stans in medio Altaris, quod est pars ejusdem nobilior, & in qua dicuntur partes Missæ insigniores, Quarti *par.* 2. *tit.* 3. *Rubr.* 3. *n.* 1. manus extendens usque ad humeros, dicit clara voce, si dicendum sit, *Gloria in excelsis Deo.*

X. Gavant lit. o — *Caput Cruci inclinat.*) Dicendo prædictum Hymnum Angelicum, cum dicit *Deo*, jungens manus, caput Cruci inclinat; quod ut venuste fiat, poterunt extendi manus, dum dicitur *Gloria*, elevando eas usque ad humeros, & non ultra eorum latitudinem, aut altitudinem, dum dicitur *in excelsis*; jungi vero dum dicitur *Deo*: & advertatur, quod dum Sacerdos profert vocem illam *Deo*, duo præstat: alterum est jungere manus ante pectus de more; alterum vero est inclinare caput, ut supra, inclinatione minimarum minima, hoc est simplici, nunquam tamen elevantur oculi, immo neque caput, neque corpus; & manus dum extenduntur, non debent poni super Altare, quod multi gratis faciunt & præter Rubricam; sed eæ, quæ junctæ erant, immediate extenduntur. Bauld. *part.* 3. *de Ritib. servand. cad.* 21. Biss. *supr.*, Gervas.

vas *supra cap. 4. §. Terminato*, & alii relati ab Hippol. a Portu *supra n. 5.*

Sacerdos igitur postquam protulerit illa verba, *Gloria in excelsis Deo*, eo modo, quo mox innuimus, junctis manibus ante pectus, prosequitur Hymnum usque ad finem; sed cum dicit *Adoramus te*, caput Cruci inclinat inclinatione minimarum maxima, quia plura sunt verba; Hippol. a Portu *tit. 3. Rubr. 4. n. 8. in adnot.* quod idem facit dum dicit *Gratias agimus tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram* — & iterum *Jesu Christo.*

XI. Gavant. lit. p — *Hoc est signo Crucis.*) Quando in fine dicti Hymni dicit *Cum Sancto Spiritu*, Sacerdos se ipsum a fronte ad pectus signat signo Crucis; & ut recte se signet, distribuat verba hoc modo: quando dicit *Cum Sancto* portet dexteram ad frontem; cum dicit *Spiritu* portet ad pectus; cum dicit *In gloria*, portet ad humerum sinistrum; cum dicit *Dei Patris*, portet ad humerum dexterum. A Portu *sup. titul. 4. Rubr. 3. in adnot. n. 13.*

XII. Gavant. eadem lit. p. — *Et junge manus in verbo Amen in fine.*) Hanc Gavanti opinionem amplectuntur Quarti *part. 2. tit. 4. Rubr. 3.* Corsettus *tract. 2. part. 1. sect. 1. n. 1.* Lohner *part. 2. tit. 10. num. 5.* & alii. Contrarium tamen tenet Tonell. *lib. 2. tit. 4. in notis ad Rubr. 3.* Bonamic. Polac. & Monac. quos refert & sequitur a Portu *supra n. 14.* tum quia conjunctio illa non requiritur ad Crucis signum complendum; tum quia esset actus superfluus, cum immediate disjungendæ forent manus, & denique quia talis conjunctio videtur præter Rubricam.

RUBRICA.

4. *In Missa Solemni Sacerdos facta Confessione* (q) *ascendit cum Ministris ad medium Altaris; ubi dicto, Oramus te Domine, &* (r) *osculato Altari ponit* (s) *incensum in thuribulum,* (t) *ministrante Diacono naviculam, &* (u) *Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem dicit: Benedicite Pater reverende: &* (x) *osculatur cochlear, & manum Celebrantis ante, & post. Celebrans* (y) *ter incensum ponit in Thuribulum, dicens interim: Ab illo benedicaris: & deposito cochleari, producens manu dextra signum Crucis super thus in Thuribulo, illud* (z) *benedicit. Postea Diaconus* (a) *demissa navicula, accipit Thuribulum, & dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, & manu illius dextera. Qui facta Cruci profunda reverentia, eam ter incensat nihil dicens; & facta iterum Cruci reverentia,* (b) *incensat Altare ter ducens Thuribulum æquali distantia,* (c) *prout distribuuntur candelabra medio ejus usque ad cornu Epistolæ: ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem,* (d) *mox superiorem, bis dato Thuribulo; & conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum usque ad medium; ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad Cornu Evangelii: & pariter incensata inferiori, & superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevans Thuribulum, ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ: deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem, seu frontem ter ducens Thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris; & facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ; ubi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.*

GAVANTUS.

(q) *Ascendit cum Ministris.* Diaconus sinistra manu, Subdiaconus dextra albam, & vestem anteriorem Celebrantis paululum elevant, dum ille ascendit.

(r) *Osculato Altari.* Ministri non osculantur, neque tangunt Altare, sed suo quisque loco genuflectit; & statim surgunt; quod semper observent.

(s) *Incensum in thuribulum.* Hic primum thuribuli nomen habetur. Thymiamaterium appellat *Ambros. lib. 4. de Sacr. cap. 1.* Thymiama significat incensum; *Canon 3. Apost. meminit & Damas. in vita Soteris, & Silvestri:* usumque ad nos ab Hebræis manasse docet *Bellar. lib. 2. de Miss. cap. 15.* Sed nota si quidquam aliud misceatur cum incenso, major quantitas semper esse debet incensi, ut dicitur *in Cærem. Episc. lib. 2. cap. 23.* ut incensum dici queat. Thuribulum autem significat Christum igne Spiritus Sancti plenum, & odore bono. *Amal. lib. 3. cap. 5. & 18.* Tres catenulæ tres denotant uniones in Christo, quibus Divinitas, & humanitas junguntur, scilicet unionem carnis ad animam, Divinitatis ad carnem; & ejusdem ad animam: quarta catenula Deitatis ad compositum. Innoc. III. *lib. 2. c. 17.*

(t) *Ministrante Diacono naviculam.* Datur illi navicula aperta sine osculis a Thuriferario. Navicula vero dicitur, quia formam navis refert. Acerra dicta est *a Tertulliano Apolog. adversus Gentil. c. 9.*

Subdiaconus in hoc casu stat a sinistris Celebrantis.

(u) *Thuriferario thuribulum:* Hoc est sustentante Thuriferario anulum majorem manu sinistra, & elevato altero anulo operculi manu dextera, eademque manu complectente catenulas circa medium eorum inter operculum, & thuribulum, flexoque quasi genu dextero, offerente thuribu-

bulum æqualiter elevatum ad naviculæ altitudinem Celebranti.

(x) *Osculatur cochlear, & manum.* Osculum rei quæ porrigitur, fit ad fidem, & dicitur osculum fidei; osculum vero manus est ad venerationem, ait *Hieron. in Ruffinum*: utrumque osculum requirit *Crass. lib.* 1. *cap.* 20.

(y) *Ter incensum ponit, &c.* Manum sinistram pectori admovet Celebrans, & dextera sumit ter, & immittit ter in thuribulum de navicula.

(z) *Benedicit.* Non addit *In nomine Patris, &c.* Benedictio vero incensi est aliqua *in Liturgiis S. Basilii, & S. Chrysost.* Apud nos cum manu fit, & loquimur cum incenso ipso: *Benedicaris.*

(a) *Dimissa navicula.* In manu Thuriferarii, qui sine osculis, demisso operculo statim tradit thuribulum Diacono.

(b) *Incensat Altare.* Habetur *in Liturgia S. Jacobi*: tum *Dion. cap.* 2. *& Ambr. in Luc. cap.* 1. astruunt Altaris incensationem: sed initio Missæ eam faciendam esse, & apud quasdam Ecclesias fuisse tunc in usu, scribit *Hugo Vict. de off. Eccl. lib.* 2. *cap.* 14. Fit autem incensatio ad repræsentandam gloriam Dei, qui in nebula apparebat; tum ad reverentiam loci, ut malus odor inde pellatur concurrentis populi; *Bellarm. lib.* 2. *de Miss. cap.* 15. tum ad repræsentandum odorem bonum Christi, *ex S. Germano in Theoria*, tum Orationem ad Deum dirigendam esse, *ex Psalm.* 140. *Sanct. Thom.* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 5. demum ad expellendos etiam dæmones. *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 17.

(c) *Prout distribuuntur candelabra.* Non enim incensantur candelabra, sed posterior illa pars Altaris, in qua sunt candelabra. Si pauciora ea sint, quam sex, adhuc triplici ductu thuribuli ea pars est incensanda, *ut seq. num. dicitur.*

(d) *Mox superiorem, &c.* Id est semel inferiorem, semel superiorem, non unumquamque partem semel, & iterum.

Nihil in tota hac incensatione a Celebrante dicitur.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a fine Confessionis usque ad primam incensationem.

XIII. Gav. litt. q. *Diaconus sinistra manu, Subdiaconus dextera, albam, &c.*) In Missa Solemni Sacerdos facta Confessione, & dicto *Oremus*, ascendit, ut in Missa Privata, manibus junctis ad Altare, submissa voce dicendo: *Aufer a nobis, &c.* Diaconus vero, & Subdiaconus nulla tunc facta genuflexione, ascendunt pariter cum Celebrante; & ascendendo hinc inde, albam, & vestem anteriorem Celebranti elevant, Diaconus sinistra, Subdiaconus vero dextera, utraque inversa, & altera utriusque manus infra pectus admota; quod in similibus semper faciunt. Lohner *part.* 3. *n.* 3. Bauldry *p.* 1. *c.* 9. *art.* 1. *n.* 13. Hoc modo comitantur Celebrantem ad Altare, ubi dum hic dicit Orationem, *Oramus te Domine*, & osculatur Altare, illi genuflectunt unico genu, manibus junctis ante pectus, & statim surgunt: hoc loco fit genuflexio propter primum accessum ad Altare. Statim ac prædicti ascendunt ad Altare, Clerici surgunt omnes, & Cæremoniarius (Clericus quoque de libro, vel Navicularius si adsint) necnon Thuriferarius, & stant in locis suis facie ad Altare conversa.

Thuriferarius vero postquam surrexit (& Navicularius a sinistris ejus si aderit) ascendit per gradus Epistolæ laterales, fere ad medium Altaris super suppedaneum; ubi facta genuflexione stans a dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam, quam tenet in manu dextra; quæque respicere debet pectus ejus ex ea parte, quæ aperiri debet, vel semiapertam tradit Diacono dextra, & ministrat thuribulum Celebranti, ut supra; si vero adsit Navicularius, tunc ipse porrigit naviculam apertam. Ex Bauldry *part.* 1. *c.* 15. *art.* 3. *num.* 3.

XIV. Gav. litt. r — *Osculato Altari, &c.*) Celebrans dicto *Oramus te Domine*, inclinatus de more osculatur Altare, ut in Missa Privata: Ministri vero Sacri, ut diximus, faciunt genuflexionem unico genu Cruci, non osculantes Altare, manibus junctis, numquam tamen super Altare positis, nec ipsum Altare tangentes, & statim a genuflexione surgunt.

Celebrans osculato Altari, stans in medio illius convertit faciem suam aliquantulum ad partem Epistolæ: Subdiaconus stat a sinistris Celebrantis, & facie versa ad Altare; Diaconus vero ad dexteram ejusdem Celebrantis, & Thuriferarius ad dexteram Diaconi: Cæremoniarius denique sit in suppedaneo post Thuriferarium.

XV. Gav. litt. f — *Hic primum thuribuli nomen habetur.*) Thuribulum non solum Thymiamaterium, sed etiam Suffitorium dicitur ab Anastasio; & est vas ex argento, vel alio metallo artificiose elaboratum, in quo thura, & alii odores incenduntur in Solemni Oblatione. Prædictum autem thuribulum, juxta usum Rom. nunc ita efformatur, ut sit convenientis capacitatis, & a tribus catenulis sustineatur, quæ manubrio in summitate innectuntur. Operculum talis vasis annexam habet quartam, & minorem catenulam, quæ ex minore pendens anulo, & transiens per manubrium, in parte suprema ipsius operculi terminatur. Manubrio est annexus in medio major anulus, & ambo anuli sint ita capaces, ut in anulum minorem, sive operculi, digitum anularem, seu auricularem immittat Thuriferarius; pollicem vero in majorem anulum, sive vasis, palma manus dexteræ aperta, & versa ad Celebrantem: altitudo catenularum solet esse quatuor circiter palmorum; ut cum fit incensatio, sinistra incensantis manente ad pectus immota, ipsum thuribulum dextera facile duci possit. In suprema parte operculi habet globum annexum,

altitudinis unius pollicis cum medio, in quem ipsa operculi catena desinit. Auctor libri Pontificalis scribit, Sergium fecisse thymiamaterium, seu suffitorium, vel thuribulum *aureum magis cum columnis, & coopertulo, quod suspendit ante Imagines tres aureas B. Petri Apostoli, in quo incensum, & odor suavitatis festis diebus, cum Missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur.* Usum porro eorum, vel similium vasorum, in quibus thura, & varii odores adolentur in solemni oblatione, ex Apostolica traditione, & Mosaicæ Legis exemplo profluxisse ostendit Card. Bona *l.* 1. *rerumLiturg. c.* 25. *n.* 9.

XVI. Gavant. lit. t — *Ministrante Diacono naviculam.*) Interim Diaconus accipit manu dextera naviculam semiapertam a Thuriferario, vel a Navicularo si aderit, de manu pariter dextera ipsius sine osculo porrigentis, ut docet Gavantus supra. Diaconus igitur statim sinistra manu naviculam tenens, ita se vertit ad Celebrantem a dexteris ejusdem cum eadem navicula, ut pars ejus aperta respiciat Celebrantem ipsum. Bauldr. *part.* 2. *c.* 9. *art.* 2. nomine autem naviculæ intelligitur parvulum quoddam vas, in quo asservatur thus boni odoris, quod postea ex eo extractum in thuribulum immittitur. Est pariter navicula ex eodem metallo, quo thuribulum; & debet continere parvulum cochlear, quo utimur ad extrahendum thus ab illa. Sic autem dicitur, quia ad instar parvæ navis formari solet, ut notat etiam Gavantus: ejus synonyma sunt Acerra, Hannapus, Incensorium, Pyxis; de quibus vide Macrium in suo Hierolexico.

XVII. Gavant. lit. u — *Thuriferario thuribulum.*) Thuriferarius inclinatus ministrat thuribulum Celebranti hoc modo: manu sinistra teneat superiorem anulum thuribuli; manu vero dextera in parte inferiori teneat thuribulum apertum elevatum, complectendo catenulas circa medium earum inter operculum, & thuribulum, quod elevatum æqualiter ad naviculæ altitudinem sustinet, illudque sic elevatum offert Celebranti; ut commode idem Celebrans ex navicula incensum in thuribulum immittere possit, & ne se inclinare cogatur. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 2. & Bauldry *part.* 2. *c.* 9. *art.* 1. *n.* 4.

XVII. Gavant. ead. lit. u. — *Flexoque quasi genu dextero.*) Ut apte Thuriferarius possit porrigere thuribulum Celebranti modo non exposito, tradit Gavantus, quod debeat esse non solum inclinatus, sed etiam semiflexus. Gavanti sententiam amplectuntur etiam Solarius *in Cæremon. Minimorum part.* 3. *c.* 4. Arnaudus, necnon Corsetus *part.* 1. *c.* 10. *n.* 1. Bauld. *par.* 1. *c.* 14. *art.* 5. *n.* 4. denique Cæremonialia Minorum Observantium, & Conventualium. Verum Andreas Guerrerus *in declaratione Rubricarum tract.* 2. *c.* 1. & Cæremonialia Canonicor. Regularium *c.* 21. Camaldulensium *lib.* 1. *c.* 20. Carmelitarum *libr.* 2. *Rubr.* 15. disponunt, quod Thuriferarius non semiflexus, sed omnino stans, inclinato tamen capite, porrigere debet thuribulum Celebranti. Hanc sententiam pariter tenent noster Maggius *de officio Chori c.* 3. *disquisit.* 12. necnon Hippolytus a Portu supracit. *num.* 6. hac ratione moti, quia Thuriferarius flexo quasi genu stans, non potest firmus quiescere, quin hinc inde nutans thuribulum dimoveat; adeoque ob commoditatem potius Celebrantis, quam ipsius Thuriferarii a prædictis omnibus præscribitur hic Ritus standi in Thuriferario, dum porrigit Celebranti thuribulum. Advertendum tamen est, quod si Thuriferarius ministraret Episcopo, tunc deberet profecto ei genuflectere, dum thus in thuribulum imponit. Bauldry *part.* 1. *c.* 15. *art.* 1. *n.* 5.

XXIII. Gav. lit. x — *Osculatur cochlear, & manum.*) Diaconus in prædicta circumstantia parum inclinatus versus Celebrantem, accepta de manu Navicularii, (si aderit) vel Thuriferarii, navicula sinistra manu, eam tenens convertit se ad Celebrantem, & partem ejusdem naviculæ apertam ei, ut mox diximus, exhibet; statimque accipiens cochlear vacuum manu sua dextera circa partem inferiorem manubrii prope vas ejusdem cochlearis, osculatur illud in manubrii summitate, & tradit Celebranti, cujus manum dexteram in exteriori parte, non digitos osculatur. Deinde versus eum inclinans dicit, *Benedicite Pater reverende*, voce intelligibili, sed non alta: sed si Celebrans est Episcopus, dicit *Pater Reverendissime*, *ex Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 23. Nonnulla Cæremonialia Regularium relata a nostro Francisco Maggio in libro de officio Chori *opusc.* 3. *disquisit.* 13. præscribunt etiam Abbatibus, Generalibus, seu Præpositis pariter Generalibus in tali circumstantia pariter debere dici a Diacono: *Benedicite Pater Reverendissime.*

XX. Gavant. lit. y. — *Manum sinistram pectori admovet Celebrans.*) Accepto cochleari a Diacono, ac sinistram tenens infra pectus positam, ter e navicula thus sumit eodem cochleari, & ter in thuribulum immittit Celebrans; tunc vero Diaconus tenet naviculam ambabus manibus inter pollices & indices desuper a lateribus ipsius. Castald. *lib.* 1. *sect.* 2. *c.* 2. *n.* 5.

XXI. Gavant. lit. z — *Et loquitur cum incenso ipso: Benedicaris.*) Dum immittit Celebrans incensum in thuribulum, tribus locis distinctis, scilicet in medio, a dexteris, a sinistris, illud benedicit, dicens quasi cum eo loquens: *Ab illo benedicaris: In cujus honore cremaberis. Amen.* Verba autem prædicta sic dispensare debet, videlicet, ut in prima thuris immissione dicat: *Ab illo benedicaris:* in secunda: *In cujus honore;* in tertia: *Cremaberis. Amen:* Lohner *par.* 2. *tit.* 8. *num.* 2. Tonellius *lib.* 3. *c.* 2. §. 2. *num.* 14. Bauld. *par.* 2. *cap.* 9. *art.* 2. Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *c.* 2. *num.* 5. & alii Rubricistæ: ac statim reddit Diacono cochlear, & deinde dextera manu producit signum Crucis super thus positum in thu-

ri-

ribulo, nihil dicens. Prædicta vero formula benedicendi Thus, nimirum, *ab illo benedicaris, &c.* semper utetur Celebrans quoties benedicit incensum, præterquam cum est thurificaturus oblata; tunc enim adhibebit aliam formulam, ut videbimus. Advertendum hic superest, ut supra diximus, quod Subdiaconus toto tempore, quo prædicto modo ministratur incensum, stare debet a sinistris Celebrantis, sed aliquantulum post eum, & facie aliquantulum versa ad Altare.

XXII. Gavant. lit. a — *Dimissa navicula, &c.*) Thure imposito, & benedicto, ut supra, Diaconus recipit manu dextera cochlear a Celebrante, sumens illud ab inferiore parte manubrii (osculata prius dextera Celebrantis) ipsumque cochlear osculatur in summitate manubrii, & statim illud reponit in navicula, quam etiam claudit. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 14. *et cap.* 9. *supra.* Interim vero Sacerdos statim post restitutum cochlear Diacono, producit, ut diximus, manu dextera signum Crucis super thuribulum nihil dicens, ut adnotat etiam Gavantus hoc loco. Mox Diaconus thuribulum clausum a Thuriferario accipit manu dextera; & eidem Thuriferario reddit naviculam, quam sinistra recipit; & porrigit thuribulum clausum Diacono sic: thuribuli summitatem teneat manu dextera; & extremitatem catenularum manu sinistra prope vas ipsius thuribuli: porrigat autem sic: catenularum summitatem ponat in dextera Diaconi, & catenularum extremitatem prope vas in sinistra Diaconi, sine osculis. Ut autem hoc faciat Thuriferarius, debet non habere naviculam in manu; unde vel illam det alicui Acolytho, vel thuribulum sola manu dextera porrigat Diacono per catenularum summitatem. Si vero adsit navicularius, tunc Diaconus ei reddet naviculam, & Thuriferarius porriget thuribulum primo modo supradicto.

Diaconus vero porrigit thuribulum Celebranti sic: summitatem catenularum ponat in sinistra Celebrantis, prius talem summitatem osculando; catenularum extremitatem prope vas ponat in ejusdem dextera, quam pariter osculatur, sed in parte exteriori; & dum Celebrans manu dextera accipit thuribulum, Diaconus manu sinistra, quasi sustentet dexteram Celebrantis: sic semper thuribulum exhibetur quando in illam tantum manum, cui offertur, transire debet. Hæc colliguntur *ex Cæremon. Episcop. lib.* 1. *cap.* 23. §. 4. Castaldo *lib.* 2. *sect.* 2. Bauldry, Bisso, Lohner, Corsetto, Benventui, & aliis.

XXIII. Gav. lit. b — *Incensat Altare. Habetur in Liturgia S. Jacobi, &c.*) Hic ante omnia innuit Gavant. antiquissimum usum incensandi Altare. Aliqua addenda essent super antiquitate, & variis modis, tum antiquis, tum recentibus hujus Ecclesiasticæ Cæremoniæ; sed ne nimius sim, sat erit innuere Ordinem Romanum primum, inter editos a Mabillon. *pag.* 8. Ordinem secundum *pag.* 43. Ordinem tertium *pag.* 55. & Amal. *lib.* 1. *cap.* 5. prædictæ Cæremoniæ specialem mentionem facere. Qui plura scire desiderat de origine, antiquitate, & variis usibus hujus Sacri Ritus, legat etiam ea, quæ tradunt Cardinal. Bona *lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 9. Le Brun *tom.* 1. *part.* 1. *art.* 9. Bellotte *in suis observ. cap.* 495. *et seqq.* Duranti *de Rit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 9. necnon de Vert. *tom.* 4. *adnotat.* 11. *pag.* 49. *et seqq.* qui fuse omnes, & erudite disserunt de hac Cæremonia.

XXIV. Gavant. ead. lit. b — *Incensat Altare.*) Postquam Celebrans thuribulum a Diacono recepit ut supra, genuflectent Thuriferarius, ac Cæremoniarius, e suis locis inde descendentes, in planum se conferunt in cornu Epistolæ (deposita prius a Thuriferario navicula) & conversi ambo ad cornu Evangelii expectent ibi finem thurificationis. Eodem tempore navicularius, si aderit, vel Clericus serviens de Libro (aliter supradictus Cæremoniarius, vel ipse Thuriferarius) accedit per gradus laterales a cornu Epistolæ: ubi facta genuflexione Cruci, amovet cussinum cum Missale de Altari (dummodo adhuc non sit super credentia) & iterum facta debita reverentia Cruci, descendit extra gradus, & ibi utrumque sustinet ambabus manibus ante pectus prope cornu Epistolæ, facie versa ad Altare, donec thurificatio mensæ Altaris in eodem cornu sit completa: mox reponet dictum cussinum, deinde genuflectet, & revertetur ad eumdem locum, ubi stabit iterum, donec finita sit totius Altaris thurificatio: Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 21. Quarti *part.* 2. *tit.* 4. *Rubr.* 4. *num.* 2. amovetur autem liber cum suo cussino, ne sit impedimento Celebranti in thurificatione. Quarti *supra.* Si vero juxta aliquorum morem adhuc cussinus, & Missale sint super credentia, tunc ea non removentur, & non collocantur super Altare, nisi incensatio Altaris ex illa parte completa sit.

Dum superius dicta peraguntur, Celebrans recepto, ut supra, a Diacono thuribulo, sinistram, qua summitatem catenularum juxta manubrium complectitur, admovens infra pectus, eamque immobilem tenens in tota incensatione, dextera vero easdem catenulas simul junctas prope operculum firmas tenens, medius inter Ministros Sacros vertit se ad Altare, & facit Cruci profundam inclinationem, etiamsi esset in ea veræ Crucis particula, Bauld. *part.* 2. *cap.* 9. *art.* 2. & 3. *num.* 5. Bissus *lit. S num.* 72. §. 4. Ministri vero Sacri, ac primus Cæremoniarius, si aderit, semper genuflectunt Cruci, comitantes Celebrantem, licet ipse eidem tantum se inclinet. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *num.* 14. & *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 7. de Bralion *in Cærem. Canonic. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9.

Facta Cruci inclinatione Celebrans ter æquali ductu incensat Crucem, nihil dicens, post unamquamque incensationem tantillum quiescens, ita ut distinguatur eas incensationes esse tres; quibus finitis iterum Cruci profunde inclinat, genuflectentibus Ministris Sacris, ac Cæremoniario, ut supra. Cum Celebrans incipit Crucem incensare,

vel

vel statim ac primam exhibuit Cruci inclinationem, Diaconus manu sinistra planetæ partem circa humeros Celebrantis paullulum elevat, manu dextera infra pectus posita. Item Subdiaconus manu dextera posteriorem partem planetæ similiter elevat, sinistra pectori admota; sic ambo comitantur in tota incensatione Celebrantem, aliquantulum ab eo remoti.

XXV. Gav. lit. c — *Prout distribuuntur candelabra.*) Postea Celebrans incensat Altare incipiens a latere Epistolæ; & faciem ad illud convertens, ter hucit thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiori Cruci, recta linea, ter incensat usque ad terminum illius cornu Epistolæ; & advertat Celebrans has tres incensationes esse faciendas, etiamsi non essent tria candelabra, sed pauciora, vel plura: non enim incensantur candelabra, sed pars posterior mensæ Altaris. Gavantus *supra*, Bissus *supra num.* 5. Horatius Christiani *sect.* 1. *cap.* 10. *num.* 27. Quarti, Arnaud., & alii communiter. Interim tot passus promovendi sunt, quot thuribuli tractus; quod semper faciendum erit juxta motum incensationis, ut manus cum pede, quantum fieri potest, concordet; & in quolibet passu præmovetur pes, qui est proximior Altari. Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *art.* 2. *num.* 5. & Bissus *supra loc. cit.*

XXVI. Gav. lit. d — *Mox superiorem, &c. Id est semel inferiorem, &c.*) Cum ad cornu Epistolæ pervenerit, & compleverit tertiam incensationem, Celebrans stans ibi aliquantulum inclinat se, & demissa manu cum thuribulo, semel incensat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde superiorem, bis ducendo thuribulum, semel in parte inferiori, ac iterum semel in superiori: mox conversus ad Altare, & faciem ad medium vertens elevat manum, & incensat in superiori parte planitiem anteriorem Altaris circa oram, ducens thuribulum obliqua linea, velut in semicirculum a dextra ad sinistram, & æquali distantia, terna vice, ac procedendo ad medium Altaris, ut prius, tot passus faciens, quot incensationes. *Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 23. §. 5. Deinde perveniens ad medium Altaris, ibi profundam faciat reverentiam Cruci, genuflectentibus Ministris Sacris & Cæremoniario, ut supra; ac posteriorem Altaris planitiem incipit thurificare a latere Evangelii, ter ducens thuribulum, prout distribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiori Cruci, recta linea, sicut supra dictum est de parte Epistolæ: ter interim ducens thuribulum in æquali distantia, eo modo, quo a latere Epistolæ; tum parum inclinans, incensat semel inferiorem, & semel etiam superiorem partem lateralem ipsius cornu Evangelii; deinde stans, elevans thuribulum, nec ultra progrediens, incensat planitiem anteriorem, seu mensam in cornu Evangelii: ducens thuribulum quasi in semicirculum, ut ad cornu Epistolæ, sed cum hoc discrimine, quod in parte Epistolæ ducit thuribulum a sua dextera ad sinistram, in cornu vero Evangelii ducendum est a sinistra ad dexteram: nec ibi fit ulla reverentia, quia numquam tunc accedit usque ad medium, sed statim quasi retrogreditur ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demissa, incensat partem illius anteriorem seu frontem ter ducens recta linea thuribulum a cornu Evangelii, usque ad medium Altaris, ad quod iterum progreditur. Perveniens ad medium profunde inclinat Cruci, & pariter incensat triplici ductu alteram partem anteriorem Altaris, seu Mensæ a medio usque ad cornu Epistolæ; ubi finita incensatione reddit utraque manu thuribulum Diacono stanti in secundo gradu, qui illud accipit utraque manu; & convertens Celebrans faciem ad ipsum Diaconum, & ibidem stans junctis manibus ante pectus, & sinistro brachio quasi tangens frontem Altaris, incensatur ab eodem Diacono, cui se nullatenus inclinat nec ante, nec post incensationem.

RUBRICA.

5. *Si vero in Altari fuerint* (e) *Reliquiæ, seu imagines Sanctorum, incensata Cruce, & facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas quæ a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum: & iterum facta Cruci reverentia similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ: deinde prosequitur incensationem Altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unuquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.*

GAVANTUS.

(e) *Reliquiæ.* Reliquiis, seu imaginibus, id est statuis Sanctorum, (non pictis imaginibus in pariete) fit reverentia cum thure hoc loco; tamen iisdem non inclinat caput Celebrans, ad differentiam Crucis, cui inclinare debet, ea ratione, qua abstinemus a genuflexione, quæ fit, v. g. Episcopo proprio, si coram eo sit Cardinalis, aut Papa. * Et hic Ritus servatur Romæ, ne scilicet fiant immediate tres capitis inclinationes, ut attente consideranti patet. Approbat incensationem imaginum Sanctorum *Synod.* 7. *Act.* 4. ergo multo magis Reliquiarum, *et S. Basilio teste*, hoc ipsum, quod erga conservos bonos honor, erga ipsum Dominum commune benevolentiæ signum exhibetur. Honor autem & cultus Reliquiarum habetur *lib.* 6. *Const. Apostol. cap.* 30.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemni servando in Reliquiarum incensatione, si adsint in Altari.

XXVII. Gav. lit. e — *Reliquiis, seu imaginibus, id est statuis Sanctorum, &c.*) Si in Altari fuerint Reliquiæ, seu imagines Sanctorum, quæ imagines debent esse inter candelabra, & sculptæ, non autem in parietibus depictæ, ut observat Gavantus supra, & quidem diversæ ab illis, quæ aliquando in tabulis depinguntur, aut circa Tabernaculum disponuntur. Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. Quare illa particula *seu* explicat idem, nempe incensandas esse Reliquias, sive sint in vasis, sive repositæ in statuis, & imaginibus Sanctorum. Quarti *part.* 2. *tit.* 4. *Rubr.* 5. & quamvis incensationem imaginum Sanctorum approbet Synodus 7. *act.* 4. relata a Gavanto; nihilominus superior Rubrica peculiarem rationem habet Reliquiarum, quæ magis intrinsece pertinent ad Sanctos, quorum sunt Reliquiæ; unde aliæ imagines sine Reliquiis non sunt Reliquiæ: unde aliæ imagines sine Reliquiis non sunt incensandæ in hac Missæ circumstantia. Quarti *supra.*

Incensata Cruce a Celebrante, & facta eidem Cruci profunda reverentia (Ministris vero Sacris, & primo Cæremoniario genuflectentibus semper, ut superius diximus) antequam discedat a medio Altaris, si in medio ejusdem Altaris sit exposita aliqua insignis Reliquia, ut caput, aut brachium alicujus Sancti, immediate post Crucem duplici ductu incensari debet absque ulla inclinatione, vel reverentia ob Crucis præsentiam; Nicolaus de Bralion in Cærem. Canon. *part.* 1. *cap.* 1. *de Vesper. num.* 30. cui solum profunde inclinare debet, utpote Christum Dominum rappresentanti, quemadmodum abstinemus a genuflexione, quæ fit v. g. Episcopo proprio ad præsentiam alicujus Cardin. Legati. Gavantus, Quarti *supra*, & alii.

Incensata supradicta Reliquia insigni in medio Altaris, si quæ erit, absque ulla capitis inclinatione, ut supra, Celebrans stans ibidem, antequam discedat a medio, primum incensabit eas, quæ sunt a dexteris, id est a parte Evangelii, incipiendo ab iis, quæ sunt Cruci, seu Tabernaculo proximiores, bis tantummodo ducens thuribulum, quamvis plures, vel pauciores fuerint Reliquiæ, aut statuæ, Cærem. Episcop. *supra;* & facta deinde iterum profunda inclinatione Cruci, simili Ritu bis incensabit alias Reliquias, quæ sunt a sinistris, seu a latere Epistolæ; & tandem procedat absque nova inclinatione ad incensandum Altare, ut supra exposuimus.

Cæterum in actu thurificationis Celebrans (& Diaconus & alius quilibet proportionaliter) graviter se gerat, modeste, & sine properatione; non personam, non caput ullo modo moveat cum ducit, aut reducit thuribulum; quod cum movet ad se trahens cum brachio leviter, & competenti mora reducit, manum sinistram immobiliter pectori admotam semper retinet; dum procedit thurificando Altare, prius pedem Altari proximiorem movet; & tot facit omnino passus, quot thuribuli tractus; ut jam diximus supra suo loc. Cærem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 23. §. 8. Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. Bauldry *part.* 2. *c.* 9. *num.* 17. Bissus *lit. S* §. 9. *num.* 72.

Sed ut omnis Sacerdos facilius percipiat modum & ordinem incensationis, necnon loca, quæ in Altari thurificari debent, & numerum incensationum, sicut mox declaravimus; sequentem tabulam similem ei, quam præclarissimus Gavantus in secunda editione sui Thesauri impressi Romæ anno 1630. exhibuit, etiam nobis placuit hoc loco apponere.

TABVLA PRIMA

In qua continetur Ordo incensandi Altare tam in Vesperis quam in Missa.



Quando in Altari non sunt Reliquiæ, incensata Cruce in medio, Celebrans prosequitur incensationem per num. 8. et cæteros: omissis numeris 4. 5. 6; et 7.

RUBRICA

6. *Si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem,* (t) *genuflectit; quod item facit,* (g) *quotiescumque transit ante medium Altaris.*

GAVANTUS.

(f) *Genuflectit.* Ob præsentiam SS. Sacramenti, quamvis lateat; & eo casu non inclinat caput Cruci, quam incensat. Adorat igitur quod latet, & patet, Sacramentum & Crucem; incensat quod manifeste patet, id est Crucem. Antitypa Corporis Christi, id est Symbola vocac Eucharistiam *Clement. lib.* 6. *Constit. cap.* 26.

(g) *Quotiescumque transit.* Accidit transire ante medium Altaris in incensatione bis, et textus loquitur tantum de incensatione Altaris, non de alio transitu in Missa.

Novæ Observationes, & Addit. &c. pro Ritu Missæ Solemnis servando quando reperitur SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum.

XXXVIII Gav. lit. f — *Genuflectit ad præsentiam SS. Sacramenti.*) Si in Altari, quod incensatur, sit Sacramentum in Tabernaculo inclusum, debet servari regula a Gavanto supra descripta, nimirum non inclinat tunc Celebrans caput Cruci, quam incensare debet; sed accepto thuribulo a Diacono, antequam incensationem incipiat genuflectit ponens extremitatem manuum super Altare, ut facilius genuflectere, et etiam surgere possit, Bissus *supra* §. 4. & Benvenuti *pag.* 15. Dixi non debere tunc inclinare Cruci contra aliquos imperitos, qui male, ut advertit Tonellius, post genuflexionem Sacramento facta, aliam reverentia Crucis præstant. Biss. *lit S. n.* 20. §. 4. Incensata autem Cruce iterum Sacramento genuflectit, quamvis in Tabernaculo incluso, cum Ministris ut supra.

Advertimus hoc loco cum Gavanto *supra*, Quarti, Corsetto, & aliis, quod Sacerdos sua genuflexione adorat quidem Sacramentum, si clausum intra Ciborium adsit, sed non thurificat nisi Crucem; adorat enim quod latet & patet, Sacramentum & Crucem, sed incensat id solum, quod manifeste patet, nempe Crucem. Ramerius tamen in Rituali Cælestinorum *lib.* 3. *cap.* 2. sic loquitur: *Sacerdos thurificans Altare, primo Crucem adolere debet incenso ante, et post genuflectendo; quia quod non videt adorat, et quod videt thurificat. Sed quando est expositum SS. Sacramentum extra Ciborium, illud simul adorat, et incensat genuflexus, non autem Crucem.*

XIX. Gav. lit. g — *Quotiescumque transit.*) *Item* genuflectit Celebrans unico genu cum Ministris, quoties dum incensat Altare, transit ante illius medium, quod bis occurrit, nempe finita incensatione planitiei Altaris in cornu Epistolæ, & finita incensatione frontis ejusdem Altaris in cornu Evangelii, Bissus *lit. S. n.* 72. §. 14. & Gav. *supra*, qui optime adnotat, hanc genuflexionem esse a Rubrica præcriptam solummodo, quando fit transitus ad incensandum Altare; non vero quando fit alius transitus a Celebrante in Missa, nisi tamen adsit Venerabile expositum, Bauldry *p.* 3. *c.* 11. *art.* 4. *n.* 20 & Vinitor *in Compendio p.* 4. *tit.* 3. *in adnot.* §. 20. Rursus advertimus hoc loco, quod si non adsit Sacramentum in Altari, Canonici Ecclesiæ Cathedralis, licet sint in officio Diaconi, vel Subdiaconi, numquam Cruci genuflectere tenentur, sed solum prout Celebrans profunde inclinare Bauldry *p.* 2. *c.* 9. *art.* 2. *n.* 10.

RUBRICA

7. *Diaconus & Subdiaconus hinc inde* (h) *assistunt Celebranti, dum incensat; & cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ,* (i) *hegit Introitum, & Kyrie eleison. Cum vero intonat Hymnum, Gloria in excelsis Deo, Diaconus & Subdiaconus,* (l) *unus post alium, stant a tergo Celebrantis; postea* (m) *ascendunt ad Altare, et hinc inde Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris cum Celebrante Hymnum submissa voce* (n) *prosequuntur usque ad finem; quod etiam servatur cum dicitur Credo; et cum dicitur Dominus vobiscum, Oratio, Præfatio, et Pater noster, Diaconus et Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.*

GAVANTUS.

(h) *Assistunt Celebranti.* Ministri inserviunt hinc inde elevando planetæ eam partem, quæ est circa brachia Celebrantis ut non impediantur, altera eorum manu pectori interim admota.

Diaconus accipiendo thuribulum a Celebrante osculatur primo manum ejus, tum catenularum summitatem; eumque incensat cum inclinatione semper profunda capitis ante, & post; cui Celebrans nec modicum quidem caput inclinat.

Librum amovet de altari Thuriferarius, si abest Cæremoniarius, & restituit statim, quando nimirum incensandum est cornu Epistolæ, seu Evangelii, tempore incensationis hujus, & oblatorum infra. * Quod si adsit Assistens pluviali indutus, ejusdem erit amovere librum *Cærem. Episc. l.* 1. *c.* 7.

Subdiaconus autem ad incensationem Celebrantis a Diacono, sistit se contra cornu Epistolæ, neque cum Diacono caput inclinat Celebranti.

Finita incensatione redit in Sacristiam Thuriferarius, qui propterea non habet locum stabilem in Presbyterio.

(i) *Legit Introitum.* Solus Celebrans legit, non Ministri; qui tamen respondent, & dicunt cum eo novies *Kyrie* & *Christe eleison* in eodem cornu Epistolæ usque ad nonum.

(l) *Unus post alium.* Diaconus super secundum gradum, Subdiaconus in plano Capellæ se locant, formantes rectam lineam; tamquam servi post dominum.

(m) *Ascendunt ad Altare.* Facta in medio tantum, ubi sunt, prius genuflexione, non alia iterum ad Altare.

(n) *Prosequuntur usque ad finem.* Caput inclinant Ministri cum Celebrante, & signant se in fine. Si sedendum erit, parato scamno oblongo, & decenter vestito a latere Epistolæ in plano Capellæ, postquam Celebrans dixerit secreto Hymnum Angelicum, facta Cruci a Celebrante inclinatione, seu genuflexione (si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti) & a Ministris semper genuflexione, descendunt unus post alium per breviorem viam a latere Epistolæ ad sedem paratam, in qua sedent cooperto capite; quod tamen aperiunt cum inclinatione ad verba supra notata Hymni, dum cantantur a Choro; * in fine vero non se signant rursus signo Crucis; quæ omnia & in Symbolo sunt observanda.

Sedet Celebrans medius inter Diaconum a dextris & Subdiaconum a sinistris; stant Acolythi regulariter apud credentiam.

Reversuri vero ad Altare, dimissis birretis, procedunt unus post alium per planum Capellæ; facta in medio reverentia Altari, ut supra, ascendunt quisque ad locum suum, uno remanente post alium.

Si vero sedendum non sit, quod maxime decet coram Sacramento in Altari exposito, stabunt apud Altare quasi pares ex communiori usu Romano, a principio usque ad finem dicti Hymni cantati a Choro, & inclinabunt, ut supra dictum est; finitoque Hymno, facta a Ministris genuflexione ibidem, descendunt ad gradus suos, ut unus stet post alium.

Habes in fine hujus Rubricæ quoties Ministri stare debent unus post alium in Missa, id est novies: ergo non in aliis casibus, quam hoc loco præscriptis, & numquam extra Missam.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a thurificatione Diaconi facienda Celebranti, usque ad initium Orationum.

XXX. Gav. lit. h — *Diaconus accipiendo thuribulum a Celebrante.* Terminata Altaris incensatione, Diaconus recipit a Celebrante thuribulum hoc modo: stans in secundo gradu Altaris, supponit ambas manus dexteræ Celebrantis, quam parumpet quasi sublevans osculatur in exteriori parte: tum sua dextera accipit thuribulum per inferiorem partem catenularum juxta vas thuribuli, seu manum dexteram Celebrantis; sinistra vero complectitur manubrium infra alteram ejusdem Celebrantis manum, illudque statim osculatur; & recedens in planum a latere Epistolæ (absque eo quod Altari terga vertat) ac ibidem stans cum Subdiacono, ante infimum gradum, a sinistris suis assistente, manibus junctis, & ante primum Cæremoniarium, triplici ductu Celebrantem thurificat cum profunda inclinatione ante & post, tenens interim sinistra quidem admota pectori, & clausa summitatem catenularum; dextera vero easdem catenulas juxta vas thuribuli. Subdiaconus in tali circumstantia, semper erectus manet in loco supradicto nullam faciendo reverentiam; quam tamen exhibere debet Cæremoniarius ante, & post prædictam incensationem, eo modo, quo Diaconus se inclinat Celebranti. Quod Subdiaconus ad prædictam incensationem sistat se in plano Cappellæ contra cornu Epistolæ, est sententia Gavanti; necnon Bissi *lit. S. n.* 169. §. 1. Bauldry *part.* 1. 13. *art.* 1. *num.* 8. Nicolai de Brailon *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. contra Castaldum, & alios opinantes Subdiaconum nunc stare debere post Celebrantem, dum hic a Diacono incensatur.

XXXI. Gav. ead. lit. h — *Finita incensatione.*) Incensato Celebrante Diaconus thuribulum ambabus manibus prout habet, redit Thuriferario stanti quasi a dexteris ipsius aliquantulum retro, Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *artic.* 1. *num.* 16. Bissus *lit. S. numer.* 72. §. 10. qui illud recipit absque osculis, manum dextram admovens ad manubrium, aut ad ipsius anulum, si manubrium retineatur a Diacono: deinde Celebranti reverenter inclinans, recedit ad deponendos carbones in vase deputato, in Sacristia existente, vel in alio loco congruo: Gavantus *supra*, Bauldry *part.* 1. *capit.* 15. *artic.* 3. *numer.* 5. deinde redit, & collocat thuribulum sine igne in cornu anteriori credentiæ versus Altare; vel si ex eo non extraxerit ignem, illud in alio loco decenti ponit, & se ad suum locum confert. A Portu de Missa Solemni *tit.* 4. *Rubric.* 4. *in suis adnot. num.* 27. Sub eadem lit. h docet Gavant. id, quod supra jam exposuimus, nimirum Sacros Ministros in incensatione elevare debere eam planetæ partem, quæ est circa brachia Celebrantis, &c. Et deinde admonet Thuriferarium, absente Cæremoniario, debere tempore hujus incensationis, & oblatorum infra, removere librum ab Altari, ne impediatur incensatio, & debere illum cum cussino restituere statim, nimirum quando est incensatum cornu Epistolæ, seu Evangelii, de qua re jam non satis supra locuti sumus; & solum hic addimus esse usum aliquarum Ecclesiarum, non ponere statim Missale cum cussino super Altare, sed super credentia; a qua non amovetur, nec transfertur super Altare, nisi peracta omnino hac prima Altaris incensatione.

XXXII. Gavant. lit. i — *Solus Celebrans legit*) Termi-

Terminata incensatione, Celebrans stat in cornu Epistolæ junctis manibus, prout in Missa Privata; sed habens ad suam dexteram in secundo gradu Diaconum, & ad dexteram Diaconi Subdiaconum in recta linea utrumque manibus junctis, primo Cæremoniario stante prope angulum posteriorem Altaris versus ipsum Celebrantem, legit Introitum solus prædictus Celebrans submissa voce; quæ omnia colliguntur partim ex superiori Rubrica, partim ex Gavanto *supra*, alia vero ex Bauldry, Bisso, Castaldo, Lohner, & Corsetto. Dicitur autem semper Introitus, præterquam in Sabbato Sancto, ut superius etiam adnotavimus; sicut omittitur pariter in Missa Solemni Sabbato Vigiliæ Pentecostes. Ministri, dum Celebrans legit Introitum, se signent sicut ipse, & caput de more inclinent prout facit etiam Celebrans, quando aliter non præscribitur in Ordine Missæ; Lohner *part.* 3. *titul.* 2. *num.* 8. & *tit.* 3. *num.* 4. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *artic.* 5. *num.* 1. Bissus *lit. C num.* 199. §. 11. quod facit & Cæremoniarius primus simul cum aliis. Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 23. Dicto Introitu, Celebrans cum Ministris in eodem cornu Epistolæ dicit novies *Kyrie*, *Christe*, *etc.* submissa adhuc voce; *Cæremon. Episcop. lib.* 2. *cap.* 8. §. 36. Gavantus *supra*, & omnes Rubricistæ communiter; quod etiam ex consuetudine omnes de Choro dicunt inter se bini, & bini, ut diximus de Confessione: Bralion *part.* 2. *cap.* 4. *numer.* 12. persistunt autem in supradicto cornu Epistolæ Celebrans & Ministri cum primo Cæremoniario usque ad ultimum *Kyrie* cantatum a Choro, si sedendum non sit; Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *n.* 18. *et cap.* 13. *num.* 9. & sedendum non est, quando moderate cantus a Choro protrahitur. Quod si longior effunderetur a Choro melodia, vel si foret legitima consuetudo, tunc sedendum esset, & procedendum ad scamnum oblongum, tempore quo in Choro cantatur *Kyrie*: tunc facta debita a Celebrante reverentia, & a Ministris genuflexione; Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *n.* 3. semper per breviorem viam recto tramite, id est per latus Epistolæ, unus post alium, præcedente Subdiacono, procedunt ad scamnum oblongum honeste panno decenti ornatum in plano.

Dum vero, in suppositione quod sedeant, a Choro cantatur ultimum *Kyrie*, surgunt, & redeunt ad medium Altaris modo in pari casu explicando, in Choro cantantur verba prope finem Hymni, *Gloria in excelsis*. Bissus *lit. C num.* 197. §. 12.

XXXIII. Gavant. lit. l — *Unus post alium. Diaconus super secundum gradum.*) Si tempore, quo in Choro cantatur *Kyrie*, Celebrans, & Ministri non sedeant, tunc stabunt ad Altare in cornu Epistolæ, sicut ad Introitum; & in hoc casu, dum in Choro cantatur ultimum *Kyrie*, ibi in cornu Epistolæ se sistant in recta linea unus post alium, & tali ordine, nimirum Diaconus se collocet in secundo gradu a tergo Celebrantis, Subdiaconus a tergo Diaconi in plano, uterque ante cornu Epistolæ, & dum Celebrans per suppedaneum transit junctis manibus ad medium Altaris, Diaconus per eumdem secundum gradum, & Subdiaconus per planum eodem tempore, & ordine junctis manibus procedant ad medium ejusdem Altaris; ibique se locent formantes tunc cum Celebrante rectam lineam, ut supra dictum est, tamquam servi post dominum, donec Celebrans incœperit Hymnum *Gloria in excelsis Deo*. Gavantus *supra hac lit. l* Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *et* 5. *num.* 6. qui Hymnus *Gloria in excelsis Deo* intonatur a solo Celebrante post cantatum ultimum *Kyrie* a Choro: & dum Celebrans dicit *Gloria* disjungit manus, sed non ponit super Altare expansas: dum dicit *In excelsis*, eas disjunctas elevat usque ad humeros, dicens *Deo*, eas iterum jungit ante pectus, non elevans oculos, sed tantum caput inclinans, ut in Missa Privata; & tunc etiam Ministri caput inclinant, & non prius: Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 18. idem quoque facit & primus Cæremoniarius stans in latere Altaris ad cornu Epistolæ. A Portu *supra Rubr.* 7. *in adnot. num.* 6.

XXXIV. Gav. lit. m — *Ascendunt ad Altare. Facta in medio tantum, etc.*) Dum inchoatur a Choro *Et in Terra pax*, & non prius, facta genuflexione in loco ubi sunt, & unde recedunt, ut docet Gavantus *supra hoc lit. m* quem sequuntur Lohner *part.* 3. *titul.* 4. *num.* 5. Bissus *supra* §. 3. Bauldry, Corsettus, Cabrinus, & alii; Diaconus aliquantulum in eodem secundo gradu Altaris recedit ad partem Epistolæ, ibique paullulum expectat Subdiaconum ascendentem; & sic ambo æqualiter hinc inde ascendunt: quod semper faciunt, dum ascendunt ad Altare, ut se collocent ad latera Celebrantis; Bauldry *part.* 1. *capit.* 12. *artic.* 1. *numer.* 18. Cum eo pervenerint, non genuflectunt juxta Gavanti sententiam, cui adhærent Bauldry, Corsettus, & alii, contra Castaldum *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *num.* 8. sed præferenda est opinio Gavanti, quam pariter tuetur a Portu *supra num.* 8. & quidem cum jam præmiserit genuflexionem in loco, a quo recesserunt, non est iterum repetenda in loco, ad quem perveniunt.

XXXV. Gavant. lit. n — *Prosequuntur usque ad finem, etc.*) Præfati Sacri Ministri stantes ibi, manibus junctis, & submissa voce, totum Hymnum recitant simul potius subsequendo Celebrantem, qui voce altiori recitat; & sic prosequuntur usque ad finem dicti Hymni, inclinantes se, & signantes cum eo; & cum dicunt *Amen* jungunt manus; Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 2. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *et* 5. Benvenuti *pag.* 21. §. *Non inchoatur.* Eumdem Hymnum eodem modo prosequuntur, qui sunt in Choro, ut dictum est de *Kyrie eleison*; Bralin *supra.*

XXXVI. Gavant. ead. lit. n — *Si sedendum erit, etc.*) Quia Celebrans citius præfatum Hymnum

num Angelicum, quam Chorus, terminat, ideo regulariter cum Ministris se confert ad sedendum, & tunc idem Celebrans adhuc stans in suppedaneo Altaris cum Ministris, facit reverentiam Cruci, quæ est in medio, sive genuflexionem Sacramento, si erit in Tabernaculo; Ministri vero genuflectunt suis locis, ut diximus supra, etiam Cruci, & statim proceduut ad scamnum paratum per breviorem viam, id est per gradus laterales Epistolæ, unus post alium, ut tradit Gavantus *supra*, necnon Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. & a Portu *supra num.* 9. aliique communiter, sed ita tempestive procedunt, ut non sint in via, cum cantatur in Choro *Adoramus te*, vel aliud simile, ad quod sit inclinandum, ne cogantur sistere; quod si contingeret, inclinent se versus Altare; Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *artic.* 5. *supra.* Præcedit itaque Cæremoniarius primus, qui a sede Celebrantis accipit ejus birretum, & retrocedens versus Altare, facie ad populum conversa cedit locum transeuntibus Ministris, descendit postea Subdiaconus, & post eum Diaconus, & tandem post Diaconum Celebrans; Gavantus *supra*, Lohner, Bauldry, & Bissus *supra.* Tam Celebrans, quam reliqui, caveant, ne in convertendo se terga vertant Altari; quare Celebrans, & Subdiaconus, dum erunt ante scamnum oblongum præparatum, vertant immediate latus dexterum versus Altare, e contra Diaconus vertat versus Populum latus sinistrum. Celebrans sedet, Ministris suis posteriorem planetæ partem elevantibus, ne sedeat super eam, & operit caput, Diacono ei porrigente birretum, cum quasi osculo illius, acceptum a primo Cæremoniario; Bissus *supra* §. 16. & Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *et part.* 3. *supra.* Deinde ipse Diaconus & Subdiaconus, acceptis suis birretis proinde Celebranti inclinant, & aliquantisper sibi invicem, & sedent hinc inde a lateribus Celebrantis, Diaconus scilicet a dextris, & Subdiaconus a sinistris; Bissus *supra*, & Bauldry pariter *supra*, necnon Vinitor, & Benvenuti *cit. loc.* Si opus erit, Acolythi adjuvent Ministros Sacros elevando posteriores dalmaticæ, & tunicellæ partes; vel ipsi Ministri sibi dalmaticæ, & prædictæ tunicellæ posteriores partes elevent: Bissus, Bauldry, a Portu, & Benvenuti *loc. cit. supra.* Birreta tamen eis ab Acolythis non porrigantur, sed ipsi Ministri Sacri sibi ea accipiant, ut mox dictum est, nec caput operiant, antequam Celebrans sit coopertus: Bissus, Bauldry, Benvenuti *supra*, & Lohner *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 9. manus vero tam Celebrans, quam Ministri Sacri dum sedent, teneant super genua expansas, omnibus digitis simul junctis; Bissus, Lohner, & Benvenuti *supra.* Cum in Choro cantantur verba, ad quæ inclinandum est caput, pura *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, & his similia, Celebrans, & Ministri debent etiam caput discooperire, & inclinare; Bissus *supra.*

Si ante Celebrantem, & Ministros Sacros sedentes elevetur, vel deferatur Sacramentum, nudo capite genuflexi illud adorent; non autem quando sunt in via de scamno ad Altare procedentes; Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 6. Bissus *supra* §. 17.

Si sedendum non sit (sicut sedendum non est ante Venerabile expositum) an Ministri stare debeant ad Altare, quasi pares paulo post Celebrantem, ea scilicet distantia, qua ab Altari distant, discrepant Doctores. Affirmant Gavantus *supra*, Bauldry *part.* 1. *capit.* 12. *art.* 1. *numer.* 22. Lohner *part.* 3. *titul.* 2. *numer.* 9. Corsettus *de Rubric. General. numer.* 22. negat vero Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *capit.* 1. *num.* 8. & *capit.* 5. *num.* 8. sed amplectenda est sententia affirmativa, quam pariter tuetur a Portu *supra numer.* 9. quia, ut Gavantus asserit, ita fert communior usus Romanus; tum quia in fine Rubricæ 7. superius allatæ numerantur casus, in quibus Ministri stare debent unus post alium: & cum iste ibi non recenseatur, infertur, quod non debent descendere unus post alium, sed modo supradicto persistere, donec totus Hymnus prædictus a Choro persolvatur.

XXXVII. Gavant. ead. lit. n — *Stant Acolythi regulariter apud credentiam.*) Sedentibus Celebrante, & Ministris Sacris, quæstio agitatur a Sacrorum Rituum explanatoribus, utrum etiam Clerici in scamnulis sedere debeant? Negat Gavantus *supra*, dicens eos stare debere apud credentiam, ejusque sententiam amplectuntur Arnaud. *tit.* 4. *num.* 13. Corsettus *cap.* 2. *de Rubr. Gener. num.* 14. affirmant vero Lohner *part.* 3. *tit.* 8. *num.* 3. Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 2. *num.* 5. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *num.* 4. Cærem. Can. Regul. Sancti Salvatoris *cap.* 29. a Portu *supra num.* 9. qui pariter ibidem post hanc promovet aliam quæstionem, nimirum, utrum sedentibus Clericis super aliquam sedem humilem, Cæremoniarius uterque sedere possit? & sequitur ibi sententiam affirmativam: quia non videtur ei congruum, quod sedentibus Clericis reliquis, non debeat sedere Cæremoniarius, qui est in superiori officio constitutus, & deberet esse cæteroquin Sacerdotali dignitate insignitus. De utraque quæstione satis superque nos alibi locuti sumus, nimirum, cum de scamno oblongo egimus, quod præparari debet ad Missam Solemnem; & Gavanti sententiam libenter amplexi sumus, innixi communi praxi Basilicarum Urbis, necnon aliarum Cathedralium, nihil obstantibus Sacr. Congregationis Decretis, quæ ab aliquibus contrariæ sententiæ adducuntur: quia, ut ibi ostendimus, præfata Decreta non loquuntur de Cæremoniario in Missa Solemni, sed in Vesperis, utrum nempe sedere, & qui locus sedendi tunc ei concedi debeat? In eadem igitur sententia permanendo, nec Clerici, nec Cæremoniarii sedere debent in scamnulis, dum Celebrans, & Ministri sedent in Missa Solemni.

In sententia illorum, qui affirmant concedi debe-

debere scamnula prædictis Cæremoniariis, & Clericis, in Missa Solemni, quando cantantur a Choro verba illa, in quibus Sacerdos in Missa Privata caput inclinat, Cæremoniarius primus tempestive surgens aliquantulum, Lohner *art.* 3. *tit.* 4. num. 6. capitis inclinatione, vel etiam manus dexteræ nutu monet Celebrantem, & Ministros, ut aperiant caput, & inclinent; Bauldry *part.* 3. *c.* 11. *art.* 5. *num.* 5. Castald. *lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. *n.* 20. Lohner *super num.* 6. Hoc idem signum dat Clericis secundus Cæremoniarius, ut facilius & ipsi commoneantur; Castaldus supra *lib.* 1. *sect.* 1. *c.* 1. *num.* 20. sed non surget, quia nullum admonet sibi superiorem; ut docet etiam Bauldry *par.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. qui *part.* 3. addit, quod tum Clerici, tum Cæremoniarii priusquam sedeant, Celebranti se se inclinabunt. Hæc, & sequentia advertimus pro iis, qui præfatorum Auctorum sententiam amplectuntur.

XXXVIII. Gav. ead. lit. n - *Reversurus vero ad Altare, &c.*) Circa finem Hymni Angelici, dum scilicet dicitur *Cum Sancto Spiritu* a Choro, non se signat; citius tamen, si opus sit, admonentur Clerici a secundo Cæremoniario, ut surgunt, Celebrans vero, & Ministri a primo Cæremoniario invitantur ad surgendum; Bauldry *p.* 3. *supra num.* 6. Lohner *part.* 3. *tit.* 1. *n.* 10. necnon Vinitor *supra* §. 27. Qui Cæremoniarius ideo procedit tunc ante Celebrantem, & postmodum se recipit ad sinistram Subdiaconi, donec procedendum sit ad altare. Surgunt statim Ministri, & deponunt super scamnum sua birreta; Diaconus vero cum debitis quasi osculis, ab ipsomet Celebrante adhuc sedente accipit ejus birretum, & deponit in loco, ubi sedebat: Vinitor *loc. cit.* facta deinde inclinatione a Ministris, & a Cæremoniariis, unus post alium procedunt ad medium Altaris per planum Capellæ; adhoque per viam longiorem manibus junctis; Gavantus *supra*, Corsettus *cap.* 2. *de Rubr. gen. n.* 19. Lohner *par.* 2. *tit.* 10. *& part.* 3. *tit.* 2. *n.* 10. & Bissus *supra* §. 18. hoc est, præcedit primus Cæremoniarius, tum Subdiaconus, deinde Diaconus, & demum celebrans. Diaconus advertat, quod aliquantulum se sistere debet, ut cum pervenerit ad angulum gradus infimi altaris a parte Epistolæ, locum Celebranti transeunti cedat, quem etiam tunc salutat. Bauldry *par.* 1. *cap.* 12. *supra n.* 2. Bissus *supra*, Lohner *par.* 3. *tit.* 2. *n.* 10.

Cum Celebrans ad medium altaris ante infimum illius gradum cum Ministris pervenerit, habens Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a sinistris, & primum Cæremoniarium post terga, Ministri genuflectuunt in gradu infimo altaris, profunde se tantum inclinante Celebrante, si non adsit Sacramentum in Tabernaculo inclusum; primus vero Cæremoniarius in plano genuflectat. Gavantus *supra*, Bauldry *par.* 3. *supra n.* 6. *& p.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 2. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 5. *& part.* 2. *tit.* 10. *de Ritu Solemni n.* 3. Bissus *supra* §. 19. Facta ab omnibus debita reverentia, ut supra, altari, Celebrans ascendit ad illud, elevantibus Ministris ejus anteriores vestes, usque ad secundum gradum altaris, super quem etiam ascendit Subdiaconus; sed Diaconus ibi se sistit; Subdiaconus vero statim descendit in planum Capellæ, ita ut recta linea unus stet post alium, & uterque post Celebrantem. Bauld. *part.* 1. *&* 3. *supra n.* 6. Bissus *supra*. Primus Cæremoniarius ascendit per planum Epistolæ ad latus altaris, in quo erat Diaconus ad Introitum, ut ibi advertenti Celebranti ostendat Orationem, vel Orationes dicendas, & vertat folia, si opus sit. Bauld. *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 23. *&* 26. Reliqui Clerici, seu Ministri inferiores, ut Ceroferarii, Thuriferarii, &c. stant, ut prius, prope credentiam, *supra*, Bauldry *par.* 3. *supra*, Benven. *supra* §. *Dum in Choro.* Cavere tamen debent ne sint in via, dum in Choro cantantur illa verba *Jesu Christe*, (alias oporteret se sistere, & caput inclinare) sed vel anticipent, vel postponant, prout longior, vel brevior erit via, inter scamnum, & altare; quod diligens Cæremoniarius advertere debebit: & si dum sunt in via ante ipsos deferatur vel elevetur SS. Sacramentum, non genuflectant, sed suum iter prosequantur, ut supra adnotatum est. Bissus *supra*, & Bauldry *p.* 3. *supra.*

De Oratione V.

RUBRICA.

1 *DIcto Hymno, Gloria in excelsis, vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans* (o) *osculatur altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis; tum illis ante pectus junctis, & demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum* (p) *versus Populum, hoc est, per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ; & extendens, ac jungens manus ante pectus ut prius dicit voce prædicta,* (q) *Dominus vobiscum,* (*vel si sit Episcopus,* (r) *Pax vobis, quod dicitur tantum hoc loco, quando* (s) *dictus est Hymnus, Gloria in Excelsis...* (t) *Et cum spiritu tuo; & junctis ut prius manibus* (u) *revertitur per eandem viam ad librum; ubi eas extendens, & jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit,* (x) *Oremus: tum* (y) *extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur.* (z) *Stans autem, ut supra extensis manibus,* (a) *dicit Orationem. Cum dicit,* (b) *Per Dominum nostrum, jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem; si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel, Qui vivit; cum dicit, In unitate, jungit manus.*

GAVANTUS.

Hæc, & quæ sequuntur usque ad numerum 4. inclusive, fere omnia *Burchard.*

(o) *Osculatur altare.* Alia ratione hic osculatur altare Sacerdos salutaturus Populum, quasi qui accipiat pacem a Christo per altare, ut supra significato, ut eandem det populo, pro quo statim est oraturus; cui ideo dicit, *Dominus vobiscum*, vel si Episcopus est, *Pax vobis*: extensio vero, & junctio manuum eadem significat, quæ diximus in verbo, *Oremus*, supra *tit.* 3.

* Præter extensionem & junctionem manuum, addit congrue elevationem. *Cærem. Episc. lib. 2. cap.* 8.

* Qui utuntur perspicillis solent ea hoc loco deponere primum; deponant autem ea quidem super altare, numquam tamen super corporale.

(p) *Versus Populum.* Ita *Amalar. lib. 2. cap.* 9. quos salutamus, eis faciem præsentamus: & a sinistro latere ad dextrum se vertit Sacerdos, tum quia hic motus naturalis est, tum quia bonum est omen in dextera. *Dextera Domini fecit virtutem. Durand. lib. 4. cap.* 14.

(q) *Dominus vobiscum.* Illis, quæ supra diximus *par.* 1. *tit.* 7. *num.* 17. adde haberi *in Liturgia Græca S. Petri.* divinissimam hanc salutationem, quæ ita appellatur *a Dionys. de Ecclesiast. Hier.* Per hanc autem salutatur Ecclesia, etiamsi unus tantum sit præsens, *Alexand. Alen. pag. 4. qu.* 36. & tribuitur Apostolis ejusdem usus a *Conc. Bracar.* 1. *cap.* 21.

Septem sane vicibus dicitur in Missa, si bene numeres, *Dominus vobiscum*, quatenus exclusis septem vitiis capitalibus, suscipiat Populus septiformem gratiam, *ex Innoc. III. lib. 2. cap.* 24. qui tamen indicat, *c.* 22. vel suo tempore non dictum esse *Dominus vobiscum* in fine Confessionis ante Missam; vel Missam ab eo præcise sumi, ab Introitu tantum: nam salutationes septem ab eo indicatæ explicantur *a Durand. lib. 2. cap.* 14. ut una earum sit illa, quæ fit ante Communionem, *Pax Domini sit semper vobiscum*, quam nos non numeramus inter eas.

Ex his etiam septem vicibus ter non vertit se Sacerdos ad Populum, nempe in fine Confessionis, ante Evangelium, & in Præfatione; & in hac quidem, quia *inquit Innoc. d. cap.* 22. cor habet sursum ad Dominum, jamque proximo Sacrificio totus intentus est; ad Evangelium autem, *inquit Durandus*, totus est intentus ad verbum Dei annunciandum. Fere idem dicam & ego, in fine confessionis totus est ad se purgandum.

Nota præterea, quod alternatim non se vertit, & se vertit salutaturus Populum Sacerdos, præterquam in fine Missæ, quia Populum mox est dimissurus. Prima, tertia, quinta vice non se vertit; secunda, quarta, sexta & septima se vertit; quod valet etiam ad varietatem.

(r) *Pax vobis.* Dicitur *in lib.* 8. *Const. Apost. cap.* 15. Pax Dei. Illud autem habetur expresse *in Liturgiis S. Jacobi, & S. Basilii*, tamquam prima vox Christi ab Episcopo, *ex S. Remigio, a quo Innoc. III. lib. 2. cap.* 24. ut ostendat Episcopus se esse Christi Vicarium, sicut in sequentibus salutationibus se demonstrat, deinde Sacerdotem. *Idem ibid.* Tribuit Anacleto *Hugo Vict. lib. 2. c.* 11. Ritum dicendi *Pax vobis*; & vere solius est Episcopi distribuere dona Christi, cujusmodi pax est. *Ex Optato Milev. lib.* 1. *circ. fin.*

(s) *Dictus est Hymnus*, *Gloria.* Indicat *Ordo Romanus*, Ratio est *Durandi loc. cit.* quia in Hymno Angelico dicitur, *Et in terra Pax*, ideo subditur *Pax vobis*, ab Episcop. & quia hæc salutatio a Christo facta fuit in die lætitiæ, qua plenus est Angelicus Hymnus.

(t) *Et cum spiritu tuo.* Nil melius, ait *Florus Magister in expositione Missæ*, quam quod optet Populus Sacerdoti, quod ipse optat Ecclesiæ. Habetur hoc *in prædictis Liturgiis*; quod & a Populo toto respondebatur, teste *Chrysostomo homilia* 36. *in Epistolam primam ad Corinthios, & Micrologus. cap.* 2. hunc Minister respondet pro populo. Est autem sumptum a S. Paulo 2. *Timoth. ultimo.* Neque dicitur, *Tecum*, quia spiritualiter officia Ecclesiastica fiunt, *ex Petro Damiano*, *de Dominus vobiscum*, *cap.* 3. ut nimirum unus sit affectus Sacerdotis, & Populi *Amal. l. 2. c.* 9.

(u) *Revertitur per eandem viam.* Ita & *Duran. loc. cit.* & ratio motus est ad librum ipsum.

(x) *Oremus.* Habetur in *Liturgiis SS. Petri Jacobi, et Marci.* Ante Orationes publicas dicitur semper, *ex August. epist.* 106. *ad Vitalem: et* hoc loco habet *Ordo Roman.* unde *ab Uranio Scriptore vitæ S. Paulini Episc. Nolani* appellatur indictio Orationis; quia invitamus alios ad Orationem, quæ sequitur, ut patet: sed *Durand.* innuit dici ante medium altaris, ab aliis vero, ubi Orationem sunt dicturi, ut inter insinuationem, & Orationem nihil omnino interponatur ibidem; quod a nobis est usitatum, quia congruentius.

(y) *Extendit manus.* Ex Paulo 1. *Timoth.* 2. *Levantes puras manus*: scribit *Tertul. de Orat. c.* 12. manibus sublimius elatis temperate, & probe: elatis temperate, inquit, & ideo in Rubrica præscribuntur fines, ut humeros non excedant: in Missa vero significat extensionem Christi in Cruce, in qua statim oravit pro crucifixoribus. *Innoc. III. l. 2. cap.* 28. & ante eum *Microl. cap.* 16. forte desumptum est a veteri Testamento. Nam Moyses levans manus vicit Amalecitas. *Exod.* 17. Salomon expandit manus suas orans Deum. 3. *Reg.* 8.

(z) *Stans.* Stare in Oratione justorum est, genua flectere peccatorum, ex *Justino Martyre l. qu.* 115. Ritus autem standi hoc loco habetur apud *Innoc. III. lib. 2. cap.* 22.

(a) *Dicit Orationem.* Vide, quæ diximus supra *tit.* 9. *part.* 1.

(b) *Per Dominum, jungit manus.* De variis conclusionibus supra *tit.* 9. *num.* 17. Junctio manus,

nus, quod est devotionis, & humilitatis signum, respondet optime conclusioni Orationis; & multo magis, cum dicitur, *In unitate*, utraque scilicet manu juncta.

Novæ Observationes, & Additiones, ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ & Solemnis, ab Oratione usque ad Epistolam.

I. Gavant. lit. o - *Alia ratione hic osculatur Altare.*) Dicto Hymno Angelico, vel si omittendus sit præfatus Hymnus, adhuc extensis hinc inde manibus, & super altare positis extra Corporale: manibus inquam ad pulsus exclusive positis, & non solis digitis Sacerdos osculatur altare. A Portu *part.* 1. *Miss. Priv. tit.* 5. *Rubr.* 1. *num.* 3.

II. Gav. lit. p - *Et a sinistro latere ad dextrum se vertit.*) Deinde manibus ante pectus junctis, & oculis ad terram demissis ad modestiam; Quarti *part.* 2. *tit.* 5. *Rubr.* 6. *n.* 2. & Gervasi *supra* §. *Ricongiungendo*: oculis ergo non clausis, nec in suos pedes ferme defixis ad affectatam compositionem; sed respicientibus illam plani anterioris partem, quæ vel distat, vel distare deberet per tres cubitos ab altaris suppedaneo; vertit se a sinistro latere altaris, quod est dexterum Sacerdotis, & per quod incipit ipse motum; ita ut sinistra dexteram sequi videatur. Tonel. *lib.* 2. *tit.* 5. *Rubr.* 1. *n.* 1. Bauld. *part.* 3. *tit.* 5. & Gav. *supra hac lit. p.* Postquam autem se vertit modo supradicto consistit in medio & circuli, & altaris: ibi extendit, & jungit manus ante pectus, non inclinando caput, aut manus populo; nec innitendo altari, quod a tergo relinquit, ne complicetur cum detrimento, & indecore planeta, forte pretiosa: Bauld. *par.* 3. *tit.* 5. *Rubr.* 1. Corsett. *tract.* 2. *part. n.* 8. Bonamicus *par.* 2. *n.* 10. Gerv. *supra*, & alii: unius manus recta palma, alterius manus rectam pariter palmam respiciat. Polac. *part.* 1. §. 10. Gervasi supra, & digitorum extremitas sursum, quasi per lineam rectam ferantur: porro totaliter disjunguntur, sed non ultra latitudinem corporis, id est non extra humeros extendenda manus. Polac. & Gervasi *supra*, & Bonamic. *p.* 1. *observ.* 11. *num.* 3. Debent tamen sic disjuncta aliquantulum elevari, juxta Gavanti sententiam *supra*, quem sequuntur Arnaud. *tit.* 5. *n.* 1. & Gervasi *cap.* 4. §. *Terminato*, *et cap.* 5. §. *supracit.* & alii inhærentes omnes *Cærem. Episcop. l.* 2. *cap.* 8. §. 38. *et* 39. contra Anonymum Italum relatum ab Hippolyto a Portu *supra n.* 7. licet enim Missale nihil loquatur de tali manuum elevatione in hac, & simili circumstantia; nihilominus expresse præscribitur in tali casu a Cærem. Episc. locis supracit. Illud non revocatur in dubium, quod dicturus Sacerdos *Dominus vobiscum* intelligibili & clara voce, debet habere manus ita junctas, ut inter digitos nullum intercedat spacium; Vinitor *par.* 2. *tit.* 5. *in adnot.* §. 1. & versus ad Populum prout supra proferendo verbum *Dominus*, adaperire debet manus & aliquantulum elevare, prout *supra*; proferendo vero *Vobiscum*, statim manus easdem conjungit. Angel. *par.* 3. *tit.* 5. *n.* 2.

III. Gav. lit. q - *Dominus vobiscum.*) Sacerdos igitur modo supradicto versus ad Populum dicit clara voce *Dominus vobiscum*, per quæ verba Sacerdos salutat Populum sine ulla inclinatione, ut dixi, seu potius Ecclesiam, quapropter his utitur vocibus, etiamsi unus tantum intersit Missæ: ut bene advertit Gav. *supra hac lit. h.* necnon Angel. *sup.* §. *Dominus vobiscum.*

IV. Gav. lit. t - *Et cum spiritu tuo.*) Minister vero, Ecclesiæ, & circumstantium nomine respondet tunc Sacerdoti, *et cum Spiritu tuo*, inclinato aliquantulum capite, & in suæ reverentiæ signum erga Sacerdotalem salutationem. Castald. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. Corsettus *tract.* 1. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 17.

V. Gav. lit. u - *Revertitur per eandem viam.*) Prolatis dictis verbis a Ministro, Sacerdos junctis manibus ante pectus, revertitur per eamdem viam ad librum in cornu Epistolæ super cussino collocatum. Ratio motus est ad librum ipsum, ut docet noster Gavantus *supra hac lit. u.* naturaliter ambulabit Sacerdos, sinistrum latus ad altare convertendo, & se se movendo debita cum gravitate. Gervasi *sup. cap.* 5. §. *Ricongiungendo.*

VI. Gav. lit. x. - *Oremus.*) Statim ut pervenit Sacerdos ad librum, manus extendens, & statim jungens ante pectus (sed eas non elevando,) Tonell. *super Rubr. hac num.* 2. *et lib.* 2. *tit.* 3. *Rubr.* 10. *num.* 3. caputque Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, ibi stans in cornu Epistolæ, dicit voce consueta & intelligibili hoc verbum, *Oremus*, indicando Orationem, quam mox debet proferre, invitando Populum ad orandum, ut optime docet Gav. *hac lit. x.*

VII. Gav. lit. y - *Extendit manus.*) Deinde extendit iterum manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis (ita ut nullum spacium relinquant inter se, Castald. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 6. Bauld. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 7.) quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat. Gerv. *supra.* Vinitor *par.* 2. *tit.* 5. *in adnot.* §. 5.

VIII. Gav. lit. z - *Stare in Orationem, etc.*) Stans igitur Sacerdos, ut supra extensis manibus, dicit Orationem erectus, Angel. *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 1. eadem ordinaria clara voce. Cavere tamen debet Sacerdos, ne unquam alterutram tantum manum teneat apertam, vel elevatam: v. g. si durante Oratione folium dextera vertendum sit, tunc sinistram, interim dum folium vertit, supra librum ponat; Vinitor *supra* §. 4.

IX. Gav. lit. a - *Dum dicit Orationem,*) Percurrenda sunt ea, quæ tradidit Gavant. supra *p.* 1. *tit.* 9. & quæ pariter nos ibi observavimus.

X. Gavant. lit. b. - *Per Dominum, jungit ma-*

manus.) Cum Sacerdos dicit conclusionem Orationis, id est *Per Dominum nostrum*, jungit manus juxta formam consuetam eas jungendi. Ad nomen *Jesum Christum* inclinare debet caput versus Crucem inclinatione minimarum maxima; quæ inclinatio durabit usque ad finem conclusionis, manus tenens pariter junctas usque ad finem. Ita communiter Rubricistæ.

Si plures Orationes legendæ sint, in dubium revocant Auctores, utrum post manuum conjunctionem, & capitis inclinationem, possit ante finem conclusionis habendæ in prima Oratione reperiri secunda Oratio. Pro parte affirmativa stat Tonell. super hanc Rubricam *n. 2. & lib. 9. Rubr. 10. num. 3.* negativam vero sententiam aperte docet præsens Rubrica, contra quam nulla valet praxis; & ideo huic sententiæ pariter adhæret a Portu *tit. 5. de Orat. Rubr. 1. in adnot. n. 20.*

Si Oratio concludatur his verbis: *Qui tecum &c.* vel *Qui vivit, &c.* tunc Sacerdos dicit prædictam conclusionem manibus extensis, sed proferens *in unitate, etc.* tunc jungit manus, & proferendo hanc conclusionem non inclinat caput, quia in hac conclusione non fit expressa mentio Sanctissimæ Trinitatis, per enumerationem Personarum Divinarum; ut tradunt omnes, nec ad Crucem se se convertit Sacerdos, ut multi male faciunt, Vinitor *supra §. 9.* Bauld. *par. 3. tit. 5. Rubr. n. 1. in notis. n. 3.* Corsett. Polaccus, Bonamicus, necnon Tonellius *supra n. 4.* & Gervasi pariter supra §. *Terminando.* Conjunget autem in prædicto casu manus Sacerdos; & conversus ad librum pronunciabit dictam conclusionem. Gervasi *sup.* Quomodocumque concludatur Oratio, solum primam, & ultimam Orationem conclusione debita terminatus, quemadmodum solum primæ, & secundæ Orationi invitationem *Oremus* præmittimus. Gerv. *sup. §. Oremus.*

RUBRICA.

2. Cum nominatur JESUS, caput versus Crucem inclinat, quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. M., vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit (c) *Commemoratio. Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.*

GAVANTUS.

Aperta est causa reverentiæ in his nominibus, Cruci vero, quia ibi præterea est imago Christi, æquum est, ut ad nomen JESUS caput inclinetur, qua de re *Octava Synod. Can. 4. et Concilium Moguntinum, cap. de usu imaginum, §. 2.*

(c) *Commemoratio.* Nomine Commemorationis hoc loco ne tamen intelligas suffragia communia Sanctorum in Oratione *A cunctis*, sed Commemorationem de Festo Simplici Sanctorum, seu de Octava, ad quorum nomina, etiam in Canone, caput inclinatur.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ privatæ & Solemnis, servando quando profertur nomen Jesus, Mariæ, &c.

XI. Gavant. lit. c - *Æquum est, ut ad nomen Jesus, caput inclinetur.*) Cum nomen *Jesus* profertur, caput versus Crucem inclinare debet Sacerdos, prout præscribit superior Rubrica; & inclinatione quidem minimarum maxima; Tonell. *supra Rubr. 2. num. 1.* Vinitor *supra §. 8.* Gerv. *supra §. Nominando*: & versus Crucem; quia, ut ait Gavantus *supra*, hæc est ejus signum, & in qua Christus Dominus repræsentatur, immo in qua est ejus imago. Quarti *part. 2. tit. 5. Rubr. num. 1.* Inclinat etiam caput versus Crucem, quando idem nomen legitur in Epistola; a Portu *supra num. 2.* & quidem eadem inclinatione minimarum maxima.

Si quæratur ratio, cur nomini *Jesus* major adhibentur reverentia, quam nomini *Deus*, rationem reddit D. Thomas *part. 3. quæst. 17. art. 2.* nec non Alphonsus Tostatus *in Exodum cap. 20. quæst. 7.* nimirum, quia hoc nomen Christus Dominus sibi comparavit per suas virtutes, præsertim sua humilitate, & obedientia Divino Patri præstita, humiliando se, & obediendo æterno suo Patri usque ad mortem, & mortem quidem Crucis, unde, ut ait Apostolus, propterea *Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur, etc.* vel ideo Ecclesia majori reverentia colit nomen *Jesus*, quam nomen *Deus*, quia *Jesus* significat *Redemptionem*, cum in hoc nomine salvemur, D. Petro attestante *in Act. Apostol. c. 4. v. 12. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Plures aliæ rationes de hac majori reverentia præstita præfato SS. nomini videri possunt apud Scortia de Sacrificio Missæ *lib. 3. cap. 10. n. 10.* Inclinat pariter Sacerdos caput dum pronunciat nomen *B. M. V.* sed inclinatione minimarum media, Bonamicus *part. 1. observ. 12. num. 1.* Tonellius *supra Rub. 2. n. 1.* Corsettus *supra*, & Gervasi *supra*, sed talis inclinatio fit quando nominatur Deipara, non sub quocumque nomine, sed sub nomine *Mariæ* tantum. Gervasi *supra.* Ita pariter quando profertur nomen Sanctorum, de quibus dicitur Missa, inclinandum est caput inclinatione minimarum minima. A Portu *supra n. 4.* Gervasi *supra.* Immo etiam inclinandum est caput in Missali ad nomen Sanctorum, de quibus fit Commemoratio; sed Commemorationis nomine non veniunt suffragia Sanctorum, quæ habentur in Oratione *A cunctis*: Gavantus *supra*, & Angel.

Angel. *in tract. errorum n.* 6. *de Orat.* quocirca ad solum, *Mariæ*, non autem ad nomen duorum Apostolorum, aut aliorum Sanctorum inclinatur caput supradicta minimarum media inclinatione. Bauld. *par.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Baldassarius *cap.* 2. *in fine*, & Gervasi *supra* §. *Nell' Orazione.* Itaque nomine Commemorationis veniunt illi Sancti, de quibus recolitur specialis memoria in Oratione, vel quia de illis recurrit in illa die Festum, aut Simplex, aut Semiduplex, aut Duplex, aut dies Octavæ, aut dies infra Octavam, aut de illo Sancto dicitur Missa. Gav. *supra*, Tonellius, Bauldry *supra*, & Vinitor §. 7.

An inclinandum sit caput, quando nomina Sanctorum extra Orationes, & Canonem occurrunt, v. g. in Epistola, vel in Evangelio, diserepant Sac. Rubricarum expositores. Negant Tonel. *supra*, Bauldry *par.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Baldass. *cap.* 3. affirmant Polaccus, Anonymus Italus *c.* 6. §. *Ultimata*, Gervasi *supra c.* 6. *Detta l' Orazione*, Angel. *par.* 3. *tit.* 1. *n.* 2. Corsettus *supra*, & a Portu *supra*, *num.* 5. quorum quidem sententia videtur probabilior: quia particula *Ubicumque*, quæ legitur in superiori Rubrica, cadit non solum super nomen *B. Mariæ*, sed etiam super nomen immediate subsequens Sanctorum illorum, quibus, ut supra innuimus, in Missa facienda est capitis inclinatio. Itaque solum ratione Festi, vel diei Natalitii, vel Missæ, quæ celebratur in honorem dictorum Sanctorum, hæc reverentia illorum nomina proferendo adhiberi debet. Bissus *lit. S n.* 20. §. 24. Quarti *par.* 2. *tit.* 5. *n.* 1. e contra vero SS. nominibus *Jesu* & *Mariæ* inclinandum semper est caput, etiam si eorum Festum non celebretur, nec eorum Missa dicatur, nec eorum Commemoratio fiat: unde semper dispar est ratio de nominibus aliorum Sanctorum, ac de supradictis nominibus *Jesu* & *Mariæ*.

Advertunt tamen aliqui Rubricistæ non esse inclinandum caput ad nomen Sanctorum, quando nominantur Sancti (de quibus Festum celebratur, vel fit Commemoratio) in titulo Epistolæ, vel Evangelii, v. g. *Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli*, vel *Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.* Cærem. Missæ Priv. *cap.* 1. *n.* 3.

Fit pariter simplex capitis inclinatio, hoc est minimarum minima pro Papa vivente, sed non pro alio Prælato; & hoc non solum in Collecta, sed etiam in Canone, & semper quando nominatur. Tonell. *supra num.* 4. Bonamicus *part.* 1. *observ.* 12. *n.* 1. *Cærem. Missæ Priv.* & Gervasi *supra*, §. *Nominando.* Non tamen est inclinandum tunc caput versus Crucem; quæ dispositio non solum procedit quando profertur nomen Papæ viventis, sed etiam quando pronunciatur nomen Sanctorum, de quibus diximus supra, immo & ipsius Beatæ Mariæ. Tonell. *supra n.* 1. Baldass. *supra n.* 1. Polac. & Gerv. supra.

Inclinat igitur tunc caput versus librum Sacerdos, nisi sit in medio Altaris, puta tempore Canonis, si per accidens ex memoria dicat; Bauldry *supra*; quamvis Sacerdos semper ipsum legere debeat, ne præcipitet Cæremonias, aut omittat verba ejusdem Canonis, vel aliqua adjungat, aut male illa pronuntiet, ut suo loco dicemus. Hæc de inclinatione capitis facienda in Missa adnotare placuit: quia plerique de his inclinationibus parum, immo nihil curare videntur, quod summopere dedecet.

Si plures Orationes dicendæ sunt, absque alia manuum Cæremonia percurruntur reliquæ, etiamsi forent septem, aut novem. A Portu *sup. n.* 18.

Ut plurimum prima tantum, & ultima per ordinarias clausulas concluduntur, excepta Missa Feriali in Quadragesima; in qua post ordinarias Orationes, ut supra diximus, in fine Missæ dictas, adjicitur nova, præmissis verbis *Oremus*: & deinde *Humiliate capita vestra Deo*; caputque ad dicta versus Crucem inclinatur. Lohner *par.* 2. *tit.* 11. *de Ritu communi num.* 3. Vide Decretum emanatum die 17. Augusti 1709. collocatum in nostra Appendice, in quo declaratur, utrum sit prætermittenda tertia Oratio ad libitum, quando ex jussu Summi Pontificis, vel Episcopi in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia.

RUBRICA.

3 *Si Altare sit* (d) *ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est, Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite Missa est, vel daturus Benedictionem: sed osculato Altari in medio, ibi expansis, & junctis manibus, ut supra, salutat populum, & dat Benedictionem.*

GAVANTUS.

(e) *Ad Orientem.* Ex traditione Apostolorum orandum est ad Orientem. *S. Athanasius de plur. & necess. qu.* 14. addit causas, quarum prima est, quia *ex Ps.* 131. adorandum est, ubi steterunt pedes Domini, qui *ex Zach.* 14. in monte Olivarum in Oriente stare dicuntur. Altera est, quia Deus est lux vera. Tertia, ut respicianus Paradisum, unde Adam ejectus fuit, ex *Clem. lib.* 8. *Constit. cap.* 15. *& Nisseni de Orat.* Quartam addit *Justin. ad Orthodox. qu.* 118. quia Oriens est pars honoratior Mundi. Quintam *Damasc.* 4. *de Fide Orthodox. cap.* 13. quia Christus in Cruce Occasum respiciebat, eodemque situ Cælum ascendit, inde est venturus ad Judicium. Conversi igitur ad Orientem, quasi sedem Christi, nos in Occasu semper ob culpam oremus. Sextam *S. Th.* 1. 2. *qu. art.* 3. *ad* 5. ad differentiam Judæorum, qui ad Occidentem orabant, ut ex situ Templi Salomonici colligit *Anast. Nicæn. q.* 18. Septimam *Tertull. contra Valent. cap.* 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. Octavam *Aug. l.* 1. *serm. Dom. cap.* 9. quia monemur convertere animum

ad naturam præstantiorem, id est Deum: sicuti convertimus corpus terrenum ad cæleste nobilius. Verum nunc ad omnem partem Missam celebramus, quia Deus ubique est: neque intelligitur hæc Rubrica de omni Altari ad Orientem, sed eo, quo Celebrans habet & Crucem, & populum ante faciem suam.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ & Solemnis, servando in dicendo Dominus vobiscum, quando Altare est versus Orientem.

XII. Gavant. lit. d — *Ex traditione Apostolica orandum est ad Orientem.*) Veteres Christiani, qui Deum precibus colebant, verissimum est, quod ad orientalem plagam vertebantur: quam quidem veritatem pluribus testimoniis comprobare possem; sed sufficiat innuere Joachimum Hildebrandum tractasse diligenter hoc argumentum in suo Rituali orantium *cap.* 1. §. 5. *& seqq.* De moralitate hujus disciplinæ accurate egit pariter inter Heterodoxos Jacobus Thomasius *dissert. de Ritu precandi versus Orientem*, *Lipsiæ*, *anno* 1670. ubi & causas ejusdem varias a variis allatas diligenter expendit; *& cap.* 12. §. 122. *& sequentib.* approbat opinionem illorum, qui censent talem Ritum ideo priscis Christianis placuisse, ut admonerentur homines Ecclesiam, veluti e nocte, ac tenebris vet. Testam. in lucem diemque fœderis novi emersisse per prædicationem Evangelii de Christo. Aliam hujus Ritus causam assignat Scriptor quæstionum ad Antiochum, responsione ad *qu.* 57. *tom.* 2. operum Sancti Athanasii: ut nimirum Fideles in amissam exoptatam Patriam Paradisum, quem Deus plantavit ad Orientem, precantes intuerentur. Hunc Ritum ab Apostolica traditione descendere testatur diserte Basilius *lib.* 2. de Spiritu Sancto *c.* 27. Christianorum tamen propria non fuit hæc orandi disciplina: nam communis fuit & Gentilibus, & Hebræis, ut ex Plutarcho in Numa, Luciano *libro de domo*, & Josepho *lib.* 2. adversus Apionem demonstrari facillime posset. Adeo priscis Fidelibus placuit mos respiciendi ad Orientem, ut nedum viventes illum in precibus religiose servarent; verum etiam mortui eorum corpora supina in sepulchris facie Orientem respicerent: quod ab erudito Casalio notatum est *de veter. Sac. Christ. Ritib. cap.* 4.

In sequelam talis Ritus, Altaria pariter in quibus Sacra Mysteria peragebantur, ad Orientem spectabant: hinc Socrates *lib.* 5. *Hist. Ecclesiast. c.* 22. de Altari Antiochenorum ad Occidentem converso, quasi hoc ipsum, præter alia, habuerit talem aspectum, ita loquitur: *Ecclesia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Ecclesiis situm habet: nam Altare non Orientem spectat:* quapropter si structura Ecclesiæ Antiochenæ in hoc discrepabat ab aliis Templis, quod in illa Altare non ad Orientem, sed ad Occasum spectaverit; manifestum omnino est, quod in aliis Templis solemne fuit, ut Altaria non Occasum, sed Orientem respexerint. Et revera Tertullianus adversus Valentin. *cap.* 3. alludens ad Christianorum Templa: *Nostræ*, inquit, *Columbæ domus simplex editis semper, & apertis ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti Orientem:* & Isidorus *Originum lib.* 15. *cap.* 4. loquens de veteribus Christianis hæc prodidit: *Quando Templum construebant, Orientem spectabant æquinoctialem; ita ut lineæ ab Ortu ad Occidentem missæ, fierent partes Cæli dextera, sinistra æquales; ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret Orientem.* Paulinus quoque *Ep.* 12. ad Severum appellat hunc morem usitatiorem: quamquam ipse eumdem non observaverit in Templo, quod construxit: sic enim ait: *Prospectus Basilicæ, non, ut usitatior mos est, Orientem spectat; sed ad Domini mei Beati Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens;* ex quibus legitime infertur non juris, sed arbitrii rem fuisse ad Orientalem, vel ad aliam plagam Sacra Templa ædificare: quam quidem sententiam amplexus est Walafridus Strabo *de Rebus Ecclesiasticis cap.* 4. ubi scribit: *usus frequentior, & rationi vicinior habet in Oriente orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui.*

XIII. Gavant. eadem lit. d — *Verum nunc ad omnem partem Missam celebramus, quia Deus ubique est.*) Non solum nunc, sed etiam antiquitus, non omnia Altaria Orientem spectabant; sed quædam etiam Occidentem, quædam Meridiem, & quædam Septentrionem respiciebant, idque patet ex supradicto Templo Antioch. & ex iis, quæ tradit mox laudatus Strabo (qui floruit anno Domini 440.) citat. loc. ubi ait his verbis: *Non errasse illos, vel errare, qui Templis, vel noviter Deo constructis, vel ab Idolorum squallore mundatis propter aliquam locorum opportunitatem, ad diversas plagas Altaria statuerunt:* additque rationem subnectendo: *Quia non est locus ubi non sit Deus:* deinde recensent exempla: *Verissima enim* (inquiens) *relatione didicimus in Ecclesia, quam apud aliam Constantinus Imperator cum matre Helena super sepulchrum Domini miræ magnitudinis, in rotunditate constituit; itemque Romæ in Templo, quod ab antiquis dictum, a Beato Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est, in Ecclesia quoque Beati Petri Principis Apostolorum Altaria non tantum ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Hæc cum secundum voluntatem, vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus.* Non est igitur novus, sed antiquus, non prohibitus, sed arbitrarius mos vertendi Altaria sicut nos facimus modo ad Orientem, modo ad Occidentem, vel ad aliam plagam, prout ratio Templi, & situs exigit: & hinc est, quod prima verba superioris Rubricæ intelligenda sunt de orientali plaga non reali, sed imaginaria: appellat siquidem Rubrica Altare ad Orientem illud, in quo Celebrans non solum Crucem, sed etiam populum

lum habet ante faciem suam Gavantus *supra*, Bissus *tom.* 1. *lit. A. num.* 255. §. 1. Quarti *supra*, & Vinitor *part.* 2. *tit.* 5. *in adnot.* §. 10.

Horum Altarium exempla plura habemus in Basilicis, & Ecclesiis Urbis, in quibus Aræ majores collocatæ sunt, sicuti antiquitus fiebat, in medio Chori, nulli adhærentes parieti; in quibus Celebrans non vertit humeros ad Altare; sed persistens sicuti est facie ad populum versa, dicit *Dominus Vobiscum*, *Orate fratres*, *&c.* eatenus enim in aliis Altaribus, quæ sunt adhærentia parietibus, celebrando debet vertere humeros ad Altare, ut facie ad faciem populum Sacrificio præsentem respiciendo salutet, benedicat, &c. sed cum in dicto primo casu jam habeat faciem ad populum conversam, hinc opus non est alio motu, quo se vertat ad populum: unde osculato Altari in medio, positisque hinc inde manibus, ut supra descripsimus, deinde iisdem manibus junctis, & statim expansis, dicit *Dominus Vobiscum*; & postea sequitur ut supra.

RUBRICA.

4 *In Quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto Kyrie eleison in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ; ubi stans ante librum extensis, & junctis ante pectus manibus, et caput Cruci inclinans, dicit, Oremus,* (e) *Flectamus genua; illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit; & sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente, Levate, manibus extensis dicit* (f) *Orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.*

GAVANTUS.

(e) *Flectamus genua.* Habet *Micrologus cap.* 28. ut Oratio, quæ fit cum jejunio, addita humilitate sit efficacior. *Durand. lib.* 4. *cap.* 14. Habes Ritum genuflectendi, & statim surgendi, ad indicandum, quod propter peccatum in terram delapsi sumus, & per benignitatem Dei revocati sumus, *apud Basilium libro de Spiritu Sancto*, *cap.* 2. ubi etiam hunc eumdem Ritum deducit ab Apostolis.

Duo genua flecti vult *Alcoz. in suo Cæremoniali*, ex vi verborum *Flectamus genua*; sed vim non faciunt, quia dum singuli genu, plura genua tunc flectuntur.

(f) *Orationem.* Populus saltem acclinis esse debet ad Orationem usque ad *Per omnia*; *ex Alcuino cap. de Celebrat. Miss.* additum est *Amen* ab Anacleto; *ex Hugone Victorino lib.* 2. *cap.* 11. de cujus significatione diximus supra, *tit.* 9. *numer.* 17.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ privatæ servando in Quatuor Temporibus, vel alias quando dicendæ sunt plures Orationes.

XIV. Gav. lit. e — *Habet Ritum genuflectendi.*) In quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, sive Lectionibus, Sacerdos dictis *Kyrie* in medio Altari, facta prius minimarum maxima Cruci inclinatione, Castaldus *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. Bissus *lit. S n.* 20. §. 6. redit ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum extensis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, Bauldry *part.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *n.* 2. Lohner *par.* 2. *tit.* 32. §. 1. *de capitis inclinatione*, dicit *Oremus* voce ordinaria, & clara, postea dicit *Flectamus genua*, non solum Ministro, sed etiam singulis adstantibus: ideoque si forte starent, tunc genuflectere deberent; & interim ipse quoque manibus super Altare expansis, ut seipsum apud Altare sustineat, & hinc inde collocatis, ita ut liber inter ipsas mediet, genuflectit. Bauldry *loc. cit. Rubr. n.* 4. *n.* 1. Bonamicus *par.* 1. *observ.* 11. *num.* 10.

XV. Gav. ead. lit. e — *Dum genua flectit, vult Alcozer, &c.*) In prædicto casu vult Alcozer Sacerdotem debere ex vi verborum utrumque flectere genu: e contra vero Gav. *supra*, quem sequuntur Tonellius, Bauldry, Polaccus, Bissus, Gerv. sicut etiam a Portu supra *in adnot. Rub.* 4. *n.* 7. sustinet, unicum tantum dexterum genu in prædicto casu Sacerdotem flectere debere: quia dato, ut sustinet Alcozer, quod ex vi verborum *Flectamus genua* plura genua flecti debeant, semper verificantur hæc verba, quando plures, & singuli suum flectunt dexterum; tunc enim verissimum est, quod plura genua flectuntur: nam ly *Flectamus genua* non refertur solum ad Sacerdotem id dicentem, sed ad alios quoque præsentes, Bissus *lit. G num.* 28. §. 4.

XVI. Gav. lit. f — *Populus saltem acclinis esse debet.* Postquam Sacerdos dixit *Flectamus genua*, Minister statim respondet *Levate*; quo verbo prolato Sacerdos quidem surgit, & stat, sed non Minister, qui immo perseverat genuflexus ad totam Orationem sequentem, usque ad conclusionem; Bauldry *par.* 1. *cap.* 17. *n.* 3. & si plures sunt Lectiones, non surgit, nisi post terminatam ultimam: Lohner *par.* 3. *tit.* 8. *num.* 7. populus vero ad dictam Orationem debet esse acclinis, etiamsi sit genuflexus; Bauldry *par.* 3. *tit.* 5. *Rubr.* 4. *num.* 2. & Gav. *supra*, Alcuin. *cap. de Celebr. Missæ*, quem sequitur Bissus *lit. O num.* 85. & sic pariter acclinis debet esse Minister, durante tali Oratione, usque ad *Per omnia*, vel *Qui tecum*, Hippolytus a Portu *supra*.

Sacerdos autem postquam surrexit, manibus extensis dicit Orationem eo modo, quo extenduntur, & extensæ retinentur ad consuetas Orationes: in conclusione vero Orationis manus jungit secundum regulam præscriptam in aliis Orationibus; pariter caput inclinat Cruci, aut non, juxta qualitatem conclusionum: a Portu *supra*: dum autem legit Prophetias, teneat manus super librum, vel super Altare positas, ut dicemus de Epistola. Bissus, & Gerv. *supra.*

RUBRICA.

5 *In Missa Solemni cum dicitur, Dominus vobiscum, et Oratio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem.* (g) *Flectamus genua dicitur a Diacono; a Subdiacono vero, Levate, illo primum genuflectente, hoc primum surgente:* (h) *Celebrans vero non genuflectit.*

GAVANTUS.

(g) *Flectamus genua.* Ad Diaconum spectat, *teste Cæsario Arelaten. homilia* 30. *de genuflect.*

(h) *Celebrans non genuflectit.* Vide supra *tit.* 17. *n.* 3. *par.* 1. Ministri caput inclinant in Oratione eodem modo, quo Celebrans, & deceret, ut manus junctas iidem tenerent; neque Diaconus in fine Orationis tenetur dicere submissa voce *Amen*; quod quidam putavere: satis enim est, quod a Choro respondeatur Sacerdoti.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, servando in Orationibus, etiam quando dicendum est Flectamus genua.

XVII. Rubric. *In Missa Solemni cum dicitur Dominus vobiscum, &c.*) Postquam Celebrans ad Altare pervenerit, (ut supra diximus, ubi egimus de Ritu Missæ Solemnis): illud osculatur; idque semper facit, quoties de sede accedit ad Altare, nisi statim osculandum esset ex Rubrica; quia tunc sufficeret illud osculari semel præscripto tempore. Bauldry *par.* 3. *cap.* 11. *art.* 3. *n.* 6. *et* 8. necnon Bissus *lit. C num.* 197. §. 19. & expleto totaliter Hymno a Choro, osculatur Altare in medio (nisi tamen paullo ante illud osculatus fuerit, postquam, ut mox dixi, ad Altare redierit) postea manibus junctis se ad populum convertit, & sic conversus dicit in cantu *Dominus vobiscum*, extendens, elevans, & iterum jungens manus, prout in Missa Privata. Ministri vero Sacri in hoc casu, stant ut prius unus post alium, ambo in recta linea facie ad Altare versa; Bissus *supra* §. 12. *et* §. 20. nullatenus se inclinantes quemadmodum nunquam se inclinant in hujusmodi conversionibus. Castaldus lib. 2. *sect.* 9. §. 15. Bauldry *par.* 1. *cap.* 12. *part.* 1. *n.* 23. Bissus *supra* §. 20.

XVIII. Rubric. *Et Oratio.*) Postquam Celebrans dixerit *Dominus vobiscum*, ipse per suppedaneum de more, Diaconus vero a dexteris a tergo Celebrantis per secundum gradum, in quo reperitur, Subdiaconus vero a dexteris, & a tergo Diaconi per planum ubi est, procedunt ad cornu Epistolæ sine ulla præcedente genuflexione; ibique Celebrans jungens manus, & inclinans de more caput Cruci, (inclinantibus hoc modo pariter caput eidem Cruci Ministris cum Celebrante, non tamen manus extendentibus, sed eas junctas tenentibus) Celebrans dicit *Oremus*, deinde Orationem cantat, vel Orationes, prout fert ratio Officii, quas debet dicere sub uno, eodemque tono, nisi aliter expresse notetur, & dum eas cantat, Ministri Sacri perseverant eodem modo, & in eodem loco, prout supra. Si tamen Celebrans ad nomen *Jesus*, aut *Sancti*, de quo Missa canitur, caput inclinet, ipsi pariter inclinare debent. Bauldry *p.* 1. *cap.* 12. *supra*, *& cap.* 13. *art.* 1. *num.* 13.

XIX. Gav. lit. g — *Flectamus genua.*) Quando dicendum est, dicitur a Diacono, qui interim flectit utrumque genu, & omnes alii cum eo, excepto solo Celebrante, qui solum debet genuflectere, quando in deficientia Sacrorum Ministrorum ipse cantat *Flectamus genua*; *Levate* vero dicitur a Subdiacono, qui eodem tempore surgit, & omnes alii cum eo. Sed advertere debent Ministri omnes, quod ad Orationem Sacerdotis tunc inclinati stare debent, & manibus junctis. Bissus, *supra*, & alii.

XX. Gav. lit. h — *Ministri caput inclinent in Oratione.*) Quando Celebrans profert in Oratione nomen *Jesus*, aut aliud nomen, ad cujus prolationem caput inclinet, ipsi quoque Sacri Ministri caput inclinare debent eo modo, quo Celebrans; Gav. *supra hac lit.* h. & omnes Rubricistæ cum eo; qui pariter optime advertit, Diaconum in fine Orationis non debere respondere *Amen*, sicuti nec Subdiaconus hoc præstat; satis quippe est, quod prædictum *Amen* respondeatur a Choro. Lohner *par.* 3. *tit.* 3. *n.* 6. & Bissus *lit. M n.* 161.

De Epistola, Graduali, & aliis, usque ad Offertorium. VI.

RUBRICA.

1 *Dictis Orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus ita ut palmæ librum tangant, vel ut placuerit, librum tenens,* (i) *legit Epistolam intelligibili voce, & respondetur a Ministro Deo gratias; & similiter stans, eodem modo prosequitur Graduale, Alleluja, & Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Celebrans, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis* (l) *ad alteram partem Altaris, in cornu Evangelii; & dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, &*

Mis-

Missalo sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, sive ad partem ejus, contra se directum.

GAVANTUS.

(i) *Legit Epistolam.* De qua docuimus multa *tit.* 10. ubi etiam de Graduali, Tractu, & sequentia. Hæc cum sequentibus usque ad numerum quartum exclusive *Joan. Burchardus habet.*

(l) *Ad alteram partem Altaris.* Sinistram Altaris appellant antiqui hoc cornu: *Micrologus cap.* 9. ad Aquilonem legit, *Alcuinus cap. de Celebr. Miss.* quia contra Luciferum dicitur Evangelium, & contra sequaces diaboli, *Edvons. c.* 12. & contra peccatores, *Innoc. lib.* 2. *cap.* 25. & ad Gentiles vocandos, *Ivo sermon. de conv. vit. & novi Sacrifi.* Item ad alteram partem itur, ut expeditior sit Sacerdos in dextera ad conficienda Mysteria, *Microl. cap.* 9.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, ab initio Epistolæ usque ad finem Gradualis.

I. Gavant. lit. i — *Legit Epistolam.*) Dicta igitur Oratione, vel Orationibus, si plures sint dicendæ, Sacerdos positis super librum, vel super Altare manibus, (ita ut palmæ manuum librum tangant, vel prout placuerit, manibus librum tenens ad arbitrium ipsius Celebrantis, vel ad majorem commoditatem, dummodo alterutram manum solam in aere suspensam numquam teneat) legit Epistolam voce clara, & intelligibili, Bissus *lit. G. n.* 20. §. 28. Gervasi *supra c.* 6. §. *Detta l' Orazione*, & alii, quos congerit, & approbat a Portu *tit.* 6. *Rubr.* 1. *in adnot. n.* 2.

Lecta Epistola respondetur a Ministro *Deo gratias* clara, & intelligibili voce, non solum post Epistolam, sed etiam post Prophetias, exceptis ultima Lectione Danielis in Sabbato quatuor Temporum, Lectionibus Feriæ VI. in Parasceve, & Sabbati Sancti, ne interrumpatur textus, vel sensus. Bauldry *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 23. *& part.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. Eadem ratione idem Bauldry *cit. part.* 3. opinatur omittendum esse *Deo gratias*, etiam in Lectionibus, seu Prophetiis Sabbati Pentecostes, post quas dicitur Tractus solum post secundam, & tertiam.

II. Gavant. lit. l — *Ad alteram partem Altaris.* Terminata Epistola, & responso *Deo gratias* a Ministro voce clara, Sacerdos, ut præscribit supra n. R brica, prosequitur *Graduale, Alleluja, Tractum, Sequentiam* si dicenda sint, &c. his, inquam, omnibus ab eo recitatis, ipsemet si privatim celebret, præsertim propter negligentiam, aut impotentiam ministri fortasse parvuli, vel inepti, portat Missale ad alteram Altaris partem id est ad cornu Evangelii, sed transiens per medium Altaris caput Cruci inclinat, ut infra dicemus. Magis tamen decet, ut Minister præfatum Missalis librum transferat ab una ad aliam partem Altaris: Bissus *supra* §. 19. Bonamicus *part.* 2. *num.* 13. Tonellius, Gervasius *supra*, & alii communiter: quapropter dum a Sacerdote dicitur Tractus, seu Sequentia, Minister erigit se, & ambulans per planum Capellæ versus cornu Epistolæ, genuflectit in medio dum transit ante medium Altaris, Castaldus *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 4. Bauld. *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 24. Bissus *supra*, & alii: deinde per anteriorem partem Epistolæ ascendit ad Altare, ubi sumit Missale, & clausum transfert, pollice sinistro inter folia interjecto, in quibus Evangelium legendum descriptum est, & transfert dictum Missale cum cussino (nisi cussini sint duplicati) manu dextera subtus cussinum posita, Bauldry, Castaldus *supra.* Si non sit deferendus cussinus, tunc librum deferat ante pectus, dextera manu tenente in medio partem libri, quæ non aperitur pollice sinistro, ut supra, inter folia interjecto: a Portu *supra num.* 7. qui pariter ibidem amplectitur sententiam Corsetti, Castaldi, & Bonamici, asserentium, quod minister deferens Missale, ambulare debet per gradum pradellæ inferiorem, ad hoc ut motus sit expeditior, præsertim si gradus Altaris sint plures, aliter sæpe sæpius librum expectare deberet Sacerdos otiose; numquam tamen Minister transire debet per gradum, seu pradellam, in quo, vel in qua est Sacerdos: ut advertit Bonamicus *part.* 1. *observat.* 5. *num.* 7. ne transeundo in dictum Sacerdotem impingat; Bauldry tamen supra contra præfatorum sententiam docet Ministrum in prædicto casu, deferendo librum ad latus Evangelii, debere ambulare per planum, ubique genuflectere dum transit per medium Altaris, seu Capellæ.

Deposito libro super Altare modo dicendo, quamprimum descendit in planum directe per gradum anteriorem, si Bauldry sententiam sequi volumus supra *num.* 25. quod tamen non placet, quia posset impedire Celebrantem tunc fortassis advenientem ad cornu Evangelii: quapropter descendat per gradus laterales in planum pariter laterale Capellæ, ibique consistat conversus ad Altare, donec responderit; *Et cum spiritu tuo, Gloria tibi Domine;* deinde se conferat ante gradum infimum a cornu Epistolæ, genuflectendo in medio Altaris, seu Capellæ de more, dum per medium transit, & conversa facie ad Evangelii latus, ita permanet, donec terminato Evangelio, dixerit: *Laus tibi Christe.* Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. Bauldry. *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 24. Castaldus *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 14.

Advertat tamen idem Minister ne accipiat librum antequam Sacerdos a cornu Epistolæ discesserit, & accedendo, vel recedendo ab Altari,

ne

ne terga vertat Ipsi Altari; unde postquam in cornu Evangelii librum deposuit, convertat sinistrum latus ad Altare, dexterum autem ad populum; e contra quando descendit a parte laterali Epistolæ, convertat tunc latus dexterum ad Altare, sinistrum vero ad populum. Bonamicus *part.* 2. *num.* 8.

XII. Gavant. eadem litera I. — *Item ad alteram partem itur*) Defertur liber ad alteram Altaris partem non solum ut Sacerdos sit expeditior in dextera parte Altaris ad conficienda Mysteria, ut ex Microl. *cap.* 9. notat Gavantus supra; sed etiam quia hæc altera pars est nobilior, utpote dextera pars Altaris, ut supra adnotavimus: nobilior autem locus tribuendus est Evangelio, & minus nobilis Epistolæ, a Portu *num.* 8. *supra*, ubi pariter advertit, quod juxta superiorem Rubricam, si Celebrans ex se transferat Missale, transeundo per medium Altaris caput Cruci inclinat, deinde accedit ad cornu Evangelii, ut deponat librum, reversurus iterum ad medium absque ulla alia inclinatione Cruci, quia inclinaturus est profunde, ut dicat, *Munda cor meum*, &c. Missale vero sic collocet, ut pars superior libri cornu posterius Altaris respiciat contra se directum; & Sacerdoti in obliquo Evangelium legenti sit magis accommodata, Quarti *part.* 2. *tit.* 6. *Rubr.* 1. *num.* 2. qui advertit Celebrantem non debere tunc terga vertere ad populum, cui annuntiat Evangelium, sed aliquantulum ad eum permanere conversum.

RUBRICA.

(o) *Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, elevatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto*, (m) *Munda cor meum; & Jube Domine benedicere, Dominus sit in corde meo, ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce, Dominus vobiscum* ℟. *Et cum spiritu tuo. Deinde pollice dexteræ manus signo Crucis* (n) *signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus* (o), *postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium Sancti Evangelii, &c.* ℟. (p) *Gloria tibi Domine. Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito Minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet, Laus tibi Christe: & Sacerdos elevans parumper librum*, (q) *osculatur principium Evangelii, dicens: Per Evangelica dicta, &c. præterquam in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentiis; quo casu defertur* (r) *cuilibet prædictorum osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum nec dicit, per Evangelica dicta. Cum autem nominatur JESU, caput versus librum inclinat; & eodem modo versus librum genuflectit, cum Evangelio est genuflectendum.*

GAVANTUS.

(m) *Munda cor meum.* Majore Benedictione indiget, qui tradit semina Evangelii, quam qui accipit: *Amal. l. 3. c. 18. Et quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom.* 10. Orat igitur Sacerdos se mitti a Deo, *Innocent. loc. cit. c.* 38. & similis Oratio habetur *in Liturgia Jacobi*.

(n) *Signat, &c.* Scribit *Innocent. III. c.* 43. de signando libro, & explicat, quasi dicatur: Hic est liber Crucifixi * Dum signatur liber, sinistra manus apponi potest eidem libro, & usus est communissimus, neque signatio hæc dici debet Benedictio, ita ut ex hoc titulo poni debeat sinistra super Altare; quia neque manu fit, sed pollice tantum, eoque modo, quo Episcopus in confirmationis Sacramentum signat pollice frontem signo Crucis, & manu statim benedicit; quæ duo sunt valde diversa.

(o) *Postea seipsum.* Jubet *Ordo Rom.* signare in fronte, & pectore tantum, ut se ostendat discipulum Christi, cujus Evangelium non erubescit, & malas cogitationes de corde pellat. *Alcuin. l. c.* De signo in ore, quo Confessio verbi Dei ad salutem fiat, meminit *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 23. Pollice vero tantum fiunt hæc signa, non cum indice & pollice conjunctis in formam Crucis.

(p) *Gloria tibi Domine.* Vide supra, sicuti etiam de principio Evangelii, & de ipso Evangelio, quæ diximus, *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 6.

(q) *Osculatur principium Evangelii.* Tradit *Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. c.* 3. & *Ordo Romanus*, quasi dicamus, per Christum reconciliationem accepimus, *Innocentius III. dicto c.* 43. vel ex charitate evangelizamus, *Durandus lib.* 4. *cap.* 24. Pacem denique a Christo optamus, deletis peccatis nostris, unde dicimus, *Per Evangelica, &c.*

(r) *Cuilibet prædictorum.* Ob reverentiam Prælatorum datur eisdem liber osculandus. Si vero plures Prælati, quales interessent Missæ, nulli dabitur osculandus, nec etiam Celebranti; si plures inæquales, tunc digniori tantum. *Cær. Episc. lib.* 1. *cap.* 30. Quia Christus unus est, quem repræsentat ille, qui osculatur librum, ut dicemus in mystica expositione Missæ. Aut unus igitur & dignior osculatur, aut nullus; non duo, ne dividatur Christus.

Tolerari potest illa consuetudo, qua defertur liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum; quia antiquitus, dum Symbolum cantabatur, dabatur Evangelium osculandum toti populo:

lo: *Gemma lib. 1. cap. 119.* non autem placet altera, qua Prælatus osculatur librum, dicto Offertorio quomodo non dicitur *Credo.* Abusus est ad brevitatem Missæ introductus; & Minister quidem deferet librum sine ulla reverentia ad Prælatum: sed postquam ille fuerit osculatus, libro statim clauso, reverentiam illi debitam facit, ille vero tantum, qui librum osculatur, dicere debet, *Per Evangelica, &c.* sunt enim verba osculantis propria, quæ ideo omisso osculo omittuntur; ut in Missa defunctorum hoc loco præscribitur.

Ex Decretis Congregat. Cardin. super negotia Episcoporum 22. & 28. *Augusti* 1589. non defertur liber osculandus Vicario Apostolico; * neque Commendatario, seu ejusdem Procuratori, ex Decreto Sac. Rit. Congr. *die 17. Septembris* 1611. neque aliis in hac Rubrica non nominatis sine facultate Sedis Apostolicæ. Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis; & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Gradualis, usque ad finem Evangelii.

IX. Gavant. lit. m — *Munda cor meum.*) Supponit Rubrica Celebrantem suis manibus detulisse Missale ad cornu Evangelii: quod si ipse non detulerit, ut deferre non debet ex majori decentia, tunc procedit a parte Epistolæ ad medium Altaris junctis manibus ante pectus; ibique hoc modo stans, sed digitorum extremitatibus faciem suam respicientibus, elevando ad Deum oculos, nimirum ad Crucifixi imaginem, & statim illos demittendo, numquam vero elevando caput; profunde tamen inclinatus inclinatione medii corporis, dicit secreto *Munda cor meum, &c.* prout in Ordine Missæ, voce omnino submissa, & manus non super Altare ponit, sed junctas conservat semper inter pectus, & altare. Hæc tradunt Gervasi *in Catal. errorum num.* 50. Angel. *part. 1. titul. 5. §. De Evangelio;* Vinitor *part. 2. tit. 6. in adnotat. §. 2.* Cæremon. Missæ privatæ *cap. 1. §. 5.* Hagerer *in Ritu exacte servando, &c. tit. 6. num. 2.* Tonellius *lib. 2. tit. 6. num. 1.* Baldassarius, & alii communiter. Dicto *Munda cor meum* voce submissa, dicit *Jube Domine benedicere*, non vero *Jube Domne;* quia in Missa Privata Sacerdos alloquitur non hominem, sed Deum, a quo tamquam universorum Domino petit Benedictionem; ex oscitantia igitur typographorum in quibusdam Missalibus irrepserunt illa verba *Jube domne benedicere;* qui titulus *Domni* convenit solum homini præclaro: hinc Pontifex in Litaniis vocatur *Domnus Apostolicus.* Vide Macrium in Hierolex. verbo *Dominus*, ubi affert hunc versum: *Cælestem Dominum; terrestrem dicito Domnum*; & hinc etiam Diaconus in Missa Solemni, qui petit Benedictionem a Celebrante, optime dicit *Jube Domne benedicere*, antequam procedat ad cantandum Evangelium; ita etiam quilibet alius inferior Episcopo dicere debet *Jube Domine benedicere* in Choro, petens a suo Superiore Benedictionem. E contra vero Episcopus, quando cantare debet ultimam Lectionem, cum a Deo benedictionem petat, quia ibi non habet hominem superiorem, dicit *Jube Domine benedicere.* Bissus *litera 8. num. 224. §. 4. a Portu ad tit. 6. Rubr. 2. in suis adnot. n. 6.* Lohner *par. 6. tit. 6. n. 2.* Gerlacus, Vinitor, & Hagerer, *supra loc. citatis.* Prolata, ut dixi, illa prece, *Jube Domine benedicere* in Missa Privata, Sacerdos sibi ipsi statim respondet: *Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, etc.* usque ad finem: post quæ verba absque facta Cruci alia reverentia vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum manibus junctis ante pectus, facie conversa ante cornu Altaris, ideoque versus librum oblique positum, ut supra, corpore, & capite erecto, non autem brachiis incumbentibus Altari, dicit voce intelligibili, hoc est ordinaria (non disjungens manus) *Dominus vobiscum;* ut populus attentior fiat ad ipsum Dominum loquentem in suo Evangelio: Quarti *part. 1. tit. 10. num. 6.* respondetur a Ministro: *Et cum spiritu tuo* eadem clara, & intelligibili voce.

V. Gavant. lit. n — *Dum signatur liber, sinistra manus apponi potest, etc.*) Postquam Minister respondit, ut supra, Sacerdos disjungit manus, ponendo sinistram super librum, ut notat Gavantus hic: deinde pulpa pollicis dexteræ manus, non vero ungue, vel indice, neque pollice & indice simul, signat Cruce librum super principio Evangelii, quod erit legendum. Dum autem formatur hoc signum Crucis, dexteram manum totaliter extendit, cujus palmam ad librum convertit, tenendo quatuor reliquos digitos simul junctos. Crux, quæ pollice formatur, parva esse debet, Bauldry *par. 3. tit. 6. Rub. 2. n. 1.* Lohner *part. 2. tit. 32. §. 2. n. 4.* & alii communiter.

VI. Gavant. lit. o — *Signat in fronte, et pectore tantum, &c.*) Formata modo supradicto Cruce parva super librum, Sacerdos postea eodem pollice signat se ipsum in fronte, ore, & pectore, ponendo sinistram manum infra ipsum pectus, & extendendo totaliter dexteram junctis aliis digitis: palmamque ipsius dexteræ ad se convertendo, Bonamicus *part. 2. n. 2.* & Bauldry *supra ex Rubr. suprad.* format autem non unum, sed triplex Crucis signum: primum in fronte, secundum in ore, tertium in pectore, Bonamicus, & Gervasi *supra §. Detto.* Has easdem tres Cruces sibi formant pariter Ministri in fronte, in ore, & in pectore. Bauldry *part. 1. c. 17. n. 25.* Lohner *part. 3. tit. 9. n. 8.* Sacerdos deinde dicens *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii, etc.* debet esse conversus ad cornu Evangelii, & non ad Altare; Bonamicus *part. 2. n. 14.* Polaccus *part. 1. §. 2.*

VII. Gavant. lit. p. — *Gloria tibi, Domine.*) Prolatis prædictis verbis a Sacerdote, respondetur a Mi-

a Ministro voce ordinaria, & clara *Gloria tibi Domine*, & nunc Sacerdos non se vertit ad Crucem, nec ad Sanctiss. Sacramentum, nec caput inclinat; Bauldry *supra;* sed jungit iterum manus ante pectus, stans ut supra; sicut etiam Minister, & circumstantes stare debent Evangelium auditurі. Quarti *part.* 1. *tit.* 17. *n.* 2. §. *Præterquam*, & *part.* 2. *supra n.* 4. Prosequitur lectionem Evangelii usque ad finem, quod certe majori pausa, & distinctione quam alia, quæ dicuntur clara voce, pronunciandum est. Quarti *part.* 2. *supra.* Cum durante lectione Evangelii, genuflectendum, vel inclinandum fuerit caput, id nunquam fiat versus Crucem, vel Sanctissimum Sacramentum, sed versus librum; & perseveret semper Sacerdos, dum legit Evangelium, erectus versus librum, brachiis seu manibus minime innitendo Altari, vel libro. Vinitor *supra* §. 8. Bissus *litera S. num.* 20. §. 30. Pronunciando itaque nomen *Jesus*, capitis inclinatio, quæ extra Evangelium fit versus Crucem, dum legitur Evangelium, debet fieri versus librum ipsum; ut præscribit eademmet superior Rubrica in fine: Castaldus, Gavantus *supra*, & Quarti, *part.* 2. *titul.* 8. *Rubrica* 1. *num.* 6. adducens hanc rationem, quia in Evangelio expressus repræsentatur Christus Dominus, quem in Cruce, utpote quod est verbum ipsius Divini Incarnati Verbi; & hinc est, quod in octava Synodo *cap.* 3. statutum fuit librum Evangeliorum, & Sacram imaginem D. N. J. C. æquo honore adorari debere. Hinc etiam pretiosissimis librum Evangeliorum thecis involvi; in Processionibus super dorsum Diaconorum; in Conciliis in sublimi throno in medio consessus poni, illo tacto jurare, ac si Deus præsens agnoscatur; chartulas tandem Evangelium continentes collo appendi, antiquissimus mos fuit. Quando autem ob prædictas rationes genuflectendum est ante dictum librum, utrum faciendo hanc genuflexionem manus disjungendæ sint, & collocandæ super Altare, usque ad pulsus, digitis junctis, non conveniunt DD. negat Bonamicus *part.* 1. *observ.* 11. *num.* 10. affirmant vero Tonellius *lib.* 2. *tit.* 5. *Rubr.* 4. *num.* 2. & a Portu *supra n.* 22. hac ratione moti; quia nulla potest assignari disparitas pro genuflexione facienda in cornu Evangelii, quæ non militet pro aliis genuflexionibus faciendis in medio Altaris, & in cornu Epistolæ, deinde quia collocando prædicto modo manus, facilius assurgitur.

IV. Gav. lit. q — *Osculatur principium Evangelii*.) Finito Evangelio, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris in plano, eadem clara, & ordinaria voce respondet, *Laus tibi Christe:* & post responsionem sine ulla alia reverentia ibi de more genuflectit, Lohner *par.* 3. *tit.* 9. *n.* 8. & Bauld. *supra.* Sacerdos autem elevans parumper librum sine cussino, & aliquantulum inclinans, osculatur principium Evangelii a se dicti, absque ulla Crucis productione, neque super librum, neque super se ipsum. Vinitor *supra* §. 9. Cæremon. Miss. Priv. *cap.* 7. §. 2. Bauldry *supra num.* 3. si opus est invertat manu dextera paginam, deposita sinistra super Altare, ut habeat principium Evangelii, quod lectum est, & quod osculari debet; a Portu *supra num.* 19. dicens submissa voce: *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta:* quam Oratiunculam, sive totam proferat immediate ante deosculationem, sive tantum primam ejus partem, id est, *Per Evangelica dicta*, ante deosculationem; & deosculato libro, *Deleantur nostra delicta*; sive denique illam totam dicat immediate osculato principio Evangelii, crediderim Rubricæ satisfacere, & quodcumque horum fieri posse; secundus tamen Ritus exactior est, ut etiam observat Nicolaus de Bralion *in Cærem. Canon. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 11.

XIII. Gav. lit. r. — *Ob reverentiam Prælatorum datur eisdem liber osculandus.*) Ritus, ut expleta lectione Evangelii ab Episcopo, vel Presbytero celebrante, ejusdem Evangelii liber osculetur, est antiquissimus. De hoc Ritu tractat sapientissime Jonas Aurelianensis Episcopus *præfatione libri* 2. *de cultu imaginum*, ubi ait: *Sacræ Religionis usus adhuc in Ecclesia servatur, ut peracta Sacra Evangelii lectione ab Episcopo, vel Presbytero, cæterisque Sec. Ordinis Religiosis, codex, in quo Evangelica lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur; sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus esse verba credunt, agimus?* Unde antiquitus in Missa Solemni, non solum Celebrans, sed etiam alii ex Clero dictum librum obsculabantur, in signum venerationis, & communionis cum Domino Jesu Christo. Ad laicos vero quod attinet, etiam ipsos olim fuisse admissos ad osculum Evangelii, testatur Ordo Romanus, & vetus Missæ expositio ex vetusto codice apud Hitrotorpium, his verbis: *Descendente Diacono de ambone, Subdiaconus, qui in filo stat, recipit Evangelium; quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum primum Episcopo, aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum, qui steterint, & universo Clero, necnon populo.* Idem testatur etiam Rupertus Abbas Tuitiensis *lib.* 2. *de Officiis cap.* 1. & Honorius *in Gemma Animæ, de antiquo Ritu Missarum c.* 19. tradit Evangelium cum incenso per Chorum delatum, & singulis ad osculandum porrectum fuisse. Verum quamvis & Clerus & populus priscis temporibus ad osculum Evangelii admitteretur, Honorius tamen III. Pontifex Maximus litteris ad Matthæum Patriarcham Constant. *lib.* 5. *epist.* 439. relatis ab Odorico Raynaldi ad Annum 1221. *num.* 28. in Missa, sub pœna excommunicationis cuicumque sæculari Principi Evangelii osculum perhiberi vetuit, nisi essent personæ Oleo Sacro inunctæ: & hinc est, quod cum quidam Episcopi Polonorum Reginam nondum Sacro Ritu regia corona redimitam ad Evangelii osculum admittere recusarent, Paulus III. Pontifex Maximus precibus Regis obsecundans, indulsit,

fit, ut Reginæ ejus conjugi liber Evangelii inter Divina Mysteria, & Patena illi deosculanda porrigerentur; quamvis præfata Regina nondum esset regio diademate coronata. Ita scribit Odericus Raynaldus ad annum 1549. *num.* 6. & ex eodem Joseph Catalanus, in suo eruditissimo opere, cui titulus: *De codice S. Evangelii, ac servandis in ejus lectione Ritibus, etc. lib.* 2. *cap.* 27. Nunc vero juxta superiorem Rubricam, & Gavanti Commentarium solus Sacerdos celebrans Evangelium osculatur finita ejusdem Evangelii lectione, præterquam in Missis Defunctorum; & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo & Episcopo in eorum Diœcesibus; in quo casu cuilibet ipsorum liber Evangelii osculandus defertur; Sacerdos vero celebrans tunc a consueto abstinet osculo, nec dicit *Per Evangelica dicta, etc.* quia hæc verba osculantis propriæ, ut docet Gavantus *supra*, & reddit rationem hujus Ritus Quarti *part.* 2. *tit.* 6. *Rubric.* 2. nimirum, quia osculans librum sub verbis prædictis fungitur officio mediatoris inter Deum, & Populum, cui pacem auguratur, & peccatorum remissionem loco Christi; quod pertinet ad dignitatem quandam; & idcirco semper digniori defertur osculandus liber, quia Christus unus est, quem repræsentat ille, qui librum osculatur.

Dixi semper digniori præbendum esse librum osculandum, ut præscribit etiam Cæremon. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 30. quapropter si plures Prælati æquales Missæ interessent, tunc nulli porrigi deberet liber osculandus, nec etiam ipsimet Celebranti: si vero plures Prælati assistant inæquales; tunc digniori tantum, ut dixi, dabitur liber osculandus, juxta dispositionem præfati Cæremonialis Episcoporum allegati a Gavanto *supra lit. i.* si vero Episcopus Sacris operaretur coram Cardinale, tunc servanda esset dispositio clarissima ejusdem Cæremonialis *lib.* 1. *cap.* 29. *n.* 9. ita prescribentis: *Liber Evangelii Celebrante Episcopo nulli etiam magno Principi, aut Prælato Missæ præsenti datur osculandus post lectum Evangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.* In aliquibus tamen Ecclesiis, & præsertim Parisiis, ut asserit Le-Brun *tom.* 1. *pag.* 251. viget consuetudo, quod Subdiaconus in Missa Solemni deferat librum Evangelii osculandum toti Clero, præcedente Thuriferario, a quo Clerus pariter thurificatur: & Subdiaconus cuicumque osculanti dicit: *Hæc sunt verba Sancta;* & quilibet osculans librum respondet: *Credo, & Confiteor.*

X. Gav. ead. lit. r — *Ex Decretis Congregationis Cardin. super negotia Episc.*) Gavantus supra allegat Decretum editum sub die 22. Augusti 1589 a Sacra Congregatione *super negotiis Episcoporum, &c. in Melphitana*, in quo sancitur — Vicario etiam Apostolico non esset tradendum librum Evangelii ad osculum — Allegatur etiam a Gavanto aliud simile Decretum ab eadem Congregatione in dicta *Melphitana* sub die 28. Augusti ejusdem anni editum, in quo habetur — Evangelium non traditur osculandum nisi Episcopis, Prælatis majoribus, & principibus magnis, non autem Gubernatoribus, & aliis Ministris — Rursus sub die 17. Septembris 1611. aliud editum fuit Decretum a Sac. Rit. Congregat. & datum in nostro Indice *sub n.* 118. in quo habetur, quod Commendatario, sive ejus Procuratori non defertur liber osculandus in Missa — Sub die vero 8. Maji 1615. habetur alium Decretum editum a Sacra Congr. Episcoporum *in Lancianen.* relatum Monacell. in Formul. legal. pract. *par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 7. *sub n.* 6. in quo sancitum est, quod — Vicarius Apostolicus non potest prætendere, quod sibi deferatur osculandus liber Evangelii, nisi sit Episcopus — Sub die vero 12. Octobris 1618. Sac. Rit. C. aliud edidit Decretum datum in nostro Indice *sub num.* 169. in quo inter alia habetur, quod — Episcopo extra suam Diœcesim non competit deosculatio textus Evangelii — Sub die vero 2. Septembris an. 1669. in Decreto Generali Sac. Rit. Congr. quod repetitur in nostro Indice *sub num.* 352. inter alia sancitum est, quod — Si Episcopus aderit Missæ Abbatiali celebratæ ab Abbate habente usum Pontificalium, tunc textus Evangelii osculandus deferri debet præfato Episcopo, nimirum proprio solius Diœcesis: denique præterire hic non debemus Decretum illud generale, & Epistolam Sac. Rit. Congreg. per extensum allatam in Synodico Beneventanæ Ecclesiæ, in appendice ad Concilium 14. quod est primum Eminentissimi olim Card. Ursini Archiepiscopi, deinde Benedicti XIII. Pontificis Maximi *pag.* 574 — Cum pluries Sac. Rit. Congr. inhærendo Decretis alias editis, & signanter *in Lucerna* die 22. Novembris 1664. 28. Septembris 1675. & 13. Martii 1688. declaraverit nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum sæcularibus, etiam Præsidibus in celebratione Missarum; nec non prohibuerit usum baldacchini, & præsertim *in Acernina* die 26. Junii 1666. *Baren.* 5. Martii 1667. & 17. Junii 1684. *Marsicen. Poligan.* & *Meliten.* 5. Martii 1677. *Hieracen.* die 2. Octobris 1683. & *Bitecten.* 23. Septembris 1684. ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio, & specialiter in *Materanen.* 24. Januarii 1665. *Melphitana* 15. Junii 1669. & *Baren.* 20. Novembris 1677. & 22. Februarii 1687.

Eminentissimi & Reverendissimi DD. Cardinales eidem Sac. Congregationi Præpositi mandarunt, ut prædicta Decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelii, usum baldacchini, & assistentiam in Presbyterio, renovarentur, & copiæ illorum transmitterentur Archiepiscopis, & Episcopis Regni Neapolis, eisdem injungendo, ut illa intimari facerent Superioribus Ecclesiarum suæ Diœcesis tam Sæcularibus, quam Regularibus;

& in

& in casu transgressionis procederent etiam contra Regulares auctoritate ejusdem Sac. Congregationis ad pœnam interdicti; & ita decreverunt, & in Ecclesiis Regni Neapolis omnino servari jusserunt. Die 13. Martii 1688. A Card. Cybo.

Locus ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.

RUBRICA.

3 *Dicto Evaagelio, stans in medio Altaris versus Crucem, elevans, & extendens manus, incipit (si dicendum sit)* (f) *Credo, cum dicit, In unum Deum, jungit manus; & caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, Jesum Christum, caput Cruci inclinat. Cum dicit, Et incarnatus est, usque ad, Et homo factus est, inclusive, genuflectit. Cum dicit, Simul adoratur, caput Cruci inclinat. Cum dicit, Et vitam venturi sæculi, Amen,* (t) *producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus.*

GAVANTUS.

(f) *Credo.* De Symbolo, & ejus partibus egimus supra *tit.* 11. Ad ea verba, *Et in Spiritum Sanctum*, non inclinatur caput, sicuti neque ad ea: *Patrem omnipotentem:* tantummodo in verbo *Deum*, quod nomen commune est tribus Personis, & in verbo *Jesum Christum*; de quo diximus supra *tit.* 5. *n.* 2. Item, quando dicit, *Adoratur* (non ultra ad sequens verbum *Conglorificatur*) caput inclinatur, ex vi verbi ejusdem.

(t) *Producit signum Crucis.* Ita *Beleth. cap.* 40. ob rationem supra allatam in fine Hymni Angelici; sed antiqua Fidelium consuetudo fuit, ut cum Symbolum Fidei recitarent, in verbis illis, *Carnis resurrectionem*, frontem Crucis signaculo munirent, testaturque id *Ruffinus in expositione Symboli.* Inde forte translatum fuit signum Crucis ut Fidei totius professio firmaretur. * In verbo *Amen*, junge manus, ut diximus in fine Hymni Angelici.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Evangelii usque ad finem Symboli.

XI. Rubr. *Dicto Evangelio &c.*) Osculato Evangelio, si sit osculandum: si autem non sit osculandum, ut contingit in Missis Defunctorum, eo finito; Sacerdos portat Missale cum cussino prope Corporale, ut facilius, stans in medio Altaris, possit ex eodem Missali ea legere, quæ in medio ipsius Altaris dicenda sunt; Bissus *lit. S. num.* 20. §. 2. Corsett. *tract.* 2. *part.* 2. *sect.* 1. *num.* 17. & alii apud eumdem Bissum. Deinde procedit ad medium Altaris, manibus ante pectus junctis, ibique & corpore, & capite stabit erectus: & statim elevans, extendens, ac jungens manus, incipit, si dicendum sit, *Credo*, voce ordinaria, & clara, ut in pari casu diximus de Hymno Angelico.

XII. Gavant. lit. f — *Credo.*) Dum profert Sacerdos hoc verbum *Credo*, elevat, & extendit manus, ut supra. Polac. *part.* 1. §. 12. Bonamicus *part.* 2. *num.* 15. Ad vocem *Unum* jungit manus, ad vocem *Deum* caput inclinat; Bonamicus Polaccus, Gervasi, Bauldry, & Bissus *supra* §. 23. non autem elevat oculos, nec caput. Polac. Bauldry, & Gerv. Minister genuflexus, & manibus junctis, ad vocem *Deum* caput inclinat; Bauldry *part.* 1. *cap.* 27. *num.* 26. neuter tamen ad verba *Patrem omnipotentem*, & *in Spiritum Sanctum* caput inclinabit; ut observat Gavant. *supra.* Neque dicas ex ratione a Gavanto adducta probari, quod neqne sit inclinandum caput ad verba *Jesum Christum*: de hoc enim sanctissimo Nomine militat peculiari ratio, & quam superius explicavimus, reddendo rationem, quare magis honoretur nomen *Jesu*, quam nomen *Dei.* Postea Sacerdos capite erecto stans ibidem, junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur Symbolum voce clara, & ordinaria usque ad finem, caput inclinans inclinatione minimarum maxima ad ea verba *Jesum Christum.* Bissus *supra n.* 20. §. 23. & Gervasius *supra.*

XIII. Rubr. *Cum dicit: Et incarnatus est, &c. genuflectit.*) Ad versum *Et incarnatus est*, usque ad *Et homo factus est* inclusive, genuflectit unico genu, extendendo hinc inde digitos junctos manuum, & utramque manum usque ad pulsus extra Corporale super Altare ad facilius surgendum; sed non debet accipere anteriorem partem planetæ præ manibus, illam elevando, dum genuflectit modo mox explicato: & hoc observare debet in omnibus similibus genuflexionibus: Simon a Larciano *lib.* 4. *cap.* 11. §. *Sed non debet*, & Aloysius Gerardi Episcopus Cortonensis in compendio errorum *cap.* 6. *n.* 25. genuflectit tamen Sacerdos capite, & corpore erecto, & non infra Altare demisio, uti plerique faciunt: a Portu *supra Rubr.* 3. *num.* 9. sicut etiam esset error genuflectere sinistro genu. Est itaque juxta Rubricam incipere præfatam genuflexionem ad ea verba, *Et incarnatus est*, & finire illam ad *Homo factus est*, sine inclinatione capitis, & manibus extensis supra Altare; Cæremonial. Missæ Privatæ *cap.* 10. §. 11. & Hagerer in Ritu exacte servando *tit.* 6. §. *In hoc Symbolo*: qui addit, quod in Missis Privatis, etiam in Festo Annuntiationis B. M. Virg. & tribus Missis in Nativitate Domini non utroque, sed uno genu solummodo genuflectendum sit. Ita etiam Lohner *part.* 2. *tit.* 17. *num.* 7.

XIV. Gav. lit. f — *Ita quando dicit: Adoratur.*) cum Sacerdos dicit *Simul adoratur* caput Cruci inclinat.

inclinat inclinatione minimarum maxima: a Portu *supra num.* 1. sic inclinat etiam Minister; Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 26. non autem inclinat caput ad sequens verbum *Et conglorificatur*, neque cum dicit *Et in Spiritum Sanctum.* Gavantus *supra*, & alii Rubricistæ communiter.

XV. Gav. lit. t - *Producit signum Crucis.* Cum vero dicit *Et vitam venturi Sæculi* manu dextera signat se signo Crucis, sinistra pectori admota. Distribuit prædictas voces, ita ut tangat frontem, & pectus, dum dicit *Et vitam*; tangat humerum sinistrum, quando profert *Venturi*; tangat humerum dexterum, quando pronunciat *Sæculi.* Ut autem bene distribuat, lente proferat verba illa, sed præsertim propria *Et vitam*; Bauldry *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Minister quoque se signat eodem modo; Bauldry *par.* 1. *cap.* 17. *num.* 28. & dum Sacerdos dicit *Amen* manus iterum jungit; quod fieri debet & in fine Hymni Angelici, ut tradit Gavantus, *hic*, *et tit.* 4. *lit.* p Bauldry *part.* 3. *tit.* 4. *num.* 2. Vinitor *part.* 2. *tit.* 6. §. 16. Gervasius, aliique, quamvis de hac manuum junctione Rubrica nihil præscribat: unde ab aliquibus sine scrupulo omittitur, & hujus opinionis sunt Bonamicus *part.* 2. *n.* 9. & Tonellius *lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 2.

RUBRICA.

4 *In Missa Solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis* (u) *accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ* (x) *contra Altare* (y) *et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, et inter Graduale, Tractum, etc. usque ad Munda cor meum, Epistola cantata, Subdiaconus, facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem: et genuflectens,* (z) *osculatur ejus manum, et* (a) *ab eo benedicitur, præterquam* (a) *in Missis Defunctorum.*

GAVANTUS.

(u) *Accipit librum.* Comitatus ab uno Acolytho, ait *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 29. procedit Subdiaconus; sed habetur *in Cæremon. Episc. lib.* 1. *cap.* 10. quod Cæremoniario comite procedat ad cantandam Epistolam, comitatur autem Subdiaconum a sinistris ejusdem, quod & alia facit, genuflectens cum eo unico genu; quod semper fit, nisi aliud in Rubricis præscribatur.

(x) *Contra Altare.* Meminit hujus situs *Severus Sulpitius lib.* 3. *de vita Sancti Martini*: ante Altare *inquit*; astante, qui lectionem Sancti Pauli proferret. In dextera vero parte Ecclesiæ cantandam esse Epistolam, docet *Petrus Antissiodor. citatus a Durand. lib.* 4. *cap.* 15. nunc cantatur juxta cornu Altaris, ubi Celebrans legit Epistolam, in plano Presbyterii, & est dextra pars Ecclesiæ, intrantibus in eam.

(y) *Cantat Epistolam.* Non habet Subdiaconus hoc munus ex Consecratione, sed quando a Patribus datum est Diacono, ut cantaret Evangelium, datum est Subdiacono, ut Epistolam. *Amalarius lib.* 1. *cap.* 11. Soli vero Subdiacono nunc convenit, adeo ut potius Sacerdos ipse Epistolam legere debeat, quam pati, ut inferior Subdiacono id exequatur. *Microlog. cap.* 8. *cap. Si Subdiac. dist.* 34. *in Collect. Martini Bracaren.* Si vero inferior cantare velit, ne sacras induat vestes, de quibus loqui videtur Canon, sed superpelliceum tantum, *ut hoc eodem titulo infra n.* 8. *dicitur.*

(z) *Osculatur ejus manum.* In usu erat apud quosdam, *teste Durand. cap.* 17. Forte loquitur de Romanis; nam *Innoc. III. lib.* 2. *cap.* 30. testatur idem de Romana Ecclesia.

(a) *Ab eo benedicitur.* Non in principio, ut Diaconus; *Rupertus lib.* 1. *cap.* 36. sed in fine Subdiaconus: quia ante Evangelium lex Mosaica accepit finem in Christo. *Innoc. III. cap.* 30.

(b) *In Missis Defunctorum.* His Missis non congruunt Solemnitates. *Durand. ubi supra.*

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, ab ultima Oratione usque ad finem Epistolæ.

XVI. Gavant. lit. u. - *Comitatus ab uno Acolytho.* Erga finem ultimæ Orationis, si non adest Magister Cæremoniarum, vel ejus socius, unus ex Acolythis, facta prius genuflexione in medio, accedit ad credentiam, & inde Missale aliquantulum elevatum ambabus manibus ferens, inclinando se tradit Subdiacono; & cum illo genuflectens in medio Capellæ post eum, ad locum Epistolæ procedit. Subdiaconus igitur postquam accepit ambabus manibus de manu Acolythi librum Epistolarum, deferens illum utraque manu supra pectus, & facta versus Altare cum dicto Acolytho genuflexione, accedit, eo ipsum comitante a sinistris, ad partem Epistolæ contra Altare; &c. Si vero adsit Magister Cæremoniarum, hic circa finem ultimæ Orationis, facta Cruci profunda reverentia (& non genuflexione, quia non recedit a medio) descendit ab Altari, & de credentia librum Epistolarum accipit, eundemque tenens ambabus manibus ea parte, quæ aperitur, ad suam dexteram conversa, accedit ad Subdiaconum stantem in plano Epistolæ post Diaconum, Bauldry *p.* 3. *art.* 5. *c.* 11. *n.* 10 & præfatus Cæremoniarius librum Epistolarum per ejus latera tradit elevatum Subdiacono, qui utraque manu angulis libri inferioribus supposita (ut infra dicendum est de Diacono) eum accipit versa sibi ad invicem facie, absque osculis, sed cum reciproca mediocri inclinatione; Bauldry *part.* 1. & 3. *supra*, Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 7. Castaldus *lib.*

lib. 1. *sect.* 7. *c.* 1. *n.* 10. deferens illum elevatum non tantummodo ante, sed supra pectus, parte libri aperienda respiciente Subdiaconi sinistram; Venantius *in praxi Sac. Cærem. tit.* 5. *c.* 3. *n.* 9. & vadit usque ad medium Altaris, Cæremoniario comite. Gavant. *sup.* & alii.

Utrum autem Cæremoniarius prædictus debeat Subdiaconum præcedere, non conveniunt Doctores. Affirmant Castaldus *lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. *n.* 22. negant Lohner *part.* 3. *tit.* 4. *n.* 7. Bissus *littera S. n.* 195. §. 8. Bauldry *part.* 1. *c.* 1. & *cap.* 12. supra & a Portu *par.* 2. *de Missa Solemni tit.* 6. *Rubr.* 4. *in adnot. n.* 3. negativam pariter amplectitur sententiam, quia in Missa Pontificali Cæremoniarius non præcedit, sed incedit ad sinistram Subdiaconi. Cærem. Episc. *lib.* 2. *c.* 8. §. 4. unde etiam in hac Missa Solemni Cæremoniarius non debet Subdiaconum præcedere. Tum ipse Subdiaconus habens a sinistris Cæremoniarium, vel eo deficiente, Acolythum, portans sibi librum, ut supra, procedit ad medium infimi gradus per planum. Gavantus, Bauldry, & Bissus *supra*; ubi ambo faciunt unico genu genuflexionem, & mox eodem ordine pergunt ad cornu Epistolæ, & sistunt in loco aliquantulum disante a gradibus Altaris.

XVII. Gav. lit. x - *Nunc cantatur juxta cornu Altaris.* Postquam igitur pervenit Subdiaconus in planum Presbyterii contra altare in cornu Epistolæ, tenens librum ambabus manibus versus altare, sine nova genuflexione, incipit clara, & sonora voce Epistolam, Cæremoniario supradicto, seu alio Ministro, ipso absente, a sinistris ejus post eum stante, qui vertit folia, si opus est. Biss. *sup.* Bauld. *par.* 1. *c.* 1. *supra.* Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 1. *n.* 10.

Dum vero Subdiaconus cantat Epistolam, Celebrans stans in eodem loco, in quo erat, nempe in cornu Epistolæ, eam legit, submissa voce, assistente ibi Diacono, qui sine genuflexione (quia non discedit, nec accedit, nec transit ante medium) accedit ad dexteram illius, stans in secundo gradu Altaris pro situ loci; manibus decenter pectori admotis, non junctis, vel tenentibus librum, si opus est, vel vertentibus folia, nunquam tamen super Altare positis; Lohn. *part.* 3. *tit.* 2. *n.* 10. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 25. Biss. *lit. C. n.* 197. §. 21. a quo loco non discedat Diaconus, donec accedat ad Celebrantem Subdiaconus post finitam Epistolam.

Postquam Celebrans finierit Epistolam, Diaconus ei respondet *Deo gratias* submissa voce, Baul. & Biss. *supra*; Celebrans vero, in eodem loco prosequitur cætera usque ad *Munda cor meum* exclusive. Observet autem Diaconus, ut caput inclinet quando opus est, & genuflectat ad ea verba, ad quæ genuflectit Celebrans, sive in Epistola sive in Graduali, Tractu, &c. ut in Missa de Cruce in Dominica Palmarum ad illa verba, *In nomine Jesu omne genu flectatur*, & *Adjuva nos Deus*; sicut ad illa alia: *Veni Sancte Spiritus, etc.* Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 11. Bissus & alii. Sic etiam Cæremoniarius, vel Acolythus cum Subdiacono quando profert nomen *Jesu* debet inclinare inclinatione profunda, hoc est minimarum maxima; & quando ipse genuflectit dicendo, v. gr. ut *in nomine Jesu omne genuflectatur*, debet ipse pariter genuflectere, ut tradunt omnes communiter.

XXIII. Gavant. z - *Osculatur ejus manum, etc.*) Finita Epistola Subdiaconus claudit librum; quem ut prius portat, & cum Cæremoniario primo, seu alio socio, sinistris accedit ad medium Altaris, ubi genuflectunt ambo unico genu; & facta genuflexione, eodem ordine procedunt per planum ad laterale Epistolæ cornu, remanente semper Cæremoniario, seu alio socio paullulum retro ad sinistram Subdiaconi, Biss. *lit. S. n.* 196. §. 4. Bauld. *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 17. Utrum autem ascendere debeat ad angulum posteriorem Altaris, vel ad medium ejusdem Altaris, discrepant Rubricarum expositores: primam sententiam tenent Bauld. *supra*, Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *num.* 10. secundam vero amplectitur Consett. *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. *in additionibus.* Sed a Portu *supra n.* 11. adhæret Auctoribus primæ sententiæ; quia si Subdiaconus ad medium Altaris consisteret, Celebrans cum notabili suo incommodo se convertere deberet; unde multo minus ob eandem rationem Subdiaconus se sistere deberet post Celebrantem. Ascendere itaque debet super altiorem gradum Altaris, id est super suppedaneum, seu in angulo a latere Epistolæ, vel alium commodiorem gradum; Bauld. *part.* 3. *sup. num.* 12. ibique genuflectit utroque genu (cui Celebrans aliquantulum se convertit per latus suum dexterum; Bissus *supra*) & sic genuflexus, librum, quem clausum ambabus manibus tenet, deflectit aliquantulum versus Celebrantem; qui super librum ponit manum dexteram, quam Subdiaconus in parte exteriori osculatur, *Rubr. supra*, necnon Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 10. Lohner *part.* 2. *tit.* 13. *de Ritu solemni n.* 2. Bauldry *part.* 1. *c.* 13. *supra*, & Bissus *lit. S. n.* 196. §. 4.

XIX. Gavant. lit. a - *Ab eo benedicitur.*) Deinde Celebrans adhuc aliquantulum conversus ad Subdiaconum genuflexum, & caput inclinantem, eumdem, manu dextera jam deosculata, benedicit signum Crucis formando, nihil dicendo; retenta sinistra manu super Altare. Bissus, Bauldry, & Castaldus *supra.* Interim Diaconus, qui dum cantabatur Epistola, stabat a dexteris Celebrantis, debet aliquantulum recedere; ut cedat locum tam Subdiacono, quam Cæremoniario, sive Acolytho, qui ambo debent utrumque genu flectere. Castaldus, & Biss. *supra*, Bauldry *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *num.* 25. *et part.* 3. *supra* Tum Subdiaconus idem tradit librum primo, vel secundo Cæremoniario, vel iis ambobus absentibus Acolytho, qui illum deponit super credentiam. Bauldry *part.* 3. *supra n.* 13. *et part.* 1. *cap.* 1. *n.* 26. *et c.* 13. *supra n.* 18.

XX. Gavant. lit. b. - *His Missis non congruunt Solem-*

Solemnitates.) In Missis Defunctorum Subdiaconus non osculatur manus Celebrantis post Epistolam, ut declarat superior Rubrica, neque præfatus Celebrans ei Benedictionem impertitur: quia hæc indicant Solemnitatem, quæ, ut notat Gavantus *supra* cum Durando, Missis Defunctorum non convenit. Bissus *supra* §. 5. & Lohner *part. 2. tit. 13. de Ritu Solemni num. 2.*

RUBRICA.

Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altare, & ibi ministrat Celebranti, qui in medio Altaris submissa voce dicto, Munda cor meum &c. & deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, (c) *delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare,* (d) *imponit incensum in thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare* (e) *dicit. Munda cor meum, &* (f) *accipiens librum Evangeliorum de Altari,* (g) *petit Benedictionem a Celebrante, similiter genuflexus a superiori gradu Altaris; &* (h) *osculata illius manu,* (i) *præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cum candelabris accensis de credentia sumptis,* (l) *vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii* (m) *contra Altare versus populum: ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit: Dominus vobiscum, junctis manibus. Cum dicit, Sequentia, &c. signat librum in principio Evangelii, frontem, os, & pectus: postea* (n) *ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, et a sinistris, et prosequitur Evangelium junctis manibus. Interim Celebrans, post datam Diacono Benedictionem, retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit, Sequentia Sancti Evangelii, Sacerdos etiam signat se, et cum nominatur JESUS, caput inclinat versus Altare. Finito Evangelio, Sacerdos* (o) *osculatur librum,* (p) *a Subdiacono sibi delatum, dicens: Per Evangelica dicta, etc. et a Diacono ter* (q) *incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Cæremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, Credo, stantibus post eum Diacono, et Subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad Gloria in excelsis.*

GAVANTUS.

(c) *Delato per Diaconum libro.* Nullo comite: comes enim datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeundum esset e Presbyterio.

(d) *Imponit incensum.* Eo prorsus modo, quo in principio Missæ dictum est; neque tamen Celebrans interrumpere debet Evangelium, quod ipse legit, ut ea præstet, quæ circa Diaconum sunt peragenda, sed hic expectet finem.

(e) *Dicit: Munda cor meum.* Super primo Altaris gradu altiore hoc dicit, in quo etiam versus Celebrantem stantem in latere Evangelii, non omnino conversus ad eum petit Benedictionem.

(f) *Accipit librum Evangeliorum &c.* Jubet *Ordo Romanus* Diaconum orare ante Altare; tum petere Benedictionem, deinde Altari accipere librum, tum a Sacerdote, qui benedicit illi, tacite dici; *Dominus sit in corde tuo, &c.* Hæc eadem *Amalar. lib. 3. cap. 18.* docet, quasi, inquit, de Sion exeat lex nova, & verbum Domini de Jerusalem; neque tamen illud prædicetur, nisi post Orationem, & missionem a majori.

Hoc loco commemorandum censeo venerationem adhiberi solitam libro SS. Evangeliorum in antiquis Conciliis, in quorum Sede nobiliori, & media, inter Episcopos collocabatur liber Evangeliorum; ut scribit *Baron. ann.* 325. & 451. ut scilicet Christum repræsentaret. Certe liber Evangeliorum in Altaris medio positus majorem habet, quam alias venerationem.

(g) *Petit Benedictionem.* Dicat Diaconus, *Jube Domne*, non *Domine:* nam hoc Dei est, illud hominis præclari; ut probatur *ex Evod. libro de miracul. Sancti Stephani, anno* 416. Sed & Sancti Hieronymi tempore omnes Sancti, & homines alii vocabantur Domni, solus autem Deus, Dominus; & interim Ministri, qui cum Diacono sunt, genuflexi manent; *ex Cæremon. Episcop. libro 2. cap. 8.* nisi forte ratione dignitatis Episcopalis illud ibidem præscribatur, quod puto verius, & est in praxi communius, ut coram Episcopo tantum fiat.

(h) *Osculata illius manu.* Nimirum dextera; *Innocent. loc. cit. c. 36.* hoc est gloriam Dei desiderat Diaconus, de qua *Cantic. 2. Dextera illius amplexabitur me. Hæc ille.*

(i) *Præcedentibus Thuriferario, &c.* De Thuriferario, & luminibus, *Ordo Romanus.* De luminibus Evangelium in signum lætitiæ, *Hier. adv. Vigilantium*, ut videlicet Prædicator præmittat bonam opinionem, lumen operum bonorum, *Innocent. III. cap. 4. libro 2.* Populus etiam, ut cum fructu audiat verbum Christi, præmittat Orationem denotatam in thuribulo ardente, & gaudium spirituale in cereis. *Durand. lib. 4, c. 24.* ubi fusius ille.

Quæritur, an Ministri peccent mortaliter cantando Epistolam, seu Evangelium in peccato mortali. Affirmat *Nav. de pœnit. dist. 6. cap. 1. §. Sacerdos n. 15.* cum aliis; negat *Suar. 3. part. quæst. 56. art. 4.* Cave tibi: nam de Diaconis ait Paulus *1. Timoth. 3. Ministrent, nullum crimen habentes.* Aliqui docent, Subdiaconum sine manipulo ministrantem, quia ex officio ministrat, non peccare, si in peccato, vel censura ministrat; neque fieri irregularem, quod non est improbabile.

Quod autem hic dicitur de Evangelio coram Prælato, ut in Cæremoniali, intellige, ut alias, de Episcoporum Cæremoniali, in quo duo valde notanda reperiuntur circa hunc casum, *lib.* 1. *c.* 23. Alterum est, quod Episcopus in sua residentia paratus pluviali incensatur post osculum Evangelii, & nemo alius; si vero intersit Missæ in cappa, neque ipse incensatur, licet osculetur librum, neque Celebrans ibi jubetur incensari. Alterum est, quod Legatus, vel alius Cardinalis, in suo habitu, post osculum Evangelii thurificatur etiam coram Episcopo loci, ob dignitatem Cardinalitiam: quare sicuti contingit aliquando, neminem osculari Evangelium si v. g. intersint plures æquales Prælati; ex eodem Cærem. *lib.* 1. *cap.* 30. ita non incongruit omitti omnem incensationem post Evangelium, Celebrantis quidem ob præsentiam Episcopi; & hujus, quia non est pluviali indutus.

(l) *Vadit cum Subdiacono.* Vadit autem Diaconus, portans librum ante pectus; *ex Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 9. ut intelligat Prædicatorem Verbi Dei debere prius illud habere aute oculos, in corde, & in manibus, quam in ore. *Ribeus lib.* 2. *c.* 33.

(m) *Contra Altare versus populum.* Antiqui in dicto loco legebant Evangelium; quem locum vocavit Tribunal *S. Ciprianus lib.* 4. *epist.* 5. & Pulpitum, *lib.* 2. *epist.* 5. quasi in publico statutum, *ait Walafr. cap.* 6. Dicterium, *Basil. Seleuc. lib.* 2. *de Sancta Tecla*, Analogium, id est, super quo legitur, *Isid. lib.* 5. *Orig.* Lectorium, *Anastas. apud Bulenger, lib.* 3. *cap.* 17. Umbonem Latini, *ex eodem lib. cap.* 18. alii Ambonem, *ut in Sixto, Platina, & Cassiod. lib.* 10. *hist. tripar. cap.* 3. vel a Græco verbo ἀμβαίνω hoc est ascendo, *ex Bellarmin. lib.* 2. *de Missa c.* 10. vel ab ambiendo, quia cingit intrantem, *Walafr. cap.* 6. vel ab ambiendo, quod locus ille gradibus ambiatur utrinque, *Dur. loc. cit.* sed Græca vox est, quæ pulpitum significat, suggestum, & locum altum. Primo, ut audiatur ab omnibus, *ex Innoc. III. c.* 43. Secundo, quia palam ante oculos omnium, non in latibulis, ut Hæretici, annunciamus Evangelium. Tertio, quia Christus, docturus turbas, ascendit in montem. Quarto, quia eminentissima doctrina est, *Amalar. lib.* 3. *cap.* 18. Hodie communius cantatur ante Altare, sed contra Aquilonem, inter Altare, & populum: & usus jam declaravit verba Rubricæ, quæ alioquin videntur pugnare invicem, & non pugnant, sed locum, & situm quasi medium indicant; ita ut Diaconus neque totus sit versus populum, sed inter utrumque faciem sistat suam. Causas autem vide supra *num.* 1. Reliqua, quæ sequuntur, patent ex supradictis *num.* 2.

(n) *Ter incensat, &c.* Intellige a dextris libri, quæ est illius pars nobilior, & incensatio fit ad venerationem Christi in ejusdem verbis Evangelicis.

(o) *Osculatur librum, &c.* Diaconus redit vacuus, ut post prædicationem contemplationi se dedat, *Durand. supra.* Liber, & thuribulum reportantur ad Sacerdotem, quia Christus primus est, & novissimus, ad quem referenda omnia. *Innocent. cap.* 48. Sacerdos osculatur ex amore, & item quia acceptat Verbum Christi, *Durand. ibid.* Incensatur in Sacerdote Christus, in gratiarum actionem. *Idem ibidem & Ordo Roman.*

Dum cantatur Evangelium, Thuriferarius stabit post Diaconum ad sinistram ejusdem; *Ord. Rom.* & agitabit leviter thuribulum, elevata aliquantulum operculi catenula, ne ignis extinguatur.

Subdiaconus, & Acolythi immobiles stabunt, neque capita inclinabunt unquam; multo minus genuflectent, ut dictum est *in tit.* 17. *num.* 4. *part.* 1. Cæremoniarius post Diaconum stabit.

(p) *A Subdiacono sibi delatum.* Subdiaconus defert librum apertum ad Sacerdotem sine ulla reverentia tam Altari, etiam in quo adest Sacramentum, quam Sacerdoti, ob reverentiam Sacri Evangelii: deinde clauso libro reverentiam faciet utrique, & deponet librum super credentiam. Acolythi, finito Evangelio, deponent candelabra sine mora.

(q) *Incensatur.* Diaconus in plano medio ter incensabit Celebrantem.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a fine Epistolæ, usque ad finem Evangelii, & principium Symboli si dicendum sit.

XXI. Rubr. *Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis.*) Subdiaconus statim ac osculatus fuit manum Celebrantis, & tradidit librum Epistolarum Cæremoniario, vel alicui Acolytho, ut supra adnotavimus, accipit Missale a Diacono cum cussino, & illud defert ad cornu Evangelii super Altare, Castaldus in suo Cærem. *pag.* 40. Bissus *supra* §. 6. & advertat, ne transeat per gradus Altaris, sed per planum Presbyterii, facta in medio super infimum Altaris gradum genuflexione unico genu; & ita locat librum, ut pars ejus posterior Altaris cornu respiciat, non vero parietem. Bauld. *par.* 3. *supra*, Bissus *tom.* 2. *lit. S n.* 20. §. 29. & a Portu *supra n.* 2. ibique stans, in cornu scilicet Evangelii in secundo, vel aliquo commodiori gradu, expectat Celebrantem, qui in medio Altaris, dicto submissa voce, *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, prout in Missa Privata adnotatum est, accedit ad cornu Evangelii, ubi legit privatum Evangelium, eique Subdiaconus ad sinistram assistat; Lohner *part.* 3. *sup.* Bauldry *p.* 2. *sup.* & Biss. *sup.* sustentando librum manu sinistra, dextera vero vertendo folia, si opus sit, conformando se Celebranti in formando sibi signo Crucis in fronte, ore, & pectore, capitisque inclinatione, etiam genuflectendo ad quæ genuflectit Celebrans, & respondendo in principio: *Et cum spiritu tuo: Gloria tibi Domine:* in fine vero *Laus tibi Christe.*

Bis-

Bissus *supra loc. cit. & num.* 196. §. 6. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *num.* 6.

Diximus Subdiaconum debere deferre Missale Celebrantis: verum, an in Ecclesiis, in quibus non est cantus solemnis, neque mora inter Graduale, & Evangelium interponitur, Celebrantis Missale transferendum sit per Acolythum, ut dum Epistola cantatur; legatur a Celebrante Evangelium cum Diaconi assistentia, non conveniunt Doctores. Affirmant Castald. *supra*, & Corsett. *tract.* 1. *par.* 1. *c.* 3. *num.* 11. negat vero Bauld. *part.* 1. *c.* 13. *sup. num.* 19. sicut etiam a Portu, ea ratione ductus, quia in cornu Epistolæ Celebrans Subdiaconum benedicere debet statim post cantatam ab eo Epistolam.

XXII. Rubr. *Lecto Evangelio, quod in fine non osculatur.*) Celebrans autem lecto Evangelio non osculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta:* hoc namque facit postquam Evangelium a Diacono decantatum fuerit; & ideo lecto Evangelio Celebrans se recipit fere ad medium Altaris, ita ut sit inter cornu Evangelii, & medium Altaris, facie ad ipsum Altare versa; & ibi stat quousque sit tempus benedicendi incensum, & Diaconum, Biss. *lit. S. n.* 196. §. 7. Castald. *lib.* 2. *supra*, Bauldry *part.* 3. *supra n.* 14. nisi forte propter *Sequentia* Celebrans sedeat, in quo casu circa sequentiæ finem redit ad prædictum locum, ut ibi thus, & Diaconum benedicat, Biss. *sup.* §. 8. & Vinitor *part.* 4. *tit.* 2. *de Missa Solemni in adnot.* §. 33. Subdiaconus vero, cum Celebrans finierit Evangelium, collocat Missale prope medium Altaris, ut præfatus Celebrans suo tempore possit e medio Altaris commode legere in Missali Offertorium, & alia, quæ legenda sunt; & facta ibidem genuflexione, descendit in planum Capellæ inter cornu Evangelii, & medium Altaris, facie ad ipsum Altare versa. Biss. *supra*, Bauldry *part.* 1. *c.* 13. *art.* 1. *n.* 20. *& part.* 3. *sup. num.* 15. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 8. & Beven. *de Missa Solemni*, §. *Evangelio.*

XXIII. Gavant. lit. c. — *Delato per Diaconum libro.*) Dum Celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus, qui adhuc est in cornu Epistolæ, accipit de manu Cæremoniarii, vel eo absente, de manu alicujus Acolythi librum Evangeliorum eo modo, quo Subdiaconus accepit, ut supra, nempe Cæremoniarius, vel alius loco ipsius, accipit de credentia librum Evangeliorum (ita ut pars, quæ aperitur, sit versus partem dexteram prædicti Cæremoniarii; Venantius *in Praxi Sac. Cæremoniarium tit.* 6. *c.* 3. *n.* 7. *&* 8.) ambabus manibus per ejus latera, & elevatum tradit Diacono stanti adhuc in cornu Epistolæ, ut supra; qui ambabus manibus illum accipit, versa sibi invicem facie sine osculo, & mutuo sibi mediocriter inclinantes: Diaconus sic tenens librum portat elevatum ante pectus, tenens eum per inferiorem partem, ipsi libro suppositis ambabus manibus, ita ut pars, quæ aperitur, sit versus partem suam sinistram: Venantius *in Prax. Sac. Cærem. tit.* 4. *cap.* 3. *n.* 12. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 26. Tum solus procedens a cornu Epistolæ, in quo erant sine comite (comes enim datur Ministris, quando vadunt ad aliquid cantandum, aut quando exeundum est a Presbyterio, ut advertit Gavant. *supra*, & hinc est, quod Subdiacono pro cantanda Epistola datur comes, quia statim eam cantare debet) procedens, inquam, ad Altare per planum Presbyterii, & non per gradus, usque ad locum, ubi Celebrans facit Confessionem, & super infimum Altaris gradum in medio sine mora genuflectit Cruci, & facta genuflexione ascendit ad Altare, & in medio illius ponit librum Evangeliorum jacentem, & clausum; ita ut pars, quæ aperitur, respiciat cornu Evangelii, juxta sententiam Bauld. *part.* 1. *supra*; ibique in medio præfatus Diaconus stans manibus junctis ante pectus, paullulum versus cornu Epistolæ, Celebrantem expectat, si nondum Evangelium legerit. Ita Nicolaus de Bralion, & Venantius *tit.* 4. *c.* 3. *num.* 11.

XXIV. Gavant. lit. d — *Imponit incensum eo prorsus modo, etc.*) Dum Celebrans incipit legere Evangelium, vel citius; si opus est, Thuriferarius paret ignem in thuribulo, & tempestive, nempe quando Graduale cantabitur, vel primum Alleluja Paschali tempore, seu etiam initio Tractus post Septuagesimam, aut versus finem Sequentiæ, quando dicitur, parabit thuribulum; & deductus per Cæremoniarium, si adest, ad Altare, ascendit præfatus Thuriferarius per gradus laterales Epistolæ fere ad medium Altaris ad suppedaneum; Lohn. *par.* 3. *tit.* 5. *n.* 7. Bauld. *part.* 8. *supra n.* 17. & alibi, ibique facta genuflexione, deinde erectus, & stans a dexteris Diaconi ante Celebrantem, naviculam, quam in manu dextera tenet, tradit Diacono, deinde ministrat thuribulum Celebranti, eo modo, quo fecit in prima Altaris incensatione ante Introitum, de qua supra. Tunc Diaconus stans a dexteris Celebrantis, habens naviculam in manibus semiapertam, & versus Celebrantem inclinatus dicit de more: *Benedicite Pater Reverende:* accepto tamen prius manu dextera de navicula cochleari per manubrium prope vas ipsius inter pollicem, & indicem, & alios digitos dexteræ manus, ut vas sit propius ad manum, illud ei porrigit cum osculis ipsius cochlearis, & manus Celebrantis in parte exteriori; de quo Ritu nos *supra*; Bauld. *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *numero* 14. Imposito autem, & benedicto incenso eo prorsus modo, quo in principio Missæ dictum est, Thuriferarius, recepta navicula a Diacono (stante interim Subdiacono in suo loco, ut dictum est) & facta genuflexione in gradu, cum Cæremoniario in suo loco ubi est, uterque descendit per gradus laterales Epistolæ, redeundo postea ad suum locum prope credentiam; Lohner *part.* 3. *titul.* 3. *numero* 3. Bauldry *par.* 3. *supra n.* 17. Benven. *supr.* §. *Imposito.*

XXV. Gav. lit. e — *Super primo Altaris gradu etc.*) Diaconus vero reddita navicula Thuriterario, vel Naviculario, si adesset, descendens ad secundum gradum, genuflectit utroque genu super suppedaneum, manibus junctis; inclinatus (inclinatione profunda) voce submissa dicit: *Munda cor meum, etc.* Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 51. Biss. *lit. D. n.* 22. §. 12. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 28.

XXVI. Gav. lit. f. — *Accipiens librum Evangeliorum.*) Dicto *Munda cor meum*, surgit Diaconus, & ambabus manibus accipit reverenter librum Evangeliorum de Altari, ad ejus medium accedens; Bauld. *part.* 1. *supra*, & Biss. *supra*.

XXVII. Gavant. lit. g. — *Petit benedictionem; dicat Diaconus etc.*) Deinde Diaconus iterum genuflectit utroque genu super altiorem gradum, seu suppedaneum in medio versus Celebrantem stantem, ubi erat prius, id est, inter cornu Evangelii, & medium Altaris. Biss. *supra* §. 12. & non omnino conversum ad Diaconum, ne terga vertat Cruci, petit ab eo Diaconus inclinatus, & manibus junctis ante pectus, submissa, sed intelligibili voce benedictionem, dicens: *Jube domine* (non Domine) *benedicere*, Gavantus *supra*, Bissus, Bauld. *part.* 1. *supra*; Diaconus, inquam, debet dicere *Jube Domne*, quia alloquitur ipsum Celebrantem, non vero Deum, sicuti alloquitur Sacerdos, qui ideo debet dicere *Jube Domine*, non vero *Domne*; ut diximus, cum de Missa Privata. Postquam Diaconus petiit Benedictionem, Celebrans manibus junctis subjungit: *Dominus sit in corde tuo, etc.* Lohn. *part.* 2. *tit.* 15. *de Ritu solemni n.* 2. Bauld. *part.* 3. *supra*, & Biss. *sup.* & cum dicit, *In nomine Patris* in fine ipse subdens *Amen* benedicit eum dextera, sinistra infra pectus posita, extenditque manum dexteram; quam postea positam super librum (quem Diaconus elevat aliquantulum, & versus eum deflectit) tradit ipsi osculandam in exteriori parte. Bauldry *part.* 3. *supra.* Biss. Lohn. & Gavant. *supra*, necnon Castald. *lib.* 2. *sect.* 9. *n.* 16. Celebrans data benedictione Diacono, statim facta Cruci, & Tabernaculo debita inclinatione, se retrahit ad cornu Epistolæ, ibique stat junctis manibus versus Altare, quousque Diaconus incipiat *Dominus vobiscum:* quo prolato a Diacono, tunc solum Celebrans verrit se ad ipsum Diaconum, non totaliter vertens renes Altari, sed versis renibus quasi ad cornu Epistolæ; sic enim vere est conversus ad Diaconum, & ita conversus stat manibus junctis ante pectus quo usque osculatus fuerit Evangelium, & fuerit a Diacono incensatus; Bissus *lit. C.* n. 197. §. 25, & Bauldry *part.* 3. *supra.* Ut Præfata omnia recte, & rite peragantur, Chorus ita dimetiatur suum cantum, ut Diaconus omnia suo tempore peragere possit; & non sileat, nisi quando ipse Diaconus pervenerit ad locum Evangelii; Vinitor *part.* 4. *tit.* 2. *in adnot.* §. 25. Dum Celebrans benedicit Diaconum, vel paullo tardius, Cæremoniarius deducet Ceroferarios candelabra deferentes, & sequentes Thuriferarium, qui præcedere debet; deducet, inquam, per planum ante Altare: Bauld. *par.* 1. *c.* 1. *art.* 1. *n.* 27. *etc.* 14. *art.* 3. *n.* 6. *et part.* 3. *sup. n.* 19.

XXVIII. Gavant. lit. h — *Osculata illius manu, nimirum dextera.*) Diaconus accepta benedictione, & osculata manu Celebrantis, surgit, & descendit in planum Presbyterii, ubi tenens librum Evangeliorum ambabus manibus clausum, non ut Subdiaconus pro Epistola legenda, juxta Missalis Rubricas, supra pectus; sed ut præscribit Cærem. Episcop. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 44. ante pectus, stat versa facie ad Altare, habens Subdiaconum a sinistris, secundo Cæremoniario stante a sinistris Subdiaconi; Thuriferario vero a tergo Diaconi cum thuribulo fumigante, Bissus *lit. T. n.* 44. §. 3. & Bauld. *p.* 3. *sup.* §. 12. medio inter duos Ceroferarios stantes pariter a tergo Diaconi, habentes candelabra, cum cereis accensis, & ita dispositi omnes genuflectunt; Cær. Cler. Regul. S. Paul *lib.* 1. *c.* 1. Biss. *lit. D. n.* 123. §. 15. & Bauld *part.* 3. *supra*; Ministri quidem Sacri super infimum gradum Altaris; Acolythi vero in plano Capellæ, Bauld. *part.* 1. *c.* 14. *art.* 3. *num.* 6. quando, eodem scilicet tempore, quo genuflectunt Ministri Sacri, ne cogantur bis genuflectere, nempe quando accedunt illuc, & postea quando recedunt Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *c.* 4. *num.* 4. Lohner *par.* 3. *tit.* 7. *num.* 4. Bauldry *part.* 3. *supra num* 19. & *part.* 1. 14. *art.* 3. *n.* 6. postea surgunt, & procedunt ad locum, ubi cantandum est Evangelium.

XXIX. Gavantus litera i. — *Præcedentibus Thuriferario, etc.*) Procedunt, inquam, servato hoc ordine, videlicet; præcedit si adest secundus Cæremoniarius; primus quippe si adest, remanere debet ad sinistram Celebrantis; a Portu *supra n.* 13. postea sequitur Thurifetarius habens thuribulum in dextera manu: deinde Ceroferarii ambo simul cum candelabris: sequitur deinde Diaconus portans librum Evangeliorum clausum ante pectus ut supra, habens a sinistris Subdiaconum tenentem manus junctas. Lohner *part.* 3. *tituk.* 2. *numer.* 11. *et titul.* 3. *num.* 8. Bauldry *part.* 3. *supra*, *et part.* 1. *cap.* 12. *articul.* 2. *cap.* 28. Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *numer.* 12. & Bissus *litera D. supra.* Si vero esset angustia situs, ita ut non possent hoc ordine procedere; tunc Ceroferarii procedunt unus post alium, & Subdiaconus ante Diaconum. Si cantatur *Sequentia*, supradicta fiunt circa finem illius; ita tamen tempestive, ut finito cantu in Choro, Diaconus sit paratus ad cantandum Evangelium sine mora, Bauldry *part.* 3. *supra num.* 20.

De Processione, quæ antiquitus fiebat ad Evangelium cantandum, & de usu Crucis, & pulvinariis, præter thuris, & cereorum usum ad prædictam Evangelii lectionem, erudite tractant Antonius Bellotte, in suis Observ. *pag.* 421. Jacobus Eveillon in suo libro de Processionibus Ecc-

cles.

cles. *c.* 6. necnon recentissime Josephus Catalani in suo erudito opere de Codice S. Evangelii &c. *lib.* 2. *c.* 13. qui evolvi poterunt ab iis, qui piæ suæ curiositati satisfacere desiderant.

XXX. Gav. lit. m — *Contra Altare versus populum.*) Agit pariter Gavantus supra de loco, in quo antiquitus legebatur Evangelium; de quo pariter multa a nobis essent addenda, quæ brevitatis studio omittuntur, & videri possunt apud Auctores supra allegatos, quibus addi potest Claudius de Vert *tom.* 3. *Rubr.* 43. *& seqq.* Reassumendo igitur nostrum sermonem spectantem ad praxim hodiernorum Rituum, cum præfati Ministri pervenerint ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, terga vertat ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur: Bauldry *part.* 3. *supra*, *& part.* 13. *art.* 1. *num.* 21. & Bissus *supra* §. 15. Diaconus vero stans versa facie ad Subdiaconum, Evangeliorum apertum librum, eidem Subdiacono tradit, qui eum sustinet ambabus manibus elevatum ante pectus, & oculos suos; ita ut Diaconus in eo commode legere possit, & oculi Subdiaconi impediantur a libro, ut videant Diaconum: Bauldry *part.* 1. *&* 3. *supra*, Benvenuti *supra* §. *Ita dispositis:* numquam Subdiaconus ibi se inclinat, nec genuflectit, nec se signat, cum immobile legile repræsentet; Cabrinus *cap.* 3. *num.* 17. Gavantus *infra lit. O.* Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 1. *n.* 12. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 8. Bauld. *part.* 1. *c.* 13. *supra.* Primus Ceroferarius locum occupabit a dexteris Subdiaconi, & alter a sinistris ejusdem, stantes ambo facie ad Diaconum conversa, Bauld. *part.* 1. *c.* 14. *art.* 3. *num.* 6. *& part.* 3. *supra*, & vertentes renes ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur, quemadmodum vertit Subdiacono, Bauldry *part.* 3. *sup.* nullo modo se inclinantes, aut genuflectentes, aut se signantes, cum repræsentent candelabra immobilia; Cærem. Episc. *l.* 2. *c.* 8. §. 46. Bauld. *part.* 1. *c.* 14. *supra*, Gav. *supradicta lit. O* & Nicolaus de Bralion *supra n.* 8. necnon Lohner *part.* 3. *tit.* 7.

Thuriferarius vero, si ipse immediate Diacono thuribulum ministrat, stat aliquantulum post Diaconum a dexteris, & secundus Cæremoniarius a sinistris Thuriferarii; ibique monet Diaconum, quando inclinandum sit, aut genuflectendum, & se signat cum eo in fronte, ore, & pectore. Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 28. *& cap.* 5. *n.* 7. & Bissus *supra.* Si vero prædictum munus exerceatur a supradicto Cæremoniario, hic stabit a dextris Diaconi, & Thuriferarius cum thuribulo, quod leviter ducit semiapertum, stabit post Diaconum a sinistris Cæremoniarii. Bauldry *supra c.* 5. Bissus *supra*, & Lohner *part.* 3. *tit.* 6. *n.* 3.

XXXI. Rubr. *Dicit, Dominus vobiscum, junctis manibus.*) Omnibus ut supra dispositis, Diaconus, junctis manibus ante pectus, cantat voce sonora, *Dominus vobiscum:* postea dicit, *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii*, prout convenit; *super Rubrica;* & responso a Choro, *Et cum spiritu tuo*, signat textum, seu librum in principio Evangelii currentis pollice dextero, reliqua manu extensa, digitis simul junctis, & extensis, sinistra super librum Evangeliorum posita: Lohner *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 21. Bauld. *part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 31. & Nicolaus de Bralion *supra:* deinde se ipsum eodem pollice signat in fronte, ore, & pectore, sinistra infra pectus posita; Bauldry, Bralion, Lohner *supra*; advertens, ne signet os suum, dum verba profert; Bauldry *part.* 1. *supra*, & a Portu *supra n.* 17. quod facile evitabit, si postquam signaverit frontem dicendo, *S. Evangelii* pauset tantisper, & interim signet os, & deinde signet pectus, dicendo *Secundum &c.* Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 2. *n.* 31. a Portu *supra:* Celebrans autem, & omnes alii se signant eodem modo, exceptis Subdiacono, Ceroferariis, & Thuriferario, cum sint occupati, & impediti, Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 6. *n.* 1. & Benven. *supra* §. *Finito cantu.* Si genuflectendum sit, solus Diaconus genuflectit versus librum; reliqui, qui debent genuflectere, hoc facient versus Altare; Lohner *part.* 3. *tit.* 4. *num.* 8. & Bauldry *par.* 3. *art.* 6. *n.* 3. etiam Thuriferarius cum proferuntur verba, ad quæ genuflectendum est, cum aliis genuflectit, facie ad Altare versa. Vinitor *part.* 4. *tit.* 24. *num.* 9.

Postea, cum a Choro respondetur *Gloria tibi, Domine*, Diaconus accipit thuribulum a Thuriferario (vel ab aliquo Cæremoniario, juxta diversitatem consuetudinum in Ecclesiis) aliquantulum ad ipsum Thuriferarium, vel Cæremoniarium conversus, ita ut nullus terga vertat Cruci Altaris: qui autem Diacono thuribulum tradit, ipsum clausum porrigere, sicut etiam illud tenere debet per manubrium in dextera; vasculum vero per catenulas in sinistra, dum illud Diacono tradit; Castald. *libro* 1. *sect.* 4. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *supra numer.* 7. a Portu *num.* 18. neque thuribulum, neque manus Diaconi osculatur. Bauld. *part.* 3. *supra not.* 6. *num.* 1. & Bissus *lit. D numer.* 123. §. 17.

XXXII. Gavantus litera n — *Ter incensat, intellige a dexteris.*) Diaconus accepto thuribulo incensat librum Evangeliorum triplici ductu, semel scilicet in medio, postmodum in dextera libri, quæ est pars illius nobilior, quæque correspondet sinistræ Diaconi; tandem in sinistra libri, quæ correspondet Diaconi dexteræ; Gavantus *supra*, Castald. *libro* 1. *sect.* 7. *cap.* 5. *numer.* 12. Bissus *supra*, & alii communiter; facta tamen ante, & post incensationem debita inclinatione ipsi libro propter reverentiam Sacri textus in eo contenti, incenset autem Diaconus præfatum librum tali tempestiva moderatione, ut finita sit incensatio, statim postquam a Choro fuerit responsum *Gloria tibi Domine*, ad quod etiam Chorus attendere debet, ut tardius propterea prædicta verba decantet. Baul. *part.* 1. *&* 3. Bissus, & a Portu *supra num.* 18.

Incensato libro, Diaconus reddit thuribulum Ministro, qui stare debet post Diaconum ad sinistram ejusdem, ut volunt Gavantus *supra lit. O §. Dum cantatur Evangelium*, Corsettus *tract. 1. part. 1. cap. 11. n. 16.* & Venant. *tit. 8. cap. 1. n. 8.* vel potius prædictus Minister post Diaconum versus partem ejusdem dexteram, aliquantulum agitans thuribulum, ejusdemque elevans operculum, ne dum cantatur Evangelium, ignis extinguatur, cum inservire debeat post Evangelium ad incensandum Celebrantem. Bissus *tom. 2. lit. T n. 39. §. 4.* Castald. *lib. 1. sect. 7. cap. 5. num. 12.* Bauld. *part. 1. & 3. supra*, Lohner *part. 3. num. 11.* Si igitur ipsemet Thuriferarius dedit thuribulum Diacono, ante incensationem; ipse idem illud recipere debet (semper tamen sine osculis; Castald. *lib. 1. sect. 4. n. 10.*) quod quidem convenientius est; & tunc stabit post Diaconum, ut supra, versus dexteram ipsius; & a sinistris ejusdem Thuriferarii post Diaconum stabit Cæremoniarius. Si vero Diaconus thuribulum a Cæremoniario acceperit, tunc eidem Cæremoniario ipsum reddet, & hic statim illud tradit Thuriferario; & in tali casu Cæremoniarius stare debet a dexteris, aliquantulum post Diaconum; & Thuriferarius pariter se sistit post Diaconum a sinistris Cæremoniarii, ut diximus supra; Bauld. *part. 3. sup. 3. sup. art. 6. num. 2.* & Biss. *supra.* Diaconus reddito thuribulo, ut supra, prosequitur manibus junctis Evangelium cantare. Bauld. *part. 1. supra cap. 12.* Castaldus *lib. 1. sect. 7. supra*, & Bissus *supra §. 18.*

Cum Diaconus incipit cantare *Dominus vobiscum*; & Celebrans confert se ad cornu Epistolæ, ut supra adnotatum est, primus Cæremoniarius, si adsit, ut assistat Celebranti, ascendit ad secundum gradum Altaris in cornu Epistolæ aliquantulum post Celebrantem, huicque se conformat, caput inclinando, se signando, &c. a Portu *sup. num. 20.*

XXXIII. Rubr. *Et cum nominatur Jesus, caput inclinat.*) Diaconus ad verba *Jesus*, vel *Mariæ*, vel *Sancti*, de quo celebratur Missa, aut facta fuerit Commemoratio, inclinat caput (quod semper facit) versus librum; sicut etiam inclinare debent caput Celebrans, Cæremoniarii, & omnes de Choro (exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, quia isti stant ad modum legilis, & candelabrorum, ut diximus supra) sed profundius versus Crucem ad nomen *Jesus*; ad alia nomina versus librum. Cæremoniale Episc. *lib. 2. c. 8. §. 46.* de Bralion *supra num. 8.* Bauld. *part. 3. sup. & part. 1. c. 12. supra.*

XXIV. Rubr. *Finito Evangelio*) Diaconus finito Evangelio indicat Evangelii principium Subdiacono, Bauldry *part. 1. c. 11. art. 1. n. 32.* (qui propterea demittit aliquantulum librum, ut possit initium ejusdem sibi demonstratum videre) quod si principium fuerit in pagina præcedente, Diaconus volvere debet folium; Hippolytus a Portu *par. 2. de Missa Solemni tit. 6. rubr. 5. in adnot. n. 23.* Corsettus *tract. 1. part. 1. cap. 4. n. 7.* Bauld. *part. 1. c. 12. num. 22.* & statim se retrahit, aliquantulum faciem quasi versus Altare convertens, ne Subdiaconum transeuntem cum libro Evangeliorum impediat; Bauld. *supra & part. 3. supra n. 6.* Subdiaconus autem subito recta via per gradus anteriores Altaris, Turrin. *par. 2. sect. 3. c. 3. §. Cum pervenerit*, defert librum Evangeliorum apertum (in folio, in quo incipit Evangelium,) elevatum ob oculos, solus, modeste, nulla facta reverentia Celebranti in accessu, aut genuflexione, nec Altari, neque Sanctissimo Sacramento, etiam exposito, ob reverentiam Sacri Evangelii, Cærem. Episcop. *lib. 2. cap. 8. §. 46.* Arnaud. *part. 2. tit. 7. num. 16.* Gavant. *infra lit. P.* Corsett. *tract. 1. part. 1. cap. 3. num. 13.* Lohner *part. 3. tit. 4. num. 8.* Bauld. *part. 3. sup. art. 6. num. 4.*

Cum pervenerit ad Celebrantem, indice dexteræ manus, si commode potest, initium Evangelii ei monstrat, eique osculandum offert. Castald. *lib. 1. supra*; Lohner *supra*, Bauldry *part. 1. cap. 13. art. 1. n. 22.*

XXXV. Gavant. & Rubr. lit. o — *Osculatur librum.*) Celebrans ambabus manibus librum a Subdiacono delatum pro deosculatione, sibi appropinquat, quia ita aptior fit deosculatio: non tamen Subdiaconus desinit eum tenere in medio; sed Celebrans partem inferiorem accipiens, sibimetipsi illum appropinquare potest, ut osculetur Evangelium, etsi, ut præscribit Rubrica, illud deosculetur aliquantulum inclinatus; sed non signabit; dicet tamen *Per Evangelica dicta, &c.* prout solet dicere in Missa privata, quando osculatur Evangelium. Arnaud. *tract. 1. part. 2. tit. 6. num. 16.* ex Rubrica Missalis.

XXXVI. Gavant. lit. p — *Deinde clauso libro.*) Osculato per Celebrantem Evangelio, Subdiaconus claudit librum, & paullulum retrocedens, Celebranti se profunde inclinat; Castald. *lib. 1. sect. 5. c. 5. n. 13.* Bauld. *part. 1. & part. 3. sup. art. 6. n. 4.* Turrin *sup.* Bissus *lit. S num. 196. §. 10.* & Gavant. *hoc loco*, ibique facit Cruci genuflexionem juxta sententiam Lohner, & Hippolyti a Portu *supra*; non enim debet genuflectere in plano Capellæ, ut sustinent Bauld. *par. 1. c. 13. n. 22.* & Turr. *supra*: quia in aliis casibus, quando ab Altari recedit, antequam ab eodem recedat, genuflectit: non autem postquam in termino consistit, ad quem ivit: & hoc videntur innuere etiam Gavantus noster, necnon Arnaud. & Bissus *supra* dicentes: *Facit utrique reverentiam:* scilicet Celebranti, & Altari. Post dictam genuflexionem descendit idem Subdiaconus in planum; & quidem non per medium, ut sustinent Corsettus, & Castaldus *supra*, sed a latere Epistolæ, ut tenent Lohner *part. 3. tit. 3. supra*, Bissus, & a Portu *supra*, & quia debet descendere per viam breviorem ad planum, & quia si descenderet per medium, occurreret ante Diaconum supervenientem, ut Celebrantem incenset. Postquam igitur pervenit in dictum locum,

cum, a latere Epistolæ, ibi consistit, & tradit librum secundo Cæremoniario, vel alicui Acolytho, qui deferat illum ad credentiam, reversus deinde ad locum suum. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 3. Castaldus, Bissus, & Turrinus *supra* §. *Facta genuflexione.* Dum Subdiaconus pergit ad Celebrantem, sequitur secundus Cæremoniarius, si adest, qui procedit ad medium Altaris: tum Thuriferarius medius inter Ceroferarios, ibique expectans Diaconum, qui omnium postremus, manibus junctis ante pectus, accedet ad ipsum omnino medium Altaris per planum Presbyterii, & stans in medio plani, habens quasi a dexteris Thuriferarium, a dexteris Thuriferarii primum Ceroferarium, & quasi a sinistris secundum Ceroferarium, & statim omnes genuflectunt (excepto Subdiacono, quia jam fecit genuflexionem, ut supra dictum est): Diaconus super infimum gradum Altaris, reliqui vero in plano; Bauldry *par.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 32. & *c.* 14. *art.* 3. *n.* 6. Benvenuti *supra* §. *expleto:* deinde omnes surgunt; & Cæremoniarius, cum non habeat locum determinatum, in hoc casu stabit a dexteris primi Ceroferarii, præsertim si ipsemet accipere debeat librum Evangeliorum a Subdiacono, qui, ut supra adnotavimus, post factam genuflexionem, descendere debet in planum a latere Epistolæ, ibique consistere. Si vero præfatus Cæremoniarius velit porrigere thuribulum Diacono, ut insinuant Nicolaus de Bralion. *sup. n.* 12. & Bauldry *par.* F. *c.* 1. *art.* 1. *n.* 19. tunc stabit quasi a dexteris ejusdem Diaconi, & Thuriferarius sistet se a sinistris Cærimoniarii, aliquantulum post eum. Ceroferarii vero facta, ut diximus, genuflexione Altari, sine mora, redeunt per planum ad credentiam, ibique deponunt candelabra sua, ac in loco suo consistunt: Bauldry *part.* 3. *supra art.* 6. *n.* 5. Simon Buongiovanni in Sylva Sac. Cærem. *lib.* 3. *c.* 9. & Corsett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 9. & hæc est praxis omnium Cathedralium, qui quidem Ritus revera consonat antiquæ Ecclesiæ Disciplinæ, ut videre est apud Catalanum in suo codice Sancti Evangelii.

XXXVII. Gavant. lit. q — *Diaconus in plano medio, &c.*) Diaconus autem stans in medio, ubi est, accipiens thuribulum a Thuriferario erecto, & porrigente illud sine osculis, ut docent Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 6. *num.* 10. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. & *cap.* 14. *art.* 3. Bissus *supra* (vel a Cæremoniario, ut docet de Bralion *supra n.* 13.) ad Celebrantem conversus, & cum debita inclinatione, id est, profunda ante, & post exhibita, Bauldry *part.* 3. *supra*, & Bissus *supra*, triplici ductu eundem Celebrantem incensat, etiam fumo deficiente; non enim ponendum est thus in thuribulum pro incensando Celebrante. Bissus *supra*, a Portu *supra n.* 24. Bauld. *part.* 3. *supra*, Benven. *supra* §. *Expleto*. Huc spectat Decretum editum a S. R. C. sub die 4. Augusti 1663. *in Dalmatien.* & datur in nostro Indice *sub n.* 410. in quo declaratum est, quod — Finito Evangelio Missæ Solemnis, cui assistit Episcopus cum cappa, thuri-

ficandus est Celebrans, non vero Episcopus — Incensato Celebrante, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, vel Cæremoniario, si illud ab eodem accepit; & hic tunc tradit præfatum thuribulum Thuriferario; qui facta nova genuflexione Altari, illud in loco congruo reponit, ut possit illud resumere tempore opportuno pro thurificatione oblatorum ut infra; quod si non sit dicendum Symbolum, tunc Thuriferarius non reponit thuribulum, sed illud teneat præ manibus; in loco ab Altari remoto, ubi leviter item thuribulum agitat, ne ignis extinguatur pro incensatione mox facienda. Bauld. *par.* 3. *c.* 11. *art.* 6. Bissus *lit. T. n.* 49. §. 5. Benv. *supra.*

RUBRICA.

6 *Si autem sit prædicandum, Concionator finito Evangelio prædicet; & sermone, sive concione expleta, dicitur Credo; vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.*

GAVANTUS.

Hoc loco concionandum est *ex Ordine Romano*, ut Concionator sit quasi interpres Sancti Evangelii; sed antiquiores post Symbolum concionabantur. *Ex lib.* 8. *Const. Apost. c.* 4.

Si Celebrans concionari velit, sedeat super scamno nudo, in cornu Evangelii, capite tecto, aut sine casula in pulpito.

Orator Romæ non utitur stola super cortam, ob reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta stola utitur. Initio concionis signabit se signo Crucis, quod docuit ex Corrippo Poeta Baronius *anno* 565. stabant etiam auditores ad conciones uti ad Evangelium; *ex Augustino lib.* 50. *homil.* 26. non tamen ubique, nam sedebant. *Act.* 13. *vers.* 14. *& apud Clem. lib.* 2. *Const. c.* 57.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ privatæ, a fine Evangelii, usque ad Offertorium.

XXXVIII. Gavant. lit. r — *Hoc loco concionandum est.*) Si inter Missarum solemnia concionandum sit, habeatur concio statim post Evangelium, & postquam incensatus fuerit Celebrans, dummodo ipsa concio habeatur supra Evangelium: nam alterius argumenti infra Missam fieri non debet; Nicolaus de Bral. *supra num.* 13. quod si fiat concio ab ipso Celebrante, ipse sedebit in cornu Evangelii super nudo scamno apud Altare ob reverentiam ipsius Altaris, capite tamen tecto; neque decet sedere juxta ipsum Altare in alio scamno: Gavant. & de Bralion *supra*: Diaconus vero, & Subdiaconus in eodem latere, extra Altare tamen, tectis capitibus super scamnum, faciebus ad Altare conversis, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a sinistris sedebunt; Castald.

lib. 1. sect. 2. cap. 6. num. 6. vel sedere poterunt in scamno, ubi cum ipso Celebrante dum cantabatur *Gloria in excelsis* sedebant, relicto tamen loco ipsius Celebrantis vacuo, juxta opinionem de Bralion *supra*. Si vero Celebrans in pulpito prædicare velit, ad illud sine casula ducetur a Cæremoniario, & tunc Diaconus, & Subdiaconus sedebunt, ubi commodius, secundum loci dispositionem poterunt, de Bralion *supra*, & Bissus *lit. C num.* 197. §. 28. Bauldry tamen *part. 1. cap. 10. num. 8. ex Concil. Mediol. 6.* docet, quod Præpositi, & alii Episcopo inferiores ad Altare concionantes, stent, & aperto capite: vel ut facilius audiantur, deposita planeta, & manipulo si velint, procedant ad pulpitum, & finita concione ea resumant: in suggesto vero capite tecto vel sedeant, quia celebrant, vel stent prout maluerint: ad Altare autem ad cornu Evangelii stent, Ministris stantibus in plano, ad idem cornu aspicientibus, nec candelæ Altaris extinguantur.

Si vero alius a Celebrante concionari debuerit, antequam pulpitum ascendat, si sit Clericus, superpelliceo indui debet, & cum stola, si sit Sacerdos (extra Urbem tamen: nam Romæ ob Papæ reverentiam, Concionator non adhibet stolam super cottam, ut advertit Gavant. *supra*) si vero Concionator sit Regularis, remanet indutus solo habitu suo regulari; si Canonicus, vel Dignitas cum cappa, vel almutia super rochettum: si vero sit Episcopus, & non solemniter celebret, habitu ordinario indutus, videlicet rochetto, & mozzetta, addita stola; qui si solemniter celebret, Pontificalibus indumentis cum mitra, prout *in Cæremon. Episcop. lib. 2. cap. 8.* suum munus exequitur: si vere Episcopus extra suam Diœcesim concionetur, non quidem mozzettam, sed mantellettam habebit.

Si coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo in locis suæ jurisdictionis, concionari contingat; tunc sermocinaturus cum debitis reverentiis, antequam suggestum ascendant, si sit Clericus, vel Regularis, genuflexus Benedictionem petat, dicens: *Jube Domne benedicere:* si vero sit Dignitas vel Canonicus (nempe Ecclesiæ Cathedralis) profunde inclinatus Benedictionem petat. *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 22.*

Huc spectant aliqua Decreta a S. R. C. emanata, nimirum — Vicario Episcopi non licet dare Benedictionem Prædicatori antequam pulpitum ascendat — S. R. C. 17. Martii 1607. & datur in nostro Indice *sub num. 52.*

Episcopus, qui concionatur extra suam Diœcesim, nullo modo ab Episcopo Ordinario, etiamsi sit Cardinalis, Benedictionem petere debet; non enim decet, ob supremum ordinem, & Dignitatem Episcopalem. Ita declaravit Sacr. Rit. Congreg. 28. Aprilis 1607. & datur in nostro Indice *sub num. 56.*

Postquam Concionator suggestum ascenderit, statim Cruci, vel Altari facit profundam inclinationem, vel genuflexionem, si sit SS. Sacramentum in eo: mox salutat Clerum, & populum: tum tegit caput, & expectat tantisper: deinde caput detegens, manibus junctis, birretum tenens ante pectus, si eo utatur, oculisque ad Deum elevatis, signat se signo Crucis, dicens submissa voce: *In nomine Patris, &c.* & in fine jungit manus dicens *Amen;* & statim ad Altare genuflexus, clara voce dicit salutationem Angelicam (non vero *Regina Cæli*, etiam tempore Paschali. Ita Cærem. Episcop. *lib. 1. cap. 22. §. 3.*) qua completa surgit, caput tegit, sermonem incipit, & prosequitur de more. In fine populum benedicit, nisi sit præsens Episcopus loci, quia tunc a Benedictione abstinet. Quod si adsit aliquis Prælatus magnus, non tamen in loco suæ jurisdictionis, antequam aliis benedicat, eidem Prælato se profunde inclinabit; mox ex alia parte conversus benedicet populo. Bauldry *part. 1. art. 2. cap. 10. §. 6.* & Castald. *supra, num. 4.*

Dixi *supra*, Concionatorem, post factam Altari reverentiam, & genuflexionem, debere salutare Clerum, ac populum: sed advertendum est, quod si adsint Prælati, ac Primates, vel magni Principes, &c. ante populi salutationem debet ipsis profundam facere inclinationem capite detecto, & observare in hac inclinatione sequentia Decreta a S. R. C. edita, nimirum.

Concionatores debent primum Canonicos, quam Magistratus salutare. S. R. C. 3. Octob. 1615. & datur in nostro Indice *sub num. 148.*

Concionator debet prius salutare Canonicos, quam Gubernatorem Civitatis, & datur in nostro Indice *sub num. 499.*

Quando in Missa Solemni Concionator post salutationem Angelicam salutat Ministros Altaris, seu facit reverentiam, non est incongruum, si Ministri Altaris, & ipse Celebrans, correspondeant salutationi Concionatoris discooperiendo caput. Sac. Rit. Congr. 20. Julii 1686. & datur in nostro Indice *sub n. 486.*

Si Suffraganeus assistens concioni, sedeat in Presbyterio, Prædicatoris salutatio ei prius dirigi debet, distincta ab illa Canonicorum & Magistratus Sæcularis. Ita S. R. C. in *Veliterna 6. Sept.* 1668. & datur in Appendice nostri Indicis.

Præterea Episcopo prædicanti in Ecclesia Cathedrali in ambone, ubi Prædicatores Ordinarii prædicare consueverunt sine baldachino, & in habitu mozzettæ, & stolæ, non debetur assistentia a Canonicis, & Dignitatibus; quæ assistentia solum debetur Episcopo prædicanti cum pluviali, & mitra ad præscriptum Cæremonialis Episc. S. R. C. 19. Decembris 1643. & datur in nostro Indice *sub num. 286.*

Lubet hic mentionem facere de ligneo illo sepimento, quod in nostris Ecclesiis prisci nostri PP. inter viros, & mulieres erigendum primi omnium, dum Sacræ Conciones habentur, instituerunt, seu potius restaurarunt. Id vero (ut opti-

optime observat Antonius Caracciolus in suis eruditissimis notis *ad c. 7. p. 1.* nostrarum constitutionum) accepere ex antiquissimo Essenorum Ritu, de quibus Philo *de vita cantemplativa* ait: *Septimo die, conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum, & mulierum cœtibus.* Et paulo inferius: *Medius autem paries a solo surgit tribus, quatuorve cubitis in modum loriculæ: superiora usque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, et quod pudori fœminei sexus consulitur; & quod verba Doctoris exaudiuntur facile absque obstaculis, quæ vocem intercipiant.* Clemens Romanus, sive alius Auctor Constit. Apostolicarum, *constit. 2. c. 57.* Apostolis tribuit hanc disciplinam his verbis: *Horum cura, ut laici sedeant cum omni quiete et ordine: mulieres quoque separatim sedeant:* quocirca miratur laudatus Caracciolus, qua ratione Chrysostomus dixerit se a senioribus audivisse hos parietes non fuisse ab initio, nisi intelligat in Syria, aut Antiochia non fuisse. Verum sola constitutionum Apostolicarum auctoritate, originem hujus Ritus ab Apostolis repetere non possumus; cum illæ constitutiones ab Auctore IV. Sæculi scriptæ fuerint, ut fert communior eruditorum opinio: unde non tantam admirationem Caracciolo parere debuit sententia Chrysostomi. Ligneos vero extitisse hos parietes sua ætate, Chrysostomus tradit *hom. 74. in Matth.* his verbis: *Oportet interiore pariete viros a mulieribus separari: verum, quoniam non vultis, necessarium esse PP. nostri putaverunt saltem his ligneis parietibus vos separari.* Meminerunt ejusmodi sepimenti complures alii, nimirum Div. Gregorius Nazianzenus *in oratione de Anastas.* Div. Ambrosius *ad Virg. Laps. cap. 6.* Div. Augustinus *de Civitate Dei lib. 3. cap. 28.* S. Cyrillus Jerosolymitanus *in præf. ad Catech.* Ordin. Rom. *Hittorpiana collect. de officio Missæ:* quem quidem morem jam obsoletum PP. nostri ad Ecclesiæ decorem, honestatemque, ut dixi, revocarunt, & adhuc ista pia disciplina observatur in nonnullis Ecclesiis; præsertim almæ Urbis, dum Sacri Oratores verba e suggestu faciunt.

Denique si fiat concio, quando SS. Sacramentum est super Altare expositum, sive sermo habeatur in pulpito, vel ante Altare in cornu Evangelii; semper tamen Concionator stabit capite detecto, non obstante quacumque consuetudine; quam abusum esse declaravit S. R. C. & ita ab omnibus, etiam quavis speciali nota dignis, ubique Terrarum servari mandavit; & habetur hoc Decretum in nostro Indice *sub n. 252.*

Alia spectantia ad Ritus antiquos Concionatorum, videri poterunt apud Franciscum Bernardinum Ferrarium in suo erudito opere *de R. S. Eccl. Cath. Concionum;* quæ vero spectant ad Ritus hodiernos, legi poterunt apud Castaldum, & Bauldrium suprac. necnon apud Cærem. Episcoporum.

XXXIV. Rubr. *Et sermone, sive concione expleta, dicitur Credo, si dicendum sit.*) Postquam fuerit Celebrans a Diacono incensatus (vel post concionem, si habenda sit) convertit se ad Altare, & vadit ad medium ipsius, ubi alta voce cantat principium Symboli, ut in Ordine Missæ: si vero non sit dicendum *Credo*, osculato Altari in medio, dicit versus Populum, *Dominus vobiscum.*

Diaconus autem postquam Celebrantem incensavit, & thuribulum Thuriferario, vel Cæremoniario reddidit, ascendit ad secundum Altaris gradum; ibique (sine genuflexione, quia jam erat in medio Altaris ante infimum gradum) stat dum Celebrans incipit *Credo*, si dicendum sit ut supra: Bauldry *part. 1. cap. 12. art. 1. n. 33.* & Bissus *lit. D. num. 128. §. 19.* Subdiaconus vero eodem tempore se recipit ad medium plani post Diaconum, ante infimum Altaris gradum, ubi genuflectit (quia ipse non erat in medio) & statim surgit: Bauld. *part. 1. cap. 13. art. 1. n. 24.* & dum Celebrans pronunciat vocem *Deum*, uterque, immo & omnes de Clero caput Cruci inclinant: Bauldry *part. 1. cap. 12. et cap. 13. supra.* Celebrans vero dum dicit *Credo*, extendit, & elevat manus; dum dicit *In unum* jungit manus ante pectus; dum dicit *Deum* caput ipse quoque Cruci inclinat; Bauld. *part. 3. cap. 11. art. 5.* tunc, & non prius, scilicet post vocem illam *Deum*, facta suis in locis ab utroque Ministro genuflexione, ascendunt ad Celebrantem, Diaconus scilieet a dexteris, & Subdiaconus a sinistris; & cum eo manibus junctis prosequuntur Symbolum, ut & alii de Choro, sicut dictum est de Hymno *Gloria in excelsis;* Nicolaus de Bralion *supra num. 12.* Bauldry *part. 3. supra*, & Bissus *lit. C. num. 197. §. 30.* inclinantes ad ea verba, ad quæ inclinat Celebrans. Cum vero dicunt Celebrans, & Ministri submissa voce verba illa, *Et incarnatus est*, præfati Ministri Sacri genuflectunt cum Celebrante, sed solus Celebrans cum genuflectit, extendit manus super Altare, ut facit in Missa Privata, Ministri vero Sacri genuflectunt manibus junctis ante pectus, & non super Altare positis, quod ab iisdem semper est observandum; Biss. *lit. C. supra:* & adnotatum est, quod debent incipere genuflexionem ad ea verba, *Et incarnatus est*, eamque finire ad illa verba, *Et homo factus est;* ut diximus cum de Missa Privata. In fine Symboli, quando dicunt, *Et vitam venturi Sæculi*, manu dextera se signant signo Crucis, sinistra pectori admota, distribuendo prædictas voces, ut in Missa Privata dictum est, sicut & in fine manus jungunt, ut ibi facit Sacerdos.

RUBRICA.

7 *Cum vero in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus est, Diaconus accepta bursa de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium Altaris, in quo* (t) *explicat Corporale, et revertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur Credo, Subdia-*

conus

tonus defert bursam simul cum Calice, ut infra dicitur.

GAVANTUS.

Quid agendum sit a Celebrante, & Ministris, ad ea verba, *Et incarnatus est*, dictum est supra *part.* 1. *tit.* 17. *num.* 3. qui vero tempore Symboli stant, ad prædicta verba genuflectant in suis locis versus Altare.

(t) *Explicat Corporale.* Ita *Ordo Romanus*; servatiis iis, quæ supra docuimus initio Missæ Privatæ, *tit.* 2. *num.* 2. Celebrans, & Subdiaconus, si ad Altare sint, & non sedeant, paullulum secedant versus cornu Evangelii; ut Diacono venienti, quasi medium Altaris totum relinquant. Diaconus autem solus cum debitis reverentiis portat bursam sine comite, *ex Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 9. per viam breviorem ad credentiam, per longiorem ad Altare.

Porro memorato Incarnationis Mysterio, non prius extendit Diaconus Corporale pro initio Sacrificii: quia & Christus nonnisi post Incarnationem Redemptioni per Passionem operam dedit. *Rubreus lib.* 2. *cap.* 45.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, & pro Cæremoniis faciendis, dum cantatur Symbolum.

XL. Gavant. lit. f — *Qui agendum sit a Celebrante &c.*) Si Celebrans, & Ministri velint sedere, recitato Symbolo submissa voce, procedant eo modo, quo diximus supra, cum de Hymno *Gloria in excelsis* sermonem habuimus: & ita tempestive ad scamnum paratum ibunt, ut non sint in via, dum cantantur in Choro ea verba: *Et incarnatus est, &c.* ne cogantur genuflectere: nam si id eveniat, debent omnino ubi sunt genuflectere versus Altare, caputque profunde inclinare; Lohner *part.* 2. *tit.* 17. *de Ritu solemni num.* 2. ut a simili colligitur etiam ex Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 3. Si autem jam sedeant, tunc non genuflectunt, sed aperto capite illud inclinant. Canonici pariter sedentes, capite detecto, profunde se inclinant versus Altare; alii omnes de Choro genuflectent, donec finiatur dictus versiculus, *Et incarnatus est &c.* Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 55. In die tamen Nativitatis Domini, & Annunciationis B. M. V. etiamsi transferatur ejus Officium, omnes ad dictum versiculum genuflectere debent, etiam ipsimet Ministri Sacri, & Celebrans; ut docuit noster Gavant. *supra part.* 1. *tit.* 18. *Rubr.* 7. *lit. N.* & cum eo omnes Rubricistæ.

Si vero recitato Symbolo private, Celebrans & Ministri nollent sedere, nisi post prædictum versum, *Et incarnatus est, &c.* decet, ut paullo antequam dicatur *Descendit de Cælis*, descendant in planum, ibique genuflectant super infimum Altaris gradum, & caput profunde inclinent; Lohner *supra*, & cantato a Choro, *Et incarnatus est, &c.* procedant ad sedem paratam; Bauldry *pag.* 3. *supra art.* 6. *num.* 10. & Bissus *lit. G num.* 29. §. 2.

Quando vero Celebrans & Ministri nolunt sedere, sed stare ad Altare, dum cantatur Symbolum; stabit tunc Celebrans in medio Altaris, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, secundum communiorem usum Ecclesiarum Urbis, & facient inclinationem ad ea verba, ad quæ, dum cantantur in Symbolo, fit inclinatio Cruci; de Bralion *supra num.* 16. *et* 18. Item paullo antequam cantetur in Choro *descendit de Cælis*, Celebrans cum Ministris Sacris descendit super gradum viciniorem superiori gradui, id est supra secundum gradum Altaris; & medius inter Diaconum & Subdiaconum genuflectit cum ipsis in ipso superiori gradu, hoc est in suppedaneo in medio ante Altare, ac caput omnes profunde inclinant, dum in Choro cantatur, *Et incarnatus est; etc.* postea, *Et homo factus est*, surgit Celebrans cum Ministris, & iterum accedit ad Altare, ibique stat medius inter eos.

Item Celebrans cum Ministris genuflectit in Symbolo, caputque profunde inclinat ad ea verba, *Et incarnatus est*; in die Annunciationis B. M. V. & in tribus Missis Festi Nativitatis Domini; non solum dum private cum Ministris dicit Symbolum, unico genu, ut semper fit; sed etiam dum cantatur a Choro supradictus versiculus; & tunc utroque genu; quæ genuflexio fieri debet ab omnibus, tam de Clero, quam ab aliis, qui sunt in Ecclesia, in reverentiam tanti Mysterii, quod potissimum prædictis diebus celebratur; ut ait Honor. in Gemma Animæ *lib.* 1. *cap.* 18. & noster Gavant. *p.* 1. *tit.* 17. *Rubr.* 3. *lit.* N & tunc Celebrans, si nolit sedere, genuflectit cum Ministris Sacris in supremo gradu, seu in suppedaneo Altaris in medio, ut mox dictum est: si vero sedere velit, expectando tamen (quod est convenientius) post versum *Et incarnatus est*; tunc stat ad Altare, & paullo antequam cantetur in Choro *Descendit de Cælis*, ipse descendit in planum cum Ministris, & genuflectit in medio in infimo Altaris gradu, medius inter Sacros Ministros, ac caput profunde inclinat *ut supra*; postea cantato a Choro, *Et homo factus est*, surgit, & procedit cum Ministris ad sedem suam: Bissus *lit. C. n.* 29. §. 2. *et lit. C. n.* 191. §. 21. Ministri vero Sacri (quilibet a parte sua) in supradictis casibus, ac in similibus, ad ea omnia, in quibus fit aliqua pausa in genuflexionibus, debent priusquam a Choro pronuncientur ea verba, aptare posteriorem partem planetæ super pedes Celebrantis. Bauld. *part.* 3. *supra n.* 8. & a Portu *supra tit.* 6. *in adnot. Rubr.* 5. *n.* 27. Si superveniat Cardinalis, aut alius Prælatus loci superior, dum Celebrans, & Ministri sedent (quod modo dicimus de Symbolo, dicatur etiam de Hymno Angelico, & de aliis, ad quæ sedet Celebrans) surgunt omnes: Celebrans & Ministri etiam aperiunt caput, sed non descendunt de suo gradu, si

si eum habeant sub scamno, seu sede: quod si celebrans sit Episcopus, aut Abbas, non deponunt mitram, & sic stant, donec Prælatus oraverit ante Altare, in quo celebratur. Tonellius *lib. 2. tit. 14. num. 12.* & apud ipsum Gavantus in MS. quod asservatur *apud Nicolaum Aldinium Florentiæ.* Si vero interim cantaretur a Choro *Et incarnatus est &c.* tunc omnes genuflectere debent, cum non sedeant, & quidem Clerici in plano, Canonici suis in locis, Celebrans cum Ministris in infimo gradu lateali a parte Epistolæ, ad quem tempestive procedere deberet, si gradus distarent a scamno oblongo, in quo sedet; a Portu *supra*, vel potius Celebrans genuflectit cum suis Ministris prope sedem suam, quod quidem magis placet; ut a simili colligi potest ex Bauldry *part. 4. cap. 2. num. 23.*

XLI. Gavant. lit. t — *Diaconus autem solus cum debitis reverentiis portat bursam.*) Cantato vero in Choro *Et homo factus est*, Cæremoniarius primus procedit ante Celebrantem, illi profunde inclinat, & deinde (surgente etiam ipso Subdiacono, & præ manibus birretum tenente, necnon apud locum suum consistente; Cabrinus *cap. 3. num. 2.* Lohner *part. 3. tit. 3. num. 10.* Arnaud. *part. 2. tit. 6. num. 2.* Bauldry *part. 3. supra num. 13.*) minus profunda inclinatione convertens se ad Diaconum, hunc admonet de bursa deferenda: surgit Diaconus, & facit reverentiam profundam Celebranti (deposito birreto supra scamnum, in quo sedebat) simili cum Cæremoniario; Bauldry *part. 1. cap. 12. art. 1. num. 35.* Lohner *part. 3. tit. 2. num. 13. & part. 2. tit. 17. de Ritu Solemni num. 3.* & aliqualem Subdiacono reverentiam, hoc est mediocrem: a Portu *supra Rubric. 7. in adnotat. numer. 1.* tum Celebrans modica capitis cooperti inclinatione eidem respondet; Lohner *supra part. 2. etc. numero 3.* Bauldry *part. 3. supra num. 12.* & Cærem. Cler. Regul. Sancti Pauli *lib. 1. cap. 1.* Subdiaconus vero æqualiter Diacono correspondet: hinc Diaconus cum primo Cæremoniario vadit ad credentiam, Lohner *part. 3. tit. 4. num. 10. & tit. 2. num. 13.* Bauldry *part. 2. cap. 12. & part. 3. supra*, per viam breviorem; Castald. *lib. 1. sect. 7. c. 5. n. 14.* Bissus *tom. 2. lit. D. — n. 123. §. 22.* ubi Cæremoniarius facie ad Diaconum conversa, ambabus manibus porrigit bursam Corporalium, ita ut pars ejus aperta respiciat Diaconum; Bauldry *part. 1. art. 1. num. 22.* a Portu *supra*, quam ipse Diaconus accipit, eamque defert ambabus manibus, usque ad oculos elevatam, & quasi jacentem, parte aperta ad se conversa; Brailon *supra num. 14.* Bissus *supra*, & Cærem. Episcop. *lib. 2. cap. 8. §. 54.* tenens eam per latera ipsius, pollicibus & indicibus desuper, seu hinc inde; reliquis vero digitis subtus eam positis; Bauldr. *p. 1. cap. 12. supra*, & a Portu *supra n. 2.* & ita procedit Diaconus solus (Cæremoniario ad locum suum revertente, ibique stante, unde procedit sine comite, ut docet Gavantus *supra Cærem. Episcop.*) per planum, seu per longiorem viam gravi incessu, & modesto, oculisque demissis ad Altare cum debitis Celebranti, Subdiacono (si ante eos transeat) & Choro reverentiis, cui etiam Celebrans, ut supra cooperto, & Subdiaconus aperto capite correspondent; de Bralion, & Biss. *supra*; & cum pervenerit ad medium ante infimum Altaris gradum, ubi unico genu Cruci genuflectit super eundem infimum gradum, Biss. *sup. §. 23.* Lohner *p. 3. tit. 2. n. 13.* Benvenuti *sup. §. Deinde*, & a Portu *supra num. 3.* Deinde ad Altare ascendit, & in medio stans, sinistra tenet bursam, & dextera extrahit Corporale ex ea; tum eadem sinistra manu bursam ponit erectam in cornu Evangelii inter candelabra, quasi illis adjacentem, ita ut pars aperta respiciat medium Altaris; Bissus *supra*, & Gerv. *in instruct. sæpius citata cap. 2. §. Subito*; sic namque commodior est, ut iterum in eo suo tempore Corporale includatur: tali vero modo eam ponat, ut neque impediat locum, ubi ponitur Missale, neque possit deturpari a cera ex candelis fluente. Manu vero dextera accepto Corporali, illud ambabus manibus explicat super Altare in medio, & advertat, ut si esset aliqua Crux acu picta in Corporali, eam partem ponat versus oram Altaris, ut Celebrans eamdem osculari possit, dum osculatur Altare, & tamdem sic ponat Corporale explicatum, ut Celebrans commode super illud ponere possit manus post Consecrationem cum Altare osculari debebit, vel genuflectere, Biss. *sup.* Lohner *part. 3. tit. 2. num. 13.* Bauldry *part. 3. supra num. 2.*

Explicato Corporali, ubi apud Altare super suppedaneum genuflectit Diaconus Cruci unico genu, manibus ante pectus junctis, postea per breviorem viam, per gradus a cornu Epistolæ redit ad Celebrantem, cui facta profunda inclinatione, & mediocri Subdiacono, quorum uterque proportionaliter ut supra dictum est, correspondet, tum sedet, tegitque caput, quod idem facit Subdiaconus, Bissus *supra* §. 24. de Bralion *sup. n. 14.* Horatius Christianus *sect. 1. cap. 9. n. 27.* Lohner *part. 3. tit. 2. num. 13.* & a Portu *sup. n. 5.* & sedent iterum omnes. Bauld. *part. 3. sup. num. 13.*

Si vero Celebrans, & Ministri Sacri non sedeant tempore, quo a Choro cantatur Symbolum, Diaconus sequentem modum observabit ad explicandum Corporale super Altare. Quando in Choro cantatur versus, *Et incarnatus est*, genuflectit cum Celebrante, ut supra adnotavimus: finito prædicto versu, surgunt omnes: Celebrans, & Subdiaconus ad Altare ascendunt: Diaconus vero vadit ad credentiam per viam breviorem, nulla facta inclinatione Celebranti, & de credentia accipit bursam habentem intus Corporale, quam defert per longiorem viam cum debitis reverentiis Choro, ut supra dictum est; & facta genuflexione Cruci super infimum Altaris gradum, ascendit ad illud, & interim Celebrans & Subdiaconus recedant ad cornu Evangelii, ut medium liberum relinquant Diacono, qui ibidem Corpora-

rale explicare debet; sicut etiam ponere prius debet bursam in cornu Evangelii inter candelabra, ut supra diximus: advertat tamen Diaconus, ne perveniens ad Altare, ibi aliquam reverentiam Celebranti faciat; Bissus *supra lit. D. n.* 123. §. 25. Explicato Corporali iterum se recipit Celebrans ad medium Altaris, Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a sinistris illius; Bissus *supra*, §. 26. & Bauldry *part.* 3. *supra num.* 14. Hæc dicta sint juxta sententiam prædictorum. Cæterum inhærendo sententiæ Castaldi in Cæremoniali nostræ Congregationis *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 12. in prædicto casu, Diacono deferente bursam Corporalium, Celebrans paullulum e medio recedit, non versus cornu Evangelii, sed versus cornu Epistolæ; Subdiaconus quoque post Celebrantem retrocedit, donec Diaconus explicet Corporale: & revera cum Diaconus debeat deponere bursam a latere Evangelii inter candelabra, commodius hoc exequetur, si Celebrans tunc se recipiat ad latus Epistolæ.

Si autem Calix non esset supra credentiam, sed super Altare (quod tamen non convenit) tunc si Celebrans & Ministri sedeant, Diaconus cantato versu *Incarnatus est* a Choro surgit; & factis Cæremoniis ut supra, accedit solus per longiorem viam ad Altare cum debitis reverentiis Choro, & Cruci Altaris, & ibi explicat Corporale ut supra diximus: si vero non sit dicendum Symbolum, tunc dum Celebrans dicit Offertorium, Subdiaconus ipse defert bursam cum Corporali, simul cum Calice ad Altare: de Bralion *supra*, Bissus, *supra*, §. 27. & Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 37. in quo casu Diaconus accipit Calicem cum bursa a Subdiacono, & in medio Altaris collocat, & explicat Corporale; bursam vero ponit ad cornu Evangelii; deinde Patenam offert Celebranti, ut infra dicemus; Bauldry *supra num.* 40.

Circa finem Symboli, si sedeant Celebrans & Ministri Sacri, dato signo Clericis a secundo Cæremoniario, deinde a primo Cæremoniario, uti post *Gloria in Excelsis*, Celebranti, & Ministris Sacris, surgunt omnes, & Celebrans cum Ministris, depositis birretis, præcedente primo Cæremoniario revertitur ad Altare per planum Presbyterii, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, vel post ipsos, secundum loci commoditatem, cum debitis reverentiis Choro, & postea Altari; de Bralion *supra cap.* 17. cui facta debita reverentia, Celebrans ascendit ad illud; Ministri vero Sacri ascendunt usque ad secundum gradum elevantes anteriores vestes illius: Subdiaconus descendit in planum non genuflectens; Diaconus se sistit in secundo gradu, uterque per lineam rectam a tergo Celebrantis. Bauldry *part.* 3. *supra art.* 5. *num.* 6. Bissus *tom.* 1. *lit. C. n.* 197. §. 19. Benvenuti *supra* §. *Deum in Choro.*

Si vero Celebrans cum Ministris non sedeat, sed stet ad Altare circa finem Symboli, scilicet dum cantatur in Choro, *Et vitam venturi sæculi*, Ministri genuflectunt, & descendunt post Celebrantem; & sine ulla alia genuflexione ibi stant, unus post alium dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, & deinde *Oremus*, ante Offertorium. Bauld. *part.* 3. *supra art.* 7. *num.* 1.

RUBRICA.

8 *Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis: Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missæ cantat, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, aut, Requiescant in pace, pro temporis diversitate.*

GAVANTUS.

Antequam definiretur, quod Subdiaconatus esset Ordo Sacer, cantabat Epistolam Lector; ut colligitur *ex Clem. lib.* 8. *constit. cap.* 18. *et Concil. Carthag. IV. cap.* 8. *etc. lector dist.* 23. lege *Jo: Langhecrucium in Spec. Canonicorum l.* 6. *cap.* 8. Adde præterea, quod in hac eadem Missa Celebrans dicit *Kyrie* in cornu Epistolæ, ut in aliis Solemnibus: item, *Humiliate capita*, sed versus Altare; ut dicitur *in Rubr. propria Fer.* 4. *Cinerum.*

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Mediæ, quæ cantatur sine Ministris Sacris; & primo de Missa cum duobus solis Acolythis.

XLII. Rubr. *Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono, et Subdiacono, etc.*) Ex superioris Rubricæ textu colligitur, quod aliquando dici potest Missa sine Ministris Sacris, sed cum duobus Acolythis superpelliceo indutis, ob exiguum numerum Clericorum; & tunc hora debita a Sacristia, vel Acolytho parantur ea, quæ sunt necessaria super Altare, nempe Calix, Missale, & cussinus, & alter liber pro Epistola cantanda super credentiam, & alia, &c.

Celebrans vero hora competenti de more accipit in Sacristia, facta prius Oratione, & lotis manibus, paramenta sacra, coadjuvante uno saltem Acolytho Ministro, & sic paratus ad Altare procedit sequens duos Ministros pares incedentes: ibique facta debita reverentia Altari, & Choro dato prius birreto primo Acolytho stanti a dextris suis, de more incipit Missam, prædictis duobus Acolythis respondentibus, hinc inde genuflexis in plano.

Si ante Missam facienda sit aquæ benedictæ aspersio, Missale Celebrantis tantum ponitur initio super credentiam & Acolythus primus habens sinistris alium, procedit ad Altare ante Celebrantem alba, stola, vel etiam pluviali, si fieri possit:

ndutum, vas aquæ benedictæ ferens. Celebrans vero, deposito birreto ante Altare in manu alterius Acolythi, genuflectit; & sic genuflexus a Ministro aspersorio, qui prius osculatur illud, & deinde manum Celebrantis, de more aspergit Altare, & se ipsum genuflexum, & postea alios; ut dicemus infr. *par. 4. tit. 19. de Rubr. Benedictionum.*

Aspersione facta, prius Acolythus deponit vas in loco congruo, librum accipit de credentia, & illum a sinistris Celebrantis tenet, qui ex eo versus & Orationem cantat. Interim alter Acolythus portat de Sacristia manipulum, & planetam Celebrantis; & finita Oratione primus Acolythus collocat super Altare Missale; Celebrans vero dicta Oratione, retrahit se versus cornu Epistolæ, facta prius debita reverentia Altari, & Choro, & adjuvantibus supradictis duobus Acolythis, deponit pluviale (si eo usus fuerit) & manipulum, deinde planetam accipit pro Missa; tum secundus Acolythus reportat pluviale in Sacristiam, indeque redit ad Celebrantem, qui cum ipsis Acolythis, factis debitis reverentiis, primum Choro, deinde Altari, revertitur ante ipsum pro incipienda Missa; ibique genuflectit primus Acolythus a dexteris Celebrantis in plano, aliquantulum retro Celebrantem; & deinde servantur ab Acolythis omnia, quæ servari dedent a Diacono, & Subdiacono. Celebrans vero dum dicit *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, & *Misereatur vestri*, caput minime vertit ad Acolythos, ut ad Diaconum, & Subdiaconum. Ita Eminentissimus Cardinal. Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, & deinde Pontifex Maximus sub nomine Benedicti XIII. in suis opusculis variis de Missa cantanda a Celebrante sine Ministris Sacris, *c. 4. §. 2.*

Peracta confessione ascendit Celebrans ad Altare, legitque Introitum, & *Kyrie*, assistentibus Acolythis, & postea, dum cantatur a Choro ultimum *Kyrie eleison*, accedit ad medium Altaris, & ibi intonat clara voce principium Hymni *Gloria in excelsis;* quo Hymno completo Celebrans, dicto juxta more *Dominus vobiscum*, se recipit in cornu Epistolæ, ubi cantat Orationem, vel Orationes, si plures sint dicendæ. Hic advertere debemus cum Bisso, *Missa Solemnis numero 257. §. 2.* quod hæc Missa, quia est sine Ministris Sacris, licet cantata, tamen Solemnis dici non potest: unde in hac Missa erit facienda Commemoratio Simplicis, si Festum, de quo celebratur Missa, sit secundæ Classis: nam talis Commemoratio in Duplicibus secundæ Classis, omittitur solum in Missa Solemni, qualis ista censenda non est, quia non cantatur cum Ministris Sacris, sed cum duobus solis Acolythis. Hanc sententiam tenuit etiam mox laudatus Benedictus XIII. *loc. cit.*

XLIII. Rubr. *Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector.*) Circa finem ultimæ Orationis primus Acolythus librum accipit de credentia, & cantat Epistolam: qua finita, non osculata manu Celebrantis, reportat librum ad credentiam, semper cum solitis reverentiis, & redit ad locum suum: alter vero Acolythus accedit ad Celebrantem, ubi stans respondet in fine Epistolæ: *Deo gratias.*

XLIV. Rubric. *Evangelium autem cantat ipse Celebrans.*) Citca finem Gradualis, primus Acolythus se recipit ad cornu Epistolæ, ut inde deserat Missale cum cussino ad latus Evangelii; quo delato redit ad locum suum in plano: Celebrans vero cantat Evangelium de more, ad quod ambo Acolythi hinc inde in plano stant, & de more se signant, & genuflectunt, quando opus est. Utrum incensandus sit liber Evangelii in hoc casu, dissident inter se Auctores. Ramerius in suo Rituali Monastico *lib. 3. cap. 2.* tenet, quod in Missa sine Ministris cantata, etiamsi cum uno solo Acolytho, ad Evangelium, ad Oblata, & ad Elevationem, ministrante eodem Clerico naviculam, & thuribulum (sed solum in majoribus Solemnitatibus) debeat fieri thurificatio; in reliquis autem minoribus Solemnitatibus, quando non sunt Ministri, thus non est adhibendum. Quando vero cantatur Missa cum duobus Acolythis, licet communiter excludatur thurificatio ante Introitum; attamen Castaldus *lib. 2. sect. 9. cap. 2. num. 4.* Polaccus *aphorism. part. 2. tit. 3.* Corsett. *part. 2. cap. 13. num. 5.* a Portu *cap. 2. ad tit. 6. Rubric. 8. in suis adnotat. num. 3.* & Benedictus XIII. *loc. suprac.* tenent, quod, si videbitur, poterit adhiberi incensatio ad Evangelium, ad Offertorium, & ad Elevationem Sanctissimi Sacramenti.

Neque obstat sententiæ dictorum Auctorum Decretum S. R. C. editum 22. Januarii 1701. & datum in nostro Indice *sub num. 556.* in quo habetur — In Missa Conventuali dierum solemnium, quæ absque cantu, & Ministris celebratur, non est facienda thurificatio — Non, inquam, officit hoc Decretum: quia Missa, de qua tunc agimus, est quidem absque Ministris Sacris, sed non est absque cantu, unde præfatum Decretum non afficit præsentem Missam.

Finito Evangelio, & incensato Celebrante a Thuriferario, si Evangelium incensatum fuerit a Celebrante, hic accedit ad Altaris medium admovens sibi librum; intonat Symbolum, si cantandum est: & prosequitur Missam, &c. Sed advertendum est, quod inhærendo Decreto dato in nostro Indice *sub n. 610.* Sacerdos non potest prosequi Missam eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum. Si igitur a Choro cantatur Symbolum, & Celebrans sit ad Altare, dum cantatur *Descendit de Cælis*, ipse descendit ad secundum gradum, ut genuflectere possit in suppedaneo ad ea verba, *Et incarnatus est, &c.* De Bralion *part. 2. cap. 2. num. 19.* Bissus *lit. C num. 597. §. 52.*

Lecto Offertorio a Celebrante, ambo Acolythi surgunt, & primus Celebranti ampullas ministrat; & hic idem ad lotionem manuum ejusdem Celebrantis ministrat ampullam aquæ, & bacile: alius vero Acolythus mappulam porrigit, & ille primus campanulam pulsandam de more ad

San-

Sanctus, & ad Elevationem, defert ad Altare, & ambo genuflexi respondent Celebranti dicenti: *Orate, fratres*.

Ad *Sanctus*, primus campanulam pulsat, accendit unicum cereum, vel duos, si tot sint: tum reversus ad Altare, genuflectit in supremo gradu ipsius, dextera campanulam pulsat, & sinistra planetam elevat ad Eucharistiæ elevationem, ut in Missa Privata.

Si duo cerei, ut supra, accendi debent, secundus Acolythus, facta genuflexione, & solita reverentia Choro de more (si id permittat Chori situs) vadit ad Sacristiam, & accensis duabus facibus, unam capit; alter vero de Choro deputatus ad id, pariter pergens in Sacristiam, aliam accipit facem, easque ambo ad Altare deferunt pro Elevatione Sanctissimi Sacramenti, & semper cum debitis reverentiis, ut supra, qua elevatione facta surgunt. Primus vero Acolythus campanulam deponit, & ad cornu Epistolæ descendit, ubi manet genuflexus in infimo gradu; alii vero cum debitis reverentiis reportant fanalia, præterquam in Missis Defunctorum, & Vigiliis, & Feriis, vel quando Communio facienda est, ut suo loco adnotabimus. Mox secundus Acolythus redit ad Altare, & manet genuflexus in cornu Evangelii: alter vero, qui gestabat aliam facem, cum debitis reverentiis Choro, & Altari, redit in Chorum. Si tamen non sunt alii Acolythi, nisi illi duo, qui ministrant ad Altare, non deferunt faces, & tunc secundus Acolythus manet genuflexus ut supra, & ambo se signant, & percutiunt pectus cum Celebrante. Si facienda erit Communio, serventur ea, quæ suo loco infra dicemus. Paulo ante sumptionem Sanguinis surgit primus Acolythus, ad credentiam campanulam defert, capit ampullas, & eas Celebranti cum osculis earum tantum, & solitis inclinationibus ministrat; tum ad Altare redit, ubi extinguit cereum, qui est a parte Epistolæ, ibique postea genuflectit in plano, ut prius; secundus vero surgit, dum Celebrans se purificat; defert librum ad cornu Epistolæ, & postea, si opus sit, alium cereum extinguit, qui est in cornu Evangelii; ibique ut prius genuflectit in plano.

XLV. Rubric. *Et in fine Missæ cantat: Ite Missa est, pro temporis diversitate.*) Quando Sacerdos in fine Missæ cantat *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* pro temporis diversitate, ambo prædicti Acolythi genuflectunt ad Benedictionem, tum surgunt, & stant ad Evangelium ultimum, hinc inde in plano, sicut ad primum; & si aliud Evangelium legendum sit, Acolythus primus librum mutat cum solita genuflexione Cruci, & ad cornu Epistolæ redit, facta iterum ante medium in plano genuflexione, ubi Celebrantis birretum capit.

Peracta Missa, Celebrans in planum descendit; ubi facta cum Acolythis debita reverentia Altari, & Choro, & sumpto birreto, in Sacristiam cum Acolythis redit, ut venerat; ubi Acolythi, facta cum Celebrante profunda Cruci, vel imagini reverentia, ipsum Celebrantem, dum se exuit, adjuvant, & aquam atque manutergium, ut initio Missæ, ministrant. Ex Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. & ex Vinitore *part.* 4. *tit.* 12. *supra*.

De alia Missa Media, seu minus Solemni, quæ cantatur cum uno solo Acolytho.

XLVI. Est præterea alia Missa media, adhuc minus Solemnis, quæ ordinarie cantatur in Ecclesiis Monialium, & ubi non est copia Clericorum, cum uno solo Acolytho, ad quam Celebrans sedere poterit ad *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, & alia: Bauld. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. fieri poterit etiam in hac Missa incensatio, ut in præcedenti Missa pariter adnotatum est, & ut docent Nicolaus de Bralion *part.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. & Castaldus *supra*, quamvis Bauldry *sup.* & Vinitor *tit.* 13. necnon Polaccus *part.* 2. §. 1. velit, quod in simili Missa Altare numquam thurificetur. Mox laudati Auctores, nimirum Bauldry, & Vinitor docent non esse dandam pacem in hac Missa, nisi forte cum instrumento (& hoc idem dicendum est de alia Missa mox descripta) quod antequam alicui osculandum detur, prius osculari debet a Celebrante, nempe dicta Oratione *Domine Jesu Christe*, *&c.* Celebrans osculatur Altare in medio, deinde osculatur instrumentum pacis porrectum a Ministro genuflexo juxta ipsum in cornu Epistolæ, & interim ipse Celebrans dum illud instrumentum osculatur, dicit, *Pax tecum*, Ministro Acolytho respondente, *Et cum spiritu tuo*. Dictus autem Acolythus, postquam Celebrans osculatus fuerit instrumentum pacis, surgit, & facta genuflexione Sacramento unico genu, ut facilius surgere possit, vel duplici genu, ut alii præscribunt, in suppedaneo Altaris, accedit ad eos, quibus danda erit Pax, iisque singillatim porrigit instrumentum, ut illud osculentur, Bissus *lit. P. num.* 91. §. 5. necnon Benedictus XIII. *loc. suprac. n.* 23. *& seqq.*

XLVII. In hac Missa Clericus superpelliceo indutus, facta a Celebrante Confessione, manet genuflexus in cornu Evangelii, ibique respondet Celebranti, si opus est. Vinitor *loc. cit. numero* 3.

Circa finem ultimæ Orationis, factis debitis reverentiis Altari, & Choro, si adsit, accipit de credentia librum Epistolarum; & iterum facta reverentia Choro, & genuflexione in medio Altaris, super infimum gradum, cantat Epistolam in loco consueto: Celebrans vero legit submissa voce Epistolam, sibique respondet *Deo gratias*. Cantata Epistola, ut de more, facta genuflexione Cruci, & reverentia Choro, reponit Acolythus librum Epistolarum super credentiam, sine osculo manus Celebrantis, & sine Benedi-

ctio-

Nione: tum præfatus Clericus defert Missale cum cussino ad cornu Evangelii, ut in Missa Privata. Regulariter iste Clericus manet genuflexus, ut in Missis privatis, nisi ex accidente surgere cogatur, ut ad Epistolam, & ad alia.

Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii, & qui cantabit *Ite Missa est*, aut alia, quæ Diaconus cantat in fine Missæ: sed ad *Humiliate capita*, stat Celebrans versus Altare, ut notat Gavantus *supra*; *Kyrie eleison* tamen dicere potest in cornu Epistolæ, ut quando adsunt Diaconus, & Subdiaconus; Nicolaus de Bralion *supra*, in quo casu Clericus, facta Confessione, debet ascendere ad cornu Epistolæ, quasi a dexteris Celebrantis, sed paulo post eum; ibique stans respondere ad *Kyrie eleison* submissa voce, sed aliquantulum elevata; quo dicto redit iterum ad suum locum in cornu Evangelii, facta prius in medio genuflexione Cruci, & Altari.

Ad versum *Et incarnatus est*, Celebrans in hac Missa eodem modo se gerit, ac in alia minus Solemni superius descripta.

Præter prædictas Missas minus Solemnes in Cæremoniali Parisiensi *part.* 3. *cap.* 9. describitur aliud genus Missæ minus Solemnis, quæ tamen ad Solemnem perfectam valde accedit, cum in hac ministret Diaconus tantum sine Subdiacono, sed cum uno Acolytho. De hac Missa pariter agitur, & describitur ejus Ritus in Cæremoniali Monastico, Parisiis edito anno 1680. *lib.* 3. *cap.* 9. quæ tamen sit in usu, præterquam apud Carthusianos, ut refert Macrius in Hierolexico *v. Epistola*, idcirco a describendo Ritu hujus Missæ abstinemus.

De Offertorio, & aliis, usque ad Canonem VII.

RUBRICA.

1 *Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, & junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dexteram (ut dictum est supra) vertit se ad populum; extendens, ac jungens manus dicit, Dominus vobiscum, & junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris; ubi extendens, & jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit, Oremus; tum junctis, ut prius, manibus,* (f) *dicit Offertorium, & omnia quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur.*

GAVANTUS.

Hæc eadem, & quæ sequuntur ad finem usque Missæ Privatæ, sunt fere verba ipsius *Burch.* ut initio diximus.

(s) *Dicit Offert.* Lege *tit.* 2. *sup. n.* 1. *in* 1. *part.*

Novæ Observatione & Additiones, ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Symboli, usque ad finem Offertorii.

I. Rubr. & Gavant. lit. s — *Dicit Offertorium.*) Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, dicto Evangelio, eoque osculato, Sacerdos extensis manibus supra Altare extra Corporale, osculatur ipsum Altare in medio: tum erigens se, & manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, seu versus latus suum dexterum; & ita versus populum stans in medio, demissis oculis extendens, & jungens manus, dicit clara voce, *Dominus vobiscum*, respondente Ministro, *Et cum spiritu tuo*; & mox junctis manibus, per eamdem viam convertit se ad Altare; ubi in medio extendens, & elevans usque ad humeros, & jungens manus, caput Cruci inclinans, dicit *Oremus*; tum junctis manibus ante pectus legit Offertorium, Biss. *lit. S num.* 20. §. 34. Gerv. *in instruct. cap.* 8. §. *Finito il Simbolo.*

Sunt, qui dicunt Offertorium expansis manibus, sed hoc est expresse contra superiorem Rubricam, quæ præscribit: *Junctis manibus, ut prius, dicit Offertorium.* Alii dicunt Offertorium submissa voce; alii in Missa de B. M. V. Offertorium *Ave Maria gratia plena, &c.* legunt flexis genibus: at contra Rubricam isti operantur. Vinitor *part.* 2. *tit.* 7. §. 1. *in adnot.*

Ad prædictum Offertorium, ad verbum *Maria*, Sacerdos inclinet caput inclinatione minimarum media versus librum, Benvenuti de Ritu Missæ Privatæ *cap.* 16.

RUBRICA.

2 *Dicto Offertorio,* (t) *discoperit Calicem, &* (u) *ad cornu Epistolæ sistit, & manu dextra amovet parvam pallam desuper Hostiam: accipit* (x) *Patenam cum Hostia, & ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, & statim demissis dicit, Suscipe Sancte Pater, &c.*

GAVANTUS.

(t) *Discooperit.* Velum plicatur a Ministro, & deponitur prope tabellam Secretarum ab eadem parte Altaris, ubi Calix, ne super Corporale, aut extra illud remaneat non plicatum, quod cum neque a Sacerdote plicari convenire videatur, pli-

plicetur a Ministro: & est Ritus laudabilior. Idem, explicato manutergio, in eadem parte collocabit ibidem pelviculam cum urceolis.

(u) *Ad cornu Epistolæ.* Nullum Mysterium: sed quia ibi sunt ampullæ vini, & aquæ.

(X) *Patenam cum Hostia.* Dicitur Hostia, quia est materia ad Sacrificium, & Hostia. Item Hostia, quæ ante hostium pugnam offerebatur; *Gemma lib.* 1. *cap.* 98. Panis est, quia Christus dedit se uti panem vivum. *Joann.* 6. Ex frumento est, cui comparavit se Christus: *Nisi granum frumenti. Joann.* 12. Sine fermento, id est sine peccato, & ex prima institutione in azymis; *Gemma lib.* 1. *cap.* 31. Mundissima debet esse, ex Decreto Aniceti, *apud Burchard. lib.* 1. *cap.* 29. in modica quantitate, ex Decreto Alexand. Papæ dicentis: quanto paucior, tanto potior: *Radulph. prop.* 23. in modum denarii cum imagine Christi, seu literarum nominis Christi, quia traditus est, & venditus triginta denariis; & est verus denarius laborantibus in vinea Domini, quo etiam reparatur in nobis imago Dei: *Gemma ibid. cap.* 34. formæ rotundæ: *ex Epiph. in Ancor.* integra debet esse, ob Christi integritatem: *ex Conc. Coyacensi cap.* 3. vocatur oblationis corona *a S. Greg. IV. dial.* 54. quasi Orbis, ad significandum Christum, qui est Alpha, & Omega: Dominus Orbis: *Durand. lib.* 4. *cap.* 30. & in rotunditate Hostiæ, Patenæ, & Calicis intellige Sacrificii nostri perpetuitatem usque ad finem Mundi. Figuram habet Hostia in altera tantum parte, quia Christus, Deus & homo est; ut Deus figura caret. Notat *Humber. Card. in disp. contra Græcos*, Romanam Ecclesiam in pane, aqua, & igne præparato sacrificare tres substantias in Christo, Crucem, Animam, Deitatem. Imago vero Crucis in Hostia deducitur *a Baronio anno* 58. *ex lib.* 1. *dial. S. Gregor. cap.* 11. & ex Romanorum usu, qui panem coquebant quadrifica incisione in formam Crucis decussatam, ex quo laudabilior est imago Crucifixi tantum in Hostia, quam aliud quicquam.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Offertorii, usque ad Hostiæ oblationem inclusive.

II. Gavant. lit. t — *Velum plicatur a Ministro &c.*) Dicto Offertorio Sacerdos discooperit Calicem, qui est in medio Altaris super Corporale, removendo ab eo velum ambabus manibus, Biss. *sup.* & *Gerv. sup.* §. *Detto l'Offertorio.* Minister, si est Clericus cum cotta, plicet velum, non vero Sacerdos Celebrans, non reponendo illud supra Corporale, ut male faciunt multi, sed ad partem Epistolæ, prope tabellam Secretarum, seu prope Corporale, non vero supra; Bauld. *part.* 3. *tit.* 7. *de Offertorio n.* 2. *not. n.* 1. Tonell. *lib.* 2. *Rubr.* 2. *tit.* 7. *not.* 1. Lohn. *part.* 2. *tit.* 18. *num.* 3. Sarnell. *part.* 4. §. 14. *n.* 1. Simon a Larciano *lib.* 4. *cap.* 12. *vers. Calicem*, Gherardi Episcop. Cortonensis *cap.* 7. & Gerv. *supra.*

Verum noster P. Franciscus Magius in suo eruditissimo opere de *Sacr. Cæremoniis, præsertim de Divino Officio, & Choro, disq.* 52. *n.* 302. *hæc ait. Cum hæc plicatio, facile a Sacerdote ipso fieri possit, cum suis manibus velum aufert, Ministrum hoc onere liberaret, ut celerius ampullas & ipse ex abaco sumere, & ad Altare deferre queat; quod video ab omnibus observari, nisi aut Sacerdos aliter innuat, aut veli alicujus ratio id poscere videatur: nam exceptis aliquibus auctoribus communius alii, de velo nihil locuti, jubent, ut tuns a Ministro solum ampullæ capiantur.* Hæc mox cit. Magius: quæ quidem sententia profecto amplectenda est, quando Minister puer esset, aut incapax talis functionis: quia absque dubio in hoc casu Sacerdos ipse discooperiens Calicem accipit velum ambabus manibus, quod declinat a parte posteriore Calicis, eodem tempore illud plicando: postea manu sinistra super Altare posita, sola dextera extrahit velum de Corporali, eodem tempore illud plicans in medio; quod postea relinquit prope tabellam Secretarum, vel prope Corporale a cornu Epistolæ, sed numquam intra ipsum Corporale. Bissus *lit. V num.* 13. §. 2. & Gerv. *in catal. errorem num.* 58. Unde habes velum esse plicandum, & nullo modo super Corporale relinquendum; super hoc enim nihil poni debet, nisi quod Corpus & Sanguinem Christi tangere, aut tegere solet. Lohn. *part.* 2. *tit.* S. *pro Ritu communi num.* 3.

III. Gav. ead. lit. t — *Idem explicato manutergio in eadem parte, collocabit ibidem pelviculam, &c.*) Reposito a Ministro, vel a Sacerdote velo plicato, ut supra, idem Minister, inhærendo Gavanti sententiæ, explicat manutergium, quod in cornu Epistolæ super Altare ponit cum pelvicula, & urceolis desuper. Adhærent sententiæ Gavanti Joannes Merinetus *in Cærem. Minorum Observ. S. Franc. p.* 2. *c.* 2. *n.* 10. Paulus a S. Joanne in Cærem. Augustinensium Discalc. *l.* 1. *c.* 13. Bauld. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 28. & alii, quos refert Franc. Magius *disquis. suprac. num.* 303. Verum idem Auctor adhæret sententiæ Castaldi, qui *in Praxi lib.* 1. *sect.* 4. *c.* 1. *num.* 16. juxta Ritum a nostri Ordinis Conditoribus institutum, expresse præscribit, ne aliquid super Altare ponatur, unde ait: *Pro manuum lotione Minister adaptat mappulam super brachium sinistrum; & accipiens pelviculam manu sinistra, dextera ampullam aquæ: & sic manibus elevatis aliquantulum inter se, et a pectore distantibus cum debitis reverentiis, iterum accedit ad latus Epistolæ, et supra gradus, si plures illi sint, ascendat; sin minus ante pradellam, aquam ad manuum lotionem, aliquantulum dexteram elevans, in medium pelviculæ infundit. Postmodum vertens paulisper brachium sinistrum, mappulam ad detergendas manus porrigit.* En igitur, quod linteum seu manutergium juxta hanc sententiam non debet extendi in Altaris extremitate (ut vult Gavantus infra *in Comment. ad Rubric.* 6. *lit. R*) quam quidem Castaldi sententiam amplectitur etiam

etiam Polac. *in Aphorismis Cærem.* 16. docens minime conveniens esse super Altare Sacerdotem abstergi, aut manutergium poni. In eandem sententiam descendit pariter Bonamicus *in observ. Eccl. observ.* 6. *n.* 6. ubi ait: *Ponere sudarium, & pelviculam super Altare, sano Ritui conforme non est:* quamobrem Acolythum instruit, ut aquæ ampullam dextera, pelviculam sinistra, & linteum aut super sinistro brachio, aut eadem sinistra manu, sub pelvicula gestet; denique S. Carolus in prima Synodo provinciali §. *De iis, quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, Sacerdotes instituit, ut pileum, birretum, subbirretum, chirothecas, sudariolum, aut quodcunque denique hujus generis, in Altari ne ponant.

IV. Rubric. *Amovet parvam pallam desuper Hostiam.*) Amoto velo a Calice, & plicato, sive a Clerico, sive a Celebrante, ipsemet Sacerdos posita manu sinistra super Altare extra Corporale, manu dextera accipit Calicem, quem ad cornu Epistolæ sistit, quia in eo cornu ministrandæ sunt ampullæ, ut mox innuimus: deinde adhuc stans in medio Altaris Sacerdos amovet parvam pallam, quæ est super Hostiam; quam pallam deponit super Corporale versus cornu Epistolæ: sic enim erit commodior Celebranti, quando ea uti debebit ad cooperiendum Calicem. Errant non pauci, qui plicato velo, cum deberent ponere Calicem versus cornu Epistolæ extra Corporale, & inde manu dextera amovere pallam pro oblatione Hostiæ facienda ambabus manibus, dextera accipiunt quidem Calicem ad ponendum eum ad cornu Epistolæ, sed eodem tempore sinistra accipiunt Patenam, cum palla supra, & contra id, quod expresse ordinat Rubrica; ut advertitur in *Cærem. Missæ Priv. c.* 10. §. 12. *n.* 3.

V. Rubric. *Accipit Patenam cum Hostia*) Amota parva palla, Sacerdos sola manu dextera inter pollicem, indicem, & medium digitum, accipit de Calice Patenam cum Hostia; cui occurrens, dum est prope medium Altaris sinistra manu, eam ambabus manibus tenet (id est iisdem tribus digitis, *ut supra*) etiam sinistræ manus, elevatam super medium Corporalis ad altitudinem pectoris, ita tamen, ut aliquantulum distet ab ipso (nec eam elevare debet, ut faciunt multi ante faciem suam) postea eodem tempore oculis ad Deum, hoc est ad Crucifixum elevatis, ac statim demissis, dicit *Suscipe Sancte Pater.* Bissus *lit. S n.* 20. §. 83. Bauldry *part.* 3. de Ritu servando *tit.* 7. *n.* 2. Vinit. *part.* 2. *tit.* 7. *in adnot.* §. 4. Gerv. *in catal. errorum n.* 58.

VI. Gavant. *lit.* x — *Imago vero Crucis in Hostia deducitur a Baronio, & ex Romanorum usu.*) Noster P. Novarinus *lib.* 5. *Sac. Electorum*, in quo tractat *de Agno Eucharistico cap.* 69. eruditas quasdam exhibet observationes circa formationem, & apparatum Hostiarum consecrandarum, *& cap.* 71. asserit Crucem in hostiis imprimi solitam nefas esse ambigere; & ut probet apud Christianos variis modis in Eucharisticis formis Crucem eformatam fuisse, exhibet varias Imagines, in quibus variæ Crucis figuræ impressæ apparent: in aliquibus enim videtur nuda Crux sine Christo Crucifixo, in aliis vero conspicitur Christus Cruci affixus varie sculptus; & in aliis exprimitur etiam idem Christus non Crucis affixus, sed flagellis cæsus; in aliis resurgens ex mortuis. Agit etiam de forma Crucis, quæ in oblatis Syrorum, & Alexandrinorum apparet. Doctissimus Sirmondus *in sua disquis. de azymo*: de figuris vero Crucis, quæ in Græcorum Hostiis formantur, agit eruditissimus Goar in notis ad eorum Euchologium; & easdem figuras affert Martene *in part.* 1. *de antiq. Eccles. Ritibus lib.* 1. *art.* 5. *numer.* 20.

RUBRICA.

3 *Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ, Calicem illum, seu vas* (y) *dextera discooperit; et intentionem suam etiam ad illas offerendas, et consecrandas dirigens, dicit ut supra, Suscipe, etc. ut in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea* (z) *facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam* (a) *circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dextram aliquantulum* (b) *subtus Corporale, quam exterso Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas, seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel palla.*

GAVANTUS.

(y) *Dextera discooperit.* Nimirum antequam accipiat Patenam cum Hostia, & collocat Pyxidem in medio Corporalis inter locum Calicis, & tabellam Secretarum, ut dictum est supra *tit.* 2. *num.* 3. & sicuti non potest commode, ita non est necesse, ut Sacerdos eam elevet sub prætextu oblationis; sed ad eam tantum intentionem dirigat.

(z) *Facit signum Crucis.* De hoc Ritu, & aliis signum Crucis sequentibus in Oblatione docet *Innoc. III. lib.* 2. *c.* 58. ea nempe fieri, ut per Crucis virtutem omnis conatus Diaboli effugiat, ne contra Sacerdotem, vel Sacrificium aliquo modo prævaleat; quod semel dixisse sufficiat. Forte Ritus fluxit ab Hebræis, qui in elevatione Hostiæ versus Cælum, & Terram, antrorsum, & retrorsum eam movebant. *Ex Lyran. in Lev. cap.* 7. *et Rurgens. ibid.*

(a) *Circa medium anterioris partis.* Deponitur Hostia super Aram, ubi est Crux cum Chrismate ab Episcopo facta, quasi Corpus Christi Cruci ibidem sit affigendum. *Gemma lib.* 1. *c.* 98. De hoc Ritu testatur *Durand.* communiter servato, sed non Romæ, *l.* 4. *c.* 30. *vid. infra n.* 5.

(b) *Sub-*

(b) *Subtus Corporale.* Habet *Micrologus cap.* 10. ob Mysteria infra declaranda in Patenæ involutione, quæ fit cum velo longo in Missa Solemni.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, servando in oblatione Hostiarum, seu Particularum facienda.

VII. Gavant. lit. y — *Et collocat Pyxidem in medio Corporalis.*) sin in Missa Sacerdos sit consecraturus plures Hostias, seu Particulas, pro communione Fidelium, in primis quando Particulæ sunt paucæ, uti quinque, vel sex, poni debent super Patenam, & subtus Hostiam (vel etiam pro libito super Corporale poni possunt ad partem Evangelii) ad offerendas illas una cum Hostia simul; & post Oblationem ponantur supra Corporale separatim ab Hostia, eo tamen modo, ut remaneant supra petram sacram, a parte, secundum communem usum, sinistra Celebrantis, seu Evangelii, aliquantulum a majori Hostia distantes, ne tangantur a manipulo in Consecratione Calicis. Si magna sit Particularum quantitas, poni possunt super Corporale separatæ ab Hostia ut supra, vel intra Pyxidem, vel aliud vas. Quando sunt super Corporale, nunquam moventur, neque ad Oblationem, neque ad Consecrationem. Si sint in aliqua Pyxide, vel alio vase cooperto Patena, vel palla, vel etiam proprio Pyxidis operculo, Calix, vel Pyxis Particularum collocatur post Calicem Missæ; ita ut sit inter ipsum Calicem, & tabellam Secretarum: tempore inde Oblationis immediate antequam amoveatur palla a Patena pro offerenda Hostia, Sacerdos discooperiat Pyxidem, vel Calicem, seu aliud vas Particularum ad offerendum illas simul cum Hostia, absque eo quod moveatur vel Pyxis, vel Calix a suo loco. Gavantus *supra*, Bauldry *supra Rubr.* 3. *n.* 1. Bissus *supra* §. 35. Cærem. Missæ Privatæ *c.* 11. §. 1. Vinitor *supra* §. 5. Dirigit tamen Sacerdos intentionem offerendi, etiam ad dictas Particulas, quia non est necesse, ut eas simul cum majori Hostia elevet: id enim esset maximum incommodum, præsertim quando Particulæ sunt in magna quantitate. Bissus *supra*, & Bauld. *supra.*

VIII. Rubr. & Gav. lit. z — *Facit signum Crucis.*) Post factam vero Oblationem, id est dicto *Suscipe Sancte Pater*, Sacerdos utraque manu tenens Patenam cum Hostia, facit cum ea Crucem mediocrem, distinctam, & extensam super Corporale, non per quatuor . . . puncta, sed per lineas ✠ æquales; & advertat, in facienda hujusmodi Cruce (quæ non debet excedere longitudinem unius palmi, juxta communem Rubricistarum sententiam) ne Patena tangat Corporale: ideo in efformanda prædicta Cruce, teneat dictam Patenam elevatam, quasi per palmum super Corporale; postea deponit Hostiam quasi in medio ipsius Corporalis in parte anteriori ante se; ita ut ab extremitate, id est ora Altaris, distet quasi per palmum: Bissus *supra* §. 37. Gerv. *supra* §. *Terminato*, & Benven. *pag.* 17. sic enim commodius Sacerdos poterit osculari Altare, quando opus erit, & insuper Hostia vicinior est Cruci, quæ est in medio aræ consecratæ, super quam etiam convenientissime deponitur; ut notat Gavantus *supra lit. A* — Si autem super Patenam simul cum Hostia sint etiam aliæ Particulæ consecrandæ, hoc est in parvo numero, ut supra adnotatum est; tunc facta Oblatione, & deposita majori Hostia, *ut supra*, hujusmodi Particulæ deponantur a parte Evangelii, ut jam diximus; Patena vero ponatur a dexteris, id est a parte Epistolæ super Altare, aliquantulum subtus Corporale; quæ exterso Calice cooperitur purificatorio, ut infra dicemus. Biss. & Benvenuti *supra.*

Si adsit Calix, vel Pyxis cum particulis, *ut supra*, cooperiat prædictum Calicem Patena, vel Palla, & Pyxidem cum proprio operculo, deposita prius Patena sui Calicis aliquantulum subtus Corporale *ut supra.* Bissus *sup.* §. 28. *Cærem. Missæ Privatæ c.* 11. §. 1. & Gerv. *sup.* §. *Dopo.*

Hoc loco advertere libet, quod si offerantur particulæ consecrandæ ad Altare post Oblationem, poterunt ex gravi causa consecrari, facta prius Oblatione earum mente tantum; sed non sufficere pro hac Oblatione mentali commoditatem communicare volentium, docet doctissimus noster Pasqualigus *De Sacrif. nov. leg. quæst.* 30. & 35. ubi tamen *n.* 6. & 10. dicit esse solum peccatum veniale, si ante incœptum Canonem offerantur. Post Canonem vero incœptum non possunt admitti etiam ad dandum Viaticum, tunc enim satius est conservare partem Hostiæ majoris. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 7.

RUBRICA.

4. *Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini* (c) *de manu Ministri* (*qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis*) *et ponit vinum in Calicem. Deinde* (d) *eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis* (e) *super ampullam aquæ, et dicit: Deus qui humanæ substantiæ: et infundens* (f) *parum aquæ in Calicæ prosequitur, Da nobis per hujus aquæ et vini Mysterium, etc. Si vero celebrat pro Defunctis*, (g) *non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque Benedictione, dicens Orationem ut supra.*

GAVANTUS.

* (c) *De manu Ministri.* Teneat Minister ampullæ partem inferiorem, ita ut Sacerdos eam possit per aurem, seu manubriolum capere: recipiat item eandem manu sinistra, ut altera statim ministret ampullam manu dextra. Offerat autem am-

ambas cum osculis earum, non manus Sacerdotis, & cum debita reverentia, saltem inclinando caput, nisi Sacerdos de majoribus exigat genuflexionem. Sed & Sacerdos ipse propius admoveat Calicem ampullis, ita ut neque gutta cadere queat super Altaris mappam.

(d) *Eodem modo tenens Calicem.* Nondum ideo data est regula generalis jungendi manus, antequam aliquid benedicatur, quam habes num seq. ut intelligas excipi hunc casum a regula generali, ne Calix, in quo jam est vinum, periclitetur, amota manu.

(e) *Super ampullam aquæ.* Aqua, ut dicemus, significat populum; benedictioneque eget cum Cruce, ut Christo uniatur. *Durand. l. 4. c. 30.*

(f) *Parum aquæ. Ita ex Liturgia Jacobi, & ex Decreto Alexand. 2. de Cons. dist. 2. caput Sacramentorum;* immo ex traditione Christi ultima cœna, ut ait *Cypr. epist. 63. ad Cæcil.* tum, ut significetur fluxus sanguinis, & aquæ ex latere Christi; *ex Alexand.* tum, ut populus, in Apocalypsi significatus per aquam, uniatur Christo; *ex Cypr.* tum, ut fateamur in una persona Christi duplicem naturam, *ex Niceph. l. 1. c. 33.* tum, ut significetur introitus in vitam æternam; *ex Ambr. apud S. Thom. quæst. 74. art. 7.*

Ex quibus illa quatuor patent, quæ in Antiphona: *O Sacrum convivium, &c.* id est ex duabus naturis Christus; memoria Passionis ejusdem; gratia ex unione populi cum Christo, & pignus æternæ vitæ.

Quia vero pauci sunt electi, ideo etiam modicissimum aquæ vult infundi *Conc. Florent. in instruct. Armen.* & eo minus aquæ, quo vinum est debilius, ut in vinum citius converti queat ante Consecrationem, ut monet *Azor. lib. 10. cap. 30.*

Hinc *S. Aug. 17. Civit. c. 20.* colligit, dandam esse Eucharistiam cum temperatis, & sobriis pulis, potus enim cum aqua sobrietatem denoat apertissime.

(g) *Non facit signum Crucis.* Quia connotat olemnitatem: & sicut in fine Missæ Defuncorum non benedicitur populus; ita nec aqua, quæ ndem populum significat, ut diximus: vel aqua oc loco significat populum Purgatorii, qui m est in gratia: *Melchior Noelamus de Cærem. Iissæ.*

* Si guttæ vini, aut aquæ dispersæ appareant tra Calicem, tunc vel circumacto vino Cali; uniantur, vel purificatorio abstergantur, ne Consecratione oriatur dubium, an sint eæ concratæ.

ovæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, observando a fine oblationis Hostiæ, & Particularum consecrandarum, usque ad oblationem Calicis.

IX. Rubr. *Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem &c.*) Deposita Patena subtus Corporale, & præmissa simplici, vel mediocri Cruci inclinatione, accedit Sacerdos ad cornu Epistolæ, nimirum ad locum, ubi Calicem posuit, & in eodem cornu accipit Calicem sinistra per nodum, & dextera purificatorio eum abstergit: deinde sumpto prædicto purificatorio, vel infrà digitos sinistræ manus qua tenet, ut supra, Calicis nodum, pro extergendis guttis in Calice, dextera accipit ampullam vini de manu Ministri; Bissus, Gervasi, & Benvenuti *supra*, Vinitor *supra* §. 7. & ponit vinum in Calicem (quod album esse debet quantum fieri potest) in quantitate decenti, nimirum, quæ uno haustu sine interruptione a Sacerdote sumi possit.

X. Rubr. & Gavant. lit. d — *Deinde eodem modo tenens Calicem producit signum.*) Imposito vino, & reddita ampulla Ministro, eodem modo tenens Calicem, producit dextera signum Crucis super ampullam aquæ (quæ Benedictio omittitur si Sacerdos celebret Missam pro Defunctis) & dicit eodem tempore, & non prius; *Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem &c.* & infundens parum aquæ naturalis in Calicem, prosequitur dicendo. *Da nobis per hujus aquæ & vini Mysterium, &c.* Ad verba *Jesus Christus*, Sacerdos inclinet caput versus Crucem inclinatione minimarum maxima. Gervasi *supra.* Tandem restituit Ministro ampullam, vel deponit super pelviculam, si ea reperiatur super Altare; nunquam vero deponat ampullam super tobaleam, aut manutergium. Moncius in Instruct. §. 93. Advertat autem Sacerdos, ne teneat Calicem elevatum, sed super Altare positum, dum in illum imponit vinum & aquam; itemque Calicem bene admoveat prope ampullas, ne guttæ vini & aquæ deturpent mappam Altaris. Bissus *supra* §. 38. Bauldry *supra Rubr. 4. n. 1.*

Minister vero osculatur ampullas, quas detulit de credentia ad Altare, non vero manus Celebrantis; *Rubr. supra*, & Gavantus *supra lit. C*, & easdem tenere debet in parte inferiori, ita ut Sacerdos possit eas facile per manubrium capere; offeratque eas Minister dextera; sed recipiat ampullam vini sinistra, ut possit ampullam aquæ dextera porrigere cum osculo ejusdem ampullæ tantum, & advertat Minister, ut in porrigendis ampullis debitam faciat reverentiam Celebranti cum capite; nisi Celebrans ratione dignitatis, puta Episcopalis, exigeret genuflexionem unico genu. Bissus *lit. M n. 162. §. 9.* Bauldry *supra n. 2.* Gervasi in instruct. pro Ministr. Missæ Priv. *cap. 8. num. 4.*

XI. Gav. lit. — *Si guttæ vini, aut aquæ dispersæ appareant, &c.*) Quod si post vini, & aquæ impositionem, guttæ aliquæ dispersæ appareant intra Calicem, circumacto vino uniantur, vel purificatorio abstergantur, quod decentius est, ne post Consecrationem dubium oriatur, an sint consecratæ. Bissus *lit. S n. 20. §. 37.* Gervasi instruct. Miss. Priv. *supra §. Postea*, Bauldry

supra, & Gavantus *supra*. Post abstersionem Calicis Sacerdos manu sinistra deponit purificatorium omnino extensum super eam Patenæ partem, quæ est extra Corporale, eam cooperiendo. Bauld. Bissus, & Gervasi *supra*; & a Portu *part. 1. de Missæ Priv. tit. 6. dub. 5. n. 11.* Quod si purificatorium sit in latum, ut pro cooperienda Patena sit plicandum, extremitates dicti purificatorii respiciant Altare, non vero Celebrantem. Tonell. *Rubr. 5. n. 2.* Bissus *supra*, a Portu, & nos etiam *supra*.

RUBRICA.

5 *Imposita aqua in Calice, & finita Oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum; & stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus* (h) *elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem; cum dextera autem nodum infra cuppum, intentis ad Deum oculis offert, dicens:* (i) *Offerimus tibi Domine, &c. qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale; & ipsum in medio* (l) *post Hostiam collocat, & palla cooperit; deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secreto;* (m) *In spiritu humilitatis, &c. Postea erectus, elevans oculos manusque expandens, & statim jungens ante pectus* (n) (*quod semper facit, quando aliquid est benedicturus*) *dicit,* (o) *Veni Sanctificator, &c. cum dicit; Et benedic;* (p) *signat manu dextra communiter super Hostiam, & Calicem,* (q) *sinistra posita super Altare.*

GAVANTUS.

(h) *Elevatum tenens.*) Ita ut cuppa Calicis non excedat oculos, neque sit infra os; ad differentiam elevati Calicis consecrati.

(i) *Offerimus tibi Domine.* Habet *Durand. loc. cit. c.* 30. ubi etiam indicat præcedentem, *Suscipe, Sancte Pater &c.* Oratio vero, *Deus, qui humanæ substantiæ, &c.* est S. Ambros. in Missa de Vigilia Nativitatis Domini; cui addita fuit mentio vini, & aquæ, & in hunc locum translata, usuque recepta.

(l) *Post Hostiam collocat.* Antiquiores a latere Hostiæ collocabant Calicem. *Innoc. III. lib. 2. c. 58.* testatur tamen *Durand. loc. cit.* communiter suo tempore poni Hostiam inter Sacerdotem, & Calicem. Calix autem hoc loco cooperitur cautelæ potius gratia, quam Mysterii, ait *Micrologus c. 10.*

(m) *In spiritu humilitatis.* Meminere hujus Orationis hoc loco *Steph. Edvens. c. 11. & Radulph. propos. 23.*

(n) *Quod semper facit.* Hoc intelligitur de manibus tantum, non de oculis elevandis, qui post Consecrationem defigendi sunt potius in Hostiam consecratam; & * item quando utraque manus est libera, nec earum altera est occupata ad Hostiam tenendam, seu Calicem, quod accidit paulo ante eorumdem Consecrationem. Neque enim deponenda est Hostia, vel Calix in eo casu, ut manus jungantur ad illud verbum *Benedixit.* Manus autem junctæ significant Divinitatem, & humanitatem Christi unitas; unde virtus emanat benedictionis, *Joann. Serranus.*

(o) *Veni Sanctificator.* Habetur *in Ordine Romano* * *& in Gallicano Ordine, teste Micrologo cap. 11.*

(p) *Signat manu dextera.* Ante Canonem, nullum invenio apud antiquos signum Crucis super oblata fieri, & hoc loco puto mutatum esse ordinem: nam *Innoc. præd. cap.* docet, accipi Patenam cum Hostia, & Calicem cum vino, facto super utrumque distincte signo Crucis a Celebrante. Hodie vero fit singillatim in deponendo utroque; & deinde communiter fit unum Crucis signum super utrumque jam depositum in Altari, ad commemorandam Christi Passionem, præter alias duas causas *n. 3.* allatas.

Ad formandas vero Cruces manu dextera, regula sit juxta peritiores Romæ hac de re consultos, ut formentur duæ lineæ hoc modo ✠ prout in Missali, non autem quatuor; & lineæ illius puncta . . . non excedant mensuram palmi communis manus. Item *ex Innoc. III. l. 4. c. 1.* transversa pars Crucis fiat manu quoque transversa, non ea recta, qua ad abigendas a Calice muscas utimur. Agit hac de re fusius Tydeus Bonamicus in proprio tractatu. Hoc ideo *Leo IV. ad Episc.* videtur docere: *Calicem*, ait, *& oblata recta Cruce signate*: addit contra alium abusum: *Non in circulo, & varicatione digitorum.* Idem docuit *S. Carolus in Actis Ecclesiæ suæ par. de Missæ Cær.* * ut nimirum transversa manu pingatur pars Crucis transversa, tam super Hostiam, quam super Calicem, & super utrumque: in hoc autem ultimo casu ea pingi debet inter Hostiam, & Calicem, ita ut æqualiter fiat & Crux a Calice ad Hostiam, & transverse super oram anteriorem pallæ, quæ Calicem tegit, quod media esse solet inter Calicem, & Hostiam.

(q) *Sinistra posita super Altare. Innoc. l. 4. c. 10.* quia Christus per Altare significatus tribuit vim Benedictioni. *Jo. Seranus.*

Si facienda est oblatio populi, fiat dicto Offertorio, ante oblationem Hostiæ. *Acta Mediolan. Eccles. Jacobus in suo compendio.* Eulogiæ dictæ fuerunt, & fermentum ad distinctionem azymi panis: quæ oblata distribuebantur in fine Missæ, sive Sacramentalis Communionis. *Baron. anno 313.* Usus autem colligendi oblationes in syndone placet, & habetur *in ord. Rom.* Qui tamen Missas novas celebrant, non possunt circuire Eccles. ad oblationem, ex Decreto Sac. Congreg. Trid. Concil. *sess. 22.* neque in fine oblationis debet dari Benedictio. An vero populus osculari debeat Celebrantis manum, servetur lo-

locorum consuetudo; certo non in Missa Defunctorum.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, ab oblatione Calicis, usque ad manuum lotionem.

XII. Rubr. *Finita Oratione prædicta, accipit manu dextera Calicem.*) Extersis guttis in Calice, & posito purificatorio super Patenam, ut supra, Sacerdos relinquit Calicem in cornu Epistolæ: Bauldry *part.* 3. *tit.* 7. *Rubr.* 5. *n.* 1. atque a Portu *supra Rubr.* 6. *in adnot. n.* 7. unde ad medium Altaris accedens, non debet secum deferre prædictum Calicem. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 8. *c.* 5. *n.* 5. Quart. *par.* 2. *tit.* 6. *Rubr.* 6. *n.* 1. Bissus *supra* §. 40. Sed quia aliquando propter nimiam distantiam a medio Altaris ad cornu Epistolæ, a quo Calicem deberet assumere, cogeretur Sacerdos distendere nimis, & ineleganter brachium dextrum; ideo stans adhuc in cornu Epistolæ, antequam illac discedat, ut eat ad medium Altaris, manu sinistra in nodo deprehendens Calicem, deponit quidem illum in eodem Epistolæ cornu, sed prope Corporale a dicta parte Epistolæ. Angel. *par.* 3. *tit.* 7. *n.* 5. Vinitor *par.* 1. *tit.* 7. *in adnot.* §. 12. Postmodum Sacerdos junctis de more manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, & facit solitam Cruci reverentiam, mox sinistra manu super Altare posita, dextera, stans in medio Altari, accipit Calicem discoopertum per nodum, cui occurrens dum est prope medium Altaris, sinistra manu eum eadem manu accipit per pedem. Biss. & Gerv. *supra*.

XIII. Rubr. & Gavant. lit. h — *Elevatum teneas, ita ut, etc.*) Tenens igitur Sacerdos Calicem prædictum ambabus manibus elevatum, ita ut sinistra teneat eum per pedem, dextra vero per nodum infra cuppam; ita tamen ut Calicis cuppa non excedat oculos, neque sit infra os, seu infra mentum Celebrantis, ad differentiam elevati Calicis consecrati, ut optime notat Gavantus supra, ideoque pes elevetur ante pectus, sicut dictum est de Hostia. Quarti *par.* 2. *tit.* 7. *Rubr.* 5. Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 5. *n.* 7. Verumtamen pes Calicis tenendus est, non solum digitorum extremitatibus, sed manu, & digitis. Augelus *part.* 1. *titul.* 7. *n.* 49.

XIV. Rub. & Gav. lit. i — *Offert dicens: Offerimus tibi Domine etc.*) Sacerdos Calicem tenens elevatum, ut supra, offert cum debita intentione, dicens Orationem *Offerimus tibi Domine etc.* intentis tamen ad Deum oculis, nimirum ad Crucifixi imaginem, per totam dictam Orationem *Offerimus*. A Portu *supr. n.* 5. Bissus, & Gervasi *supra*. Quod si esset legenda prædicta Oratio, quia forte Sacerdos ipsius oblitus fuisset; tunc sufficeret elevare oculos initio Orationis, & statim eos demittere, ut super tabellam posset legere Orationem prædictam. Tonell. *Rubr.* 3. *n.* 1. & Gervasi *supra*. Dum Sacerdos offert Calicem, Minister cum quasi osculo receptam solam ampullam vini, vel in loco decenti reponit (facta prius Altari solita inclinatione, sive adsit Venerabile in Tabernaculo, sive non adsit; nisi sit consuetudo, ut idem Minister tantum se inclinet ad Altare, in quo non est Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti; quia tunc Bald. *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 16. illam improbare non audet, cum gravissimi Auctores id sentiant, & praxis faveat) vel reportat ad Credentiam: Bonamicus *part.* 1. *obser.* 6. *n.* 5. certe nullatenus eam collocet super Altare, vel ejus gradus. Bonamicus *supra*. An possit elevari manutergium super Altare extensum, ut a Celebrante possit facilius capi ad manus tergendas; unde non sit necessarium ut apprehendat illud Minister super brachium, aut manum sinistram; non conveniunt Doctores, ut supra *n.* 3. insinuavimus. Affirmativam sententiam tenent Gavantus *supra hoc tit. Rubr.* 2. *lit.* 1. Corsettus, & Vinitor, quos refert, & sequitur a Portu *supra n.* 6. sed noster P. Castald. in Praxi Sac. Cærem. *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 1. contrariam expresse docet sententiam, quamvis a Portu *supra* eum citet pro sua sententia affirmativa. Castaldi opinionem alii quoque sectati sunt, quos supra allegavimus, & quibus nos quoque adhæremus. Hanc opinionem secutus est etiam Solarius *in Cærem. Minim. part.* 3. *c.* 5. *n.* 4. & noster Magius *loc. cit.* asseverat, quod P. Raphael Aversa Generalis Cler. Min. & sapientissimus Theologus, postquam nostrorum morem intuitus est, eum commendavit, jussitque Clericis suis, ut imposterum illum omnes imitarentur. De hoc Ritu iterum erit sermo infra *num.* 23. Igitur juxta hanc sententiam Minister dum Sacerdos dicit *Offerimus tibi Domine*, reportat ampullas vini, & aquæ ad credentiam, ubi eas reponit, ac ampullam vini cooperit suo operculo: mox pro manuum lotione adaptat ampullam super brachium sinistrum; & accipiens pelviculam manu sinistra, dextera tenet ampullam aquæ: & sic manibus elevatis aliquantulum æqualiter inter se, & a pectore distantibus, cum debitis reverentiis iterum accedit ad latus Epistolæ, & supra gradus, si plures sint, sin minus ante predellam, aquam manuum lotioni præparatam tenet, expectando ibi Sacerdotem, ut docet Castaldus *supra*.

XV. Rub. a Gavantus lit. r. — *Post Hostiam collocata.* Finita a Sacerdote supradicta Oratione *Offerimus*, *&c.* Calicis pes ab eo detinetur elevatus a Corporali ad altitudinem trium circiter digitorum; Anonymus Italus §. *Terminato*: qui Calix ambabus manibus detinetur, & facit cum eo signum Crucis super Corporale, quod non debet excedere latitudinem palmi, in utraque linea t Baltassar *supra*, §. *Messovi*: Bissus *supra*, & Gerv. *cap.* 8. §. *Terminata*; & sit ambabus manibus, non autem una tantum, ut male quidam faciunt. Vinitor *supra*, & Gerv. *in Catalogo error. num.* 64. Non fiat prædicta Crux per puncta, sed per lineas æquales; & proportionali-

ter reliqua observentur, quæ de formatione Crucis facienda cum Patena *supra* exposuimus: itaque formatio lineæ directæ dictæ Crucis incipit ab extremitate posteriori Corporalis usque ad medium ipsius Corporalis circiter, nec hæc imaginaria Crucis formatio, cum alia pariter imaginaria, quæ cum Patena facta fuit, confundatur: Tonell. *supra Rubr.* 3. *n.* 3. linea vero transversa deducatur ferme super plicaturam transversam posteriorem supradicti Corporalis proportionaliter; a Portu *supra;* & sic hoc signum Crucis non formabitur super Hostiam, quod est animadvertendum. Tonell. & Gerv. *supra.*

Postea Calicem in medio Corporalis post Hostiam collocat ambabus manibus; sufficit autem, ut Calix distet ab Hostia per spatium alterius Hostiæ circiter, Biss. Castald. & Tonell. *supra* quidquid tradiderit Bonamic. *part.* 2. *n.* 18. debere nimirum esse spatium unius circiter palmi: non enim hoc colligi potest ex Rubrica, quæ dicit *Paulo post Hostiam*; quæ profecto male se explicaret, si per ly *Paulo post* vellet palmum significare: eumque Calicem deinde Palla cooperit non ad Mysterium, sed ad cautelam, ut docet Gavantus *supra:* assumitur autem Palla per manum dextram, sinistra posita super Altare, extra Corporale, vel ut alii volunt, retinente eadem sinistra pedem Calicis, aut nodum, ne forte Sacerdos in Calicem impingens nolens invertat, quod juxta Auctores citandos, semper observabit Sacerdos, sive cooperiat Calicem, sive discooperiat ad præcavendum idem periculum, præsertim post Consecrationem, Angeli *par.* 3. *tit.* 6. *n.* 5. Bonamic. *part.* 2. *n.* 3. quod periculum tamen, absque eo quod Sacerdos Calicem sinistra teneat, facile evitari poterit, si a propera festinatione se abstineat.

XVI. Rubr. & Gav. lit. m — *In spiritu humilitatis, &c.*) Cooperto Calice Sacerdos junctis manibus super Altare positis, tali forma, ut minores duo digiti tangant anteriorem partem Altariis, aliis super ipsum naturaliter junctis, aliquantulum, hoc est mediocriter inclinatus, dicit Orationem, *In spiritu humilitatis*, voce submissa, & secreta, *Rubr. supra,* postea erectus, elevans oculos ad Crucifixi imaginem, & illos statim demittens, & eodem tempore, quo elevat oculos, etiam expandens, & elevans usque ad humeros, jungensque statim manus ante pectus, sicut manus expanduntur, elevantur, & junguntur, dum dicitur *Oremus* ad Orationes. Gervasi *supra*; Angeli *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 2.

XVII. Rubr. & Gav. lit. — *Quod semper facit., &c.* Prædictum Ritum semper observare debet Sacerdos, quando aliquid est benedicturus, ut præscribit *Rubr. supra:* quæ quidem verba Rubricæ, nimirum circa modum elevandi oculos, & extendendi manus, intelligenda sunt solum de elevatione manuum, non oculorum, nisi in propriis locis aliud expresse notetur, quod probatur ex eo, quod multoties super Hostiam, & Calicem post Consecrationem Sacerdos facit Cruces, & tamen non debet elevare oculos, qui in Hostia consecrata figi debent.

Neque dicas hanc explicationem gratis afferri, eo quod Rubrica loquatur de Benedictionibus faciendis, & ideo non habere locum quoad Cruces, quas post Consecrationem facit Sacerdos, quæ non sunt Benedictiones, ut probat D. Thomas *part.* 3. *qu.* 83. *art.* 5. *ad* 4. cum non spectet ad Sacerdotes summum Caput omnium Sacerdotum benedicere; neque, inquam, hæc dicas: Cruces enim, quæ post Consecrationem fiunt, sunt in honorem Passionis Christi, quæ maxime in Cruce veneratur; vel etiam fiunt ad commemorandam virtutem Crucis; D. Thomas *supra.* Bissus *lit. C. num.* 595. §. 8. sed quidquid sit, opus fuit supradictam ponere distinctionem, quia nonnulli de hoc insipienter dubitarunt. Præterea notandum, quod dum dextera aliquid benedicitur, est observanda solum prædicta Rubrica, quando ambæ manus liberæ sunt: quia aliquando sinistra manus est occupata, & tunc manus elevari non possunt, neque jungi, sicut occurrit quando Sacerdos benedicit Hostiam statim a se consecrandam, & vinum in Calice; tunc enim manu sinistra tenet vel Hostiam, vel Calicem; item quando in Missa benedicit aquam, quo etiam tempore sinistra tenet Calicem. Bissus *lit. S. num.* 20. §. 42. & 44. Gav. *supr.* Bauldry *part.* 3. *tit.* 7. *Rubr. n.* 5. *in notis n.* 4. Tonell. *lib.* 2. *num.* 6.

XVIII. Rubr. & Gav. lit. o — *Veni Sanctificator &c.*) Sed ut redeamus unde discessimus, Sacerdos elevans oculos ad Crucifixi imaginem, expandens, & elevans usque ad humeros, & jungens statim manus ante pectus, ut *supra*, dicit: *Veni Sanctificator omnipotens æterne, &c.* voce submissa, & secreta.

XIX. Rubr. & Gav. lit. p. — *Signat manu dextera &c.*) Et posita manu sinistra extensa super Altare extra Corporale, dicens: *Et benedic*, format manu dextera extensa Crucem, non per quatuor puncta, ut diximus, sed per duplicem lineam, alteram scilicet rectam, alteram transversam, manente pariter dextera extensa super Calicem, & Hostiam. Biss. *sup.* §. 41. & a Portu *supra num.* 8. & hic sicut alibi quando Crux est communis Calici, & Hostiæ, oportet, ut advertunt multi, ne, dum faciunt primam lineam, interrumpant manum inter Calicem, & Hostiam, sed faciant æqualem, & erectam versus pectus: quamobrem, ut recte fiat inchoetur prima linea recta a medio pallæ anterioris, & secunda linea transversa ducatur prope oram anteriorem pariter pallæ, quæ mediare solet inter Hostiam, & Calicem. Bauld. *part.* 3. *n.* 6. Tonell. *supra num.* 7. & *tit.* 3. *Rubr.* 5. *n.* 1. Bonamic. *observ.* 9. *n.* 4. Lohner *part.* 2. *tit.* 18. *n.* 7. Gav. *supr.* Utraque linea extendatur æqualiter alta, a Calice ad Hostiam, non deprimendo manum super Hostiam super Corporali positam, in loco humiliori a Calicis cuppa. Bauldry, Tonell. Bonamic. Lohner.

XX. Gavant. eadem lit. p — *Transversa pars Cru-*

Crucis fiat manu quoque transversa, non recta.) Vult Gavantus, prædictam Crucem ita debere fieri, ut pars transversa dictæ Crucis, manu quoque transversa, & plicata, non recta, fieri debeat, qua, ait ipse, ad abigendos a Calice muscas utimur. Huic Gavanti sententiæ adhæret etiam Arnaud. *part. 2. tit. 7.* ubi ait: ita transversa pars Crucis fiat manu quoque transversa, idemque habet Solarius *in Cærem. Minimorum p. 3. c. 1. n. 15. Cærem. Minorum observ. & Cærem. Conventualium part. 2. c. 2. n. 9. & Cærem. Cleric. Regul. S. Pauli cap. 7. n. 11.* ita præscribens: *Transversum Crucis fiat quoque manus transversa.* Verum Cruces in Missa super oblata, manu semper extensa, rectisque digitis efformari oportere, ita ut etiam in transversalis lineæ ductibus non debeamus manum invertere, & prima recta linea a transversa, ac plicata manu scindenda non sit, sed eadem manu extensa, & digitis pariter rectis formanda sit linea hæc secunda, docet diserte Pater Castaldus *lib. 2. c. 6. n. 8. in Cærem. nostræ Congregationis, & in praxi Sac. Cæremoniarum lib. 2. sect. 7. c. 3.* his verbis: *Dum signum Crucis super oblata, vel alia benedicenda format, caveat Sacerdos, ut quasi quatuor puncta formans, Crucem designet, neque manum, aut illius digitos inflectat. Sed semper extensam manum, ejusque digitos omnes tenendo, duas æquales lineas, alteram quidem rectam, alteram vero transversam, quæ per medium, rectam lineam prius figuratam intersecet, distincte formet, advertens iusuper, ne nimis celeriter, sed regulariter, aut uniformi motu, quasi calamo lineas designans, affectatione semota, manus ipsas ducat, atque deducat.* Castaldus subscribit Quarti *part. 2. tit. 3. sect. 1. dub. 5.* ubi ait: *Lineam transversam formandam esse non manu transversa, sed extensa in rectum;* probatque hanc sententiam verbis superioris Rubricæ, quæ ita loquitur: *Benedicendo totam manum dexteram extendat omnibus illius digitis pariter junctis, & extensis: ita Rubr.* ubi nulla prorsus fit mentio de transversanda manu. Mox eadem Rubrica subnectit: *Cum rem aliquam benedicit, parvum digitum vertat rei, cui benedicit:* in quibus pariter verbis Rubricæ, nulla fit mentio de manu transversa: quapropter sententia Castaldi, & Quarti, est profecto Rubricæ conformis. Tota vis supradictæ Rubricæ posita est in illis verbis: *Parvum digitum vertat.* Non dicit digitos junctos, sive manum ipsam vertat, sed solum *Parvum digitum:* unde verissimum est lineas Crucis non esse formandas acumine totius manus, sed extremitate minoris digiti; ac propterea semper firmum remanet, manum dexteram nullo modo esse deflectendam in formanda linea transversali; sed semper debere remanere extensam in tota Cruce formanda, quia lineæ Crucis formantur extremitate minoris digiti, & non acumine, seu longitudine totius manus; & ita adimpletur dispositio Rubricæ, vertendo nimirum parvum digitum rei oblatæ, quæ benedicitur: e contra vero si deflecteret totam manum, non vertere Sacerdos parvum digitum oblatis, quibus benedicit, sed parti laterali Altaris; quod esset contra Rubricam.

Præter Castaldum, & Quarti docuerunt hanc sententiam etiam Card. Cantelmus in Cæremon. Missæ Priv. *cap. 6. §. 5.* Hagerer *tit. 7. §. 5.* Angel. *part. 3. cap. 14. in adnot.* & Magius *in galat. Relig. disq. 26.* Denique prædicta sententia confirmata fuit authentico Decreto S. R. C. vulgato die 4. Augusti 1663. & quod datur in nostro Indice *sub n. 406.* unde compellimur in hoc casu recedere a Gavanti, & aliorum sententia supra exposita. Advertendum hic est, quod dum Sacerdos dicit Orationem supradictam, *Veni Sanctificator &c.* ad verbum *Deus*, non debet inclinare caput, licet gratis contrarium doceat Polaccus *in Aphoris. p. 1. Cærem. 1.* & cum eo a Portu *sup. n. 15.* sed debet reverentiam solum facere, antequam discedat a medio Altaris post Benedictionem oblatorum, ut accedat ad cornu Epistolæ pro lavandis manibus. Bissus *supra §. 44.* & Monc. relatus ad Hippol. a Portu §. 97. Tonell. & Bauld. *supra.*

XXI. Gavant. lit. q. *Si facienda est Oblatio Populi etc.*) Si fiat oblatio a Populo, debet fieri, ut observat Gavantus *supra.* Superest addendum, quod Sacerdos post facienda Oblatione, aliquantulum retrahit se a medio Altari. Est etiam in usu apud quosdam, osculari rem offerendam, & manum Celebrantis post Oblationem, quod non videtur inconveniens, maxime quoad rem offerendam (abstineant tamen mulieres ab osculo manus Celebrantis) dummodo non fiat, ut etiam observat Gavantus in Missis Defunctorum, in quibus oscula omittuntur. Populo faciente oblationem, nunquam datur Patena osculanda, quia hoc prohibuit Sanctus Pius V. in Epist. ad Archiep. Taraconensem; Bauld. *Part. 2. c. 10. art. 1.* potest tamen exhiberi Crux, seu alia imago, juxta usum Ecclesiasticum: tandem advertendum, quod in Oratoriis privatis non possunt oblationes recipi. Bissus *tom. 2. lit. o, num. 4.*

De his Populi antiquis Oblationibus docte, & erudite discurrunt Cardinal. Bona *lib. 2. cap. 9.* Joannes Baptista Scortia; *de Sacrosanct. Missæ Sacrif. lib. 5.* Antonius Baldassarius *in sua Liturg. dilucidata, part. 1. c. 36.* Antonius Bellote *in suis observ. pag. 479. et seqq.* Hieronymus Columbus *de Angelica et Humana Hierarch. lib. 4. articul. 4. cap. 67.* Joann. Mabillon *in suo eruditissimo Comment. præfixo ad Ordines Romanos*, quos ipse evulgavit: Claudius de Vert. *tom. 2. suarum explic. Liturg. c. 2. num. 38. et seqq.* & recentissime noster P. Franciscus Berlendi in sua eruditissima dissertatione Italice exarata, & Venetiis impressa, cui titulus — Delle Obblazioni all'Altare; dissertazione Storica Teologica, &c.

RUBRICA.

6 *Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ; ubi stans* (r) *ministro aquam fundente,* (s) *lavat manus, id est extremita-*

tes digitorum pollicis, & indicis, dicens Psalmum, (t) *Lavabo inter innocentes, cum Gloria Patri, etc. qui versus Gloria Patri,* (u) *prætermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore a Dominica de Passione, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive.*

GAVANTUS.

(r) *Ministro aquam fundente.* Elevato prius ab eodem paullulum ab Altari manutergio, ut Sacerdos illud capere queat, & tenente pelviculam in sinistra, ampullam aquæ in dextera, cum osculo ampullæ, & debitis reverentiis fundit aquam; reposita deinde ampulla aquæ cum alia vini in loco suo, manutergium plicabit.

(s) *Lavat manus, ait Dionys. de Eccles. Hier. cap.* 3. *Lavatio, quæ summis, sive extremis digitis adhibetur coram Sanctissimi signis, observatur, quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes, et summarum partium expiationem, etc.* Itaque in signum fit puritatis animarum: *Clem. libr.* 8. *Constitut. Apol. c.* 11. ut puri accedamus, ait *Cyrill. Jerosolymit. Catech. Catech.* 5. *Mystagog.* extergit a tactu communium manuum, & terreno pane: *Ordo Rom. de Offic. Missæ, et Rub. lib.* 1. *in fine:* a veniali, & peccatorum reliquiis emundat: *ex Sanct. Thom.* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 5. *ad primum.*

(t) *Lavabo inter innocentes manus meas.* Habetur *in Liturgia S. Petri Græca: citat S. Germanus in Theoriæ rerum Eccles.* hæc eadem verba, cum agit de hac digitorum ablutione. Ad vers. *Gloria Patri*, qui potest dici, cum reditur, in medio Altaris caput inclinatur.

(u) *Prætermittitur, etc.* Vide quæ diximus *part.* 1. *tit.* 8. *num.* 1. neque illius loco dicendus est Vers. *Requiem*, quod aliqui scripsere.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ Privatæ, a fine Oblationis, usque ad finem lotionis.

XXII. Rubr. *Accedit ad cornu Epistolæ.*) Sacerdos, cum ad Orationem *Veni Sanctificator* benedixerit oblata, facta Cruci reverentia minimarum maxima, ut docent Biss. *lit. S. n.* 20. §. 45. & alii, junctis manibus ante pectus, accedit ad cornu Epistolæ: in prædicto tamen casu omittendam esse Cruci inclinationem deducitur ex Auctoribus, quos dabimus infra *n.* 28. ob rationem ibi adductam.

XXIII. Rubr. & Gav. lit. r — *Ministro aquam fundente, elevato prius ab eodem etc.*) Postquam pervenit Sacerdos ad cornu Epistolæ, ut dictum est, ibi stat, & Minister inclinans se se eidem Celebranti, ampullam aquæ quasi osculans, infundit parum aquæ in pelvim, donec Sacerdos det signum desinendi: sed ne aquæ guttulæ cadant supra Altare, aut Sacerdotis paramenta, Minister pelviculam, quasi ad cinguli altitudinem elevare debet ampullamque supra pelvim attollet, ad octo circiter digitorum mensuram, Castald. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 16. Lohner *part.* 3. *tit.* 9. *num.* 9. Illud etiam diligenter observare debet Minister, ut semper super eamdem pelviculæ partem aquam infundat, ne hac, illacque discurrens Celebrantis humectet totam manum. Præscribit præterea Gavantus *supra*, ut idem Minister elevet paullulum ab Altari manutergium, ut Sacerdos illud facile capere queat ad manus tergendas, sed juxta ea, quæ tradidimus *supra n.* 14. dictum manutergium debet Minister præ manibus, vel super brachio sinistro tenere, uti præter Doctores ibi allegatos, docet hoc etiam Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 22.

XXIV. Rubr. & Gavant. lit. s — *Lavat manus id est, etc.*) Prædicto modo aquam fundente Ministro, Sacerdos lavat ibi manus, id est extremitates digitorum pollicis, & indicis utriusque manus, non totas manus, non os, aut labia: Polacus *p.* 1. §. 16. Vinitor *p.* 2. *tit.* 7. *in adnotat.* §. 18. neque purificatorio, sed manutergio a Ministro sibi porrecto, non quidem in Altari, sed super Ministri brachio posito (ut diximus *in Observationibus, et Additionibus ad Rubr.* 2. *n.* 3. & mox *num.* 14. unde vide ibi, quæ dicta sunt) manus abstergat. Vinitor *supra*.

Dum digitos lavat, hoc non faciat super Altare, sed conversus ad Ministrum, aquam infundentem: dum vero digitos abstergit manutergio a Ministro porrecto, vertat se Sacerdos ad parietem Altaris in eodem cornu Epistolæ. Angel. *part.* 1. *sit.* 7. *n.* 53. & Aloysius Gherardi *c.* 7. *n.* 14. Postea Minister, recepto manutergio a Sacerdote, se inclinans descendit immissurus aquam in Sacrarium, aut alium locum congruum, aut in vasculum ad id deputatum, non autem super pavimentum, nisi ex necessitate, & tunc spargere debet aquam in diversas pavimenti partes; & Bonamicus *part.* 1. *observat.* 6. *num.* 6. & omnia reportet ad credentiam, factis debitis inclinationibus, & reverentiis, tam accedendo, quam recedendo ab Altari, manutergium plicat; & sumpta campanula, si opus est, redit ad gradum anteriorem infimum in cornu Epistolæ, ubi genuflectit, postquam fecerit consuetam inclinationem. Bonamicus *supra et part.* 1. *observ.* 11. *n.* 21. Lohner *part.* 3. *tit.* 9. *num.* 10. & Gervasi *in instruct. pro Minist. Missæ Privatæ cap.* 8. *num.* 9.

XXV. Rubric. & Gavant. lit. t — *Lavabo inter innocentes manus meas*) Sacerdos dum manus lavat, recitat Psalmum *Lavabo inter innocentes, etc.* non movens se ab eodem Epistolæ loco, ubi est; Bonamicus *part.* 2. *num.* 10. & omnes communiter, & dicit submissa, & secreta voce: ita autem lente versus dicti Psalmi prosequitur, ut totus Psalmus sit terminatus cum manuum abstersione: Bauld. *par.* 3. *tit.* 7. *n.* 2. Bissus *lit. S. num.* 20. §. 45. & in fine prædicti Psalmi *Lavabo* dicitur *Gloria Patri*.

XXVI. Rubr. & Gav. eadem lit. t — *Ad versum Gloria Patri, qui potest dici cum reditur.*) Con-

tra-

rovertitur a Doctoribus, an dici possit a Sacerote illud *Gloria Patri*, dum est in via, redeuno a cornu Epistolæ ad medium Altaris: & sentiam affirmativam amplectuntur Gav. *sup.* Anelus *supra n.* 51. Lohner *part.* 2. *tit.* 18. *num.* 8. rnaud. *tit.* 7. *num.* 11. negativam vero sententiam tuentur Bauldry *part.* 3. *supra n.* 3. Tonell. *upra Rubric.* 7. *num.* 3. Bordon. *cons. Reg. tom.* 2. Portu *supra num.* 6. & Gerv. *in instruct. Missæ riv. supra* §. *Fatta la suddetta Benedizione, &c.* x hoc ob hanc validissimam rationem, quia inlinatio capitis, qualem exhibere debet Sacerdos versus Crucem, dum dicit *Gloria Patri*, fieri debet sine motu locali personæ; ut docent Diana *part.* 10. *tract.* 3. *resp.* 34. & Bordonus *supra.* Potito autem, quod non possit dici in via, ut revera pace Auctorum, qui primam sequuntur ententiam, dici non potest ob rationem allatam, ubitatur, an recitari debeat dictum *Gloria Patri*, saltem in medio Altaris? Affirmant Tonelius, Bauld. *sup.* Baldass. *p.* 2. *c.* 3. Bissus *supra*; Gerv. *supra*; negant vero Corsettus *tract.* 2. *p.* 1. *sect.* 1. *n.* 22. Bordon. Diana *supra*, Petrus Ruiz, *in Ordin. celebrandi Missam p.* 3. §. 6. quibus nunc adhæret etiam ipsemet Gervasi *in MS. mihi communicato*, & censet cum prædictis recitandum esse *Gloria Patri*, in cornu Epistolæ, priusquam Celebrans ab eodem cornu Epistolæ discedat; & id revera colligitur ex verbis subsequentis Rubricæ, ubi habetur: *Lotis manibus, & illis ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris:* supponunt ergo prædicta verba recitatum esse integrum Psalmum, & per consequens etiam *Gloria Patri*, cum hoc sit pars Psalmi. Debet igitur illud recitare dum abstergit digitos, versa facie ad parietem Altaris in cornu Epistolæ. Certum est tamen, quod ubicumque ex his locis dicatur (quamvis supradictus secundus Ritus magis arrideat, quia est conformior Rubricis Missalis) semper Celebrans Cruci caput inclinat, inclinatione minimarum maxima; in quo conveniunt omnes, præsertim vero Bauldry, Tonell. Lohner, Gerv. Baldassar. Biss. & a Portu *supra.*

XXVII. Rubric. & Gavant. lit. u — *Prætermittitur, &c.*) Prædictus versus *Gloria Patri* prætermittitur in Missis Defunctorum; cum enim dicatur in signum lætitiæ, non habet locum in functionibus luctus: & advertendum, quod loco *Gloria Patri*, non est dicendum *Requiem æternam*, ut aliquos gratis fecisse refert Bauld. *p.* 3. *tit.* 7. *Rub.* 6. *n.* 3. & Bissus *supra* §. 45. Item prætermittitur versus *Gloria Patri* ad Psalmum *Lavabo*, in Missis de tempore a Dominica Passionis, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive. Sed utrum omitti debeat in Missis Votivis de Cruce, & de Passione, quæ dicuntur prædicto tempore Passionis, alibi resolvimus negative cum Bisso *lit. P n.* 55. §. 1. quia istæ non sunt Missæ de tempore.

RUBRICA.

7 *Celebrans, lotis manibus, eas tergit; & illis ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris; ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem,* (x) *Suscipe Sancta Trinitas, etc. qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, dimissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum; et versus eum extendens, et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata,* (y) *Orate fratres, et secreto prosequens, Ut meum, ac vestrum Sacrificium, etc.* (z) *perficit circulum revertens junctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium Altaris. Et responso a Ministro, vel a circumstantibus,* (a) *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, etc. (alioqui per seipsum, dicens, Sacrificium de manibus meis) ipse Celebrans submissa voce dicit, Amen; et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum dicit absolute sine Oremus, sine alia interpositione, Orationem, vel* (b) *Orationes secretas: cum dicit, per Dominum, jungit manus: cum dicit, Jesum Christum, caput inclinat; quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures dicendæ.*

GAVANTUS.

(x) *Suscipe Sancta Trinitas.* Hanc habent precem *Stephan. Edvens. cap.* 12. *et Micrologus. cap.* 11. * non ex aliquo Ordine, inquit, sed Ecclesiæ consuetudine. Inclinationem *Innocentius III. lib.* 2. *cap.* 60. meminit harum quinque Orationum, quas post Innocent. additas fuisse ideo putat *Bellarmin. lib.* 2. *de Missa cap.* 17. In medio Altaris nunc orat Sacerdos. *Dionys. de Hierarchia Eccles. cap.* 5.

(y) *Orate fratres.* Leo Papa instituit, *ex Radul. prop.* 23. sed de eo meminit *Sother de cons. dist.* 1. *hoc quoque, et Chrysost. homil.* 10. *in* 2. *epist. ad Cor. ut notat Durant. lib.* 2. *de Rit. cap.* 29. Reliqua cum silentio dicuntur; & cum paratur Consecratio, tacite precari Sacerdotem, docet *S. Clem. lib.* 8. *Apostol.* 12.

Oremus. Dicitur versus Altare; *Orate fratres* versus populum: quia hic alloquitur Sacerdos populum tantum, non autem seipsum. *Durand. lib.* 4. *cap.* 32.

(z) *Perficit circulum.* A dextra, ut antiqui loquuntur, ad sinistram Altaris: quia sinistra tristitiam sonat, & jam Passioni Christi appropinquat magis Sacerdos. *Circuivi*, ait David, *et immolavi.*

Psalm.

Psalm. 26. ostendens etiam se esse in sinistra, id est peccatorem, pro quo orari petit. *Durand. lib. 4. cap.* 14. Ad literam dici potest, perfici circulum, ut convertat se Sacerdos ad librum; ad quem semper se vertit, excepto unico casu, ante *Offertorium*, quod a Choro cantatur.

(a) *Suscipiat Dominus &c.* Paullo diversam hanc partem habet *Remigius Antissiod. in expositione Missæ*; hanc ipsam *Durand. lib. 4. cap.* 32.

(b) *Orationes secretas.* Explicavimus supra 1. *titul.* 12. * Dicit eas Sacerdos, *in medio versus librum*, hoc est, conversus ad librum, non recedens a medio. Hinc patet, aptandum esse librum prope Corporale, ut commodius legatur; non autem relinquendum eo loci, in quo lectum est Evangelium, licet hac de re taceat Rubrica.

Novæ Observationes, & Addit. &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a fine lotionis manuum, usque ad initium Præfationis.

XXVIII. *Celebrans locis manibus, &c.*) Lotis manibus Sacerdos, & cæteris peractis, ut mox diximus, manibus extersis, & ante pectus junctis, redit ad medium Altaris; redit autem convertendo latus dexterum ad Altare, ut naturaliter ambulet ad medium ipsius Altaris, a Portu *n.* 2. ubi stat erectus. Tonell. *supra Rubr. 7. n.* 1. Angel. *part.* 3. *tit. 7. n. 7.* Gervasi *supra §. Ritornato.* Benven. *supra pag.* 19. Utrum autem statim ac ad medium Altaris pervenerit, Sacerdos debeat facere consuetam inclinationem Cruci, dissident inter se DD. Affirmant Bissus *sup.* Lohner *p. 6. tit. 7. n. 7. lit. b* & etiam Tonell. *supra*; quamvis hic *in lib. 3. cap.* 1. §. 4. *n.* 2. ubi docuit, quod in accessu, & in recessu a Cruce sit facienda inclinatio, hanc opposuerit exceptionem: nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum a Rubrica præscribatur: & exemplum ipsemet dederit, ut in osculatione Altaris, & in inclinatione capitis exhibenda ad vocem *Deum* in principio Symboli: ideoque inhærendo huic suæ doctrinæ, potius excludere debebat in hoc casu Cruci reverentiam: nam hæc statim fiet, hoc est post oculorum elevationem, ut infra, in dicenda Oratione, *Suscipe Sancta Trinitas, &c.* Stando igitur prædictæ regulæ generali, tenenda est potius sententia negativa, nempe non esse faciendam in prædicto casu a Sacerdote Cruci inclinationem; ut docent Benvenuti *pag.* 19. & a Portu *supra Rubr. 6. n. 3. in adnot.* nisi tamen Sacerdos dum est in medio Altaris diceret *Gloria Patri*, quia tunc profecto inclinare deberet: sed hoc dicendum est potius in cornu Epistolæ, ut supra adnotavimus.

XXIX. Rubr. & Gavant. lit. x — *Suscipe Sancta Trinitas, &c.*) Stans igitur, ut supra, erectus Sacerdos in medio Altaris, oculosque ad Deum elevans, hoc est ad Crucifixi imaginem, & statim demittens absque manuum gesticulatione, tam in elevatione, quam in demissione; Polaccus *p. 2.* §. 16. manibus junctis super Altare positis, aliquantisper inclinatus, hoc est mediocriter, voce secreta dicit Orationem, *Suscipe Sancta Trinitas, etc.* manibus junctis, super Altare positis tali forma, ut minores duo digiti tangant anteriorem Altaris patrem, & ut alii supra ipsum Altare sint naturaliter juncti. Gav. Benev. & a Portu *supra*.

XXX. Rubr. & Gavant. lit. y — *Orate fratres.* Dicta prædicta Oratione *Suscipe Sancta Trinitas*, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, extra Corporale tamen, nisi hoc esset ita magnum, ut id commodè fieri non possit; Bissus *supra* §. 18. osculatur Altare in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque osculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram, vertit se ad populum, ut dicat *Orate fratres.* Hæc duo tantum verba *Orate fratres*, proferuntur voce nec submissa, sive secreta, nec alta, clara, & ordinaria, sed mediocri, extendens simul, ac jungens manus de more. Castaldus *lib. 2. cap.* 16. *num.* 2. Bissus *supra* §. 46. Bauldry *part. 3. cap. 2. num. 5.* & alii. Post dicta duo verba *Orate fratres*, ste aliquantulum Sacerdos versus populum, nec s tam cito vertat ad Altare, sicut quando dicit *Dominus vobiscum*, sed morulam faciat. Paris de Crassis *lib. 2. cap. 4.* Bissus *supra*, Tonell. *lib. 2. tit. 7. Rubric. 7. num. 3.* Bauld. *part. 3. tit. 7. Rubr. 7. n.* 1.

XXXI. Gav. eadem litt. y — *Leo Papa instituit, ex Radulpho proposit. 23.*) Gavantus ex Radulpho *propos. 23.* adstruit Leonem Papam instituisse prædictam precem, & de ea mentionem fecisse Sotherum *de Consec. dist. 1. etc.* Sed hæc eadem deprecatio *Orate fratres* reperitur, ut refert Serranus *p. 1. n.* 141. in Liturgiis S. Marci, & Jacobi, non quidem sub iisdem verbis, sed sub aliis, videlicet: *Orate pro offerentibus, ut servet præsentem Sacerdotem, qui ea offert, Dominum Deum supplices imploremus.* Alias hujusmodi formas refert Card. Bona *l. 2. c. 9. n.* 6. Itaque quamvis prædictam pacem instituerit Leo I. sub verbis, quibus modo fit; quoad substantiam tamen, vel sensum Apostoli tradiderunt; ut docet Stephanus Durantis *lib. 2. de Rit. cap.* 29. a Gavanto citatur.

XXXII. Rubr. & Gav. lit. z — *Perficit circulum, etc.*) Deinde sine ulla capitis, aut corporis ad populum inclinatione, vertit se Sacerdos ad illum, ut perficiat circulum; convertitur autem ad illum junctis manibus ante pectus a parte dextera Altaris, id est parte Evangelii; & dum se vertit perficiendo circulum integre, voce submissa prosequitur: *Ut meum, ac vestrum Sacrificium; etc.* Bissus, Tonellius, & Gervasi *supra*. Utrum autem Sacerdos debeat facere reverentiam Cruci, cum fuerit ad Altare reversus post dicta verba, ut supra; cum licet in Rubricis in hoc casu nullum habeatur verbum de reverentia facienda Cruci; Bissus tamen *tom. 2. lit. R n.* 82. sicut etiam Hippolytus a Portu *sup. Rubric. 7. in adnot. n.* 13. putant cum Tonellio *l. 2. tit. Rub. 7.* Sacerdotem facere posse in supradicto casu Cruci in-

inclinationem; quia cum antea terga verterit Cruci, est idem, imo plus, ac si ab Altaris medio discesserit.

XXXIII. Rubr. & Gav. lit. a — *Suscipiat Dominus.* (Dicto autem *Orate fratres*, Minister, seu circumstantes respondent, *Suscipiat Dominus, etc.* qui tamen hæc respondet, non debet statim respondere dicto *Orate fratres*, ut plerique faciunt; sed aliquantisper expectare, quia prius Sacerdos prosequi debet: *Ut meum, ac vestrum Sacrificium*, usque ad ultima verba *Patrem omnipotentem*: neque Sacerdos respondeat *Amen*, antequam Minister integre confecerit Orationem, usque ad postremas voces *suæ sanctæ*. Castaldus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 11. Bissus *lit. S. num.* 20. §. 46. Lohner *par.* 3. *tit.* 9. *num.* 10. Bauldry *supra num.* 2. *p.* 1. *cap.* 17. *num.* 21. Gervasi *supra.*

Quando Minister dicit *Suscipiat, etc.* remanet genuflexus, sed erectus corpore, & capite. Ita pariter in defectu Ministri, vel alterius respondentis, Sacerdos sibimet respondeat, dicens, *Suscipiat Dominus, etc. de manibus meis, etc.* erectus, & stans, dum hæc dicit, in eodem Altaris medio, manibus ante pectus junctis, & voce submissa. Bonamicus *part.* 2. *num.* 21. Gervasi, & a Portu *supra num.* 15.

XXXIV. Rubr. & Gav. lit. b. *Orationes secretas.*) Quo *Suscipiat* finito, sive a se dicatur, sive a Ministro, & non prius, Celebrans submissa voce, semper concludit, dicendo *Amen.* Deinde manibus extensis ante pectus, ut fit ad alias Orationes ante Epistolam, & stans in medio Altaris (sed conversus aliquantulum ad librum, ut possit commode legere, qui liber debet esse prope Corporale, Bissus *sup.* 32.) dicit absolute non solum sine *Oremus*, sed etiam sine *Dominus vobiscum* (quod significatur per illa verba Rubricæ superioris, & sine alia interpositione) ex libro, & submissa voce Orationem, vel Orationes secretas, & si plures sint dicendæ, primam concludit, sicut fit in fine primæ Orationis ante Epistolam. Si igitur unica Oratio sit dicenda, submissa voce eam dicit usque ad conclusionem exclusive; quam conclusionem alta voce legit. Si vero plures Orationes recitentur, debet primam Orationem terminare secrete per illa verba, *Per omnia Sæcula Sæculorum*, & debet sibi respondere *Amen*: Lohner *par.* 2. *tit.* 16. *n.* 2. Bauld. *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 1. Bissus *supra* §. 46. & Gervasi *supr.* §. *Quando*; deinde subjungitur secunda, tertia, &c. Oratio, sub unica conclusione. Lohner *supr.*

Notandum hic occurrit, quod dum Sacerdos stans in medio Altaris, aliquid in Missali reperire debet, sive Orationes secretas, sive aliud; quantum fieri potest, ut debet sola manu sinistra, dextera super Altare posita; ut ita fiant actus cum omnia decentia: sed valde laudabile erit, in Sacristia quærere omnia, & signacula suis locis aptare. At ubi ex necessitate adhibeatur dextera, manus ad invicem, non supra imponantur. Bissus *supra* §. 45. Tonellius *supra n.* 4. & a Portu *sup. n.* 19. Cum dicit *Per Dominum nostrum* jungit manus, concludit Orationes, sicut reliquæ concluduntur; cum dicit *Jesum Christum* (& non prius) caput inclinat, *Rubrica superior*, versus Crucem inclinatione minimarum maxima, a Portu *supra num.* 21. Gervasi *supra* §. *Avvertirà*. Si concludatur Oratio per aliam conclusionem, tunc non inclinatur caput; Gervasi *cap.* 5. §. *Terminando*, & a Portu *supra*; sed manu junguntur de more ad vocem. *In unitate*; Gervasi, & a Portu *supra*; quod idem facit (nempe jungit manus, & caput inclinat) in prima, & ultima tantum Oratione, non autem in mediis, quia istæ non terminantur per illam conclusionem. A Portu *supra.*

RUBRICA.

8 *Perventus autem in conclusione ultimæ Secretæ ad verba illa, Per omnia Sæcula Sæculorum, exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris,* (c) *depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti,* & (d) *intelligibili voce Præfationem. Cum dicit, Sursum corda, elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit, Gratias agamus Domino, jungit manus: cum dicit, Deo nostro, oculos elevat,* & *statim Cruci caput inclinat. Responso, Dignum,* & *justum est, elevatis, et extensis, ut prius, manibus, prosequitur Præfationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit Sanctus, junctis ante pectus manibus, inclinatus, voce mediocri prosequitur, Ministro interim parvam* (e) *campanulam pulsante. Cum dicit, Benedictus, qui venit in nomine Domini &c. erigit se, et* (f) *signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.*

GAVANTUS.

(c) *Depositis super eum manibus.* Ut omnem cogitatum temporalem deponat, & exercitio bonorum operum aditum sibi facit ad elevationem cordis. *Durand. d. cap.* 32.

(d) *Intelligibili voce, Per omnia Sæcula Sæculorum.* Ut assentiatur Populus, & confirmet sua voce, *Amen*, quæ Sacerdos secreto Deum precatus est. *Ex Ord. Rom.* & *Microl. cap.* 7.

De Præfatione egimus supra 1. *par. tit.* 12. Ritus etiam patent ex supradictis; nam quadrant singulis verbis ejusdem Præfationis. Non vertit se Sacerdos ad *Dominus vobiscum*, quia intentus est totus tunc ad Sacrificium, ut supra diximus, ex *Amalar. lib.* 2. *cap.* 9. lege supra *tit.* 5. *n.* 1. nec jungit manus ad *Per Christum Dominum nostrum.*

(e) *Campanulam pulsante.* Ter cum aliqua distinctione, tum in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandos adstantium animos ad proxima Mysteria; qua de re diximus *in* 1. *part. tit.* 20.

(f) *Signum Crucis sibi producit.* De hoc signo

in

in fine Præfationis. *Honor. in Gemma lib. 2. c. 42. Quia*, inquit, *signum Christi recipere se profitetur, cui mox in imagine, hoc est repræsentative, per Canonem contradicitur. Canon enim*, addit ille, *Christi Passionem proxime designat.* Sed sicut Hymnus primus Angelicus finitur cum signo Crucis, eodemque modo Symbolum; ita & alter hic Hymnus item Angelicus, non alio modo terminandus est, quam adhibito signo Crucis, & manuum junctione in fine.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ Privatæ, ab initio usque ad finem Præfationis.

XXXV. Rubr. Gav. lit. c — *Depositis super eo manibus etc.*) Dictis Orationibus secretis, Sacerdos cum pervenerit ad finem conclusionis ultimæ Orationis secretæ, ad illa scilicet verba: *Per omnia Sæcula Sæculorum* exclusive, stat in medio Altari; facie ad librum conversa, ut Præfationem legat, Vinitor *par. 2. tit. 7. adnot. §. 23.* depositisque super Altare manibus hinc inde extensis prope Corporale; quas manus antequam incipiat, *Per omnia Sæcula Sæculorum*, deponit absque capitis inclinatione, vel oculorum elevatione. Gervasi *supra c. 8. §. in fine;* Angel. *part. 3. tit. 8. n. 8.*

XXXVI. Rubr. & Gav. lit. d. — *Intelligibili voce per omnia Sæcula Sæculorum.*) Deinde dicit Sacerdos convenienti, & intelligibili voce, nimirum eadem, qua clare reliqua in Missa legi solent: *Per omnia Sæcula Sæculorum*, sive deinde talia verba sint finis Orationis ultimæ secretæ, sive principium Præfationis. Quart. *p. 2. tit. 7. Rubr. 1.* Post hæc verba prosequitur eadem voce Præfationem, dicendo, *Dominus vobiscum, etc.* Sed non jungit manus, retinet quippe illas immotas; a Portu *Rubr. 8. in adnot. n. 5.* nec vertit se ad populum, quia jam proximus Sacrificio, nullo modo se divertit ad aliud, ut tantum opus possit tota applicatione perficere. Amal. *l. 3. c. 9.* ubi ad nos moraliter erudiendos hæc habet: *Nec debet arator, dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.* Rursus Inn. III. de Mysteriis Missæ *cap. 12.* docet pariter idem dicendo, quod — Sacerdos non se vertit ad populum, quia cor habet sursum ad Dominum, jamque intentus est ad Sacrificium Altaris pertractandum.

XXXVII. Rub. *Cum dicit: Sursum corda.*) Elevat manus usque ad pectoris terminos, & non ultra; Tonellius & alii cit. a Portu *supra n. 6.* ita ut palma unius manus, digitis junctis in suis extremitatibus, respiciat palmam alterius manus. *Rub. sup.* Bissus, Lohner, & Gervasi *supra.*

XXXVIII. Rubric. *Cum dicit, Gratias agamus Domino, etc.* Jungit manus, sed prius elevat eas usque ad humeros, Bissus, & Gervasi *supra;* aliter operaremur contra Rubricæ dispositionem, quæ in qualibet manuum elevatione præfigit pro termino humerorum altitudinem. Ita *Rubrica 3. tit 4. supra.*

XXXIX. Rubr. *Cum dicit Deo nostro.* Oculos elevat ad Crucifixi imaginem, & statim caput inclinat; deinde demittit caput etiam inclinando inclinatione minimarum minima, dum profert prædicta verba *Deo nostro*, ita Hippolytus a Portu *supra num. 8. et 8.* quam inclinationem minimam etiam Minister exhibere debet; Bauld. *p. 1. cap. 17. num. 32.* respondetur deinde a Ministro, *Dignum, et justum est;* ut in Ordine Missæ: sed voce clara, & alta, sicut respondere debuit ad antecedentia.

XL. Rubric. *Responso, Dignum, et justum est.*) Sacerdos elevat, & extendit manus quemadmodum elevantur, & extenduntur ad Orationes, & sic perseverat, donec dicatur *Sanctus, etc.* Angel. *parte 3. titul. 7. numer. 8.* Gervasi *supra etc.*

XLI. Rubr. *Prosequitur Præfationem, etc.*) Deinde tenens elevatas modo supradicto manus, prosequitur Sacerdos Præfationem propriam, vel communem, juxta Rubricarum dispositiones (de quibus Præfationibus egimus supra *part. 1. tit. 12.*) eadem voce clare, & ordinarie. Quando in Præfatione communi, & aliis dicitur, *Per Christum Dominum nostrum*, non inclinat caput: Vinitor *part. 2. tit. 7. in adnot. §. 25.* Corsettus *tract. 2. part. 2. sect. 2. num. 4.* (nec unquam per totam Missam, dum dicit *Per Christum Dominum nostrum* sine verbo *Jesus* caput inclinet; una solum vice excepta, scilicet in Canone post Consecrationem, ante verba *Nobis quoque Peccatoribus:* Vinitor *supra*) e contra inclinat inclinatione minimarum media in Præfatione B. M. quando profertur hoc nomen: a Portu *sup. n. 11.* & a fortiori inclinat caput inclinatione minimarum maxima versus Crucem ad nomen *Jesu*, quando nominatur in prædicta Præfatione; sicut etiam Minister ad prædicta verba caput inclinare debet.

XLII. Rubr. *Cum dicit Sanctus, etc.*) Nec manus super Altare ponit Sacerdos, nec pectus percutit, Bissus *supra §. 49.* Bauld. *p. 3. Rub. 8. sup. n. 2.* Vinitor *supra §. 23.* quod nec facit Minister, Bauldry *part. 1. cap. 17. n. 32.* Vinitor *p. 2. tit. 16. n. 30.* sed junctis ante pectus manibus mediocriter inclinatus, voce media inter claram, & submissam, scilicet depressam in uno tono; Corsettus *tract. 2. part. 1. sect. 1. in addit. num. 4.* a Portu *supra n. 14.* & Gervasi *supra;* dicit *Sanctus etc.* atque prosequitur in tali voce mediocri usque ad finem. Anonymus Italus, Bonamicus *p. 1 observ. 7. n. 2.* & Gervasi *supra.*

XLIII. Rubr. & Gavant. lit. c. - *Campanulam pulsante.*) Minister interim, hoc est, dum Sacerdos dicit *sanctus*, parvam campanulam pulsat tei interpolatim, duobus ictibus pro singulis vicibus Bauld. *part. 1. et 3. supr.* Bissus *supr. §. 3.* Lohner *part. 3. tit. 9. n. 10.* Gavant. *supra dicta lit.* e ve uno continuato sono (quod tamen minus placet Vinitor *loc. infra citand.*) pulsat usque dum Sacerdos dicat *Benedictus etc.* tunc enim campanulam in secundo gradu, ad dexteram Celebranti

da.

Reponant. Vinitor *p.* 2. *tit.* 16. §. 30. Bauld. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 52. Lohn. *sup. p.* 3. *tit.* 9. 10. Gervasi in instruct. Ministr. Missæ privatæ *cap.* 9. *num.* 1.

XLIV. Rubric. & Gav. lit. f. — *Signum Crucis sibi producit, &c.*) Cum Sacerdos dicit *Benedictus, qui venit, &c.*) erigit se & corpore, & capite; & signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus juxta morem consuetum; & hoc idem Crucis signum eodem tempore sibi format Minister. Bauldry, Vinitor *supra, &c.* In formando dicto Crucis signo debet Sacerdos tenere hanc regulam: dum profert vocem *Benedictus*, signat frontem; dum profert *Qui venit*, signat pectus; illum profert *In nomine Domini*, signat humerum sinistrum; dum profert *Hosanna in excelsis*, signat humerum.

XLV. ead. lit. f — *Hic Hymnus non alio modo terminandus est, quam adhibito signo Crucis, & manuum junctione in fine.* Vult Gavantus, quod Sacerdos jungat manus solum post factum signum Crucis, sicut fit ad finem Hymni Angelici; cui Gavanti sententiæ subscribunt Bauld. *p.* 3. *tit.* 7. *Rub.* 8. & Vinitor, & Gervasi *sup.* in instr. Missæ Privatæ, necnon Benven. *pag.* 21. Biss. vero *sup.* §. 49. a Portu *sup. n.* 17. & Angel. *pag.* 1. *tit.* 7. *n.* 56. tenent non esse faciendam manuum junctionem: quia statim post factum signum Crucis, quod sequitur, est elevatio manuum cum elevatione oculorum, & deinde junguntur manus super Altare.

RUBRICA.

In Missa Solemni dicto, Oremus, Diaconus, & Subdiaconus (g) *accedunt ad Altare in cornu Epistolæ: Diaconus amovet Calicem, si est in Altari; vel si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena, & Hostia, coopertum palla, & velo* (h) *a collo sibi pendente,* (i) *manu sinistra tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat de credentia* (l) *detulit*, (m) *comitatus ab Acolytho ampullas vini, & aquæ portante: ipse Diaconus Calicem detegit, & dat* (n) *Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manus: Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio; Diaconus* (o) *accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice: Subdiaconus interim* (p) *ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit, Benedicite Pater reverende; qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem, Deus, qui humanæ, &c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat: & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebranti sustentans,* (q) *cum eo dicit, Offerimus tibi Domine, &c. quem postea positum in Altari, ut supra, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ,* (r) *ponit in dextera manu Patenam, quam* (s) *cooperit extremitate veli, ab ejus humero pendentis; qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione, ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, & in Feria sexta Parasceves* (t) *Patena non tenetur a Subdiacono.*

GAVANTUS.

(g) *Accedunt ad Altare.* Facta prius in locis suis post Celebrantem genuflexione.

(h) *A collo sibi pendente.* Indicat *Ordo Romanus*, & vocat Syndonem in collo ligatam: deponitur autem veluti parvum Calicis, & relinquitur super credentiam, ut expeditius portetur Calix.

(i) *Manu sinistra tenens.* Manu nuda, non autem cum velo pendente ab humeris; si vere in Sacris est Subdiaconus, ut par est.

(l) *Detulit.* Per breviorem viam defertur Calix ad Altare, & munus Subdiaconi est ferre Calicem in sinistra, quæ est vita præsens: *ex vetusto codice de Missa, quod Hittorpium.* Item ejusdem est parare Calicem. *Innoc. lib.* 2. *cap.* 58.

(m) *Comitatus ab Acolytho.* Qui tamen Subdiaconum sequitur, non præcedit; neque ab alio, quam uno ex prædictis duobus.

(n) *Patenam cum Hostia.* Ita *Ex Concil. Anchoryano, seu Ancyrano* 50. *dist. Presbyteros*: datur autem cum osculo manus Celebrantis, & prius Patenæ.

Si adsint Particulæ consecrandæ pro Communione solemni, delata Pyxide ad Altare paulo ante Subdiaconum a Cæremoniario, seu Sacrista, eam Diaconus aperit, & collocat super Corporale, antequam tradat Patenam Celebranti, & eamdem elevat parumper; *ex Cærem. Episcop. lib.* 2. *cap.* 29. dum Celebrans Hostiam offert; qua deposita & ipse deponit Pyxidem, cooperit, & collocat post Calicem, ut supra.

(o) *Accepta ampulla vini de manu Subdiaconi.* Hoc est, Diaconus, manu sinistra Calicem per nodum tenens, accipit ampullam vini de manu Subdiaconi; qui eamdem accipit de manu Acolythi (uterque vero accipit sine osculis nec ampullæ, nec manuum) & infundit vinum in Calicem; Diaconi enim est componere Calicem in Altari. *Inn. præd. cap.* 59.

(p) *Ampullam aquæ.* Hanc accipit ab Acolytho sine osculis Subdiaconus, & parum inclinatus ostendit Celebranti. Olim aquam ipsam Celebranti tradebat infundendam ab eodem; *ex Innocent. loc. cit.* nunc ipse infundit.

(q) *Cum eo dicit, Offerimus.* Habet *Durand. præd. c.* 30. neque Sacerdotibus licet de mensa Domini tollere Calicem, nisi eis tradatur a Diacono. *Isidor. lib. de Eccl. Off. cap.* 8. Verbum *Offerimus*, convenit duobus saltem; & ideo Diaconus idem dicit cum Celebrante.

(r) *Ponit in dextera manu Patenam.* Docet *vet.*

co-

codex de Missa, poni in spem vitæ æternæ post Calicem hujus vitæ, in sinistra ab eodem Ministro delatum: dextra enim vitam æternam designat; & Patena rotunda æternitatem indicat. *Durand. cap.* 50. Subdiacono, non aliis datur tenenda. *Ex Innocent. III. cap.* 59.

(s) *Cooperit extremitate veli.* Ex Decreto Sylverii Papæ, ait *Petrus de Ruiz in suo Cæremoniali*, quia Mysteria adhuc sunt tegenda; *Hugo Victor. de Offic. Eccles. lib. 2. cap.* 23. vel quia latibulum significat discipulorum prope Passionem. *Innocent. cap.* 59. Pars vero interior Patenæ Subdiaconum respicere debet, ea enim est nobilior, ut patet.

(t) *Patena non tenetur.* Ritus lætitiam connotans de æterna vita, quod paulo ante adnotavimus: Patena velata, non convenit Defunct. Missis.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a fine Offertorii, usque ad incensationem Oblatorum.

XLVI. Rubr. & Gavant. lit. g — *Accedunt ad Altare.*) In Missa Solemni, dicto a Celebrante *Oremus*, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt in locis suis post Celebrantem. Gavantus *supra*, Bauldry *part.* 3. *tit.* 11. *art.* 7. *num.* 1. & Celebrans submissa voce, junctis manibus recitat Offertorium, *Bauld. p.* 3. *sup.* Biss. *lit. E n.* 197. §. 84. Subdiaconus vero per planum vadit ad credentiam, ad Altare reversus, ut infra dicemus. Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *& part.* 3. *supra n.* 2. Cosettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. Bissus *supra*.

An Diaconus statim post cantatum *Oremus*, debeat ascendere ad Altare, non conveniunt Doctores. Castald. *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 15. Bauldry & Biss. *sup.* necnon Abbas Benven. *in Missa Solemni* §. *Dum in Choro*; & de Bralion *p.* 2. *c.* 6. *n.* 1. affirmativam tenentur sententivam; negativam vero amplectitur Lohner *p.* 4. *tit.* 2. §. 2. *n.* 1. Verum ego Auctoribus primæ sententiæ cum Hippolyto a Portu *p.* 2. *de Miss. Solemn. tit.* 7. *Rubric.* 9. *in adnot. num.* 1. libentius adhæreo, ea ratione permotus, quia si Diaconus expectare deberet, donec Celebrans legerit totum Offertorium, ut docet Lohner *supra*, illa mora ad nihil inserviret.

Posito, quod statim, facta prius genuflexione, ut *supra*, in suo loco Diaconus ascendere debeat ad Altare, ut juxta nostram sententiam revera ascendere debet; oritur aliud dubium inter Rubricistas, utrum ad sinistram Celebrantis accedere debeat? Affirmat Castald. *supra*, Turrin. *p.* 2. *sect.* 3. *cap.* 3. §. *Finito Symbolo*: & Cosett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 9. negat vero Lohner *p.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 1. Bissus *supr.* Benven. *supra* de Bralion. *supr.* Bauldr. *part.* 1. *cap.* 12. *et part.* 3. *supr.* in quam negativam sententiam pariter descendit a Portu *supra*: quia hoc ipso, quod ad sinistram Celebrantis, seu ad librum Diaconus pervenisset, ut Celebranti assisteret in dicendo Offertorio, Celebrans Offertorii lectionem terminasset, vel ex toto, præsertim si Offertorium esset breve, vel ex parte quasi totali: quare Diaconus non inserviret assistendo Celebranti, ut Auctores contrariæ sententiæ intendunt: volunt enim ipsi, ut clare legitur in Turrino citat. quod Diaconus se conferat ad librum Missalem, ut monstret Offertorium Celebranti. Ex alio capite cogeretur Diaconus statim a sinistra Celebrantis discedere, & ad ipsius dexteram transire, ut adversarii fatentur. Igitur Diaconus facta genuflexione in loco suo post Celebrantem, ut supra dictum est, statim ad ipsius Celebrantis dexteram accedat; ut etiam videtur disponere superior Rubrica, quæ dicit: *Dicto Oremus, Diaconus, et Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ*: en igitur, quod conformior est Rubricæ, accessus Diaconi ad dexteram, quam ad sinistram Celebrantis. Ad Librum vero quod attinet, potius Cæremoniarius assistat, qui ideo ascendente ad Altare Celebrante, accedere debet per planum ad cornu Evangelii, cum debita inclinatione Cruci. A Portu *supra*.

XLVII. Rubr. *Diaconus amovet Calicem, si est in Altari.*) Diaconus vero, si Calix est ad Altare, quamvis magis deceat esse in credentia, ut docet *Rubr. superior*, facta genuflexione in loco suo, post Celebrantem, accedit ad ipsius dexteram, ut mox diximus; & amovens Calicem de medio Altaris, illum collocat versus cornu Epistolæ, ubi eum detegit, & Patenam offert Celebranti, eo modo, quo infra dicemus. Int rim Subdiaconus facta etiam genuflexione post *Oremus*, pergit ad credentiam, ut imponatur ei velum oblongum ab aliquo Cæremoniario, vel etiam ab aliquo Acolytho super humeros: Turrin. & de Bralion *supra*, & Benvenuti §. *Subdiaconus*: vel etiam extendit sibi adjuvantibus Acolythis circa humeros prædictum velum oblongum. *Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 10. §. 5. *et lib.* 2. *cap.* 8. §. 60. Tum procedit ad Altare, ut infra dicemus, ad cornu Epistolæ, sequente Acolytho. Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. *num.* 4.

XLVIII. Rubr. *Vel si est in credentia, ut magis decet, etc.*) Si vero Calix sit in credentia, ut etiam ex Rubrica magis decet, & omnino in ea esse debet; tunc Subdiaconus post impositum sibi velum oblongum, eo modo, quo paulo ante diximus, sed ita, ut pars dextera veli longius pendeat, ut præscribit Cærem. Episcop. *supra* ad hoc ut commode Calicem cooperire possit; Bissus *lit. S. n.* 196. §. 13. tunc, inquam, faciat, quod infra adnotatur.

XLIX. Gav. lit. h — *Deponitur autem velum parvum Calicis, etc.*) Imposito velo oblongo serico, vel auriphrygiato super Subdiaconi humeros, ut mox innuimus, controvertunt Rubricarum interpretes, an parvum Calicis velum amovendum statim sit a Calice, & in credentia relinqui debeat? Negant Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 15.

n. 13. Bralion *supra*; affirmat vero Gav. *supra*, Bauld. *p.* 3. *supr.* Bissus *supra*. Lohner *p.* 3. *tit.* 3. n. 11. Christiani *sect.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Carbin. *cap.* 3. n. 22. Benven. *sup.* Cærem. Presbyt. Congr. Missionis *tom.* 1. *p.* 2. *art.* 7. *n.* 1. sicut etiam a Portu *supr. n.* 4. cui affirmativæ sententiæ adhærendum esse crediderim: tum quia Rubrica Missalis nullam mentionem facit de prædicto parvo velo, licet sermonem habeat de omnibus, quæ cum Calice portari debent; tum quia Calix sine velo expeditius defertur. Amoveri igitur debet a secundo Cæremoniario dictum parvum velum, ut volunt Bissus, & Benvenuti *supra*: vel ab ipsomet Subdiacono, ut præscribit Cærem. Presb. Missionis loco citato, & postea relinquatur super credentia; quod quidem velum plicari exinde potest, vel a supradicto Cæremoniario, ut tenet Lohner *supra*; vel ab Acolytho, ut vult Venantius *tit.* 9. de Acolythis in Missa Solemni *c.* 2. *n.* 7.

L. Rub. & Gav. lit. i — *Manu sinistra tenes, &c.*) Subdiaconus accepto velo oblongo, ut supra, manu sinistra nuda, non autem velo pendente ab humeris cooperta, accipit Calicem, Gavant. *supra*, per modum cum suis requisitis, Biss. *sup.* hoc est cum Patena, super qua sit Hostia munda palla cooperta. Cærem. Episcop. *lib.* 2. *supr.* Tunc dictam partem longiorem veli super ea extendit, dextramque supra ipsum velum, & Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat; & sic ad Altare procedit sine ulla omnino genuflexione, quia non vadit, neque transit per medium; Biss. Lohner supra; & pergit ad cornu Epistolæ per viam breviorem, id est per latus Epistolæ, Bauldry; Bissus, & a Portu *supra*.

LI. Rubr. & Gav. lit. m — *Comitatus ab Acolytho. &c.*) Interim dum Subdiaconus defert Calicem, primus Acolythus, vel alius deputatus, accipit ambabus manibus ampullas vini, & aquæ, illasque elevatas usque ad pectus sine operculis, subsequens Subdiaconum, & non eum præcedens, Gavant. *supra*, defert ad cornu Epistolæ, porrigitque Subdiacono, *ut infra* prius ampullam vini mox aquæ.

LII. Rubr. *Ipse Diaconus Calicem detegit, &c.*) Subdiaconus cum pervenerit ad Altare, deponit super illud Calicem: tum Diaconus stans in eodem cornu Epistolæ, removet a Calice partem longiorem veli pendentis ab humeris ipsius Subdiaconi.

LIII. Rubic. & Gav. lit. n — *Patena cum Hostia, &c.*) Deinde dictus Diaconus Patenam cum palla accipit, & conversus ad Celebrantem, deposita Palla prope Corporale, ita ut facile apprehendi possit, Patenam cum Hostia discooperta Celebranti porrigit ambabus manibus; ita ut dextera ejus sit versus superiorem partem, & sinistra versus inferiorem; & ita, ut Celebrans suas manus interponere possit, eamque ambabus manibus capere valeat: prius tamen Diaconus, tum Patenam, tum Celebrantis manum osculatur. Gav. *sup.* Castald. Lohner & Bald. *supr.* Sed solus Celebrans Hostiam offert, Bissus *lit. C n.* 197. §. 35. more solito, dicendo Orationem *Suscipe Sancte Pater*, & postea deponit Hostiam super Corporale, ut mos est: Patenam vero deponit super Altare versus cornu Epistolæ: extra Corporale quidem, sed prope illud. At si Symbolum non diceretur, dicto a Celebrante *Oremus*. Subdiaconus imposito sibi velo, ut supra, defert cum Calice bursam Corporalium; & cum ad Altare pervenit cum supradicto Ministro, Diaconus ambabus manibus eum accipit (cui cedente locum Celebrante) ad medium Altaris accedens explicat Corporale prius in medio genuflectens, & bursam ponit in cornu Evangelii, & facta iterum genuflexione recedit a medio (& Celebrans redit ad medium Altaris ut prius) deinde redit ad Subdiaconum, ubi cætera peragit ut *sup.* Bauld. *p.* 3. *sup. a.* 7. *n.* 3. Biss. *lit. S. n.* 196. §. 14. Turrin. *part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 5. §. *Finito Symbolo.*

LIV. Rubric. *Subdiaconus extergit Calicem cum purificatorio*) Interim, dum scilicet Celebrans Hostiam offert, Subdiaconus sinistra manu Calicem per nodum accipiens, & dextera manu purificatorium assumens, digitis ejusdem dexteræ manus in Calicem immissæ, cum purificatorio extergit; *Rub. sup.* Bauldry *art.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 27. quod purificatorium deinde nodo Calicis circumvolvit, sicque Calicem statim extersum sine osculis in manus Diaconi tradit. Lohner *part.* 3. *tit.* 3. Bauldry *supra.*

LV. Rubr. & Gavant. lit. o — *Diaconus accepta ampulla vini, &c.*) Postquam Diaconus a Subdiacono Calicem accepit, eum sinistra tenet in nodo, non elevatum, sed super Altare positum, &c. Bissus *supra* §. 36. & statim dextera manu ampullam vini de manu ejusdem Subdiaconi recipit, qui eamdem de manu Acolythi accipit, utroque dante, id est Acolytho, & Subdiacono, omnino sine aliis osculis. Gavant. *supra littera* o Bauldry, Lohner, & alii.

LVI. Rub. & Gav. lit. p *Ampullam aquæ.*) Dum Diaconus vinum in Calicem infundit, Subdiaconus ampullam aquæ ab Acolytho sine osculis in dextera manu per manubrium acceptam parum elevans, & ostendens benedicendam Celebranti, versus illum aliquantulum inclinatus, dicit submissa voce: *Benedicite Pater reverende.* Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *sect.* 7. *supra*, Nicolaus de Bralion *supra n.* 3. & Celebrans tunc facit versus aquam signum Crucis) signum manu sinistra pectori admota) dicendo eodem tempore: *Deus, qui humanæ substantiæ, &c.* & non prius; Cærem. Missæ Privatæ *capit.* 6. *de faciendo signo Crucis* §. 3. *n.* 1. quam Orationem manibus ante pectus junctis prosequitur. Bissus *lit. C n.* 197. §. 36. de Bralion *sup.* a Portu *sup. n.* 14. & interim Subdiaconus paucas aquæ guttas in Calicem infundit; deinde reddit ampullam Acolytho, tradita ei prius ampulla vini, quam a Diacono recepit, ibique remanet, Bauld. *sup.* Bissus *lit. S. supra*

Si adsint Particulæ consecrandæ pro Communione

nione Fidelium, serventur ea, quæ traduntur a Gavanto *supra*; cum quo conveniunt etiam Bauldry, & Turrin. *supra*, necnon Biss. *lit. D n.* 123. §. 29. qui addunt, ut Pyxis, seu Calix talium Particularum, post Oblationem factam, collocetur a Diacono semper super lapidem consecratum, sive super Altare portatile, post Calicem.

LVII. Rubr. & Gav. lit. q. — *Cum eo dicit Offerimus, &c.*) Post infusionem vini, & aquæ in Calicem, Diaconus, si guttæ disperse appareant, ut facile accidere potest, intra Calicem, abstergit purificatorio. Mox tenens Calicem sinistra per nodum, & dextera manu per pedem, vel alio commodiori modo, si fieri potest, porrigit Celebranti prædictum Calicem, cum osculo pedis ipsius Calicis, & deinde manus Celebrantis; quem Celebrans capiens ambabus manibus, dextera scilicet nodum, sinistra pedem, illum offert simul cum Diacono, qui sua dextera, sinistra infra pectus admota, tangere debet pedem Calicis, seu brachium dexterum Celebrantis sustentare; simulque cum illo dicit idem Diaconus Orationem, *Offerimus tibi Domine, &c. Cærem. Episc. l. 2. c. 8. §. 68.* & Rubr. supra: Castaldus tamen *lib. 1. sect. 7. cap. 1. num. 15.* docet Diaconum in prædicta circumstantia debere sinistra sua brachium Celebrantis, dextra vero pedem Calicis sustentare: sed Bauldry, Lohner, & alii innixi verbis Rubricæ, quæ loquitur cum particula disjunctiva, firmiter tenent id, quod nos supra tradidimus.

Major insurgit difficultas in quærenda ratione, ob quam Diaconus concurrat simul cum Celebrante ad offerendum Calicem, non vero ad offerendam Hostiam; cujus rei nullam rationem reddit Gavantus. Dicerem itaque super hoc, ideo juxta Rom. Ritum prædictam Orationem *Offerimus tibi Domine, &c.* in oblatione Calicis non solum a Sacerdote, sed etiam a Diacono recitari, tum quia Diaconus antea vinum Calici infundit; tum quia antiquitus idem Diaconus Sacratissimum Sanguinem populo ministrabat, juxta illam Laurentii sanctissimi Diaconi ad Sixtum Pontificem querimoniam; quem cum ad Martyrium properantem videret, ipse cupidus Martyrii sic sanctum sacerdotem loquens, dicebat: *Quo sacerdos sancte sine Diacono properas? numquid degenerem me probasti? experire utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem. Sanguinis*, inquit, non Corporis sub specie panis; utique, & hoc dicturus, ait noster Caracciolus in notis doctissimis *ad cap. 9. primæ partis nostrarum constitutionum num. 4.* si Diacono id quoque licuisset. Stet igitur primoribus Ecclesiæ temporibus, Diaconorum munus præcipuum fuisse, communicantibus sub utraque specie Calicem Sacrum porrigere; in cujus rei comprobationem multa veterum testimonia affert Martene *lib. 1. de antiquis Eccles. Ritib. cap. 4. art. 10. n. 5.* id tamen Diaconibus vetitum fuisse innuit S. Chrysostomus homil. 46. in Matthæum, ubi sic loquitur — *Non vides qualiter soli sacerdoti licet Calicem Dominici Sanguinis præbere?* E contra sunt, qui adstruant ex Justino Martyre in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, Diaconos ex pane, & vino, & aqua consecratis, partes distribuisse unicuique præsentium, & ad absentes detulisse. In Concilio Arelatensi II. Can. 15. statutum est, ut Diaconus *Corpus Christi præsente Presbytero non præsumat;* cui succinit Concilium Carthaginense IV. Can. 38. Sed hæc ostendunt dumtaxat variam fuisse locorum diversorum circa Ministrum Communionis consuetudinem; Romæ tamen certum, quod Corpus ministrabat solus Celebrans, ut fatetur etiam Martene loc. cit. Calicem vero etiam Diaconus porrigebat, & ad absentes Acolythus Sacra dona deferebat: unde saltem juxta Romanam priscam disciplinam subsistit ratio adducta, ob quam Diaconus est consors cum Sacerdote oblationis Calicis, non vero Hostiæ.

Præterire hoc loco non debeo, quod supra allegata verba a Divo Laurentio prolata eruuntur ex D. Ambrosio *lib. 1. Offic. cap. 41.* ubi tamen hæc præcisa leguntur: *Experire certe, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis Consecrationem:* sic scriptum est in antiquis codicibus tam editis, quam MS. non *Dispensationem*, ut in vulgatis libris correctum est. Huic autem lectioni, ut optime notat Card. Bona *lib. 1. c. 25. rerum Liturg. n. 4.* nullatenus formidandæ, aut corrigendæ, sed omnino restituendæ, favet contextus, nam sequitur: *Cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui Sanguinis negas?* Consors, scilicet, erat Diaconus Consecrationis, & consummationis Sacramentorum: & Ambrosius modo loquendi illius Sæculi, non de consecratione Sacramentali, sed Ministeriali locutus est: certum est enim, quod Diaconus non consecrabat Sanguinem Christi, sed eo a Sacerdote consecrato sanctificabat, & quodammodo consecrabat populum, ipsum Sanguinem Dominicum ei ministrando, & dispensando.

Cæterum prædicta formula, *Offerimus tibi Domine*, ita in numero plurali pronuntiata adhibetur utique a Sacerdote, etiam in Missa Privata, dum celebrat sine Diacono, quia formulæ pro Solemni Missa institutæ, ut notat laudatus Bona eodem *tit. c. 9. n. 5.* non mutantur in Privata. Hujus verbi *Offerimus* meminit Augustinus *lib. 22.* adversus Faustum Manichæum *cap. 21.* dicens: Quis enim Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: *Offerimus tibi Petre*, aut *Paule*, aut *Cypriane*? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.

LVIII. Rub. & Gav. lit. r — *Ponit in dexteræ manu Patenam.*) Facta Oblatione Celebrans solus more solito, id est, facto signo Crucis cum Calice, ponit eum super Corporali in medio retro Hostiam, ita ut Hostia sit inter ipsum Celebrantem, & Calicem. Cærem. Episc. *l. 2. c. 8. §. 63.* Biss. *tom. 1. lit. C §. 38.* & statim Diaconus prædictum Calicem Palla cooperit, *Cærem. Episc. sup.*

Tum

Tum Diaconus accipiens de Altari Patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi stantis in cornu Epistolæ; *Cærem. Episc. sup. & Rubr. supra*, ita pars nobilior Patenæ, hoc est pars interior respiciat ipsum Subdiaconum. De Bralion *sup.* Gav. *sup. lit.* f.

LIX. Rubr. & Gav. lit. f — *Cooperit extremitate veli, &c.*) Collocatam, ut supra, in manu dextera Subdiaconi Patenam Diaconus cooperit extremitate veli ab humeris dicti Subdiaconi pendentis a parte dextera; *Cærem. Episc. lib. 2. c. 8. §. 63.* adjuvante tamen Cæremoniario; Bauld. *p. 1. c. 13. n. 29.* Bralion *supra;* & mox ipse Subdiaconus sine genuflexione vadit post Celebrantem ad medium Altaris in planum.

LX. Rubr. *Et facta genuflexione, ibi stat, &c.*) Ubi tunc, & non prius facta genuflexione super medium infimi gradus stat in eodem plani medio, Rubr. *sup.* de Bralion. *sup.* Bauld. *part. 1. cap. 13. & part. 3. sup. n. 8.* Lohner *part. 3. tit. 3. n. 11.* nec amplius genuflectere debet, nisi ad elevationem Sanctissimi Sacramenti, ut infra (quamvis Celebrans, aut alii genuflectant) nisi aliter notetur. Cabrinus *c. 3. n. 26.* Bauld. *part. 3. sup.* Lohner *supra.*

LXI. Rub. *Sustinens eam elevatam, &c.*) Subdiaconus, ut diximus, stans in plano, tenet Patenam elevatam ob oculos, usque ad illa verba Orationis Dominicæ: *Et dimitte nobis debita nostra: Rubr. supra Cæremonial. Episcopor. lib. 2. c. 8. §. 73.* sustinet, inquam, Patenam elevatam ante oculos, sinistra manu brachium dexterum sustentans. Polaccus *par. 2. §. 6.* Castaldus *lib. 1. sect. 7. n. 16.* a Portu *supra tit. 7. Rubr. 9. in adnot. n. 24.*

LXII. Rubr. & Gav. lit. t — *Patena non tenetur.*) In Missis autem Defunctorum, & in Feria sexta Parasceves, Patena a Subdiacono non tenetur, ut etiam suo loco dicetur. *Rubrica supra*, & Gavantus *supra.*

Superest advertendum, quod dum Diaconus Patenam Subdiacono porrigit, Celebrans prosequitur Orationem, *In spiritu humilitatis, &c.* & *Veni Sanctificator, &c.* & interim Acolythus defert ampullas ad credentiam; Biss. *lit. C. n. 197. §. 39.* Thuriferarius vero cum thuribulo, & Navicularius cum navicula, accedunt ad Altare; vel Thuriferarius solus cum thuribulo, & navicula simul, si non adsit Navicularius, ut initio Missæ. Bauldry *part. 1. cap. 11. art. 7. num. 9.*

Præterire etiam non debeo, quod in Cæremoniali PP. Augustinianensium *part. 4. cap. 4.* præscribitur, quod Subdiacono tantum in Missa Solemni datur Patena tenenda, non vero aliis inferioris ordinis, quando contingeret in aliquo casu necessitatis eos exercere Subdiaconi officium in Missa: sed ego non dubitarem etiam inferiori Clerico in tali casu posse Patenam tradi: scio enim id aliquando in Ecclesia Romana actum fuisse sine scrupulo, etiam extra casum necessitatis: id ostendo auctoritate Ordinis Romani III. a Mabillonio vulgati, in quo hæc lego *num.* 16. — Acolythus quando inchoat Pontifex Canonem venit sub humero habens sindonem in collo ligatam, & tenet Patenam in dextera parte ante pectus suum.

RUBRICA.

10 *Dicto, Veni Sanctificator, ut supra,* Celebrans, *ministrante Diacono naviculam, & dicente, Benedicite Pater reverende, ponit incensum in thuribulum,* (u) *dicens, Per intercessionem, &c. ut in Ordine Missæ. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam* (x) *incensat oblata* (y) *ter ducens thuribulum super Calicem, & Hostiam, simul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hostiam, scilicet; bis a dextera ad sinistram, & semel a sinistra ad dextram* (*Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra*) *dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo. In prima incensatione, Incensum istud; in secunda, A te benedictum, in tertia Ascendat ad te Domine, in quarta, Et descendat super nos: in quinta, et sexta, Misericordia tua. Deinde facta reverentia,* (z) *incensat Crucem, et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens,* (a) *Dirigatur Domine Oratio mea, etc. et cum incensatur Crux, Diaconus* (b) *amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce, reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit: Accendat in nobis, etc. et incensatur ab eo: deinde Diaconus* (c) *incensat Chorum, et postremo Subdiaconum tenentem Patenam; et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythos,* (d) *et Populum: Celebrans postquam incensatus fuerit; lavat manus,* (e) *ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula, et manutergio.*

GAVANTUS.

(u) *Dicens, Per intercessionem.* Ter imponit incensum, & semel illud benedicit in thuribulo; ita ut ad verbum *Benedicere*, manu dextra producat signum Crucis super thuribulum fumigans: Diaconus & Thuriferarius ministrant ut initio Missæ.

(x) *Incensat oblata.* Leo Papa Primus dicitur auctor incensationis oblatorum in memoriam Christi, *ex Radulph. propos. 23.* neque ubique antea erat in usu; *ex Microl. cap. 9. Ordo tamen Romanus* habet hunc Ritum de quo, & ejusdem causis supra *tit. 4.* * & Diaconus in hac incensatione retineat pedem Calicis dextra manu, ne cedat. *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 9. cum Missali.*

(y) *Ter ducens thuribulum.* Ita *Innoc. III. l. 2. cap. 57.* quo designari dicitur triplex unctio Mariæ; item, ut thuris & Crucis virtute malignus hostis effugiat: *Durand. cap. 31.* in modum Crucis, & in

& in modum coronæ fit incensatio; ut ex Passione Christi ad coronam Trinitatis fiat transitus. *Idem ibid.* Crux autem fit etiam in hoc casu, non veluti per quatuor puncta, ut *Crassius lib.* 1. *c.* 47. docuit, sed super Calicem, & Hostiam, *inquit Rubric.* in modum Crucis; neque demittendum est thuribulum, sicut in circulis sequentibus, in quibus thuribulum depressius ducitur, ita ut circumeat Calicem. Dexteram hoc loco, & sinistram Celebrantis intellige. Notat *Melchior Huelamus de Cæremoniis Missæ*, sexies incensari oblata; quia ante sex dies Paschæ ivit Jesus in Bethaniam; bis circum Calicem, & semel converso circulo, quia rediit Hierusalem ad ramos palmarum, & de Hierusalem rediit in Bethaniam: quæ, licet minutiora sint, non sunt contemnenda tamen.

(z) *Incensat Crucem.* Non Sacramentum, nisi sit expositum; & tunc genibus flexis in supremo gradu, ut dicemus infra.

(a) *Dirigatur Domine Oratio mea, &c.* Hæc idem *apud Alcuin. cap. de Celebr. Missæ* habetur.

(b) *Amovet Calicem.* Non extra Corporale, si capax est. Subdiaconus autem in tota hac incensatione nihil se movet. Thuriferarius, deposita navicula super credentia, amovet de Altari, & reportat librum, quando opus est, nisi adsit Assistens.

(c) *Incensat Chorum.* Comite Thuriferario, qui præcedit: & incensantur omnes, quia Christus communicat aliis odorem suum. *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 83. *art.* 5. & quia, quæ fecit Sacerdos, pertinent ad omnes. *Durand. cap.* 31. Item thurificatio repræsentat diffusionem gratiarum spiritualium in capite, & ab eo ad membra: *Idem lib.* 4. *c.* 4. in Choro autem incensandi stare debent quasi extra stallum, neque illi indecore inniti: se mutuo invitent, antequam quilibet incensetur a Diacono *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 23. in quo fusius præscribitur ordo incensandi Clerum.

Facit ad rem nostram hic ordo (nam de Canonicorum, & majorum incensatione, vide *cit. loc. Cærem. Episc.*) quod nimirum Celebrans, nullo majore præsente, cui triplex ductus thuribuli debeatur, triplici ductu incensandus erit; eo præsente duplici tantum ductu. Diaconus, Subdiaconus, & alii parati duplici ductu: Sacerdotes in Choro unico ductu; cæteri sine mora: inclinabit caput, qui incensat, ante, & post, iisdem usque ad Sacerdotes inclusive, nisi ita multi sint, ut incensatio finiri non possit ante finem Præfationis. Diaconus incensabit omnes de Clero, exceptis Acolythis, quos stantes apud credentiam incensabit Thuriferarius ante laicos de populo. Domini locorum minorum, de quibus in Cæremoniali prædicto nulla fit mentio, seu Magistratus, incensari poterunt a Thuriferario duplici, vel unico ductu, pro qualitate personarum, ii videlicet, quibus proprium scamnum, seu sedes ab aliis distincta parari solet: consuetudo locorum laudabilis in his attendi solet, ac pacem tum Cleri, tum laicorum conservandam in toto incensationis ordine, & Ritu.

(*d*) *Et Populum.* Incensat ter, primo in medio, deinde versus latus Epistolæ, quod est dexterum Populi, ubi mares divisi a fœminis stare solebant, & solent in Cathedralibus Mediolanensibus, & aliis, ex Decreto S. Caroli; tertio versus latus aliud cum honoris significatione ante, & post a Thuriferario adhibita. Ter autem ex communi usu, ut adsit Thuriferarius in tempore pro incensando Sacramento in ejusdem elevatione, & ut significetur diffusio gratiæ Christi in populum in nomine Trinitatis: stabit autem Thuriferarius incensans Populum in medio Presbyterii, vel fere a latere Evangelii, si expositum est in Altari Sacramentum, ne eidem terga vertat.

(e) *Ministrandum Acolythis.* Cum reverentiis debitis, & cum quasi osculis ampullæ, & manutergii ante, & post; sed stantes Acolythi, non genuflexi ministrant.

Ad *Orate fratres.* Subdiaconus respondeat: *Suscipiat &c.* & Celebrans tardius dicat secretas Orationes; ut Diaconus opportuno tempore redire queat ad dicendum *Sanctus, &c.* cum eodem. Cæremoniarius interim assistat libro, & folia vertat, quando Diaconus abest, nisi adsit Assistens.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, ab initio Incensationis oblatorum, usque ad Præfationem.

LXIII. Rubr. & Gavant. lit. u -- *Dicens, Per intercessionem, &c.*) Dicto a Celebrante *Veni Sanctificator, &c.* Thuriferarius vel Navicularius si adest, tradit Naviculam Diacono, qui eam tenet coram Celebrante (sicut & Thuriferarius thuribulum) & ministrat ut initio Missæ; unde resumenda sunt, & percurrenda omnia, quæ tradidimus in nostris Additionibus, & Observationibus ad Gavanti Commentaria in *Rubr.* 4. *tit.* 4. *hujus secundæ partis n.* 14. *& seqq.* & Celebrans ter imponit thus in thuribulum, dicitque, *Per intercessionem &c.* ad verbum Diaconi *Benedicere*, reddito prius cochleari eidem Diacono, qui illud recipit cum solitis osculis: semel manu dextera Celebrans producit signum super Thuribulum fumigans. Gav. *sup.* & Portu *sup.* Castald. *l.* 2. *sect.* 2. *c.* 14. Tum Diaconus tradit thuribulum cum solis osculis, ut in alia incensatione, Celebranti, cujus brachium dexterum, iterum dicimus, quasi sua sinistra sustentat.

Non levis emergit scrupulus circa verba illa *Per intercessionem Sancti Michaelis Archangeli, &c.* quæ habentur in precatione, quam profert Celebrans, dum, ut mox diximus, benedicit incensum, quod immittit in thuribulum. Cum enim Angelus, qui Zachariæ apparuit, & stetit a dextris Altaris incensi, Lucæ *c.* 1. sit Gabriel, affirmante ipso — *Ego sum Gabriel, &c.* videtur Michaelis nomen, non ab auctore hujus precationis eidem insertum, sed oscitantia librariorum intrusum: & equidem antiquissimi codices Liturgici non Michaelis, sed Gabrielis referunt nomen. Il-

ly-

rici Missa ab Eminent. Bona edita, ut alibi di-
i, ad calcem operis rerum Liturgicarum; Missa
illiani codicis a Menardo vulgata post Gregorii
acramentarium; MS. Pontificale Salisburgensis
cclesiæ, apud Martene *l. de antiq. Eccl. Rit. c. 4.*
rt. 12. Pontificale Sagiensis Ecclesiæ undecimo Sæ-
ulo exaratum, & allegatum a Petro Le Brun
om. 1. part. 3. art. 7. sicut & Missale plenarium
atis vetustum, quod extat in Bibliotheca Angelica
P. Augustinianensium Romæ, legunt *Gabrielis*,
on vero *Michaelis* in prædicta precatione. Cum
gitur nullus antiquior codex appareat, in quo
Michaelis nomen ibi legatur, dubitari non pote-
it germanam loci hujus esse lectionem, quam
ox laudati codices præferunt. Merito itaque piis-
imus, & eruditissimus Card. Thomasius hujus lo-
i emendationem exoptabat. Vidit difficultatem
arisiensis Missalis editor, eamque declinavit præ-
ermittendo nomen utriusque Archangeli *Michae-*
is, & *Gabrielis*, sed dicendo tantum in tali pre-
catione, *Per intercessionem Sancti Archangeli*,
ullum aliud nomen exprimendo, teste eodem Le
Brun loc. cit. In Missali vero Meldensis Ecclesiæ,
quod doctissimus Antistes Jacobus Bossuet edi cu-
ravit, locus iste fuit correctus, & *Gabrielis* no-
men loco *Michaelis* appositum. Miramur D. de
Vert, qui in nonnulla alia minoris etiam momen-
i, diligenter, & severe nimis censoriam virgam
exercuit, Orationem hanc nullis observationibus
illustrasse; cum tamen amplus animadversioni lo-
cus non deesset. Denique prætereundum non est
totam hanc precationem a PP. Prædicatoribus, &
Carthusianis omitti in suis Missalibus, nec adhuc
ab Ecclesiis Lugdunensi, Senonensi, Tullensi ac
Laudunensi fuisse receptam. Conatur laudatus Pe-
trus Le Brun sensum hujusce precationis tueri,
etiamsi legendum esset *Michaelis*, quia in Apoca-
lypsi *c.* 8. legitur, quod *Angelus stetit ante Alta-*
re habens thuribulum aureum; hic autem Ange-
lus creditur fuisse Michael; sed præterquam quod
in Apocalypsi nomen Michaelis non refertur, cer-
tum etiam est, quod auctor prædictæ precationis
mentem intendit ad Zachariæ factum; quocirca
non poterit non esse contorta quæcumque effinga-
tur explicatio, neque etiam contra manifestam
veritatem stare potest aliqua probabilis ratio, seu
conjectura, qualis est illa, quam loc. cit. affert
idem Le Brun de apparitione S. Michaelis in Mon-
te Gargano; in cujus historia legitur, quod visus
fuerit S. Michael in loco ubi ædificata est Eccle-
sia, tenens in manu sua thuribulum: unde est,
quod in Officio prædicti Archangeli recitatur illa
Antiphona: *Stetit Angelus juxta aram templi ha-*
bens thuribulum aureum in manu sua; hujusmo-
di, inquam, conjecturæ satis profecto non sunt ad
prædictam difficultatem eliminandam; cum nimis
manifestum sit auctorem precationis, mentem di-
rexisse ad exprimendum Angelum illum a Zacha-
ria descriptum, qui stabat a dexteris Altaris in-
censi, & qui eidem Zachariæ dixit: *Exaudita est*
Oratio tua.

LXIV. Rubr. & Gav. lit. x — *Incensat oblata, etc.*) Celebrans accepto thuribulo, nulla facta re-
verentia, etiamsi sit expositum SS. Sacramentum,
incensat oblata.

LXV. Rubr. & Gavant. lit. y — *Ter ducens thuribulum, etc.*) Incensat, inquam, hoc modo
juxta dispositionem Rubricæ ter ducens thuribu-
lum super Calicem, & Hostiam simul in modum
Crucis, ut præscribit Rubrica, & ut describitur
in sequenti delineata figura, non demittens, &
elevans per quatuor partes, ut multi faciunt, qua-
tuor puncta signantes: sed ter ducens æquali al-
titudine thuribulum in modum Crucis per duas
lineas, quarum prima erit directa, altera trans-
versalis.

TABVLA II.

In qua delineatur Ordo incensandi Oblata per modum Crucis



Primo igitur Celebrans ducit thuribulum a capite *fasciæ*, ubi adest *n.* 1. prope tabellam Secretarum usque ad extremitatem anteriorem ejusdem *fasciæ*; & ducendo hanc lineam dicit *Incensum*; deinde ducit thuribulum ut formet lineam transversam Cruci, incipiendo a capite *fasciæ*, ubi adest *n.* 2. in cornu Evangelii usque ad ejusdem extremitatem in cornu Epistolæ; & sic habebitur prima Crux; & dum ducit hanc lineam transversalem, dicit *Istud*.

Secundo ducit thuribulum a capite *fasciæ n.* 3. usque ad extremitatem, dicendo, *Benedictum*: & sic habebitur secunda Crux.

Tertio ducit thuribulum a capite *fasciæ num.* 5. usque ad extremitatem, dicendo, *Ascendat*, & tandem a capite *fasciæ n.* 6. usque ad extremitatem, dicendo, *Ad te Domine*; & sic habebitur tertia Crux: ad singulas prædictas Cruces proferri debent verba prout adnotavimus, & prout in exposita figura etiam continentur.

Crucis intersecatio debet fieri inter Calicis pallam, & Hostiam ad perpendiculum.

T A-

TABVLA III.

In qua continuatur Ordo incensandi Oblata per modum circuli

Celebrans formatis tribus Crucibus super Calicem, & Hostiam, ut supra descripsimus, demittens manum, & quasi tangens pede thuribuli mensam Altaris, incipit quartam incensationem ducendo thuribulum circa oblata.

Primo a dextera ad sinistram, incipiendo a capite *fasciæ*, ubi adest *num.* 7. in exposita tabula, & prosequitur donec perficiat circulum, dicendo hæc verba: *Et descendat super nos.* Peracto hoc primo circulo, paulisper suspendit motum thuribuli; & sic habebitur prima circuitio.

Secundo prosequitur quintam incensationem eorumdem oblatorum, incipiendo a capite *fasciæ*, ubi adest *num.* 8. & prosequitur donec perficiatur ejusdem *fasciæ* circulus, interim proferendo hoc verbum, *Misericordia*; quo prolato, & peracto circulo, iterum suspendit paulisper motum thuribuli; & sic habebitur secunda circuitio, & quinta incensatio.

Tertio denique, Celebrans ducit thuribulum a sinistra ad dexteram, incipiendo a capite *fasciæ*, ubi adest *num.* 9. & prosequitur donec perficiatur hic tertius circulus, dicendo hoc verbum, *Tua*, & sic habebitur tertia circuitio, & perfectio totius incensationis super oblata.

In qualibet ex his tribus circuitionibus proferantur verba a Celebrante, prout mox innuimus & prout notantur in quolibet circulo hujus tertiæ ta-

tabulæ. Hoc loco observandum superest, quod quamvis in mox delineatis duabus tabulis, Cruces, & circuitiones super oblata appareant inter se distantes; hoc factum est ex necessitate, quia in eadem *fascia*, & in eadem *linea* non poterant incidi verba dicenda in qualibet Cruce, & circuitione: cæterum tres Cruces super oblata, tresque circuitiones fieri debent in eadem linea, loco, situ, & modo, &c.

Hæc, quæ a nobis traduntur ita exacte pro incensatione oblatorum, collegimus ex Cæremoniali PP. Eremitarum S. Augustini.

Diaconus vero dum Celebrans supradicto modo incensat oblata, pedem Calicis tenet manu dextra & in tota incensatione, sinistra manu partem posteriorem planetæ Celebrantis sustinet; dexteram autem supra pectus tenet post incensationem oblatorum. Nicolaus de Bralion *par.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. Lohner *par.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 1. Bauld. *par.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *n.* 46. Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *c.* 2. *num.* 14.

LXVI. Rubr. & Gav. lit. z — *Incensat Crucem, etc.*) Postquam incensata fuerint oblata eo modo, quo descripsimus supra, & qui præscribitur a Rubrica superiori, Diaconus amovet Calicem e medio Altaris, quem tamen intra ipsum collocat versus cornu Epistolæ; & facta debita reverentia ab utroque, vel genuflexione, si adsit Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo, Celebrans prosequitur incensationem Crucis, qua peracta, facta iterum ei inclinatione profunda, & reposito a Diacono Calice in suo loco, prosequitur Celebrans incensationem Altaris, ut in principio Missæ: unde legenda sunt, quæ ibi tradidimus, & iterum videnda prima tabula, in qua optime describitur Altaris incensatio.

Prædictus Ritus removendi Calicem non observatur profecto ab iis, qui juxta antiquum morem adhibent magnum Corporale, quo Calicem obducunt, ut alibi diximus: quamobrem apud Carthusianos (qui antiquiorum Rituum cultores adhibent Corporale multo longius, latiusque, quam nobis sit in usu, & ejusdem parte posteriore cooperiunt Calicem, & Hostiam) non observatur hic Ritus removendi Calicem in prædicta Altaris incensatione; sicut nos facile præstare possumus, quia Calicem obducimus parva palla a Corporali sejuncta.

LXVII. Rubr. & Gav. lit. a — *Dirigatur Domine oratio mea, etc.*) Dum peragit Celebrans hanc secundam Altaris incensationem, recitat verba illa orationis, scilicet: *Dirigatur Domine, etc.* usque ad *Accendat, etc.* & ita dispensando prædicta verba; ut eodem tempore finem imponat orationi simul, & thurificationi. Atqui prædicta verba ita distribuunt, ut singulis prope ductibus, singula verba respondeant. Lohner *par.* 2. *tit.* 18. *de Ritibus Solemn. num.* 3. a Portu *supra n.* 12. Cum Celebrans terminata thurificatione reddit thuribulum Diacono, dicit: *Accendat in nobis; etc.* ut in Ordine Missæ.

LXVIII. Gav. lit. b — *Thuriferarius deposita navicula, etc.*) Dum Celebrans thurificat Altare, Thuriferarius, si non adsit alius, deposita navicula super credentia, vadit ad cornu Evangelii per planum, genuflectens in medio; & quando opus est, amovet Missale cum cussino de Altari, descenditque in planum, ubi stat, donec incensata sit pars anterior Altaris a latere Evangelii, tenens prædictum librum cum cussino, & faciem convertens ad Altare, & dicta parte anteriori incensata, reponit iterum librum cum cussino prope Corporale: mox genuflexione facta, descendit recta in planum; ac in medio iterum genuflectens a tergo Subdiaconi, pergit ad cornu Epistolæ, ubi stabit paulo post Diaconum, dum ipse incensabit Celebrantem; Bauldry *par.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. *n.* 13. Bissus *lit. T n.* 49. §. 6. vel Cæremoniarius Missale ab Altari removet, ne impediat incensationem; qua facta illud reponit. Bauldry *supra,* & de Bralion *par.* 2. *cap.* 6. *n.* 10.

LXIX. Rubric. *Et incensatur ab eo.*) Peracta tota incensatione Altaris, Diaconus accepto thuribulo, ut supra, descendit in planum a parte Epistolæ, ad cujus sinistram erit Cæræmoniarius. Thuriferarius vero post Diaconum, qui facta cum præfato Cæremoniario profunda capitis inclinatione Celebranti, eum triplici ductu incensat, & iterum caput profunde cum Cæremoniario eidem inclinat; cui præfatus Celebrans, ne medium quidem se inclinare debet, ut fecit in prima sui incensatione, de qua supra.

LXX. Rubric. & Gav. lit. c — *Incensat Chorum, comite Thuriferario.*) Postquam Diaconus incensavit Celebrantem in cornu Epistolæ, si Chorus sit ante Altare, antequam salutet Chorum incensandum, genuflectat Cruci. At si Chorus sit retro Altare, tunc Diaconus ab eodem loco, in quo Celebrantem incensavit, id est, a cornu Epistolæ, habens thuribulum præ manibus, accedit ad Chorum, præcedente Thuriferario: Bissus *lit. D n.* 122. §. 33. ex quo sequitur, quod juxta hanc sententiam Bissi, Diaconus debet in dicto loco a cornu Epistolæ, antequam discedat, genuflectere: quidquid docuerit Bauldry *par.* 3. *supra n.* 16. nimirum, quod in prædicto casu Diaconus debeat genflectere, quasi ante medium Altaris a dextris Subdiaconi cum Thuriferario. Cum autem pervenerit Diaconus ad Chorum, ut illum incenset, sicut debet ex munere suo, ut patebit ex Decreto infra citando; facta primo debita genuflexione versus Altare, deinde conversus, & stans in medio, salutat totum Chorum in gyrum, quem Diaconum, omnes in Choro existentes, debita inclinatione, & detecto capite resalutant, stantes, & urbanitatis gratia scamnis, seu stallis non adhærendo. Deinde Diaconus inchoat suam incensationem, incipiendo a dignioribus, gradatim tamen, sed præferendo illos, qui sunt a parte primi Chori, videlicet, ubi major Dignitas residet, deinde eos, qui sunt ex altera parte, & semper cum debitis reverentiis ante thurificationem: quod si ad-

adsint Prælati, vel Dignitates, vel Canonici Cathedralis Ecclesiæ, illis profundam reverentiam facere debet, non solum ante, sed etiam post thurificationem. *Ex Cærem. Canonic. Regul. c. 24.*

Utrum autem sint incensandi per ordinem ab uno Choro, deinde ad alium procedendo; an vero relictis inferioribus Chori primi debeant incensari superiores alterius Chori, & postea iterum redire ad primum Chorum, ut in eo inferiores incensentur, concludit Bissus, quod attendenda sit Ecclesiarum consuetudo; sed juxta Decretum evulgatum a S. R. C. die 10. Maji 1607. prius debeat Diaconus incensare superiores ex utraque parte Chori, relictis inferioribus, & postea iterum redire ad primum Chorum ad incensandos inferiores; nam in Decreto mox allegato, quod datur in nostro Indice, *sub n.* 62. ita responsum fuit *in Placentino ad tertium dubium* — Canonici omnes ex utraque parte Chori incensandi sunt ante Mansionarios, non obstante consuetudine in contrarium.

Dum Diaconus incensat digniores in Choro, Thuriferarius stare debet quasi ad latus ejus sinistrum; Bissus *lit. I. n.* 81. §. 2. & post incensationem dignorum retrahit se ad locum commodiorem prope aditum Chori, expectans ibi finem incensationis; Bissus *supra*, & Bauldry *supra n.* 17. & melius juxta aliorum sententiam, semper sequi debet a latere Diaconi, ut supra, quod mihi magis arridet, cum sit juxta communem praxim Basilicarum Urbis.

LXXI. Gav. eadem lit. c — *Se mutuo invitent antequam quilibet incensetur a Diacono.*) Illi, qui sunt incensandi, antea inter se mutuam inclinationem facere debent; ita ut alter alterum immediate sibi subsequentem capitis motu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam. Cæremonial. Episc. *l.* 1. *c.* 23. §. 20. Gav. *supra*, Bissus *supra* §. 3. & Bauld. *supra n.* 18. Quo vero ad resalutandum Diaconum incensantem, observari debet regula Cæremonialis Episcoporum loco mox cit. tradita, nimirum, quando, qui incensatur, est dignior incensante, nullam reverentiam incensanti facit, neque modicam; si sit æqualis, modicam reverentiam facere poterit; si sit inferior, debita capitis inclinatione incensantem resalutare debet. Bissus *supra* §. 3. Bauld. vero *supra part.* 3. *art.* 7. *n.* 28. dicit quod omnes incensandi, Prælatis exceptis, inclinare debent Diacono incensanti, ante, & post incensatione: quod si in Choro tanta sit multitudo Clericorum, ut incensatio finiri non possit ante finem Præfationis; tunc sufficit incensare separatim illos, qui sunt in sedibus superioribus; & reliqui inferiores poterunt incensari sine mora; ita ut finita sit incensatio paulo antequam dicatur *Sanctus.* Ita Bissus *supra* §. 7. & Bauld. *supra eod. n.* 18. Corsetus *tract.* 1. *c.* 11. *num.* 21.

LXXII. Gav. lit. c — *De Canonicorum, et majorum incensatione. Vide Cærem. Episcoporum.*) Quinam ordo debeat servari in incensatione Prælatorum S. R. E. & Regum, aut magnorum Principum, traditur a Cæremoniali Episcoporum *cit. l.* 1. *c.* 23. *a n.* 22. *usque ad n.* 31. *inclusive:* nos itaque solum hic subjiciemus Decreta S. R. C. quæ aliquid præscripserunt circa talem præcedentiam in thurificando.

Clerici parati thurificandi sunt, ratione paramentorum, ante Beneficiatos. Ita S. R. C. 10. *Junii* 1602. *in Lauretana:* & datur in nostro Indice hoc Decretum *sub num.* 1.

Beneficiati parati incensentur ante non paratos. S. R. C. 30. *Augusti* 1602. *in Callaritana:* & datur in nostro Indice *sub num.* 9.

Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur. S. R. C. 23. *Maji* 1603. *in Nolana:* & in nostro Indice datur *sub n.* 19.

In Ecclesia Collegiata exempta, præsente uno Canonico Cathedralis cum Episcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, quam Abbas. S. R. C. 7. *Februarii* 1604. *in Alexandrina:* & in nostro Indice datur *sub num.* 29.

Archidiaconus, qui sustinet baculum Episcopi, thurificandus est post Diaconos assistentes S. R. C. 28. *Aprilis* 1607. *in Bracaren.* & in nostro Indice datur *sub n.* 53.

Sacerdos assistens, licet non sit prima Dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum assistentem a dexteris, licet Archidiaconus sit prima Dignitas. S. R. C. 23. *Junii* 1607. *in Vercellen.* & in nostro Indice datur *sub n.* 70.

Consuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magistratus, servanda est. Ita S. R. C. 1. *Septembris* 1607. *in Fanen.* & in nostro Indice datur *sub num.* 73.

Gubernator Civitatis, etiam si sit uxoratus, thurificandus est immediate post Canonicos, assistentes vero Episcopo immediate post Vicarium Gener. Ita S. R. C. 17. *Novemb.* 1607. *in Faventina:* & in nostro Indice datur *sub n.* 75.

Attendatur consuetudo in Vicario, & Canonicis in thurificatione, & aliis, nisi Canonici sint parati, S. R. C. 15. *Martii* 1608. & in nostro Indice datur *sub n.* 85.

Baro Dominus in Ecclesia Parochiali, ubi non sunt Canonici, thurificandus est post Celebrantem, Ministros paratos, & Archipresbyterum. S. R. C. 17. *Septemb.* 1608. *in Bisagnen.* & in nostro Indice datur *sub n.* 93.

Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem, & sunt ante ipsum thurificandi. S. R. C. 6. *Martii* 1610. *in Tiburtina;* & antea 3. *Augusti* 1602. *in Egitanien.* & in nostro Indice datur *sub num.* 107.

Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii, uno saltem gradu eminentior Abbatiali est erigenda .... isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum osculetur .... Episcopus, præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici ductu, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici,

vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ, unico tantum ductu sunt thurificandi. Ita Sac. Rit. Cong. 27. *Septembris* 1659. *in Decreto generali* §. 15. & datur in nostro Indice *sub num.* 352.

LXXIII. Gavant. lit. c — *Celebrans majori præsente, &c.*) Docet hic Gavant. quod Celebrans majori præsente, cui triplex ductus debeatur, nonnisi duplici ductu incensari debet. Verum hic observare debemus, quod si Abbas habens usum Pontificalium, & Pontificaliter celebret coram Episcopo Diœcesano, qui profecto debet incensari triplici ductu; in tali casu etiam ipsemet Abbas triplici pariter ductu incensandus erit: & hoc colligitur ex Decreto edito a S. R. C. die 27. *Septembris* 1659. & habetur in Decreto generali §. 15. in nostro vero Indice *sub num.* 352. in quo statuitur, ut paulo ante innuimus, quod — Dictus Episcopus trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ, unico tantum ductu thurificentur — In quo notanda sunt illa verba, *Nisi celebret*; ex quibus deducitur, quod si dictus Abbas celebret pontificaliter coram Episcopo, non duplici, sed triplici ductu thurificari debeat: & quidem ante hoc Decretum, etiam Totinius in Cæremon. PP. Camaldulen. *cap.* 20. *num.* 23. tradidit: *Quod si adesset Episcopus, vel alius valde insignis Prælatus, nullam in ea Diœcesi, vel Ecclesia jurisdictionem habens, thurificato Celebrante duplici ductu, vel habente ipso privilegium Pontificalium, triplici; triplici statim thurificantur ipsi, & multo magis si adesset loci Episcopus, Metropolitanus, Nuncius Apostolicus, Legatus a Latere, Cardinalis, vel alius maximus Præsul, aut Princeps, &c. Ita fere Cærem. Episc. lib.* 1. *c.* 23. *Ut partim habeatur reverentia erga Celebrantem sacris vestibus ornatum, thurificando eum primo loco; partim erga Præsules, vel Principes, & sic erga Abbatem generalem existentem pro tempore, thurificando eos pluribus ductibus.* Quæ quidem sententia Totinii consonat præfato Decreto, nimirum, quod Celebranti coram Episcopo debeatur ratione paramentorum incensatio præcedenter ad incensationem Episcopi; sed cum hoc discrimine, quod Episcopus triplici ductu, Celebrans vero duplici tantum thurificari debet, juxta Gavanti, sententiam: at si Celebrans sit Abbas, habens usum Pontificalium, & Pontificaliter celebret, tunc non duplici tantum, sed triplici ductu, non obstante Episcopi præsentia, incensari debet. In Cæremon. autem Minorum Observ. *part.* 3. *cap.* 2. §. 6. habetur — Si vero adessent Episcopi exteri, vel alii Prælati; honoris gratia semper thurificentur immediate post Celebrantem triplici ductu, sicut & triplici ductu incensabitur ipse Celebrans — in Cæremoniali vero Cleric. Regular. Min. Dominicus Flumara *par.* 2. *cap.* 3. tradit — Quod Proreges, & Gubernatores Regnorum, ac Provinciarum, thurificantur triplici ductu post Celebrantem, qui etiam triplici ductu thurificari debet — Huc usque adducta satis indicant nullum esse inconveniens, quod plures personæ incensentur aliquando triplici ductu: imo hoc deducitur etiam ex Cæremon. Episc. *lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 32. ubi inter alia habetur — Quod si adsit Dominus loci, laicus, vel alius Princeps major, debeat incensari ter, sicut incensatur Episcopus; Celebrans, Dignitates, & Canonici bis, &c. — Unde semper firmum remanet non esse contra canonicas sanctiones, & Rubricarum dispositiones, quod plures personæ thurificentur aliquando triplici ductu. Instituit hanc quæstionem Magius *in lib. de Sacris Cærem. præsertim in divino Officio, & Choro: opusc.* 3. *disquis.* 16. ubi prætendit nostrum Castaldum *in Cærem. nostræ Congreg.* Fantonum in *Cærem. Carmelit. lib.* 2. *Rubr.* 18. *et Cærem. Canonicorum Regularium cap.* 14. & alios, docere Celebrantem triplici semper ductu thurificari debere; & adducit etiam ex Barbosa *in Apostolic. decis. collect.* 705. *n.* 7. Decretum editum a S. R. C. sub die 13. Januarii 1616. in quo statuitur — Thurificatio juxta regulas Cæremonialis, debet fieri Celebranti triplici ductu, Dignitatibus, & Canonicis duplici; cæteris de Choro unico ductu — Verum tale Decretum non potest censeri authenticum, quia in Regestis Sac. Congregationis non reperitur, quamvis sit verum, quod in ipso traditur; sed solummodo non subsistit, quod in quocumque casu Celebrans thurificari debeat triplici ductu; nam aliter profecto statuitur *in Cærem. Episc.* suprac. enim loc. *num.* 32. inter alia statuit, quod — Si adesset Legatus, vel alii Cardinales, ipsi ter; & Episcopus, & Celebrans bis thurificari debeant — Unde falsum omnino est, quod semper Celebrans triplici ductu thurificandus sit. Nec apud Auctores allegatos citat. loc. a Francisco Magio reperio hanc sententiam ita absolute prolatam, ut semper Celebrans triplici ductu incensandus sit: unde utrumque assumptum subsistit, & quod Celebrans aliquando duplici solum ductu thurificandus est; & quod aliquando possit thurificari triplici ductu, etiamsi persona ipsi superior pariter in eadem functione tripliciter thurificetur.

Superest nunc, ut hoc loco exponantur Decreta edita a S. R. C. in quibus præscribitur quot ductibus personæ in Choro, vel extra Chorum sint thurificandæ.

Canonici Eccl. Colleg. thurificantur duplici ductu thuribuli; Clerici vero Parochialium Ecclesiarum unico tantum ductu. S. R. C. 19. *Jan.* 1613. *in Cæraugust.* & datur in nostro Indice *sub n.* 133. Portionarii, & alii Beneficiati, si in omnibus sint æquales Canonicis, & æqualiter incedant in Processionibus &c. sunt duplici ductu thurificandi, S. R. C. 21. *Martii* 1615. *in Cæsaraugustana*; & datur in nostro Indice *sub n.* 147.

Absente Episcopo thurificandus est Celebrans triplici ductu. S. R. C. 30. *Januarii* 1616. & in nostro Indice datur *sub n.* 152.

Vicario generali sedenti in Choro, licet supra Ca-

no-

nonicos, thurificatio duplici ductu debetur, si tamen non sit Prælatus. Sac. Rit. Congr. 14. *Januarii* 1617. *in Neposina*; & in nostro Indice datur *sub num.* 158.

Prior Collegiatæ, si intersit in Cathedrali, thurificandus est duplici ductu, sicuti Dignitates, & Canonici, super quos tamen non habet præcedentiam. S. R. C. 19. *Aug.* 1619. *in Tuscanen.*

Dignitatibus in Choro existentibus, non debetur thurificatio triplici, sed duplici tantum ductu, non obstante, quod si omissis distributionibus, persona habens Dignitatem incedat cum Rochetto. S. R. Congr. 21. *Martii* 1699. & datur in nostro Indice *sub num.* 540.

Præter supradicta Decreta exhibentur etiam spectantia ad hunc Ritum thurificandi; & ideo etiam hæc hoc loco collecta tradere opportunum censemus.

Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicumque ille sit; non vero Diaconus Evangelii. Sac. Rit. Congreg. 19. *Maii* 1607. *in Placentina*: in nostro autem Indice datur *sub num.* 63.

Dum Episcopus thurificat Altare, Canonici duo Diaconi assistentes debent elevare fimbrias. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in eadem Placentina*; in nostro vero Indice *sub num.* 64.

Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consuetudinis. Sac. R. C. *Martii* 1608. & in nostro Indice datur *sub num.* 86.

Non probatur usus duorum thuribulorum in incensatione personarum. S. R. C. 15. *Martii* 1608. nostro Indicé datur *sub n.* 87.

Canonici, & Dignitates non tenentur ad Benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare; nec debent genuflectere quando Episcopum Celebrantem thurificant; ut declaravit S. R. C. 4. *Maii* 1613. *in Oscen.* quod Decretum datur in nostro Indice *sub n.* 136.

In personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo. S. R. C. 25. *Julii* 1618. *in Lucerinas* & datur in nostro Indice *sub n.* 168.

Hic advertendum, quod S. C. improbat usum duorum thuribulorum in personarum incensatione tantum, non vero in Processionibus SS. Sacramenti, & in translationibus solemnibus Sacrarum Reliquiarum; in quibus duo thuribula adhiberi possunt: ut notat etiam Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *art.* 1. *num.* 2. Adderem etiam, quod usus duorum thuribulorum tolerari potest in personarum quoque incensatione, quando urget necessitas servandi Decretum supra positum, & datum in nostro Indice *sub n.* 73. incensandi eodem tempore Canonicos, & Magistratum.

LXXIV. *Et postremo Subdiaconum tenentem Patenam, &c.*) Incensato Choro, & aliis personis, si quæ sunt incensandæ, Diaconus salutato Choro, ut prius, præcedente suo comite Thuriferario, redit ad Altare per eamdem viam, qua venit in Chorum habens adhuc thuribulum præ manibus; & facta ab utroque genuflexione Cruci, ipse stans in parte Epistolæ, sive Chorus sit ante Altare, sive post Altare; Thuriferario vero, retro ipsum stante; Subdiaconum incensat duplici ductu cum mutuis inclinationibus ante, & post. Bauldry *p.* 3. *supr. n.* 19. Bissus *lit. D n.* 127. §. 34. sed juxta sententiam Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 5. *n.* 17. unico tantum ductu; quamvis a Portu *supra* citet Castaldum quasi concedentem duplicem ductum in tali incensatione Subdiaconi. Subdiaconus vero dum incensatur, convertit se versus Diaconum, & aliquantulum Patenam magno velo obtectam demittit, & postea iterum elevat. Bissus *supra*, Bauldry *supra*, *& part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.* 31. & a Portu *supra.*

LXXV. Rubric. *Et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, &c.*) Incensato Subdiacono, & facta ei inclinatione, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario stanti aliquantulum retro a dexteris suis; & ascendit ad solitum suum secundum gradum ante medium Altaris post Celebrantem, ubi facit genuflexionem, Bissus *supra*, & Bauld. *par.* 3. *supr. & part.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 48. ibique stat versa facie ad Thuriferarium junctis manibus ante pectus; caputque inclinans ante, & post, thurificatur ab eodem duplici ductu, inclinante se Thuriferario pariter ipsi Diacono ante, & post thurificationem. Bissus *supra n.* 17. *& lit. T.* 49. §. 6. Bauld. *part.* 3. *supra & p.* 1. *c.* 15. *art.* 3. *n.* 10. a Portu *supra n.* 17. Castaldus tamen *supra*, etiam hic unicam tantum thurificationem, seu unicum ductum Diacono concedit. Diaconus postea post incensationem sistit se in dicto secundo Altaris gradu, retro Celebrantem, facie ad Altare versa, manibus junctis ante pectus, ubi stat usque ad *Sanctus* exclusive. Bissus *supr. &* Bauld. ab eodem cit. *sup. art.* 7. *n.* 16.

LXXVI. Rubric. & Gavant. eadem lit. c — *Thuriferarius post incensat Acolythos.*) Incensato Diacono, Thuriferarius facta genuflexione Cruci Altaris, incensat Acolythos stantes apud credentiam, ut docet Gavantus *supra*, & Clericos alios si adsint, & omnes quidem simul, sine mora, & absque particulari inclinatione, vel reverentia unicuique, sed ad summum cum generali reverentia, hoc est cum simplici, & parvissima capitis inclinatione in principio, & in fine incensationis. De Bralion *sect.* 2. *c.* 1. *n.* 31. Bauldry *part.* 3. *supra n.* 20. Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. n. 15. Biss. *supra lit. T n.* 49. §. 6. a Portu *supra n.* 18.

LXXVII. Rubric. & Gavant. littera d — *Et populum, etc.*) Postremo Thuriferarius facta genuflexione in medio Presbyterii Cruci Altaris, & debita reverentia Choro, ab utraque ejus parte, si adsit ante Altare, Bauldry *part.* 1. *c.* 15. *art.* 3. *num.* 11. procedit ad ingressum supradicti Presbyterii; & sistens se loco convenienti, hoc est in medio in aditu Chori, seu Presbyterii, vel certe a latere Evangelii, si in Altari sit expositum Sacramentum, ne ei terga vertat; Gavant. *supra*, Arnaud. *part.* 2. *tit.* 7. *n.* 23. Bauld. *part.* 1. *supra*, &

Biss.

Biss. *lit. F n.* 49. §. 6. (qui præscribit, quod semper Thuriferarius etiam Sacramento non exposito, stet aliquantulum a latere Evangelii) incensat populum, ter ducens thuribulum, scilicet primo in medio, secundo versus sinistrum latus respectu sui quod est dexterum populi; denique tertio versus latus oppositum, seu latus Evangelii; & ante, & post facit reverentiam inclinando se, scilicet ter eodem ordine versus easdem prædictas partes, de Bralion. *sect.* 2. *c.* 1. *n.* 52. vel facta inclinatione ab utraque parte ante, & post. Bissus *supra littera T.*

Finita incensatione populi, & facta genuflexione Altari, ac debita reverentia Choro, si est ante Altare, Thuriferarius vadit in Sacristiam cum thuribulo, & parat funalia cum Acolythis, nisi ab alio fuerint parata. Bauld. *supra n.* 12.

Observandum est id, quod monet Cærem. Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 23. §. 31. nimirum, quod si adesset aliqua mulier insignis in Ecclesia, ut Regina, vel magna Principissa, ut ibi dicitur; utique & ipsi thus dari convenit in loco, ubi daretur ejus viro; sed advertat prudens Cæremoniarius, quod nomine magnæ Principissæ hic videtur intelligi mulier, cujus vir non cognoscit superiorem; nam paulo ante, ubi mentio fit de magno Principe, additur, qui non recognoscit superiorem. Nulla tamen adeo exacta, & certa regula incensationis, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum tradi potest, quin aliquid rationabili consuetudini concedendum sit; præsertim, ut ait noster præclarissimus Gavantus *supra lit.* c *in fine*, ad pacem, & concordiam tum Cleri, tum laicorum conservandam.

LXXVIII. Rubr. & Gav. lit. e — *Ministrantibus Acolythis, etc.*) Postquam Celebrans fuerit incensatus a Diacono, & dum Diaconus pergit ad Chorum incensandum, duo Acolythi, quorum unus accipit ampullam aquæ cum pelvicula, alter accipit de credentia mappulam ad extergendas manus Celebrantis, & ita ambo simul, ita, ut qui habet ampullam aquæ, sit a dexteris, accedunt ad latus epistolæ Altaris; & ibi cum debitis reverentiis unus infundit aquam ad abluendos digitos Celebrantis, & alter ad eos extergendos porrigit mappulam, quasi cum osculis. tum ampullæ, tum mappulæ ante, & post; quam extendit super digitos Celebrantis madefactos, & postea omnia reportant ad credentiam, observando reliqua, ut in Missa Privata. Bauldry *part.* 3. *de Ritu servando c.* 11. *de Missa Solemni art.* 7. *n.* 15. Bissus *lit. A. n.* 104.

LXXIX. Gav. ead. lit. e — *Ad Orate fratres, etc.*) Celebrans post lotionem manuum accedit ad medium, ibique peragit alia, quæ fiunt in Missis Privatis, &c. & dum dicit *Orate fratres*, Subdiaconus absque capitis inclinatione respondeat: *Suscipiat Dominus, etc.* Cæremoniarius vero tunc facta genuflexione in medio gradus suppedaneo proximioris, per quem ambulat, assistit Celebranti ad Missale. In Missis vero Defunctorum Diaconus est, qui respondet *Suscipiat Dominus, etc.* ad *Orate fratres, etc.* quia non est impeditus.

RUBRICA.

11 *Cum dicitur Præfatio, Diaconus, et Subdiaconus stant retro post Celebrantem; et paulo antequam dicatur, Sanctus,* (f) *accedunt ad Altare, ubi* (g) *cum Celebrante hinc inde dicunt, Sanctus, et quæ sequuntur usque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis,* (h) *assistens dum dicitur Canon: nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantum post Celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.*

GAVANTUS.

(f) *Accedunt ad Altare.* Facta in locis suis post Celebrantem genuflexione, quam rursus faciunt, dicto ab eisdem ultimo *Hosanna in Excelsis.* Addita fuit sequens Rubrica in Missali Romæ edito 1621. sine majorum auctoritate, nimirum, *Si Subdiaconus non tenet Patenam, cum Diacono accedit ad Altare, ubi dicunt, Sanctus, etc.* quod monuisse sit satis.

(g) *Cum Celebrante dicunt* Hymnum, *Sanctus, etc.* Sacerdos ipse cum aliis necessario debet dicere, ne seipsum sua prece videatur privasse, qui & suas voces, & aliorum Angelicis laudibus admitti deprecatus est in Præfatione, ut ait *Micr. cap.* 11.

Benedictus qui venit, etc. Non cantatur a Choro, nisi post depositionem Calicis. *Cær. lib.* 2. *c.* 8. * etiam in Missis Defunctorum: quod observatur in Capella Papali.

(h) *Assistens.* Non tenet manus junctas, sed folia Missalis vertit, & indicat quæ sunt dicenda a Celebrante.

Ad *Sanctus*, campanas majores pulsare convenit, sicut in Missa Privata campanulam parvam, quam pulsant aliqui etiam in Missa Solemni; & placet per alterum ex Acolythis, ut moneantur ii, qui majores pulsare debent campanas, & tempus ignorant eas pulsandi, quia longius absunt. Vide *part.* 1. *tit.* 20. *lit. C.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, ab initio Præfationis, usque ad Canonem.

LXXX. Rubric. *Cum dicitur Præfatio.*) Dicta Oratione secreta, vel etiam pluribus, si plures dicendæ sint, Celebrans cantat Præfationem, ad quam Ministri Sacri post eum stant, & inclinant se, cum dicit *Deo nostro*, sicut etiam omnes caput inclinare debent; Bauld. *supr. part.* 3. *n.* 21. & Cæremoniarius nisi sit Presbiter assistens, prosequitur in assistentia ad Missale. Bauld. *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 33. Lohner *part.* 3. *tit.* 4. *num.* 12.

LXXXI. Rubr. & Gavant. lit. f — *Accedunt ad Altare, etc.*) Juxta Rubricam, cum Celebrans can-

cantat ultima Præfationis verba, Diaconus, & Subdiaconus, qui stant post eum, facta in locis suis genuflexione, ambo accedunt ad Altare (interim Cæremoniario cum inclinatione profunda consueta retrocedente ad Evangelii cornu laterale supra gradum suppedaneo proximiorem; Bauld. *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 24. a Portu *sup. num.* 2.) scilicet Diaconus manibus junctis, & inclinatus, ad dexteram; Subdiaconus vero ad sinistram ipsius Celebrantis, pariter a Patena sustentata; Celebrans quoque inclinatus, & manibus junctis; Bauld. *part.* 3. *supra*; & expectans donec Ministri ad latus illius accesserint; & cum iisdem, sed media tantum voce *Sanctus* pronunciat. Lohner *part.* 2. *tit.* 20. *de Ritu Missæ Solemnis num.* 1. & 2.

LXXXII. Gavant. ead. lit. f — *Addita fuit sequens Rubrica, etc.*) Præfatus Ritus, quo non solum Diaconus, sed etiam Subdiaconus ad Celebrantem accedere debeat, quando cantat ultima Præfationis verba, est ille, qui præscribitur a superiori Rubrica, & quidem ita clare, ut nullo modo in dubium verti possit. Certissimum quoque est eam loqui de Subdiacono Patenam tenente, cum supponat illum eam semper tenere, præterquam in Missa Defunctorum, de qua hoc loco non agitur. Non potest igitur improbari praxis omnium Ecclesiarum Regularium, & aliquarum Cathedralium, in quibus Ministri Sacri stantes ad Præfationem unus post alium, ad verbum *Deo nostro* caput inclinant, & paulo ante quam dicatur *Sanctus*, genuflectunt in suis locis, ac mox accedunt ad latera Celebrantis, Diaconus scilicet a dexteris, & Subdiaconus a sinistris; & cum ad Altare pervenerint, iterum non genuflectunt, quia genuflexionem fecerunt antequam ascenderent; ibi autem ad Altare stant inclinati manibus junctis (sed Subdiaconus, qui habet Patenam, non jungit manus) & ambo cum Celebrante dicunt *Sanctus, etc.* inclinati. Non me latet Nicolaum de Bralion *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. contrariam sententiam amplecti, dicendo, quod Subdiaconus, quando tenet Patenam, accedere non debet ad Altare, & hanc esse consuetudinem omnium Basilicarum Urbis; quam etsi Rubricæ contrariam, servari posse, etiam neglecta superiori Rubrica, sensit S. R. C. die 13. Januarii 1674. apud Turrinum *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 2. §. *Solus Subdiaconus*; quapropter addita fuere hinc Rubricæ in editione Romani Missalis hæc verba: *Si Subdiaconus non tenet Patenam, cum Diacono accedit ad Altare, ubi dicunt Sanctus, etc.* Verum teste Gavanto *supra hac littera* f hæc additio facta fuit absque Superiorum auctoritate; & ideo vim legis habere nequit, nec dici potest Rubrica. Rursus allegatum a Turrino Decretum non reperitur in Regestis S. R. C. unde suppositititum censendum est. Sola ergo consuetudo adeo recepta, & tolerata in Urbis Basilicis, & in nonnullis aliis Cathedralibus, ab observatione Rubricæ dispensare posse videtur, ait Brallion *sup. num.* 2. quamvis vero secundum hanc sententiam, & consuetudinem, Subdiaconus, si Patenam teneat, in suo loco remaneat, ibi tamen, eodem tempore, quo Celebrans, & Diaconus, dicit *Sanctus, &c.*

LXXXIII. Rubric. & Gav. lit. g. — *Benedictus qui venit, &c.*) Ad verba *Benedictus qui &c.* Celebrans, & præfati Ministri Sacri se erigunt, & signant; Subdiaconus tamen non signat se, cum dexteram manum impeditam habeat, eo quod teneat cum ipsa Patenam, magno velo coopertam. Bauld. *part.* 3. *supra*, & *part.* 1. *cap.* 12. & 13. Bralion *supra num.* 5. Turr. *part.* 2. *cap.* 2. §. *Solus Subdiaconus*.

Verum cum juxta usum multarum Ecclesiarum, ut supra dictum est, Subdiaconus non accedat ad Celebrantem pro dicendo *Sanctus*; Diaconus hoc in casu, facta genuflexione in suo loco, statim accedit ad sinistram Celebrantis, ibique manibus junctis, & inclinatus dicit media voce cum Celebrante, *Sanctus.* Ad verba *Benedictus, &c.* erigit se, & se signat; & stans adhuc, sinistra manu librum sustentat; Lohner *part.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 1. Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *num.* 49. & *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. *num.* 21. & dextera vertit folia, digito vero ostendit quæ legenda sunt a Celebrante. A Portu *supra num.* 5.

Non cantatur a Choro *Benedictus qui venit*, nisi post depositionem Calicis; ut cum Cæremoniali Episcop. notat Gavant. *supra*.

LXXXIV. Rubric. & Gavant. lit. h - *Assistens dum dicitur Canon.*) Dicto *Sanctus*, & iis, quæ sequuntur usque ad Canonem, Diaconus in casu, quo Subdiaconus accesserit ad dicendum *Sanctus*, facta genuflexione ad latus dexterum Celebrantis, ubi est, accedit ejusdem ad sinistram, ubi iterum genuflectit; quod facit semper, quoties de uno latere recedit ad aliud; ita ut semper genuflectat in recessu, & accessu, non autem in medio, ut male plerique faciunt. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *num.* 22. Ibi non tenet manus junctas; Gavantus *supra*, Arnaud. *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 22. sed erecta sinistra manu, librum sustentat, & dextera vertit folia, & digito ostendit, quæ legenda sunt a Celebrante; Gavant. *supra*, nisi assistat alius Sacerdos, qui hæc peragat; quia tunc Diaconus staret ad dexteram aliquantulum post Celebrantem.

LXXXV. Gav. ead. lit. h — *Ad Sanctus, &c.*) Cum dicitur *Sanctus* omnes genuflectunt, exceptis Assistente si adsit, Diacono, & Subdiacono; de Bralion *supra num.* 9. & primus Acolythus pulsat campanulam, ob rationem, quam assignat Gavantus *supra*; & ideo præfatus Acolythus eam accipere debet de credentia ad mediam Præfationem.

LXXXVI. Rubr. *Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem, &c.*) Postquam Subdiaconus una cum Celebrante, atque Diacono absolverit Præfationem, ut exposuimus supra, statim recedit, facta prius genuflexione in loco apud Altare, in quo erat; idem recedit ad medium planum post

Ce-

Celebrantem, ibique stat. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *num.* 17. Corsett. *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 7. *num.* 22.

De Canone Missæ, usque ad Consecrationem, VIII.

RUBRICA.

1. *Finita Præfatione, ut supra; Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud, aliquantulum elevat manus: oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis, et super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens,* (i) *Te igitur, etc. ut in Ordine Missæ. Cum dicit: Uti accepta habeas, et benedicas: prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, stat junctis manibus ante pectus.* (l) *Cum dicit: Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc sancta ✠ Sacrificia: dextera manu signat ter communiter super Hostiam, et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur: In primis, quæ tibi offerimus, etc.*

GAVANTUS.

Actio prima in Canone quinque actus complectitur: manuum, & oculorum elevationem, oculorum demissionem, manuum junctionem, & earundem super Altare positionem. In primo quinario numero venerare Christum in Cruce quinque plagis vulneratum; & nota *ex Rubr. propria in Ord. Miss.* ne discordare videatur a generali: quod ad primum gestum, prima quoque verba *Te igitur* sunt pronuncianda; neque dari debet gestus sine voce, qui alioquin esset inconcinnus. Extendens dicit, jungens dicit, elevans dicit, sunt participia cum verbis simul, *in Ordine Missæ*, & sic concordant Rubricæ.

(i) *Te igitur.* Crucifixus solet imprimi initio Canonis, ait *Honor in Gemma lib.* 2. *cap.* 103. ut statim Passio Christi oculis cordis ingeratur. Prima quoque littera T est figura Crucis Christi. *Innoc. III. lib.* 3. *cap.* 2. Auctor autem principii Canonis dicitur esse *S. Clem. a Radulph. propos.* 23. Vide quæ diximus in 1. *part. tit.* 12. *num.* 5. ubi de nomine, auctoribus, & partibus Canonis non pauca. Hoc loco Ritus, & Cæremoniæ in primis sunt examinandæ, & eæ, quæ sunt ita propriæ Canonis, ut in alia parte Rubricarum hactenus proprium non habuerint locum. Sensum litteralem difficiliorum verborum afferemus infra cum Mysteriis.

(l) *Cum dicit: Hæc ✠ dona, etc. Ex responso Zachariæ S. Bonifacio Moguntino* fiunt hic tres Cruces. *S. Anselm. lib. de Sacr.* ait: *Una Cruce duo simul sanctificentur*, id est, ubi verbum est commune pani, & vino, ut explicat *Wald. tom.* 3. *tit.* 4. *cap.* 37. habet *Microl. car.* 14. has easdem. Sed nota a principio Canonis, usque ad *Libera nos* inclusive, ubi finis est Canonis, *secundum Innoc. III.* quod septem vicibus signa Crucis fiunt: primo hic, & ter; secundo ad ea, *Quam oblationem*, quinquies; tertio in Consecratione ad ea, *Benedixit*, semel, & iterum; quarto post Consecrationem ad ea, *Hostiam puram*, quinquies; quinto ad ea, *Sacrosanctum Filii tui Corpus*, semel, & iterum super Sacramentum, & semel supra seipsum; sexto ad ea, *Sanctificas*, ter; septimo ad ea, *Per ipsum*, quinquies. *Innoc. III. lib.* 4. *cap.* 11. addit ibidem in ordine ad Hostiam, & Calicem fieri signa Crucis 25. & quinquies quinque: tum quia, sicut hic numerus per se ductus, semper in seipsum reducitur, si ducatur in infinitum; ita Eucharistia quantumlibet multiplicetur, semper est idem Sacrificium; tum quia quinque sensus hoc Sacramento perficiuntur; sed & binarius signorum numerus congruit propter Carnem, & Sanguinem Christi; ternarius quoque propter panem, & vinum, & aquam. *Hæc ille erudite, et acute.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ privatæ ab initio Canonis, usque ad illa verba, Una cum famulo tuo, &c.

I. Gavant. *Actio prima, Ad primum gestum, prima quoque verba.* Te igitur *sunt pronuncianda, etc.*) Est quæstio non parum controversa inter Rubricarum interpretes quoad prima Canonis verba, & supradictam Rubricam, nimirum, utrum prima illa verba *Te igitur, etc.* debeant proferri simul cum gestibus elevationis manuum, & oculorum; vel e contra debeant pronuntiari prædicta verba a Sacerdote post omnes gestus antedictos. Gavantus *supra* tenet, quod ad primum gestum, prima quoque Canonis verba sint proferenda: quia ait ipse, juxta regulam communem, non debet dari gestus sine voce, qui alioquin esset inconcinnus: præterea *Extendens dicit, jungens dicit, elevans dicit, sunt participia* (prosequitur Gavantus) *cum verbis simul in Ordine Missæ, et sic concordantur Rubricæ.* Hanc Gavanti sententiam amplectuntur Bauldry *part.* 3. *tit.* 8. *Rubr.* 1. *n.* 1. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *Rubr.* 1. *num.* 1. Cabrin. *c.* 8. *Statim*, Arnaud. Moncius, a Portu, & alii.

Sed contra Gavantum, & mox allegatos auctores, censent omnes gestus, seu actus prædictos debere præcedere, non comitari prima verba Canonis, *Te igitur, etc.* adeoque incipienda esse dicta verba immediate post omnes gestus præscriptos, id est manibus super Altare positis, qui est ultimus gestus: censent, inquam, & tuentur hanc sententiam ex nostris Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 6. *a.* 1. Quarti *part.* 2. *tit.* 8. *de Canone Missæ sect.* 1. *dub.* 1. Magius in suo Galateo religioso *disqu.* 24. Alii etiam propugnant valide hanc secundam sententiam, nimirum Trimarchius apud Nigrum in additionibus ad Ruix *part.* 3. §. 7. *n.* 1. Turrinus *part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 4. Hagerer *tit.* 7. *n.* 1. Cæremon. Missæ Privatæ *cap.* 10. §. 15. Lohner *part.* 4. *de Ritu Missæ brev. not. illust. tit.* 8. *n.* 1. *et par.* 4. *n.* 66.

n. 66. Gervasi *cap.* 8. Benvenuti *pag.* 21. & alii relati a supra laudatis Magio, & Quarti; cui quidem sententiæ validis rationum momentis adductus, adhærendum esse crediderim: Rubrica etenim in Ordine Missæ posita, hæc est: *Extendens, elevans, jungens, etc.* inclinatus dicit; quæ & concordat cum generali Rubrica superiori, quæ dicit: *Elevat manus oculisque elevatis, et manibus junctis, et super Altare positis profunde inclinatus dicit, etc.* unde sequitur, prima illa verba Canonis *Te igitur*, dicenda esse a Sacerdote jam inclinato, adeoque post gestus prædictos ab eo jam præstitos: hæc utique Rubrica præscribit, quod dicat illa verba, quando est jam inclinatus. Quod si Rubrica generalis non satis explicat alteram, aliæ eam satis explanabunt. Prima: *Elevatis oculis, et statim demissis; tum profunde inclinatus dicit:* Munda cor meum, &c. Secunda: *Manibus junctis, et super Altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit submisse:* Suscipe Sancta Trinitas, &c. Tertia: *Stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato, dicit:* Agnus Dei, &c. Quarta: *Stans junctis manibus super Altare, et capite inclinato, dicit:* Placeat, &c. Ex quibus plurium Rubricarum verbis, clare eruitur a Sacerdote jam inclinato, & nondum inclinato, verba proferri debere: eu igitur gestum Sacerdotis, ejusdem verba præcedere.

Neque dicas, in his casibus non extenduntur manus, nec alius gestus fit, cui verba non jungantur, ut requirit Gavantus: nam præfati gestus non faciunt, quod verba debeant eodem tempore proferri; & hoc clare colligitur ex Cæremoniali etiam Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 8. §. 68. ubi habetur: *Manibus super Altare positis, devote inclinatus, extollit ad Crucem oculos, et eos statim demittit, et incipit, etc.* ex quibus verbis liquet, quod postquam posuerit manus super Altare, postquam inclinatus fuerit, &c. debet prima Canonis verba proferre; ut ipsa Cæremonialis verba clare significant. Præterea notat Trimarchius *loc. cit. Tunc dari gestum inconcinnum, hoc est, incompositum, et confusum, et intricatum, si observaretur quod docet Gavantus.* Non enim bene oculi, ac manus & elevari, & demitti, & conjungi, & super Altare poni possent eo momento, quo verba Canonis legi debent: neque dicas pro defendenda Gavanti sententia, posse illa verba memoriter recitari; nam verba sunt Canonis, qui totus legi debet.

Rationem vero a Gavanto supra adductam pro firmanda sua sententia, Quarti *loc. supracit.* evertit, dicendo, & probando non subsistere, quod non debet dari gestus sine voce: quia in Missa sæpe præscribuntur gestus sine voce, aut verbis, quæ illos comitentur, ex. gr. Genuflexiones, elevatio Hostiæ, & Calicis, &c. In Missa Solemni thurificatio prima Altaris; Benedictio Subdiaconi post Epistolam; nam Sacerdos facit super eumdem signum Crucis, nihil dicens. Deinde ex aliis exemplis supra adductis, liquet in aliis casibus præscribi in ordine Missæ gestus, qui profecto verba Sacerdotis præcedere debent. Cum igitur Castaldi, & Quarti sententia Rubricis, & Cæremoniali Episcoporum conformis videatur, eam non immerito, ut probabiliorem sequi cogimur.

II. Rubr. & Gav. lit. i — *Inclinatus incipit Canonem, secreto dicens, Te igitur, &c.*) Manibus igitur junctis, & super Altare positis, profunde inclinatus, incipit Sacerdos Canonem, secreto dicens, *Te igitur*, voce, inquam, submissa, & secreta, quæ continuatur per totum Canonem, nisi aliter notetur alicubi.

III. Rubr. & Gavant. lit. l — *Cum dicit, Hæc dona, etc.*) Cum Celebrans dicit *Petimus*, tunc hinc inde super Altare extra Corporale manus extendit; Gervasi *supra;* & statim dicto prælaudato verbo, osculatur Altare in medio. Lohner *part.* 4. *n.* 66. Angel. *in Catal. errorum* §. *de Canone*, Gervasi *supra, etc.* Deinde erigit se, & conjungit ante pectus manus juxta morem, dum dicit: *Uti accepta habeas, et benedicas;* & prosequitur erectus deposita super Altare sinistra manu extra Corporale dicens: *Hæc* ✠ *dona, hæc* ✠ *munera, hæc Sancta* ✠ *Sacrificia illibata;* & dum dicit prædicta verba, dextera manu signat ter communiter super Hostiam, & Calicem: & hic, sicut alicubi, notandum, quod quando Crux est communis Calici, & Hostiæ, oportet, ut advertunt multi, ne dum faciunt primam lineam, interrumpant manum inter Calicem, & Hostiam; sed faciant æqualem, & erectam versus pectus, absque eo quod medietatem versus Hostiam deprimant, faciendo in eadem altitudine lineam transversam intra extremitatem anterioris pallæ, & intra Hostiam, ut utraque linea dici queat communis, & non particularis, Cærem. Missæ Priv. *cap.* 4. §. 3. *num.* 4. Deinde extensis manibus ante pectus, prout extenduntur manus ad Orationem, prosequitur: *In primis, quæ tibi offerimus.*

RUBRICA.

2 *Ubi dicit, Una cum famulo tuo* (m) *Papa nostro N. exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur, et* (n) *Antistite nostro N. specificetur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi, et non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus Ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit: Et me indigno servo tuo. Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis, Una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. dicit: Una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti, et continuat omnia, ut sequitur: Et omnibus orthodoxis, etc.*

G A-

GAVANTUS.

(m) *Papa*, Nominatur, *ex Concil. Vasen. cap. 4. alias 6. tempore Leonis I. celebrato: apud Burchard. lib. 2. Decreti cap. 230.* imo vero S. Clem. *lib. 8. Const. Apost. part. 12.* instituisse dicitur, seu observasse; qui Celebrans Missam dicebat: *Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum: ibidem;* quod hodie idem est, quando *ex Innoc. III. de celebrat. Missæ cap. 3.* ait Papa: *Una mecum indigno famulo tuo.* A Christo deducitur hic Ritus, qui in cœna rogavit pro Petro, ut non deficiat fides illius. *Walden. tom. 3. tit. 4. cap. 37. num. 5.*

* Quod attinet ad nomen Papæ, & significationem vocabuli, docet *Baron. in not. Martyrol. ad diem 10. Januar.* significare Patrem, non autem Patrem Patrum: & cum esset Episcopis commune, tandem Gregor. VII. anno 1073. *in Synod. Rom.* statuit, ut nomen *Papa* uti cum esset in universo Orbe. Plura *ibid.* scribit *Baron.*

Caput autem inclinatur etiam hic ad nomen Papæ, eadem enim est ratio, quæ supra dictum est in Collecta, ad nomen ejusdem; de quo dubitavere nonnulli: sed *in Rubr. de Oratione* non adest limitationis particula, *Tantum.*

(n) *Antistite nostro N.* Sanctus Paulus *Hebr. 15. Mementote*, inquit, *Præpositorum vestrorum:* & pro Episcopo quidem orandum esse docet in Missa *S. August. epist. 110. in fine.*

Sed quis Episcopus hic nominandus? vult *Alc. de celebr. Missæ*, Episcopum nominari Celebrantis; quem sequitur *Innoc. III. lib. 3. cap. 5.* Rubrica tamen nostra Episcopum loci, in quo celebratur, nominari decrevit: tum quia expresse ait: *Ordinarius illius loci:* tum quia Romæ omitti jubet hæc verba; & placeat *Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 21.* * Neque nominandus esse Abbas exemptus loci, sed Episcopus vicinior, ad quem pro ordinatione itur; neque enim Abbas est Antistes, de quo in Canone.

Pro Regibus orandum etiam hoc loco scribit *Innocent. III. loc. cit.* in eorum locis, ac Provinciis, inquit *Azorius lib. 10. cap. 36. quæst. 13.* & vere habetur hic Ritus *prædicto cap. 12. S. Clementis, et in Liturgiis Sancti Basilii, et Sancti Chrysostomi.*

Pius V. tamen, qui nihil addi voluit, concessit nominari in Canone Regem in Hispaniis. Nihil ergo tu addas sine Papali auctoritate, contra Pii V. Bullam de Missali editam. Caveant etiam Regulares, ne in Canone nominent Superiores suos, ut Antistites: ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 12. Novemb. 1615. & nominantes suum Generalem pro Epicopo loci peccant mortaliter *Diana tract. 14. de celebr. Missæ resol. 40.*

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, ab illis verbis Canonis: Una cum famulo tuo, &c. usque ad illa: Et omnibus orthodoxis, &c.

IV. Rubric. & Gavant. lit. m — *Papa nominatur.*) Inhærens superiori Rubricæ, optime docet Gavantus, quod Sacerdos celebrans, quando in Canone dicit: *Una cum famulo tuo Papa nostro N. N.* exprimit nomen Papæ viventis, & inclinat caput in reverentiæ signum; sed postquam legitima pervenerit notitia Sedis vacantis, omittuntur prædicta verba in Canone. Adnotandum etiam est, quod supradicta inclinatio simplex ad nomen Papæ, semper fit versus librum, & non versus Crucem. A Portu *supra Rubr. 2. in adnot. num. 1.*

V. Rubr. & Gavant. lit. n — *Antistite nostro, etc.*) Quando in Canone proferuntur illa verba, *Et Antistite nostro*, apponitur nomen Prælati illius, qui simul sit Episcopus, & Ordinarius loci ejus, in quo Missa celebratur; Gavantus *supra*, & alii Rubricistæ communiter: unde fit, proferendum esse nomen Archiepiscopi, & Patriarchæ (si ille sit Antistes talis Diœcesis) nulla fit capitis inclinatio, quandoquidem de ea silet Rubrica. Gervasi *supra*, & a Portu *supra num. 3.*

Quod si Episcopus loci, &c. sit vita functus, ea verba, *Et Antistite nostro*, omittuntur, Lohn. *part. 2. tit. 21. num. 3.* & Gervasi *supra.* Prædicta verba, *Et Antistite nostro*, omittuntur etiam a Sacerdotibus Romæ celebrantibus; quia Pontifex est Ordinarius Episcopus Urbis, & Orbis. Quarti *part. 2. tit. 8. Rubr. 2. num. 2.* Regulares pro Episcopo Diœcesano nominare non possunt suos Generales, ut observat Gavantus *supra;* & ut habetur in Decreto a S. R. C. edito sub die 12. Novembris 1615. & dato in nostro Indice *sub n. 149.* Rursus nec Clero Sæculari nominari fas est suum Superiorem, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutum, quæ sit Episcopali inferior: Polaccus *part. 2. §. 17. in addit.* a Portu *supra num. 4.* quapropter non est nominandus in Canone Abbas exemptus, licet habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, ut omnes DD. notant: nam Prælati nullius, veniunt quidem sub nomine Ordinariorum, non autem sub nomine Episcoporum: unde eorum jurisdictio non dicitur Episcopalis, sed quasi; ut declaravit Congregatio Concilii 1638. 13. Novembris teste Nicolio *v. Nullius Diœcesis, sub num. 1.* & Quarti *part. 2. tit. 8. in Rubr. dub. 3.*

Utrum autem Celebrans in prædicti Prælati territorio, qui vere non sit Episcopus, sed jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, & nulli Episcopo prædictus Celebrans subdatur; utrum, inquam, in hujusmodi casu vicinior Episcopus sit nominandus, ad quem itur pro ordinibus suscipiendis, non conveniunt DD. Affirmant Gavantus *supra*, Arnaud. *supra n. 3.* Cærem. PP. Cleric. Regul. S. Pauli *lib. 1. cap. 7. num. 12.* negant vero Quarti *part. 2. in Rubr. supra*, Bauldry *supra*, Tonellius *supra n. 15.* Angel. *part. 1. tit. 7. num. 61.* & a Portu *supra n. 15.* DD. sequentes hanc sententiam docent, quod in dicto casu omitti debent illa verba, *Et Antistite nostro*, eo modo, quo quando locus aliquis caret Epi-

scopo, quia sit defunctus, non nominatur vicinior Episcopus; sed, ut supra diximus, in tali casu omittuntur prælaudata verba, Ecclesia autem, quæ nullius Diœcesis est, caret Episcopo, unde videtur comparanda cum ea, in qua Episcopus est defunctus, & sic debent omitti illa verba in Canone, *Et Antistite nostro, &c.*

Hinc sequitur etiam, quod si Celebrans absit a Diœcesi sui Episcopi, non debeat nominare suum Episcopum, sed Antistitem loci, in quo celebrat: Bauldry, Tonellius, & Gervasi *supra*, necnon Polaccus *supra n.* 3. quia cum Celebrans offerat nomine totius populi, qui adest, vel adesse potest, mentiretur, si pro nominando sub illis verbis, *Et Antistite nostro N.* pro Episcopo illius loci, nominaret suum Prælatum, qui vere non est adstantium Episcopus. Tonellius, Quarti *supra*, Angel. *supra n.* 19. Præterea se debet conformare aliis Sacerdotibus ejusdem loci, in quo celebrat, in publicis precationibus. Quarti, Angel. *supra*, & a Portu *supra n.* 6. Si vero ratione longi itineris, vel defectu memoriæ, non recordaretur nomen Episcopi loci, satis est in dicto casu dicere pro Antistite nostro *mentaliter*, intelligendo, in cujus Diœcesi celebratur. Ita pluribus relatis tenet Pasqualigus *de Sacrif. novæ Legis tom.* 1. 1. *tract.* 1. *quæst.* 27. *sub. n.* 26. necnon Angel. *supra n.* 60. & a Portu *supra n.* 6.

Si vero Episcopus Ordinarius dicti loci, in quo celebratur, sit vita functus, jam diximus supra, quod prædicta verba omittuntur; sed advertendum est loco Episcopi, non posse nominari Vicarium Capitularem: quia licet, Sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius Diœcesis. Rursus neque nominari potest Archiepiscopus, aut Patriarcha Provinciæ, intra quam continetur Episcopatus Episcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam jurisdictionem: quia Archiepiscopus, aut Patriarcha non dicitur Ordinarius in Diœcesibus Suffraganeorum. Quarti *in Rubr. dub.* 3. *supra*, a Portu *supr. n.* 7. Hoc tamen non observatur a Græcis, aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant, & Metropolitam.

Si Celebrans sit Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, dicit eorum loco, *Et me indigno servo tuo.* Sed hic notandum occurrit, quod non solum Episcopi, & Superiores Prælati, sed etiam Cardinales propter dignitatis eminentiam, ubicumque celebrent; orant pro se ipsis, non pro loci Episcopo, in quo celebrant. Tonell. *supra. n.* 3. & a Portu *n.* 9.

Sicut igitur Episcopi non orant pro aliis Episcopis, quia non sunt ipsis Superiores; ita nec Romanus Pontifex, qui non habet Superiorem in Terris, orat, nisi pro se. A Portu *supra n.* 10.

X. Gavant. ead. lit. n. — *Nihil ergo tu addas sine auctoritate, &c.*) In prædicto Canonis loco non est addendum nomen ullius Principis Sæcularis viventis; Castald. *lib.* 2. *sect.* 6. *n.* 2. & Gavant. *supra* ad præcavendos abusus, qui irrepere possent nominando in Canone aliquem minus dignum contra Majestatem tanti Sacrificii in hac parte Missæ; nisi militet in contrarium aliquod Privilegium Apostolicum, quale concessisse fertur Sanctus Pius V. pro Hispanis. Gavant. *supra*, Quarti *quæst. Proœmiali sect.* 2. *num.* 2. vel aliqua inveterata, & legitima consuetudo, qualis asseritur vigere in Gallia pro Rege; Bauldry *part.* 3. *tit.* 8. *Rubric.* 2. *n.* 2. & Venetiis pro Duce, Polac. *in Aphorism.* §. 17. *num.* 4.

RUBRICA.

3 *Cum dicit, Memento Domine, elevans & jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete,* (o) *demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christifidelium ad suam voluntatem,* (p) *quorum nomina, si vult, secreto commemoret: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, & hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.*

GAVANTUS.

(o) *Demisso aliquantulum capite.* Non ergo oculis elevatis versus Crucem, ut multi faciunt, nec iisdem clausis, nisi forte ad majorem animi compositionem.

(p) *Quorum nomina secreto.* Eos, pro quibus orare intendit Sacerdos, appellat Susceptos *S. August. epist.* 59. *q.* 5. quod labiis compressis incluse pectoris cogitatione nominet, ait *S. Hieron. apud Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 34.

De litteris N. & N. apponi solitis hoc loco in Canone, meminit *Ordo Camerac. in explicatione Sacri Canonis.* Antiquitus autem recitabantur nomina offerentium in Missa; *ex Innoc. I. epist.* 1. & nos eorum, qui eleemosynam ideo dederunt, memoriam facimus.

Hoc loco dicendum videtur de applicatione Sacrificii, & quidquid sit de valore Missæ; quem conciliando Doctores, dicerem infinitum esse in radice; sed ad impetrandum, & ad alios effectus, finitum in terminis: quia finite de eo omnes participant, minusque, vel magis, pro minori, vel majori devotione cujusque concurrentis ad Missæ Sacrificium. *Ex S. Thom.* 3. *part.* 79. *art.* 4. Quatuor Sacerdoti, ut faciat, ego consulerem.

Primum est, ut intendat prodesse omni meliori modo iis, de quibus Ecclesia meminit in Canone, nimirum toti Ecclesiæ, Papæ, Episcopo loci, & circumstantibus, quibus Deus distribuat portionem Sacrificii generalem prope infinitam pro eorum capacitate, & devotionis mensura: &

hæc

hoc est prima portio, quam ponit *Scot. quodlib. 20. art. 2. & 3.*

Alterum est, ut provideat ipsi sibi Sacerdos de portione sibi debita, quam vocat Scotus specialem, & novit Deus quanta sit: probabile vero est, eam posse dari aliis a Sacerdote nominandis pro eo titulo, quo importat pœnæ debitæ remissionem; quo casu prodesset iis multo magis, quam si pro iisdem sequenti proxima ratione, & modo celebraret: quia certum est participare Sacerdotem in majori quantitate de valore Missæ, quam alium quemlibet, qui eumdem celebrare jubet, aut procurat: tum ex ministerio proximiori, tum ex majori devotione, & fide, quæ inter celebrandum multipliciter excitatur.

Tertium est; ut suffragari intendat eo majori affectu, quo potest, & debet iis, quibus tenetur, sive ex obedientia, sive ex titulo beneficii, sive legati, sive contractus rationabilis, & sive promissionis, aut voti, sive congruentis eleemosynæ acceptæ, aut promissæ; & ea prorsus ratione, qua iisdem, & ex sensu certo, & practico eorumdem non speculativo, & disputabili, ille tenetur ad Missam, seu plures Missas: tutior enim hac de re tenenda est sententia. Si vero ii non egeant, aut forte ex defectu gratiæ non sint capaces Sacrificii fructus, substituat statim alios actu, & secunda, ut ajunt, intentione; quod docet *Suarez disp. 38. sect. 8. in fine:* alioquin fructus Missæ non applicatus remanebit in thesauro Ecclesiæ: Deus autem novit, quantum cuique de Missæ fructu sit dandum: & hæc est, quam vocat Scotus portionem mediam.

Quartum est, ut aliis item prodesse intendat sine aliorum præjudicio, eo ordine, & quantitate fructus, qua Deus scit se teneri, & eos specialiter nominatos Deo commendet, sive in ordine ad remissionem pœnæ, cum sit satisfactorium; sive ad gratiam acquirendam, & augendam, cum sit meritorium; sive ad quæcumque bona spiritualia, & temporalia, quibus illi egent, & utiliora iisdem forent obtinenda; cum sit etiam, imo & propriissime, ut ait *Bellarm. de Missa lib. 2. cap. 3.* impetratorium.

Notat præterea *Azor. ib. 20. cap. 22. quæst. 3.* Orationem ad *Memento*, esse privatam; quare in ea admitti possunt infideles, & excommunicati omnes, ad eorum salutem procurandam; *idem ibidem cum aliis DD. docet*, seu ad augmentum Ecclesiæ; ut *Suarez. disp. 78. sect. 2.* ex his ergo, & tu memento, ne *Memento* in Missa fiat in momento, sed cum aliqua mora.

In Commemoratione post *Memento* Defunctorum, eadem fere observet Sacerdos: & primo omnes commemoret ex instituto, & intentione Ecclesiæ; deinde eos, pro quibus, ut supra; tertio alios chariores, quos voluerit: & inter hos Auctorem hujus operis, qui commendat seipsum quam maxime, postquam obierit; & item illius anima Defuncti, quæ proxime, dum celebrat (Deus novit) egressura est de Purgatorio; tibi enim de Cœlo statim rependet gratiam: omnes autem Defunctos commendabis Deo in ordine tantum ad pœnarum remissionem; cum hoc Sacrificium pro Defunctis sit tantummodo satisfactorium.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. Ritu Missæ Privatæ, ab illis verbis Canonis: Memento Domine, usque ad alia verba: Et omnium circumstantium.

VII. Rubric. & Gav. lit. o — *Demisso aliquantulum capite.*) Celebrans, dum dicit illa verba, *Memento, &c.*) elevat, & jungit manus juxta formam a Rubrica superiori præscriptam, non usque ad oculos, sed usque ad mentum circiter; Angel. *part. 1. tit. 7. n. 64. part. 3. tit. 8. n. 3.* a Portu *supra n. 2.* absque eo quod prædictæ manus demittantur, & Altare tangant, antequam [eleventur: Gerv. *c. 8. §. Arrivato*, Monc. *supra. §. 112.* sic junctis manibus stat paulisper in quiete. Igitur commemoratio virorum, quam facit, non debet esse nimis brevis, scilicet in momento, sed debet durare saltem per spatium unius Pater noster; Bauldry *supra.* Tonell. *lib. 2. tit. 8. Rub. 3. n. 2.* Bissus *tit. S, n. 20. §. 52.* a Portu *n. 3.* capite etiam aliquantulum inclinato: Pisart. *tit. 8. in expos. n. 5.* & Vinitor *part. 2. in adnot. n. 3.* unde sequitur oculos non esse elevandos versus Crucem, sed defigendos versus Hostiam super Corporale positam. Bissus *supra*, & Bauldry *part. 3. tit. 8. Rubr. 3. in Not. n. 1.* Igitur amplectenda est nostri Gavanti sententia docentis, in dicto casu oculos non esse claudendos, nisi forte ad majorem animi compositionem; contra nonnullos, qui absolute præscribunt in prædicta circumstantia oculos claudi debere, ita ut non debeant in Hostiam defigi; hæc autem oculorum moderata demissio perseverare debet usque ad illa verba: *Et omnium circumstantium.* Polaccus *supra.* Advertere etiam debet omnis Sacerdos, quod dum profert illa verba *Memento famulorum &c.* non debet ea, & sequentia verba alta voce, sed secreta proferre.

Dum Sacerdos dicit *Memento, &c.* vel prius, si necesse est, surgit Minister; & facta consueta reverentia ad Altare, pergit ad capiendam virgam, & cum ea lumen ex lampade, si adest, vel ex candelabro in cornu Epistolæ, & accendit cereum, qui est in candelabro majori ad cornu Epistolæ, animadvertendo ne terga vertat unquam ad Altare, & Celebrantem, observando, an ad Consecrationis actum pervenerit. Deinde deponit virgam, & genuflectit super altiorem gradum in latere Epistolæ prope suppedaneum; si vero nulli sint gradus, post Celebrantem. Gerv. *infra citand.* In diebus festivis tamen, non unum tantum cereum, sed duos accendere debet in dicto casu. Hæc colliguntur ex Lohner *supra.* Bauld. *supra n. 33. & 34.* a Portu, & Gerv. *in instruct. pro Minist. Miss. Priv. c. 9. n. 2.*

VIII. Rubr. & Gav. lit. p. — *Quorum nominæ se-*

secreto, &c.) Convertendo nunc observationes nostras ad Celebrantem; hic manibus junctis, capite inclinato, & oculis, *ut supra*, demissis facit commemorationem vivorum Christifidelium juxta suam piam voluntatem, attenta regula a Gavanto tradita supra, & ab aliis, qui pie de ea scripserunt, Bauld. *sup. Rubr.* 3. *n.* 1. Biss. *supr. & in lit. M, n.* 131. quorum nomina tamen, si vult, secreto commemoret; sed necesse non est ea exprimere, cum sufficiat mente tantum eorum memoriam habere. Potest etiam Celebrans si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit. Rubrica *supra.*

Hoc unum superest hic animadvertendum, prædictam Sacerdotis Orationem, esse Orationem privatam; & ideo in ea posse Sacerdotem orare etiam pro excommunicatis vitandis, infidelibus, &c. ut observant Gavantus *supra*, Tonell. *supra*, & Quarti *supra in dubiis*, *dub.* 3. *&c.*

Si quis autem formulam aliquam habere desiderat orandi secreto in hac Canonis parte, poterit uti illa, quam affert Seranus 2. *par. Missæ n.* 28. quæ est hujusmodi — Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, hoc est mei, & eorum, pro quo, vel pro quibus in particulari sacrificare debeo; parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, & amicorum meorum omnium, quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi; omnium benefactorum meorum in spiritualibus, & temporalibus; omnium mihi commissorum in genere, & in specie; omnium Episcoporum, Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ Catholicæ; omnium Principum temporalium cum suis ministris; omnium inimicorum meorum, & omnium Fidelium viventium ad dimissionem culpæ, & largitionem gratiæ, & donorum; omnium hæreticorum, schismaticorum, excommunicatorum, & infidelium ad conversionem; & tandem omnium eorum, pro quibus & vis, & scis me debere orare, & illo gradu, & pro illis rebus, in quo, & pro quibus teneor pro illis offerre; & *omnium circumstantium.*

Præterire non debeo, quod antiquitus usus erat recitandi in Missa nomina offerentium; ut meminit Innoc. I. qui sedit anno 402. *in epist.* 1. *c.* 2. *ad Decentium*; & refertur *in c. fin. de Consecr. dist.* 1. quorum nomina scripta erant in diptychis, quod etiam colligitur *ex D. August. epist.* 137. *ad Clerum, & plebem Hipponensem.*

Quoniam autem hic de diptychis mentio facta est, & Oratio, quæ *Memento*, incipit in quibusdam Missalibus M. S. *Oratio super diptycha* inscribitur, breviter innuam, diptycha tabulas fuisse, quæ duas habebant plicas, de quibus, earumque profano usu plura ex Ethnicis Scriptoribus congerit Heribertus Rosweidus in onomastico ad vitas Patrum. De earum vero sacro usu, nonnulla collegit Card. Bona *lib.* 2. *c.* 12. & Antonius Bellotte in observationibus ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis, necnon Gavantus noster, sed breviter infra tit. seq. *in Rubr.* 2. lit. x.

RUBRICA.

4 Commemoratione vivorum facta, demissis, et extensis, ut prius, manibus, continuat: Et omnium circumstantium, etc. similiter stans, prosequitur, (q) *Communicantes. Cum dicit, Jesu Christi, caput Cruci inclinat: in conclusione, quando dicit*, (r) *Per eumdem, jungit manus. Cum dicit*, (s) *Hanc igitur oblationem, expandit manus simul super oblata; ita ut*, (t) *palmæ sint apertæ versus, ac supra Calicem, et Hostiam; quas sic tenet usque ad illa verba, Per Christum Dominum nostrum: tunc enim jungit manus, et sic prosequitur: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus: et cum dicit*, (u) *Bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam, communiter signat ter super Hostiam, et Calicem simul; deinde cum dicit*, (x) *Ut nobis corpus, separatim signat semel super Hostiam tantum: et cum dicit, Et Sanguis, semel super Calicem tantum: deinde elevans, et jungens manus ante pectus, prosequitur: Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi: et inclinans caput Cruci*, (y) *extergit, si opus fuerit, pollices, et indices super corporale, et dicit secreto, ut prius*, (z) *Qui pridie, quam pateretur; et accipiens pollice, et indice dextræ manus Hostiam, et eam cum illis ac indice, et pollice sinistræ manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit: Accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, elevansque ad Cœlum oculos, et statim demittens, dicit: Et elevatis oculis in Cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem: caputque aliquantulum inclinans dicit, Tibi gratias agens: et tenens Hostiam inter pollicem, et indicem sinistræ manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens*, (a) *Bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.*

GAVANTUS.

(q) *Communicantes.* Siricius Papa creditur auctor hujus partis Canonis *a Radul. ubi supra.* Lino tribuit *Nicol. de Plove in exposit. Missæ*, sed commemoratio Sanctorum in Missa est *apud S. Clem. lib.* 8. *const. Apost. cap.* 13. *et Dionys. de Eccles. Hier. cap.* 3. & quidem ante Consecrationem nominantur cum B. Virgine Apostoli, Summi Pontifices, Episcopi, Diaconi, & Laici: nempe Apostoli duodecim, & Martyres totidem: quia illi doctrina, & sanguine: isti sanguine, & Martyrio Sacrificium hoc consumaverunt, *Gemma lib.* 1. *c.* 104. Qui vero Canonem ordinavit, quos voluit, dictante Spiritu Sancto, hoc loco, & infra, nominavit: *ex Steph. Edvens. c.* 13. conjicit *Lindanus*

in Liturgia S. Petri cap. 22. cum aliis, a Sancto Hieronymo jussu Damasi catalogum hunc Sanctorum ortum habere. Iidem Sancti una cum Beata Virgine constituunt numerum quinquies quinque, quem supra in signis Crucis eumdem adnotavimus; quia quinquies in hac re quinque nostri sensus consummandi sunt, ait *Hugo ibi.* Confessorum autem nulla fit mentio, quia editus fuit Canon ante S. Sylvestrum; *ex Innoc. III. lib.* 3. *c.*10. neque sunt passi, sicut Christus. *Dur. lib.* 4. *cap.* 38. ubi plura. Ultimi de toto Canone Sancti passi sunt an. 362. nempe Joannes, & Paulus; reliqui omnes ante ipsos; & tamen post eosdem additi sunt Cosmas, & Damianus: quis causam novit? Passione priores loco sunt in Canone, posteriores arbitrio Auctorum Canonis; ut *Edvens. loc. cit.* significare videtur. Eminentissimi denique nominantur Sancti, in quibus tamen non cæterorum Sanctorum intercessio permittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur, quia sicut omnes in Deo uniti existunt, ita omnes unum desiderant, & rogant pro salute hominum, ut in uno omnes habeantur pariter, & in uno omnes pariter negligantur. *Alcuin. supra.* Qui nomen Sancti in Canone ex intentione omittit, non peccat mortaliter: *Diana tract.* 14. *de Celebr. Missæ resol.* 59. sed hæc omissio videtur magis injuriosa, quam omissio, vel mutatio nominis Episcopi, de qua supra *n.* 2. De variando, *Communicantes*, vide *supra part.* 1. *tit.* 12. *num.* 5.

(r) *Per eumdem.* In Canone quinquies secreto dicitur, *Per Christum Dominum nostrum*, & habet *Microlog. c.* 16. ob quinque recolenda vulnera Christi, ait *Honor. in Gemma lib.* 1. *c.* 56.

(s) *Hanc igitur oblationem.* Tribuit *Alcuinus* Gelasio; *Radulph. proposit.* 23. Leoni Magno usque ad ea, *Placatus accipias*: reliqua usque ad *Quam oblationem* exclusive, addita fuere a S. Gregorio; *Amalar. lib.* 3. *cap.* 23. *et communiter omnes*; occasione pestis Romanæ, & bellorum, ait *Lopez lib.* 2. *c.* 14. §. 1. legitur tamen in *Liturgia S. Petri Græca*, una cum *Communicantes.*

De hujus item partis varietate in Paschate, & Pentecoste propter batipzatos recenter, vide locum paulo ante citatum *part.* 1. *tit.* 22. *num.* 5.

(t) *Palmæ sint apertæ.* Pollice dextro adhuc super sinistro in modum Crucis posito; quod recte notavit *Alcozer in suo Cæremon.* & pollicibus item supra, non infra manus positis, & junctis, quod videtur fieri commodius; & placuit Dianæ quoque *tract.* 6. *Miscell. resol.* 104. expanduntur autem manus super oblata more Aaron, *Lev. c.* 1. *ex Suar. disp.* 84. *sect.* 1. & ut intelligas, hæc Mysteria tegi etiam Angelis, nedum hominibus: *Ruper. lib.* 2. *cap.* 57. vel innuunt Divinam protectionem, seu efficaciam gratiæ, quæ in hac prece postulantur, ex *Joan. Sorrano*; qui & addit vel Sacerdotem profiteri, non propriis viribus, sed virtute ordinationis per impositionem manuum Episcopi tam mirabile opus se facturum.

(u) *Benedictam adscriptum etc.* Ita loquitur *S. Ambros. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 5. ergo verba sunt antiqua. Quinque vero Cruces fieri hoc loco tradit *Microlog. cap.* 14. imo & *in Liturgia S. Petri* habentur.

(x) *Ut nobis Corpus.* Cruces fiant continenter, non interrupte, tres; & postea post brevem moram aliæ duæ, dispensando verba apposite.

(y) *Extergit pollices, & indices.* Ne sint humiditate affecti, & ad majorem reverentiam.

(z) *Qui pridie quam, &c.* Tribuitur Alexandro usque ad verba Consecrationis a *Walafrid. cap.* 22. & *Microlog. cap.* 12. sed Apostolorum est periodus, *ex Alcuino* usque ad, *Unde et memores*; cum habeantur *apud Clementem lib.* 8. *cap.* 17. & *in Liturgia S. Petri citata.* Cæterum gestus corporis in hac periodo consonant singulis verbis; ut patet *ex Microl. cap.* 15.

(a) *Benedixit.* Meminit hujus Benedictionis cum signo Crucis paulo ante verba Consecrationis. *S. Augustinus serm.* 19. *de Sanctis.*

Non opinor, Christum benedixisse manu formando signum Crucis, quia nondum data erat Cruci deifica virtus, *Nic. de Plovæ in expositione Missæ* idem sentit.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a Commemoratione vivorum facta, usque ad Consecr. Hostiæ.

IX. Rubr. *Demissis, & extensis ut prius manibus, &c.*) Post vivorum Commemorationem demittuntur manus, quæ fuerant elevatæ usque ad mentum circiter, & extenduntur ut prius, seu ut ad Orationem, & continuat Sacerdos Commemorationem vivorum, dicens voce secreta, seu submissa: *Et omnium Circumstantium, etc. Rubr. supra*, & Quart. *part.* 2. *tit.* 8. *Rubr. num.* 4. *n.* 1.

X. Rubr. & Gav. lit. q — *Communicantes, etc.*) Tum prosequitur *Communicantes* manibus extensis, & erectus stans, eadem voce secreta: ad nomina Sanctorum, quæ in hoc *Communicantes* recensentur, si eo die fiat Missa, vel specialis Commemoratio de aliquo, vel de aliquibus illorum (quod observatur per eorum Octavas si habeant) caput inclinatur inclinatione minimarum minima, quæ consistit in levi capitis inclinatione. A Portu *tit.* 3. *Rubr.* 4. *in adnot. n.* 8. *et tit.* 8. *Rubr.* 4. *in adnot. num.* 3. Lohner *part.* 2. *num.* 77. & Gerv. *supra* §. *Avvertirà.*

Inclinat Sacerdos caput versus librum ad nomen Mariæ inclinatione minimarum media, quæ fit notabili capitis inclinatione. A Portu *tit.* 3. *supra, etc.* Lohner *supra n.* 75. Gerv. *c.* 5. §. *Nominando, et c.* 8. §. *Si ricorderà.* Post inclinationem hanc non erigit se, sed paulatim profundius inclinat adhuc caput versus Crucem ad nomen *Jesu.* A Portu *tit.* 8. *Rubr.* 4. *in adnot. num.* 4. Gerv. *c.* 8. *loc. supracit.* in conclusione ad *Per eumdem*, jungit manus de more ante pectus.

XI. Gavant. eadem lit. q — *Confessorum autem nulla fit mentio.*) Tradit hic Gavantus rationem,

cur

cur Beatorum Confessorum nulla fiat commemoratio in antedicta Canonis parte: sed nullam reddit rationem, quare Patriarcharum, & Prophetarum nulla hic peragatur memoria: unde addendum esset cum Bellote *in observationibus pag.* 548. *n.* 8. ideo prædictorum non fieri mentionem, quia licet per fidem, & devotionem Sacrificium hoc in spiritu cognoverint, & spiritualiter participaverint, Sacramentaliter tamen eo nequaquam usi sunt, quod longe post eorum tempora noscitur institutum. Omittendum tamen non est, in Liturgia S. Clementis, & in Liturgiis Orientalibus, etiam Patriarcharum, & Prophetarum prædicto loco mentionem fieri; nam Cyrillus Hierosolymitanus Sacram Synaxim describens Cathec. 5. mystagogica, asserit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Reddenda est etiam aliqua ratio, cur commemoratis omnibus Apostolis, nulla de S. Mathia fiat mentio: dicendum igitur crediderim, quia non est in numero illorum, quos Christus Dominus immediate elegit, & Apostolos nominavit. Habetur autem Apostoli Pauli nominatio: quia hic non ab hominibus, neque per homines electus est, sed per Christum ipsum (*Actor. c.* 9. *vers.* 15.) numero, & gradui Apost. additus fuit, ut esset vas electionis portans nomen Domini coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Præterea de S. Mathia fit mentio in alia Canonis parte, quæ est post Consecrationem, & quæ incipit illis verbis: *Nobis quoque peccatoribus*: quo loco de hoc iterum sermonem faciemus.

XII. Rubr. & Gav. lit. r — *Per eumdem &c.*) In conclusione ad *Per eumdem*, jungit manus de more ante pectus, ut præscribit superior Rubrica, &c.

Hoc loco advertendum occurrit quod *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*, quando sunt particulares de Octava aliqua, verb. gr. de Paschate, de Nativitate, &c. nunquam omittuntur, etiam si omittatur Præfatio particularis talis Solemnitatis: & hoc constat ex Decreto edito die 28. Augusti 1627. & dato in nostro Indice *sub num.* 116. unde si infra Octavam Paschatis cantetur Missa Solemnis Votiva de Beata Virgine pro publica Ecclesiæ causa, & gravi necessitate, Præfatio erit de B. Maria; *Communicantes* vero, & *Hanc igitur oblationem* de dicta Octava. Sic etiam si Festum SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis Sanctæ Crucis, occurrerit infra Octavam Ascensionis; Præfatio in Missa erit quidem de Apostolis, vel de Cruce; sed *Communicantes* de Ascensione. Solum infra Octavam Nativitatis Domini, non solum semper dicitur *Communicantes*, sed etiam Præfatio de Nativitate, licet Missa occurrens propriam habeat Præfationem; ut clare patet ex Missa S. Joannis Evangelistæ, in qua non dicitur Præfatio Apostolorum, sed præscribitur dicenda Præfatio Nativitatis. Sed si infra dictam Octavam, cantetur aliqua Missa Votiva pro re gravi: tunc Præfatio erit quidem de ea, si propriam habeat; Communicantes vero de Nativitate; & hoc colligitur pariter ex Decreto S. C. edito die 25. Septembris 1706. & datur in nostro Indice *sub num.* 603. & sic tenet etiam Lohner *de Sacrif. Missa par.* 4. *tit.* 2. §. 3. *sub num.* 6.

XIII. Gavant. lit. s — *Hanc igitur oblationem, &c.*) Post invocationem Sanctorum in prædicta Oratione postulatam, quorum meritis precibusque dona nobis a Deo conferuntur; in nunc allegata Oratione, nimirum, *Hanc igitur oblationem*, petimus primo, ut oblationem nostram Deus *placatus accipiat*; secundo, *ut dies nostros in sua pace disponat*; tertio, ut *ab æterna damnatione nos eruat*; quarto in *Electorum grege nos numeret.* Bellarm. *lib.* 2. *de Miss. cap.* 2. Alia quæ spectant ad hanc, & ad superiorem partem, fusius explicata videri poterunt apud Durandum *de Ritu Eccles. lib.* 2. *c.* 56. apud Cardin. Bona *lib.* 2. *cap.* 12. & Ant. Bellotte *in suis observat. pag.* 536. *& seqq.* & apud Le Brun *tom.* 1. *pag.* 445.

XIV. Rub. & Gavant. lit. t — *Palmæ sint apertæ, &c.*) Cum Sacerdos incipit illa verba Canonis, *Hanc igitur, &c.* expandit manus simul super oblata, sed ne disjungat pollices, solummodo autem manus adaperiat ex parte inferiori super oblata. Bonamic. *part.* 2. *num.* 24. ita ut digitorum extremitates perveniant ad medium circiter pallæ, non tamen illam tangant, pollice dextero posito super sinistrum in modum Crucis; ut docet optime Gavantus *supra*, & cæteri Rubricistæ omnes cum eo. Observare tamen debemus, quod in prædicta circumstantia, manus Sacerdotis debent ita extendi super oblata, ut pollex dexter collocetur super sinistrum in modum Crucis. supra manus, non vero infra manus: ut declaravit S. R. C. sub die 4. Augusti 1663. in Decr. quod datum est in nostro Indice *sub num.* 407. manus autem ita dispositas tenet Sacerdos usque ad illa verba, *Per Christum &c.* tunc enim jungit manus, quas ita claudit, ut non disjungat, sed solum claudat, & retrahat ad se ante pectus; Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *Rubr.* 4. *num.* 3. Biss. *lit. S supra* §. 36. Gerv. *supra*: & sic manibus junctis prosequitur dicendo: *Quam oblationem tu Deus, &c.*

XV. Rubr. & Gavant. lit. u — *Benedictam, adscriptam, &c.*) Deinde deposita manu sinistra super Altare extra Corporale, dextra facit tria signa Crucis, ut præscribit superior Rubrica, continuate, & non interrupte ad illa verba, *Benedictam, adscriptam, ratam.* Quid Sacerdos facere debeat ad verba, *Rationabilem &c.* infra discutiemus.

XVI. Rubric. & Gav. lit. x — *Ut nobis Corpus &c.*) Factis dictis tribus Crucis signis communibus Hostiæ, & Calici, ut præscribit Rubrica superior, observando regulam supra a nobis traditam in formandis dictis Crucibus communibus Hostiæ, & Calici, procedit deinde Sacerdos ad formandas duas alias Cruces separatim ad illa verba, *Ut nobis Corpus*, signando semel tunc supra Hostiam tantum; ad quod signum non demittit manum dexteram super Hostiam: satis est enim si

aliquantulum manum ad se retrahat, ut in linea transversa Crucis cadat super Hostiam. Angel. *in catal. errorum, num.* 5. *de Consecr.* cum dicit *et Sanguis*, separatim signat semel, & format Crucem super Calicem tantum. Advertit Benvenuti *pag.* 25. quod prædictæ duæ ultimæ Cruces non debent excedere latitudinem unius palmi, sed forsan melius adnotat Aloysius Gherardi Episc. Cortonensis *cap.* 8. *num.* 15. quod prædictæ duæ ultimæ Cruces debent esse breviores (cum sint particulares, una super Hostiam tantum, & una super Calicem tantum) quam Cruces, quæ sunt communes Hostiæ, & Calici; pro qua sua sententia allegat Claudium La Croix, *tom.* 2. *lib.* 6 *part.* 2. *num.* 451.

Ut fidem superius datam impleamus, hoc loco examinamus, an quinque prædictæ Cruces, id est tres priores communes, & duæ posteriores particulares, interrumpendæ sint ad illa verba intermedia: *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Plerique cum nostro Gavanto Rubricarum interpretes docent, non interrupte Cruces esse faciendas, Celebranti suadentes, ut prædicta verba dispenset apposite, quam sententiam in praxi omnes fere Sacerdotes sequuntur; præscribunt alii, ut Sacerdos Cruces interrumpat, & in illorum recitatione verborum, dexteram super Altare deponat, ne in aere otiosa maneat. Ita a Portu *ad tit.* 8. *adnot. in Rubric.* 4. *num.* 10. Angel. *part.* 3. *tit.* 8. Turrinus vero *part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 4. mediam sententiam tenet, dicens inspiciendum esse quanam celeritate, vel tarditate proferantur hæc verba, & juxta illas gestus esse formandos, quia si quis lentus sit, poterit manum declinare super Altare; quod si sine mora proferantur, & cum aliqua celeritate, tunc locum habebit Gavanti dictum, quod communiter observari contingit, cum nimium, nimiumque gaudeant brevitate moderni: hæc Turrinus. Alii tandem docent manus esse jungendas, quos inter Splendianus, Andreas Pennazzi *in epitome Sacrorum Rituum cap.* 13. ubi sententiam hanc docte propugnat.

Postremam hanc opinionem Bissus lit. s *num.* 20. §. 53. imperitiæ accusare non dubitat: sed sapienter facere omnino mihi videntur qui ita se gerunt: nam Rubrica diserte præscribit, ut cum Sacerdos dicit *Benedictam, adscriptam, ratam* tres Cruces communes faciat, hinc unumquoque ex illis verbis media Cruce partitur: ergo tres Cruces communes jam debent esse completæ, quando recitanda sunt illa verba, *Rationabilem etc.* ac proinde mora aliqua secernendæ sunt a duabus posterioribus. Quid igitur Sacerdos faciet? num dexteram geret in aere suspensam? id perquam indecorum est; num super Altare deponet? id silet præsentis Rubrica textus, & pugnat cum altera Rubrica Missalis *tit.* 7. ubi hæc lego: *Postea erectus*, nimirum Sacerdos, *elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicturus) dicit, Veni Sanctificator.* Itaque a Rubrica præceptum est, ut quotiescumque Sacerdos aliquid benedicturus est, jungat manus ante pectus; atqui post ea verba *Rationabilem etc.* Sacerdos immediate benedicturus est singulariter Hostiam, & singulariter Calicem: ergo ad illa verba, ex generali Rubricæ dispositione, debet jungere manus; præsertim quia eo tempore utraque manus est libera: quare imperitiæ arguendi non sunt qui Rubr. tam accurate sequuntur, sed eorum potius corrigendus est error, qui nulla ducti ratione, vel dexteram super Altare deponunt, vel sine interruptione quinque prædictas Cruces efformant.

Factis quinque Crucibus modo supra exposito, Sacerdos elevans, & jungens manus ante pectus prosequitur: *Fiat Dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi:* ad nomen *Jesu* inclinat caput inclinatione minimarum maxima, quam alibi explicavimus in quo consistat.

XVII. Rubr. & Gav. lit. y — *Extergit pollices, etc.*) Mox si opus fuerit, extergit pollices, & indices super Corporale: & melius erit eos extergere ad majorem reverentiam, & ne digiti sint humidi: extergit autem non in medio Corporalis, ubi postmodum Hostia consecrata collocanda erit, sed in ejus extremitatibus. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *Rubr.* 4. *num.* 4. Bissus *supra* §. 54. Gerv. *in instruct. Missæ Priv. c.* 8. §. *Dicendo*, & alibi.

XVIII. Rubr. & Gav. lit. z — *Qui pridie quam pateretur, etc.*) Interim vero, dum scilicet extergit digitos, secreto dicit: *Qui pridie quam pateretur, etc.* & dum dicit *Accepit panem*, pollice, & indice dexteræ manus accipit Hostiam in parte ejusdem inferiore; Gerv. *sup.* quod ut facilius præstet, juvabit oram Hostiæ premere indice sinistræ manus, ut advertunt multi; & cum dicit, *In sanctas ac venerabiles manus suas*, etiam accipit. Hostiam pollice, & indice sinistræ manus; sicque eam erectam, non quasi jacentem, ambabus manibus tenet non elevatam, ne a Populo ante Consecrationem adoretur; Biss. & Gerv. supra; & interim utriusque manus digiti extenduntur uniti. Bonamic. *part.* 2. *n.* 28. Tonell. & Gerv. *sup.*

XIX. Rubr. & Gav. lit. a — *Benedixit, etc.*) Stat autem Sacerdos erectus tenens Hostiam modo dicto ante medium Altaris, elevans ad Deum oculos, id est ad imaginem Crucifixi; & statim demittens, sine tamen elevatione capitis, dicit: *Et elevatis oculis etc.* caputque aliquantulum inclinans, inclinatione minimarum maxima, quia plura proferuntur verba, quæ hanc inclinationem merentur; deinde dicit, *Tibi gratias agens;* & tenens Hostiam inter pollicem, & indicem sinistræ, manus, aliquantulum elevatam (& non quasi jacentem, ut male faciunt multi) non ad latus, sed in medio Corporalis, supra plicaturam anteriorem circiter, producit signum Crucis super eam, dextera manu, dum dicit voculam illam, *Benedixit;* & notandum hic, quod tam ista, quam aliæ Cruces particulares, non debent excedere longitudinem unius palmi, imo debent esse breviores, quam Cruces communes, ut notavimus supra.

RU-

RUBRICA.

5 *Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis antequam accipiat Hostiam*, (b) *discooperit manu dextera Calicem, seu vas aliarum Hostiarum: cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter, & secreto profert verba Consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecrandæ; et Hostiam suam pollicibus, et indicibus tantum tenens, dicit: Hoc est* (c) *enim Corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans, tenens Hostiam inter pollices, et indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis (et Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo a principio Missæ positæ sunt, super Corporali, vel in alio vase, aut Calice demissis) genuflexus eam* (d) *adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest,* (e) *elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit) Populo reverenter ostendit adorandam: et mox sola manu dextera ipsam reverenter reponit super Corporale in eodem loco, unde eam levavit, et deinceps pollices, et indices* (f) *non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere, vel tractare debet usque ad ablutionem digitorum post Communionem.*

GAVANTUS.

(b) *Discooperit.* Si Pyxidem collocaverit post Calicem, retrahet eam prius ad latus ipsius Calicis versus cornu Epistolæ, ut super ipsas quoque particulas propius verba proferat Consecrationis; * quæ proferre debet, stans quidem, & inclinato capite, sed retentis æqualiter pedibus in suppedaneo Altaris; non dextro ultra sinistrum, reverentiæ causa, quasi deflexo.

(c) *Enim.* Additum est a S. Petro; *ex S. Th. 3. part. quæst. 78. art. 2. ad 5.*

Notat *Biel lect. 38.* non vacare Mysterio, quod sint quinque verba hujus Consecrationis; totidem enim fuit consummata incarnatio: *Fiat mihi secundum verbum tuum:* Publicano totidem facta culparum remissio: *Deus propitius esto mihi peccatori;* Latroni totidem Cœli promissio: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

(d) *Adorat.* Unico genu, ut statim, & facilius surgere possit: quod & in sequentibus observa: * neque cubitis super Altare positis adorat, sed manibus Hostiam tenentibus super Altare retentis, & ita ut commode ad terram usque genuflexio fiat, neque videri Hostia ab omnibus possit. Abstineat omnino ab osculo Hostiæ, *S. Bonavent. in spec. disc. part. 2. c. 11.*

(e) *Elevat in altum Hostiam.* Et statim reponit, neque diu elevatam tenere debet; qui Ritus indicatur in *Psalm. 71. Exponente Rabbi Jonatha, qui vixit ante Christum, in libro collectionum: Fiet placenta panis Sacrificium in capitibus Sacerdotum, qui sunt in Ecclesia:* & licet hæc expositio minus probetur a *Bellarmino in Psalm. 71.* placet tamen *Calatino Burgensi, et aliis apud Lorinum in eumdem Psalm.* Vulgata legit: *Erit firmamentum* (Epithetum enim est panis, qui cor hominis confirmat. *Psalm. 103.*) *in terra in summis montium.* Sane hæc habet *Dionys. c. 3. Eccles. Hierarch.* Mysteria conficit, in conspectu agit, reverenter ostendens *et Anastasius Synaita de Sacra Synaxi:* panem vitæ sustollit, eumque omnibus ostendit, tamquam cibum, & potum excellentiorem cæteris, ait *Hugo Victorin. in Spec. Eccl. c. 7.* vel, ac si tunc Christus elevetur in Crucem, & rursus immoletur. *Gem. lib. 1. c. 46.* Item, ut a populo sciatur Consecratio facta secreto, & adoretur Christus; *Durand. lib. 4. c. 41.* unde & Populus genibus flexis adorat. *Ex Concil. Treviren.*

Monet hoc loco *Nicol. de Plove*, ne in Consecratione ipsa, elevetur Hostia, ita ut videatur; ne tunc nondum consecrata adoretur. Octo vero causas elevationis morales, & pias affert *S. Bonav. de Myst. Missæ.*

* In elevatione Hostiæ digitos extensos jungat, & item imas partes manuum, ut solidius, & decentius eam elevet; neque eas dividat, nisi quando reponit Hostiam.

(f) *Non disjungit.* Nullus antiquorum indicat hunc Ritum non disjungendi digitos, quem potius confutat, sed male *Micrologus. c. 16.* Meminit *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 4. et Durand. post eum cap. 41.* ob reverentiam scilicet Sacramenti. Digiti vero prædicti non disjunguntur usque ad eorumdem ablutionem inclusive.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando in Hostiæ, & aliarum Particularum, si quæ sint, Consecratione.

XX. Gav. lit. b — *Si Pyxidem collocaverit post Calicem etc.*) Antequam Sacerdos accipiat Hostiam, imo ante digitorum abstersionem, Pyxidem Particularum consecrandarum retrahit ad latus Calicis, & eam discooperit, ut notatur a Gav. *sup.* Si Particulæ consecrandæ sint super Corporale, ibi relinquuntur super aram, ad cornu Evangelii, ut erant. Quarti *par. 2. tit. 8. Rubr. 5. n. 4.*

Cum autem finierit supradicta verba, nempe, *Fregit, deditque Discipulis suis;* Sacerdos cubitis super Altare positis reverenter, manibus minime Corporale tangentibus ob decentiam, cum ibi quamprimum collocanda sit Hostia consecrata, stans inclinato mediocriter capite, & humeris eodem modo inclinatis, cum non possint cubiti super Altare collocari cum sola capitis inclinatione, Bauld. *part. 3. tit. 8. Rubric. 5. n. 2.* a Portu *supra n. 3.* distincte, reverenter, & secreto profert verba Consecrationis, prout præscribitur a Rubrica, &

Gavanto *supra:* unica enim formæ prolatione consecrantur simul magna Hostia, quam præ manibus tenet Sacerdos, & Particulæ, quas habet præsentes, super Corporale positas, vel in Pyxide, seu alio vase contentas. Bissus *sup.* §. 55. & reliqui omnes communiter.

In consecranda Hostia caveat Sacerdos, ne ullum faciat capitis motum, aut oris; nec afflet, aut barba, vel ore contingat Hostiam, nec capite signet, nec eam osculetur peracta Consecratione: Corsett. *tract.* 2. *part.* 1. *sect.* 2. *num.* 16. Tonell. Bonamic. & alii: sed unico contextu, & nulla interposita mora, inter hanc, vel illam vocem, ea verba, quæ profert, clare quidem, sed ita secreto, ut a nemine circumstantium audiantur, pronuntiet. Bauldry, Biss. *sup.* & cætera observentur a Sacerdote, prout disponit Rubrica, & explicat Gavantus *supra*. Notare quidem nos debemus, quod qui utuntur perspicillis, ipsa non adhibeant, si possunt, a Consecratione, usque ad peractam Communionem; quod si iis necessario uti debent, capiant ea inter indicem, & medios digitos, & numquam super Corporale ea deponant. Bauldry *part.* 3. *c.* 5. *num.* 6.

Prolatis verbis Consecrationis Hostiæ, Celebrans eamdem Hostiam consecratam tenens inter pollices, & indices super Altare, reliquis manuum digitis extensis, & simul junctis: & Hostiis, sive Particulis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo tempore Consecrationis erant super Corporale, vel in alio vase, aut Calice relictis (non enim Hostia consecrata antequam elevetur, est deponenda, ut vas cum Particulis retro Calicem collocetur, & cooperiatur, cum hoc fieri debeat post Hostiæ elevationem) statim adorat, ut dicitur infra. Bissus *supra* §. 56. a Portu *sup. n.* 7.

XXI. Gav. lit. d — *Adorat unico genu etc.*) Hostiam consecratam Sacerdos statim adorat unico genu, & cætera præstat, prout traditur a Rubrica *supra*, & Gavanto. Advertat tamen, ne in genuflexione supradicta attollatur Hostia; & ut commodius a Celebrante genuflectatur, retrahantur omnino cubiti extra Altare, reductis ad extremitatem Corporalis, ibique retentis solis manibus, usque ad pulsus, Hostiam retinentibus. Gervasi *supra*, Cabrinus *cap.* 8. §. *Celebrans*, Gavantus *supra*, & alii communiter. Porro supradicta genuflexio, quæ fit, ut diximus, unico genu post Consecrationem, sicuti fit ante sumptionem Sacramenti, debet fieri cum majori reverentia, & ideo cum aliqua morula, Biss. *supra*, & Bauldry *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Facta prima adoratione, acceptam in inferiori parte Hostiam elevat eo modo, quo in Missali, & Rubrica præscribitur: debet tamen eam elevare, sicut etiam Calicem, perpendiculariter, hoc est recta linea, oculis in eam intentis, & ita ut nec elevet Hostiam super Calicem, nec elevet Calicem super Hostiam, nec nimis lente, nec nimis properanter, nec diu elevatam teneat; in ejusque elevatione digitos extensos jungat, sicut & imas partes manuum, ut solidius, & decentius eam elevet; neque eas dividat, nisi quando reponit Hostiam: digiti vero prædicti non disjunguntur, nisi quando tractanda est Hostia, & post eorumdem ablutionem exclusive. Hostiam deponat sola manu dextera post elevationem; & idem debet dici de Calice, sinistra manu posita tunc super Corporale, quando Hostia, & Calix sunt prope planum Altaris; si forte fragmenta quædam pollicibus, & indicibus adhæreant, non ad Calicis labrum admoveat, sed affrictu digitorum inter se supra medium Calicis, curet ut fragmenta decidant in Calicem.

XXII. Gav. lit. e - *Elevat in altum Hostiam etc.*) Observandum hoc loco, Græcos non statim post peractam Consecrationem, sed paulo ante Communionem Corpus Dominicum elevare; qui sane Ritus in Ecclesia Græca antiquissimus est: nam illius mentionem habemus in Basilii, ac Chrysostomi Liturgiis, apud Dionys. *cap.* 3. *Eccles. Hierarch.* Anastasium Synaitam in Oratione de Sacra Synaxi: S. Germanum in contemplatione rerum Ecclesiast. & Sanctum Maximum in scholiis ad cit. Dionysii locum. His testimoniis decepti nonnulli Scriptores existimarunt ab ipsis Ecclesiæ primordiis elevationem in Occidente viguisse: falluntur tamen. Græcorum testimonia de Latinis Ritibus nihil probant, ut ait Card. Bona *lib.* 2. *capit.* 13. §. 2. certum quippe est morem hunc non ante undecimum Sæculum a Latina Ecclesia fuisse receptum; quod invicte demonstrat silentium omnium Ordinum Romanorum Alcuini, Amalarii Walafridi, Micrologi, Remigii Antissiodorensis, Flori Lugdunensis, qui cum omnes Missæ Ritus accurate descripserint, nullam elevationis faciunt mentionem. Legimus quidem in Missali Mozarabum post Consecrationem Hostiæ: *Hic elevetur Corpus Christi:* & post Consecrationem Calicis: *Hic elevetur Calix coopertus cum phiala*, quod esset pro hujus Ritus vetustate validissimum argumentum: id tamen neminem movere debet, ut a communi sententia recedat: nam hæc Missali Mozarabico addita sunt a Card. Ximenes; ut erudite Petrus Le Brun *tom.* 1. *dissert.* 5. *p.* 302. Displicuit Plinio observatio Galli Scriptoris; nullum tamen protulit argumentum, quo Bruni sententiam everteret. Fortius urgeret Pelagii I. Decretum ann. 557. a Martino Polonio relatum in ejusdem Summi Pontificis vita, quod ita se habet: *Ut memoria Defunctorum in omni Missa fieri debeat post elevationem Hostiæ.* Magni fecit hoc Pelagii Decretum, magni nominis Card. Petronius *lib.* 3. *de Eucharist. c.* 4. illud tamen viri eruditi rejiciunt, nec immerito: quis enim credat hujusmodi Decretum tot Missæ expositores latere potuisse, qui omnia Pontificum statuta ad Liturgiam pertinentia, sive genuina, sive apocrypha, suis operibus inserebant; & ab uno Martino Polono post octingentos annos esse detectum? Cum ergo ante Sæculum XI. nullum hujus Cæremoniæ vestigium appareat, merito statuunt doctissimi rerum Liturgicarum expositores, non ante illud Sæculum in Latinorum

Ri-

Ritibus fuisse receptam. Qua autem occasione introductus sit in Ecclesia Latina mos Sacramentum elevandi, se ignorare fatetur Cardinal. Bona *loco cit.* D. de Vert non approbandas super hunc Ritum conjecturas suas ponit *tom.* 3. *pag.* 261. quas a Petro Le Brun solide refutatas hic dedignamur exponere. Placet nobis ejusdem Petri sententia, quæ statuit morem elevandi Eucharistiam in Ecclesia Latina, originem a Berengariana hæresi duxisse: cum enim Berengarius realem Christi in Eucharistia præsentiam impugnasset, plures viri sanctitate præstantes, varios Ritus invexerunt, ut Fideles publice profiterentur Corporis Christi in Eucharistia præsentiam a Berengario impetitam; cui rei mirum, quantum elevatio Sacramenti conveniat. Hinc statutum est a Gregorio XI. ut notat etiam Gavantus *supra*, & a Guillelmo Parisiensi, ut ad elevationem Eucharistiæ campanula pulsaretur: quo sonitu monita plebs Christo præsenti adorationem impenderet: cujus Ritus meminit etiam Ivo Carnotensis *epist.* 142. Morales hujus Cæremoniæ (nempe elevationis Eucharistiæ in Missa) rationes, plures afferunt Auctores mystici a Gavanto supracitato, inter quos Div. Bonaventura, &c. Videri possunt, quæ de hoc Ritu scribunt Cardin. Bona *loc. citat.* Menardus in notis ad Sacramentarium D. Gregorii, Antonius Bellotte in observat. Rit. Laud. Eccles. *pag.* 566. Petrus le Brun *tom.* 1. *explicat. Cærem.* Grancolas *tom.* 1. *veterum Liturg.* & Auctor Gallici tractatus de Missa Parochiali.

RUBRICA.

6 *Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena, vel palla cooperit, ut supra. Interim, dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intortitio, (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa)* (g) *minister manu sinistra elevat fimbriam posteriorem planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod et facit in elevatione Calicis, et manu dextera* (h) *pulsat campanulam* (i) *ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, et similiter postmodum ad elevationem Calicis.*

GAVANTUS.

(g) *Minister.* Paulo post Sacerdotem ad ejusdem dextram genuflexus supra altiorem gradum, si plures sint gradus, manu sinistra elevat partem inferiorem posterioris planetæ, quæ, ut supra docuimus, errabunda utrinque super brachia reflectebatur; & eadem brachia in hac elevatione impediebat; in medio eam accipit, quam deponens deinde non osculatur.

(h) *Pulsat campanulam.* Ex Decreto Gregorii XI. *apud Nauclerum gen.* 42. *Anno* 1240. & meminit hujus Ritus *Ivo Carnot. epist.* 167. sicuti in veteri Testamento Levitæ tempore Sacrificii tubas clangebant argenteas, quarum sonitu populus provocabatur ad adorandum. *Durand. lib.* 4. *c.* 41. Honorio III. adscribit Ritum *Abbas Usbergen. cum Sculting. tom.* 1. *part.* 1. *c.* 18. Vidoni Cardin. an. 1207. *Cæsarius lib.* 9. *cap.* 51.

(i) *Ter.* Idest cum Sacerdos adorat, cum elevat, & cum reponit Hostiam; seu Calicem: & hic Ritus, sicuti est prior in Rubrica, ita decentior est posteriore, quo continuate campanula pulsatur; ternario namque numero gaudet Deus, ut alias cum Innocentio III. diximus.

* Non pugnat Cæremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 29. cum Missali, dum in eo extinguuntur funalia post depositionem Calicis, & in Missali post Communionem: quia nimius funalium calor, & fumus Prælatis nocent; unius autem cerei non item.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, a repositione Hostiæ, usque ad Elevationem Calicis.

XXIII. Rubr. *Si adsit vas &c.*) Reposita Hostia super Altare ante Calicis elevationem, si adsit vas aliarum Hostiarum, seu Particularum consecratarum, Sacerdos statim cooperit, præsertim ne musca, aut quid simile intret in illud, quod Sacramentales species commaculare possit; Quarti *part.* 2. *tit.* 8. *Rub.* 6. *n.* 1. ob quam rationem cooperitur etiam Calix cum palla ante, & post Consecrationem; non vero grandior Hostia, & particulæ super Corporale existentes cooperiuntur, quia facilius a Sacerdote, utpote ipsi proximiores custodiuntur. Idem Quarti *supra*. Insuper dictum vas sive Calix, sive Pyxis reconditur post Calicem, ubi erat prius. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. unde approbandi non sunt illi, qui peracta Consecratione recondunt Pyxidem prædictam intra Tabernaculum, vel extra aram super aliud Corporale. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 20. *num.* 69. Reprehendendi pariter sunt illi, qui nulla urgente necessitate, statim post Consecrationem distribuunt populo illas Particulas tunc consecratas, quæ cum pertineant ad idem Sacrificium, non licet eas dispensare fidelibus, nisi peracto eodem Sacrificio. Quarti, de Lugo, & Tonell. *loc. cit.* Si tamen urgente aliqua necessitate ad aliud Altare transferri debeat, statim peracta Consecratione, prædicta Pyxis, in qua continentur Particulæ de novo consecratæ; tunc Celebrans retrahat se ad cornu Evangelii, & ibidem genuflexus utroque genu adoret. Tonellius *supra*, & Corsettus *sup. num.* 8.

XXIV. Gav. lit. g. — *Manu sinistra elevat &c.*) Dum Hostia elevatur a Sacerdote Minister profunde inclinat, manu dextera pulsat campanulam, ut statuit Rubrica, & manu sinistra elevat posterio-

tem partem planetæ Celebrantis; quæ controvertitur, utrum sit osculanda ab eodem Ministro, dum illam apprehendit. Bonamic. *part.* 3. *num.* 94. Affirmativam tenet sententiam; Bauld. vero *part.* 1. *supra*, Lohn. *part.* 3. *tit.* o *num.* 10. & plures alii sustinent non esse osculandam in tali casu a Ministro planetam ob eas rationes, propter quas eam non osculatur Sacerdos, dum eam sumit, nimirum, quia nulla in ea continetur Crux: præterrea coram Sacramento nihil est osculandum, ut notat Gerv. cit. *supra*.

XXV. Gav. lit. h — *Pulsat campanulam.*) Idem Minister, dum Hostia elevatur, profunde inclinat, & campanulam pulsat manu dextera ter, ut præscribit Rubrica superior, & Gavant. lit. i prima vice, quando Sacerdos genuflectit; secunda vice, quando Sacerdos Hostiam elevat; tertia vice, quando ipse Sacerdos Hostiam deponit. Bauld. *part.* 1, *supra* & *part.* 3. *supra num.* 2. Castald. *lib.* 2. *c.* 16. *num.* 19.

Quando post depositionem Hostiæ Sacerdos iterum genuflectit, ut illam adoret, non pulsat campanulam; unde animadvertat Minister, ut tertia vice pulset campanulam in depositione Hostiæ, non in genuflexione, immediate subsequente depositionem. Bonamicus *supra*, deponit autem planetam post campanulæ pulsationem absque osculis. Bauldry *part.* 1. *supra num.* 1. Alius Ritus pulsandi campanulam non ter, sed continuate, sicut a Gavanto censetur minus decens, ita etiam a nobis non videtur alteri supra exposito præferendus: eodem modo, & absque osculis debet pulsari campanula in elevatione Calicis.

Huc spectat subsequens S. R. C. Decretum de non pulsanda campanula, quando fit aliqua Processio in Ecclesia — In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt per Ecclesias sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa Privata: quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendus est a transeuntibus utroque genu ante Altare, ubi Missa celebratur, &c. — quod Decretum datum est in nostro Indice *sub num.* 457. & editum fuit a Sac. Ritu Congr. die 1. Martii 1681.

RUBRICA.

7 *Celebrans, adorato Sacramento, surgit,* & (l) *discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat:* & *stans erectus dicit: Simili modo postquam cœnatum est: et ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantum illum elevans, ac statim deponens, dicit: Accipiens et hunc præclarum Calicem, etc. cum dicit: Item tibi gratias agens: caput inclinat: cum dicit, Benedixit, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextera signat super eum, et prosequens, Deditque discipulis suis, etc. ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis, et capite inclinato, profert attente, continuate, et secrete, ut supra, verba Consecrationis Sanguinis: Hic est enim Calix, etc. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale, dicens secreto:* (m) *Hæc quotiescumque feceritis, etc. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens* (n) *Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus,* (o) *ut prius, elevat eum; et erectum quantum commode potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextera palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.*

GAVANTUS.

(l) *Discooperit Calicem.* Sunt, qui nunc interea palla Calicis tegunt Hostiam, ne in elevatione Calicis eam fortasse tangant cum fimbriis manipuli, deponendo Calicem: quod non probo, movente quæstionem *Durand. c.* 46. cur Hostia nunquam cooperitur, & Calix operitur? cui respondet: tum ob periculum, ne quid in Calicem cadat; tum ob Mysterium, quia in Calice repræsentatur Christus, ut in Sepulcro, opertus Syndone, Sudario, lapide clauso, & signato; in Hostia vero, ut in Passione extra Sepulcrum: quare tegi nunquam debet in Missa, Durandi judicio, Hostia Sacra.

* Quod hic dicitur *juxta nodum infra cuppam*, idem est, ac si diceretur, capit nodum Calicis, qui est infra cuppam: quidam deponunt Calicem, ut manus jungant, & benedicant, sed non bene: vide supra *titulo præced. num.* 5. non enim deferendus est Calix ab ejusdem acceptione: sicuti nec deseritur Hostia ad illud verbum, *Benedixit*, donec fiat Consecratio.

(m) *Hæc quotiescumque, etc.* Antequam elevet Calicem, hæc verba dicere debet; & dum reponit, pedi Calicis non debet osculum infigi a Celebrante; de quo nihil Rubrica.

(n) *Calicem discoopertum.* Tradit *Durand. c.* 41. & laudat elevari Calicem coopertum, mysticasque affert causas *c.* 42. sed antiquitus non poterat elevari coopertus, quando Corporale erat satis amplum, substratum Hostiæ, & Calici, quod una simul adhibebatur ad tegendum Calicem altera parte ejusdem, cujus vices nunc gerit palla; ut significavimus supra *tit.* 1. Ne quid vero cadere nunc possit in Calicem, dum elevatur; prohiberi debet vel tecto super Altare concamerato, vel umbella decenti superaddita. Ritus igitur a Rubrica nostra præscriptus conformior est antiquiori nascentis Ecclesiæ; qui tamen & tempore Durandi apud quosdam, *inquit idem ibid.* erat in usu, forte apud Romanos; non erat autem in præcepto hæc elevatio Calicis ante Sanctum Thomam; *ex S. Thom. 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 5. unde neque *S. Thom.* me-

meminit illius, ubi minute Ritus omnes persequitur Missæ.

(o) *Ut prius.* Hoc est, sinistra pedem, dextera nodum tenens; qui Ritus frequentior est tenendi Calicis, de quo in oblatione ejusdem *tit. 7. num.* 15. nedum in Consecratione: ergo idem est servandus in elevatione: putant enim aliqui illud, *Ut prius*, referri ad ea *Ambabus manibus juxta nodum*, sed minus recte.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a repositione Hostiæ super Altare, usque ad Calicis repositionem.

XXVI. Rub. & Gav. lit. l — *Antiquitus, etc.*) Antiquitus quidem Calix coopertus consecrari poterat; nunc vero nonnisi discoopertus, est consecrandus; & hoc præscribitur in Missali reformato a S. Pio V. Ita notat Annell. *de offic. Sacerd. l. 1. c. 11. dub. 6. n. 45.* & Biss. *lit. S, n. 20. §. 59.* Dum autem Sacerdos discooperit Calicem, manum sinistram super Altare intra Corporale ponit, & accipit pallam digitis medio, & indice unito pollici manus dexteræ, ut *sup.* Tonell. *l. 2. tit. 8. Rub. 7. n. 1.* & alii communiter. Prædictam autem pallam ponit super extremitatem veli existentis prope Corporale, positi ad partem Epistolæ: ita Baldass. Bonam. Tonell. & alii relati ab Hippolyt. a Portu *sup. in suis Adnot. ad Rub. 7. hujus tituli n. 1.* deinde præstet ea, quæ præscribit Rubrica, & Gavantus supra, advertendo, quod non debet elevare Calicem ante illius Consecrationem, ultra quatuor digitos a mensa Altaris. Bauld. *p. 1. tit. 9. Rubr. 3. n. 3.* & alii, quos citat, & sequitur a Portu *supr.* In actuali Calicis Consecratione, quando caput inclinare debet, inclinat inclinatione simplici, seu minimarum maxima versus Hostiam consecratam, & non versus Crucem, cætera exhibendo prout disponit Rubrica *sup.* & prout fecit in Hostiæ Consecratione, & proportione servata, in pronuntiandis verbis Consecrationis, in genuflexionibus faciendis, &c.

XXVII. Rub. & Gav. lit. n — *Calicem discoopertum, etc.*) In Calicis consecrati adoratione, seu genuflexione, Sacerdos non tenet eum præ manibus, sicut tenet Hostiam consecratam; ratio disparitatis desumitur a periculo effundendi Sanguinem per actum genuflexionis, quod non contingit in Hostiæ adoratione. Facta igitur genuflexione mox surgit, & Calicem discoopertum accipiens ambabus manibus, videlicet ultimis tribus digitis sinistræ manus pedem Calicis tenentibus, & dextera nodum apprehendente, ita ut Calicis nodus intercludatur a dexteræ pollice, & indice unitis ex parte anteriori, ac medio, & anulari ex parte posteriori, elevat eum perpendiculariter, ut diximus *sup.* ita tamen, ut pes ejus non excedat oculos Sacerdotis, intentos semper in dictum Calicem elevatum. Bonam. *p. 2. n. 28.* Gerv. *sup.* & alii communiter. Minister autem eadem præstat in elevatione Calicis, quæ fecit in elevatione Hostiæ consecratæ; advertendo tamen, quod reposito Calice a Sacerdote super Corporale, & ab eodem per secundam genuflexionem iterum adorato, dictus Minister surgit, & genuflectit in plano Cappellæ juxta medium Altaris, & retrahit se ad infimum gradum Altaris a cornu Epistolæ, deferens secum campanulam, eamque deponens in suo loco. Bonamic. *p. 3. n. 94.* Bauldry *p. 1. cap. 15. num. 35. et 57.* Lohn. *part. 3. tit. 9. n. 10.* & Gerv. *supra num. 7.*

RUBRICA.

8 *In Missa Solemni ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intortitia ab Acolythis, quæ* (p) *extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad Communionem. Cum autem celebrans dicit, Quam oblationem, etc.* (q) *Diaconus accedit ad ejus dextram; et ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbriam planetæ elevat, et quando opus est, se erigens, Calicem discooperit, et cooperit, et cum celebrante genuflectit.* (r) *Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ* (s) *ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in thuribulo absque Benedictione. Reposito Calice,* (t) *Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat; cæteri surgunt, et stant in locis suis.*

GAVANTUS.

(p) *Extinguuntur post elevationem.* Ne portantes intortitia genuflexi maneant, cæteris stantibus, ideo asportantur funalia, & extinguuntur. Cum autem Communio facienda est, non discedunt, ut deinde redeant; sed expectant Communionem, quæ fieri debet cum accensis luminibus, præsertim si discedatur ab Altari. Cum autem elevatur Hostia, elevantur etiam intortitia usque ad depositionem Calicis inclusive.

In diebus jejuniorum, etc. Cessat ratio standi, & quia genuflexi manent omnes in Choro, usque ad *Pax Domini*, parum quod superest usque ad Communionem Celebrantis, pro nihilo reputatur; congruitque ob præsentiam SS. Sacramenti in Altari, ut eo casu tantum ardeant intortitia. Excipe Vig. Nativ. Paschatis, & Pentecostes, quando nimirum in Choro non genuflectitur, & consequenter neque remanent intortitia, deposito Calice.

(q) *Diaconus accedit.* Facta prius nimirum genuflexione, ubi est, Altari. Si adest Pyxis cum Particulis consecrandis, ipse eam detegit, & collocat prope Hostiam ante Consecrationem; & deposita Hostia, post Elevationem, facta cum Celebrante ge-

genuflexione, Pyxidem aperit, collocat in pristino loco; & antequam discooperiat Calicem consecrandum, cum Celebrante prius adorat cum genuflexione Hostiam ab eo depositam super Altare.

(r) *Subdiaconus genuflectit in loco suo.* Hoc est supra infimum Altaris gradum in medio post Celebrantem.

(s) *Ter incensat.* Nimirum, cum Celebrans adorat, cum elevat, cum deponit; neque benedicitur incensum. *Cæremon. Episcop. lib.* 1. *cap.* 23. ad majorem reverentiam SS. Sacramenti, a quo omnis Benedictio.

Genuflectunt autem prædicti, quando Diaconus genuflectit.

Pulsantur etiam campanæ, signo dato cum campanula, ut supra dictum est *n.* 6. ab Acolytho.

(t) *Diaconus redit ad librum.* Facta iterum genuflexione in cornu Evangelii tantum ubi est liber, & assistit, ut prius. Thuriferarius redit in Sacristiam.

Elevato Sacramento, hoc est deposito Calice, Chorus dicit: *Benedictus qui venit, etc.* ait *Cærem. Episc. l.* 5. *c.* 8. *ut supra dictum est.* Nota, quod Chorus genuflectit initio Canonis; *Cær. Ep. l.* 2. *c.* 8. & surgit post depositionem Calicis; *ex hac Rubr.* stant autem omnes versus Altare in locis suis.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a fine Præfationis, usque ad Calicis repositionem.

XXVIII. Rubr. *Circa finem Præfationis accenduntur, etc.*) Rubrica optime præscribit, quod circa finem Præfationis, duo saltem Clerici accendant duo intortitia &c. nam in Festis Solemnioribus, & in majoribus Ecclesiis adhibentur etiam quatuor, sex, vel octo intortitia, & consequenter totidem Clerici, qui ea deferant, requiruntur. Prædicta autem incortitia vel accenduntur in Sacristia, vel in alio loco retro Altare, ubi Missa celebratur, quibus accensis, præcedente Cæremoniario, deinde Thuriferario cum thuribulo, in quo tunc debet immitti incensum vel per ipsum Thuriferarium, vel per Cæremoniarium, sine Benedictione, ut docet Castald. *lib.* 1. *sect.* 4. *c.* 6. §. 14. Cærem. Monasticum *lib.* 2. *cap.* 9. §. 13. & Cærem. Patrum Eremitarum S. Augustini *part.* 1. *cap.* 16. in quo casu non deberet deferre secum naviculam. Alii autem contrarium tenent circa thuris immissionem in thuribulum, in prædicta circumstantia, qui eam præscribunt faciendam esse solum paulo ante elevationem Sacramenti in Presbyterio, ut nos dicemus infra cum Gavanto; & idcirco Thuriferarius tunc debet secum deferre naviculam.

Clericus vero, qui defert intortitia, & a dextris Thuriferarii incedit, facem manu dextra deferat, & aliquantulum eam inclinet, sinistra vero manu infra pectus posita; alter autem Clericus, qui ad sinistram Thuriferarii ambulat, dextra infra pectus posita, sinistra facem deferre debet; & sic simul incedunt. Cum autem pervenerint ad medium Altaris, salutant Chorum ex utraque parte, si ibi sit ante Altare, advertentes, ne terga Altari vertant. Deinde omnes dispositi in recta linea, genuflexionem unico genu faciunt Altari in plano Cappellæ, aliquantulum ab infimo gradu Altaris distantes: mox surgunt, & sibi ipsis invicem mutuam capitis inclinationem faciunt, id est mediocrem; deinde Cæremoniarius, & Thuriferarius accedunt ad cornu Epistolæ, genuflectunt in plano, non super infimum gradum. A Portu *p.* 2. *de Missa Solemni tit.* 8. *Rub.* 8. *in adnot. n.* 1. Idem Acolythi vero cum intortitiis genuflectunt deinde utroque genu post Subdiaconum in recta linea distantes per tres, vel quatuor palmos ab infimo Altaris gradu, juxta capacitatem Presbyterii, demissis in terram intortitiis. Si facienda sit Communio, ipsi Acolythi genuflectunt ad latera ipsius Altaris hinc inde, si ita sit usus, facie ad invicem versa. Bauld. *part.* 3. *c.* 11. *art.* 8. *num.* 2. Bissus *supra.*

Addendum hic est, quod quando elevatur Hostia, Acolythi debent elevare intortitia, extrema scilicet parte eorum pectori admota; quæ sic elevata sustineant usque ad depositionem Calicis inclusive. Aliqui autem sic intortitia non elevant, sed ea semper adhærentia pavimento sustinent; in quo consuetudinem servandam esse putat Bissus *litt. A, n.* 105. §. 3.

Diximus supra, Acolythos debere ire ad Sacristiam sumendi causa intortitia: quia vero apud aliquos Sacristia est retro Altare, imo etiam aliquorum mos est parandi intortitia accendenda in Choro retro Altare; ideo dicendum est, quomodo hoc in casu Acolythi ad Altare procedere debeant. Igitur si sint duæ portæ, una in cornu Evangelii, altera in cornu Epistolæ, egredientur per portam Evangelii, & revertentur per portam Epistolæ. Bissus *supra* §. 4.

Acolythi, qui detulerunt intortitia pro Elevatione, finita elevatione Calicis, surgunt simul cum Cæremoniario, & Thuriferario, qui in cornu Epistolæ genuflexi erant, & ad medium Altaris inter Acolythos genuflectunt utroque genu, juxta sententiam Castaldi *l.* 1. *sect.* 4. §. 14. & Bissi *sup. n.* 106. Bauld. *p.* 1. *c.* 14. *a.* 3. *n.* 18. (quamvis in Cæremoniali Monasterio, & PP. Eremitarum S. Augustini, & aliis, nihil præscribatur de tali genuflexione facienda utroque genu) deinde redeunt in Sacristiam, seu ad locum; ubi intortitia acceperunt; Biss. *sup. n.* 106. & Thuriferarius thuribulum, & naviculam non reportat ad credentiam, sed relinquit in Sacristia. Castald. *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 6. *n.* 12. Bauld. *part.* 1. *cap.* 15. *art.* 3. *n.* 12.

Si vero facienda sit Communio, solus Thuriferarius cum thuribulo, & navicula discedens post repositionem Calicis, facta prius in medio genuflexione, ibit in Sacristiam, in qua relinquit thuribulum, & naviculam; inde revertitur ad locum suum in Presbyterio, facta in medio genuflexione:

ne: Clerici vero cum suis intortitiis manent genuflexi donec facta fuerit Communio omnibus, & Sacramentum repositum fuerit in Ciborio. Castald. *lib.* 1. *sect.* 4. *supra*, a Portu *supra n.* 4.

XXIX. Rub. & Gav. lit. p — *In diebus jejuniorum genuflexi manent omnes, &c.*) In diebus jejuniorum serventur ea, quæ tradit Gavantus supra inhærens dispositioni Rubricæ: excipiuntur tamen ultra Vigilias Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes etiam Feria 5. in Cœna Domini, & Feriæ quatuor Temporum Pentecostes. Bauldry p. 1. *c.* 14. *art.* 4. *n.* 19. a Portu *tit.* 8. §. 5. quia in illis diebus non genuflectitur in Choro.

XXX. Rubric. & Gav. lit. q — *Diaconus accedit, &c.*) Cum autem Celebrans dicit, *Quam oblationem, &c.* Diaconus facta genuflexione, ubi est, Cruci Altaris, a sinistra transit ad dextram Celebrantis, advertendo, quod dum transit ab uno latere ad aliud, semper facere debet genuflexionem unico genu, quando accedit, & antequam recedat, non vero dum transit per medium. Bauld. *p.* 3. *cap.* 11. *de Miss. Solemn. a.* 7. *n.* 22. Biss. *lit. B*, *n.* 123. §. 36. deinde genuflectit super suppedaneum, prope tamen Altare utroque genu, propter Elevationem mox faciendam (& si adsit Pyxis cum Particulis consecrandis, dum Celebrans dicit, *Qui pridie, &c.* ipse erectus eam detegit, & præstat ea omnia, quæ tradit Gavantus *sup. lit. Q*) post elevationem Hostiæ surgit Diaconus, & iterum genuflectens unico genu, Sacramentum cum Celebrante adorat: postea, & non prius, erectus discooperit Calicem, & iterum utrumque genuflectit, usque dum Celebrans, post Elevationem deposuerit Calicem super Altare. Ad utramque Elevationem, scilicet dum Celebrans ante Elevationem adorat, & non prius, idem Diaconus elevat planetam Celebrantis, tenens eam in medio per fimbrias posterioris partis, nec eam, deponendo osculetur. Dum Diaconus assistit Celebranti a dextris, primus Cæremoniarius accedit ad librum cum debitis reverentiis, ut vertat folia quando opus est. Nicolaus de Bralion *part.* 2. *c.* 7. *n.* 9.

XXXI. Gav. lit. r — *Subdiaconus genuflectit, &c.*) Subdiaconus vero genuflectit eo tempore, quo primum ad illa verba, *Quam oblationem, &c.* Celebrans pervenerit. Sed quam certum est Diaconum genuflectere debere ad dextram Celebrantis; adeo in dubium vertitur, quo loco genuflectere tum debeat Subdiaconus, nimirum utrum a sinistris Celebrantis in infimo suo gradu, an in medio ejusdem gradus. Primam sententiam tenet Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 1. *n.* 17. secundam vero tuetur Gav. *sub hac lit. R*, cui adhærent Claud. Arnaud. *p.* 2. *tit.* 8. *n.* 19. Bauld. *p.* 1. *c.* 13. *supra*, Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 13. Bissus *lit. S*, *n.* 196. §. 16. sicuti etiam a Portu *supra n.* 10. a quibus non videtur recedendum esse: quia Subdiaconus stans in medio, nec impedit populum, ita ut videre nequeat Hostiam elevatam, nec ostendit ullam minorem reverentiam, quam stando a sinistris in dicto infimo gradu. Verum si adsit Episcopus genuflexus in faldistorio locato in medio Presbyterii; tunc quidem Subdiaconus genuflectere deberet in infimo suo gradu a sinistris Celebrantis, ne terga vertat ipsi Episcopo.

XXXII. Gav. lit. s — *Ter incensat, &c.*) Paulo aute Consecrationem, secundus Cæremoniarius vel Thuriferarius ponit incensum in thuribulum absque Benedictione, & ad Elevationem genuflexus ad cornu Epistolæ ante infimum gradum in plano. SS. Sacramentum incensat triplici ductu pro unaquaque Elevatione, scilicet, primo incensat unico ductu, & capitis inclinatione profunda ante, & post, quando Celebrans adorat Hostiam in prima genuflexione: secundo incensat altero ductu, quando elevatur Hostia: denique incensat tertio ductu, quando deponitur genu in adoratione Hostiæ collocatæ super Corporale: Christian. *sect.* 1. *c.* 11. *n.* 6. Gav. *supra lit. S*, Lohn. *p.* 3. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 3. eodem modo Acolythus (non secundus Cæremoniarius, quia Cæremoniarii Clericos dirigere debent, & non eorum munia præstare) ter tintinnabulum pulsat: Corsett. *tract.* 1. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 50. Castald. *l.* 1. *sect.* 4. *c.* 2. *n.* 13. & præterea pulsandæ sunt campanæ majores turris campanariæ, ut populus admoneatur: Gavantus Corsett. *supra.* Castald. *lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 2. *n.* 21. similiter Thuriferarius, ut supra diximus, ter incensat Calicem; & Acolythus ter pulsat tintinnabulum eodem modo, quo dictum est in elevatione Hostiæ, quod deinde reponit super credentiam. A Portu *supra n.* 12. In Missis Solemnibus Defunctorum, non Thuriferarius, sed Subdiaconus incensat Hostiam, & Calicem, quia non est impeditus detinendo Patenam.

XXXIII. Gavant. lit. t — *Diaconus redit ad librum.*) Reposito Calice super Altare Diaconus surgit, & Calicem palla cooperit; ac mox facta unico genu genuflexione a dexteris Celebrantis, accedit ad ejus sinistram, & iterum ibi, facta genuflexione, assistit ad librum, folia dextera sua vertendo, quando opus est; & se Celebranti conformet, dum se signat, dum percutit pectus, &c. Lohner *part.* 3. Bauld. *p.* 1. *cap.* 12. *art.* 2. *num.* 52. *& part.* 3. *cap.* 12. *num.* 8.

Subdiaconus vero, reposito a Celebrante Calice super Altare, surgit, sicuti & Clerici omnes surgunt, & stant in locis suis; sed nec ille, nec isti signent se, nec genuflectant, dum Celebrans, & Diaconus se signant, & genuflectunt. Arnaud. *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 5. a Portu *supra n.* 15. Cæremoniarius autem surgit, genuflectit, atque accedit ad laterale cornu Evangelii, ut præsto sit libro, ut *infra.*

De Canone post Consecrationem, usque ad Orationem Dominicam. IX.

RUBRICA.

1 *Reposito Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare extensis manibus ante pectus, dicit se-*

secreto; (u) *Unde & memores &c. Cum dicit: De tuis donis, ac datis: jungit manus ante pectus; & cum dicit,* (x) *Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam: manu sinistra posita super Altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam, & Calicem, et semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem tantum, dicens: Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, et Calicem ✠ salutis perpetuæ: deinde stans ut prius, extensis manibus prosequitur:* (y) *Supra quæ propitio, etc. Cum dicit* (z) *Supplices te rogamus, etc. inclinat se ante medium Altaris,* (a) *manibus junctis super illo positis: cum dicit: Ex hac Altaris participatione, osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit: Sacrosanctum Filii tui: jungit manus: et dextra signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit: Cor ✠ pus, et San ✠ guinem sumpserimus: et cum dicit: Omni Benedictione ✠ Cælesti: seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur. Et gratia repleamur. Cum dicit, Per eumdem; jungit manus.*

GAVANTUS.

(u) *Unde & memores.* Tribuitur hæc pars Alexandro I. *a Radulph. prop.* 23. hausta fuit ex *Liturgia Græca S. Petri, et ex lib.* 8. *Const. Apost. c.* 17. memores, inquit, Passionis, Mortis, & Resurrectionis, Ascensionis, additur in *Liturgia S. Basilii.* Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, simul inter Latinos legit *Ambros. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. qui & habet ea verba, quæ sequuntur: *Hostiam puram, etc.*

Extenduntur etiam hic manus, ut gestu corporis repræsentetur Christi Passio, *Microlog. cap.* 16. non tamen fit brachiorum extensio, more Ambrosianorum, & Dominicanorum.

(x) *Hostiam puram.* Novit *Microl. cap.* 15. has quinque Cruces, & hoc eodem modo.

Quærit *Innocent. III. lib.* 5. *cap.* 3. Cur super Hostiam, & Calicem nunc consecrata fiant signa Crucis? Respondet, nonnisi ad recolendam Christi Passionem; quem sequitur *Alex. de offic. Missæ, mem.* 3. *art.* 2. *cum S. Thom.* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 4.

Distinguunt moderni Theologi in Christo rationem Sacerdotis efficientis principalis in Missa, & Hostiæ, uti causæ materialis: & secundum hanc dicitur Christus subesse secundum quid, Sacerdoti Ministro secundario, & instrumentali: qua ratione verum esse potest hic, quod a Paulo dicitur, *Hebr.* 7. quod minus est, secundum quid a majore, seu meliorem, secundum quid benedicitur. Vide *Jo. Osorium concione de Sacerdotio.* O profunda Christi Dom. N. humilitas sub Sacerdote.

(y) *Supra quæ propitio, etc.* Hæc leguntur *in Liturgi cit. S. Petri, et S. Basilii, et apud Ambr.* 4. *de Sacram. cap.* 6. quæ vero in fine dicuntur: *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam:* S. Leo Magnus addidit. *Et Innocent. supra cap.* 4.

(z) *Supplices te rogamus, etc.* Inclinationis mentio est *apud Microl. c.* 16. Verba leguntur *in Liturgia cit. S. Petri apud Microl. et Ambros. loc. cit.*

(a) *Manibus junctis.* Non tamen pollice dextro super sinistro posito, sed junctis pollicibus, & indicibus invicem inter se, *tit.* 3. *n.* 2. & parvis digitis frontem Altaris tangentibus; quod etiam in sequentibus observatur, * *ex Rub. tit.* 14. *n.* 1. ibi: *Quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur.* Reliqua sunt nota, & habentur *apud Innoc. III. lib.* 5. *cap.* 5. tum osculum, tum Cruces tres. Antiquiores non formabant has Cruces, & patet ex numero sex ordinum Crucium, quas memorant in Canone.

Ea verba: *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli, etc.* habentur *in Liturgia Græca S. Petri, et apud Ambros. lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, a repositione Calicis, usque ad Memento Mortuorum.

I. Rubr. & Gav. lit. u — *Unde et memores, etc.* Hanc partem Canonis, quam Gavantus Alexandro I. Summo Pontifici, tamquam primo auctori adscripsit, ab Apostolico fonte derivare censet Bellotte in suis observ. *pag.* 578. unde Alexand. I. nonnisi scriptis mandatam, ac Decreto suo roboratam, potius quam statutam, idem Bellotte arbitratur: nam & Domini verbis mandatum fuit Apostolis, ut quotiescumque sacrificarent, ejus memoriam agere deberent; nec aliud significare voluit Apostolus per illa verba: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et Calicem bibetis, mortem Domini annunciabit, donec veniat.* 1. *Cor. cap.* 11. *vers.* 26. quam memoriam Passionis Christi in Sacrificio Eucharistico esse semper faciendam; & tam verbo, quam facto ab Apostolis, suisque successoribus, in litando factam fuisse, pie credendum est.

Sacerdos autem nonnisi post factam genuflexionem debet proferre præfata verba, *Unde et memores, etc.* Bonamicus *p.* 2. *n.* 32. Castaldus *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 56. In prosecutione talis Orationis, cum dicit Sacerdos, *de tuis donis, ac datis,* jungit manus ante pectus, ut præscribit Rubrica superior: sed prædicta manuum conjunctio post Consecrationem, non fit pollice dextro supra sinistrum posito in formam Crucis, ut fiebat ante Consecrationem; sed remanentibus pollicibus, & indicibus, inter se conjunctis, ita ut pollex manus dextræ conjungatur cum indice ejusdem manus, & pollex sinistræ cum ejusdem indice. In reliquis observetur methodus tradita a Gavant. *supra.*

II.

II. Rubr. & Gav. lit. x — *Hostiam puram, etc.*) Cum dicit *Hostiam puram, etc.* dextera signat Sacerdos ter communiter super Hostiam, & Calicem, servando in formatione talium signorum Crucis ea, quæ supra diximus, cum de hujusmodi Crucibus sermonem habuimus, etiam ante Consecrationem faciendis aliquando super Hostiam, & Calicem.

III. Rubric. & Gav. lit. x — *Supplices te rogamus, etc.*) Hanc Canonis partem, in Liturgia S. Petri, seu quæ S. Petri nomine decoratur, reperiri asserit noster Gav. unde infert suprac. Bellotte procul dubio antiquissimam esse. In dicenda autem tali deprecatione, profunde se inclinat Sacerdos inclinatione medii corporis, manibus super Corporale positis, manentibus tamen junctis inter se pollicibus, & indicibus; tangentibus Altaris frontem digitibus articularibus, ut supra tradidimus. Cum dicit, *Ex hac Altaris participatione*, & *Sacrosanctum Filii tui Corpus, etc.* servet ea, quæ præscribit superior Rubrica in proferendis talibus verbis. Advertat tamen, quod quando signat se signo Crucis, dicendo: *Omni benedictione cælesti, etc.* ne digiti pollices, & indices disjungantur, & ne planetam tangant; in qua formatione Crucis, tribus aliis digitis dextræ manus tangit frontem, quando profert, *Omni benedictione;* tangit pectus, quando pronuntiat *cælestis;* tangit humerum sinistrum, quando dicit: *Et gratia;* tangit humerum dextrum, quando profert *Repleamur;* Bauld. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. a Portu in hanc *Rubr. n.* 12. cum dicit vero, *Per eumdem Christum Dominum nostrum*, jungit manus ante pectus, & caput inclinat. A Portu *supra num.* 13.

RUBRICA.

2 *Cum dicit: Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, etc. extensis, et* (b) *junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem Fidelium* (c) *Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus, prosequitur: Ipsis, Domine, et omnibus in Christo, etc. et in fine ad, Per eumdem, jungit manus,* (d) *et caput inclinat.*

GAVANTUS.

(b) *Junctis manibus.* Bis hoc loco junguntur manus ad *Per eumdem;* & iterum ad *Memento.*

(c) *Defunctorum.* Communis est Ritus omnibus Liturgiis, ex præcepto Apostolorum; *Chrysostomus homil.* 3. *in epist. ad Philipp. et alii apud Durand. lib.* 2. *cap.* 43. ut scilicet pro Defunctis in Missa Oremus. Sixto I. tribuit *Platina.* Pelagio I. *Anselm. Ryd. in catalog. Annorum;* hoc est, Decreto confirmaverunt.

NN. nomina recitabantur in Romana Ecclesia *Alcuin. celebr. Missæ, et ante eum Cyprian. Ambros. et alii apud Durand. ibidem*, ex diptychis, & tabulis. Diptychi vero erant complicati pugillares, seu tabulæ duplicatæ, in usum scribentium comparatæ. *Turneb. lib.* 9. *advers. cap.* 23. una vivorum, altera continebat nomina defunctorum in Christo. * Diptycha in genere neutro appellant alii, de quibus plura *Durand. lib.* 2. *de Ritu cap.* 43. *Angelus Rocca* ad librum Sacrament. S. Gregorii: plurima legere potes in onomastico ad vitas Patrum, verbo Diptychum, *Auctore Hcheriberto Kosvveydo.* Pausa fit, non post literam N. sed post verba, *somno pacis. Ex lib. Sac. S. Gregor.* quam & nos retinemus.

(d) *Caput inclinat.* Cur hoc loco, non alibi, ad *Per Christum Dominum nostrum*, caput inclinatur? puto quia Sacerdos dicturus est statim, *Nobis quoque peccatoribus*: quæ sunt verba maximæ humilitatis.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, ab initio Commemorationis Defunctorum, usque ad initium deprecationis: Nobis quoque peccatoribus.

IV. Gav. lit. c — *Communis est Ritus omnibus Liturgiis, etc.*) Quamvis verissimum sit, hunc Ritum habendi memoriam Defunctorum in Missæ Sacrificio antiquissimum esse, & in omnibus Liturgiis reperiri; tamen quis præcise auctor fuerit hujus deprecationis, ignoratur: sunt enim discordes inter se Scriptores, tribuendo uni, vel alteri, nempe Sixto I. vel Pelagio I. hanc institutionem. Verum hujus pariter deprecationis prædictos Pontifices, non primos institutores, sed approbatores tantum fuisse, censendum est, cum ab antiquo, & Apostolico tempore hunc morem servaverit Ecclesia orandi pro Fidelibus Defunctis. Patet hoc ex antiquis omnibus Liturgiis, & ex Sanctis Patribus, nempe *lib.* 8. *Constit. Apostol.* in Liturgia S. Clementis, Cyrill. *Cath.* 5. Chysostom. *hom.* 17. *in Matth.* August. *serm.* 34. *de verb. Apostoli*, Cyprian. *lib.* 5. *epistol.* 9. Tertullian. de corona milit. &c. De hac deprecandi formula multa alia videri possunt apud cit. Bellotte *p.* 558. *et seqq.* necnon Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. & Marcellum de Cavaleriis in sua statera Sacra *tit.* 24.

Cæterum non Sixto I. (ut asserit Gavantus supra) tribuit Platina Decretum orandi in Missa pro Mortuis; sed Pelagio I. qui quatuor circiter Sæculis eidem Sixto posterior fuit: dicendum tamen est, eumdem Pelagium minime fuisse primum institutorem præfati Ritus; sed potius confirmasse hoc statutum orandi pro Mortuis in Missæ Sacrificio: quamquam, ut verum fateamur, & ut a nobis supra probatum, Decretum hoc Pelagio Papæ tributum, sit omnino suppositium.

Sacerdos in pronuntiandis primis verbis hujus formulæ, & dicendo *Memento etc.* debet secreto, non vero mediocri voce, prædicta verba proferre, ut clare Rubrica disponit, tenendo manus junctas

ctas ante pectus: unde bis in hoc casu jungit manus, nempe in conclusione antecedentis deprecationis, cum dicit, *Per eundem, &c.* & deinde cum incipit hanc aliam deprecationem, *Memento etiam, Domine, famulorum, &c.* quapropter facta prima manuum conjunctione, iterum postea extenduntur manus, & deinde iterum conjunguntur lente, ita ut conjunctio terminetur cum dicitur: *In somno pacis.* Bauld. *p.* 3. *tit.* 9. *Rub.* 2. *num.* 1. Tonell. *l.* 2. *t.* 9. *Rub.* 2. *n.* 1. Caveat tamen Sacerdos, ne deponat manus super Corporale post earum disjunctionem, & illas inde elevet, & conjungat. Extensis igitur, & statim junctis manibus ante pectus, & usque ad mentum elevatis maneat, ne oculi ab aspectu Sacramenti impediantur.

Dum Sacerdos memoriam facit pro Defunctis, qui in Purgatorio detinentur, post illa verba, *Famulorum, famularumque tuarum*, stat in quiete, & mentaliter mentionem facit illorum Defunctorum, pro quibus orare intendit, & quos in Purgatorio adhuc detineri, dubitandi locum habet: prædicta autem Commemoratio non fit in ictu oculi, sed per unius Orationis Dominicæ spatium, & mentaliter potius, ut dixi, quam verbaliter, & dummodo figantur oculi semper in Hostia a se consecrata. A Portu *supra n.* 5. Antiquitus tamen mos erat proferendi nomina Defunctorum illorum, qui in hac deprecatione suffragabantur: & excommunicatio Mortuorum nihil aliud significabat, nisi nomen illorum ex Sacris diptychis eradi, qui ab hoc, & aliis suffragiis Ecclesiæ excludebantur; ut ostendit Pamelius in suis eruditissimis notis ad *epist.* 66. D. Cypriani.

Cætera quæ remanent dicenda in fine hujus deprecationis, dicantur eo modo, & Ritu, quo præscribitur a Rubrica, & Gavanto *supra.*

RUBRICA.

2 *Cum dicit, Nobis quoque peccatoribus,* (e) *vocem aliquantulum elevat, & dextera manu* (f) *pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, & prosequitur secreto, Famulis tuis, &c. stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit: Per Christum Dominum nostrum: Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas; jungit manus ante pectus: deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam, & Calicem, dicit:* (g) *San ✠ ctificas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præstas nobis. Postea discooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam inter pollicem, et indicem dextræ manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat* (h) *ter a labio ad labium, dicens: Per ✠ ipsum, et cum ✠ ipso, et in ✠ ipso: similiter cum Hostia signabit inter Calicem, et pectus, incipiens a labio Calicis, et dicit: Est tibi Deo Pa ✠ tri omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti. Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem,* (i) *elevat eum aliquantulum simul cum Hostia dicens: Omnis honor, et gloria, et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos extergit, ut supra; ac pollices, et indices, ut prius jungens,* (l) *Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.*

GAVANTUS.

(e) *Vocem elevat.* Ita *Amalar. lib.* 3. *cap.* 26. *et Microl. cap.* 17. verba, *Nobis quoque*, habentur in *Liturgia cit. S. Petri.*

(f) *Petrus sibi percutit.* Tradit *Innocentius III. lib.* 5. *cap.* 11. *et ante eum nemo*; tribus digitis fit tunsio pectoris, ex *Durand. lib.* 4. *cap.* 46. hoc est, digitis inferioribus, & ultimis, ne pollex, & index juncti tangant planetam.

Quindecim Sancti hoc loco nominantur, octo viri, septem mulieres; quia per hoc Sacrificium a septem donis Spiritus Sancti ad octo Beatitudines pervenitur. *Honor. in Gemma cap.* 107.

E quibus primo loco Joannes: quisnam? Evangelistam putat *Innoc.* ratione virginitatis, cui ideo adjungitur statim Stephanus virgo: inclinat idem in Baptistam qui Martyr fuit; sed dubitat, quia dicitur *Apostolis, et Martyribus.* Intelligit *Azor. lib.* 10. *cap.* 37. *qu.* 7. Baptistam, ne Evangelista bis dicatur nominari; quem ego tamen Apostolum dixerim; qui fuit homo missus a Deo; deinde satis est, quod verificetur titulus Apostolorum in Mathia, & Barnaba Apostolis. *Liturgia S. Basilii* habet aperte Baptistam. *Gemma ubi sup. c.* 108. putat esse Joannem, qui est Marcus Evangelista, ut purus aliquis Evangelista reperiatur in Canone; sed *Baronius* negat, Marcum Evangelistam eumdem esse cum illo Joanne, *Anno* 45. *n.* 45. Reliqui vero vel sunt Pontifices, vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Exorcistæ, vel Virgines, vel Conjugatæ, ut ex Historiis Breviarii patet: omnes autem fuderunt sanguinem simul cum Christo, & pro Christo.

Mathias, & Barnabas nominantur posteriori loco, quia obiere post Stephanum. *Bellarm. de Missa lib.* 2. *cap.* 26. ubi addit, Mathiam non cum aliis duodecim nominati, quia post Passionem fuit electus. Quod si objicias, Paulum quoque post Passionem vocatum, *respondet*, Paulum Petro semper adjungi.

Felicitatem, de qua hoc loco, putat *Biel. lect.* 39. esse matrem septem filiorum, cujus Commemoratio fit die 23. *Novembris:* sed ego sentio, sororem esse Perpetuæ, cui conjungitur; de quibus die 7. *Martii*, quæ a S. Augustino summis laudibus celebrantur. Idem sentit *Baron. in Martyrol. ad prædictam diem Martii.*

(g) *Sanctificas, vivificas, etc.* De tribus his Crucibus *Microl. cap.* 17. verborum autem meminit *S. Cypr. serm. de Cæna Domini.*

(h)

(h) *Ter a labio ad labium.* Tres Cruces fiunt æqualiter nunc, sicut & duæ sequentes inter Calicem, & pectus. Taceat *Crassus*, qui *sequutus Durand. lib. 4. cap. 46.* tres primas Cruces voluit fieri altius, deinde minus alte supra Calicem, & postea intra Calicem; & aliarum duarum, alteram in planum a Calice ad pectus, alteram in longum a labio Calicis ad pedem ejusdem. Non sunt in usu Romano; neque Hostia debet tangere labium Calicis, ne fragmenta inde fiant; licet apud quosdam antiquiorum, *ex Ordine Romano* fieri soleret.

Cæterum *Microlog. cap. 17.* reprehendit duas postremas Cruces, & male: ergo erant in usu ante eumdem: verba vero, *Per ipsum, cum ipso, &c.* habet *S. Ambros. lib. de Sacram. cap. 5. & in Liturgia Græca S. Petri* docetur, cum iisdem verbis plane signari Calicem.

(i) *Elevat eum aliquantulum.* Tradit *Microlog. cap. 17.* nisi quod elevabatur Calix ad ea, *Per omnia, &c. usque ad Durandum*, qui hunc eumdem cum Micrologo describit Ritum: præsens autem Ritus noster magis concordat cum verbis, *Omnis honor, & gloria*, quæ in exaltatione Calicis, & Hostiæ manifestantur.

(l) *Calicem palla cooperit.* Hactenus operimentum Calicis fuit ad necessitatem; deinceps ad Mysterium, inquit *Microl. loc. cit.* quia in hac elevatione, & depositione Calicis meditamur depositionem Christi in sepulcro, in quo jacuit tribus fere diebus, quos denotant tres Orationes articuli sequentes; & in palla vult designari lapidem monumenti; de quibus & nos suo loco infra, cum de mystica agemus expositione Missæ. *Microl. idem c. 16.* notat, quinquies dici, *Per Christum Dominum nostrum, Gemma l. 1. c. 56.* reddit causam, ob memoriam quinque vulnerum Christi: est autem conclusio brevis, quia non præcedit, *Dominus vobiscum*, ut ait *Navarr. de Orat. cap. 49. n. 171.* neque in ultima dicitur, *Amen*: quia sequitur, *Per quem*, ut notat *Biel. lect. 60.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ privatæ ab illis verbis, Nobis quoque peccatoribus, usque ad illa, Per quem hæc omnia, &c.

V. Rubr. & Gav. lit. e — *Vocem elevat, &c.*) Dum Sacerdos dicit, *Nobis quoque peccatoribus*, voce aliquantulum, nempe mediocriter, elevata, percutit pectus non se inclinando, sed erectus manendo; Lohner *p. 2. tit. 21. n. 11.* & cætera præstet, prout declarat Gavantus *supra*, & Rubrica disponit. Minister vero pariter sibi tunc pectus percutit dextera manu, sinistra vero reposita infra pectus. Castald. *lib. 1. cap. 16. num. 20.* Turrin. Vinitor, Bauldry, & alii, quos congerit, & sequitur a Portu *Rubr. 3. hujus tituli in suis adnot. num. 2.*

VI. Gav. lit. g — *Sanctificas, vivificas, &c.*) Cruces, quas efformare debet Sacerdos, dum dicit prædicta verba, *Sanctificas, &c.* non debent excedere longitudinem unius palmi, ut sæpius diximus de similibus Crucibus. Quælibet autem Crux debet correspondere cuilibet ex supradictis verbis: ita ut primum Crucis signum efformetur, dum dicitur *Sanctificas;* secundum, dum dicitur *Vivificas;* tertium, dum dicitur *Benedicis:* postea discooperit Calicem manu dextera, sinistra de more deposita super Corporale, accipiendo pallam inter digitos medium, & indicem unitum pollici, & deponendo illam super Corporale, & genuflectens unico genu, Sacramentum adorat: mox surgit, & præstat omnia ea, quæ dicit supra Rubrica; observando tamen, quod Hostiam accipere debet aliquantulum infra medium oræ ipsius, non omnino a parte inferiori; ita ut per rectam lineam absque ulla prorsus ejusdem Hostiæ inclinatione, signa Crucis a Rubrica præscripta efformari possint.

VII. Rub. & Gav. ead. lit. h — *Signat ter a labio, ad labium, &c.*) Efformando prædictas Cruces cum Hostia super Calicem, exacte observet ea, quæ tradit Rubrica, & Gavantus *supra*, advertendo tamen, quod prima ex dictis Crucibus debet efformari inter vocem *Per*, & vocem *ipsum;* secunda inter vocem *Cum* & vocem *Ipso;* tertia vero inter vocem *In*, & vocem *Ipso:* ut optime describitur in Rubrica Missalis, seu in Ordine Missæ. Similiter cum Hostia signat bis inter Calicem, & pectus; & prædicta formatio duplicis Crucis pariter æqualis fiat inter Calicem, & pectus, nec excedat Calicis altitudinem. Ita a labio Calicis Crux protrahitur ad pectus, ut rectam formet lineam, non extra, sed inter Corporale: incurvetur insuper Brachium sinistrum, ne formando has Cruces, Hostia consecrata super ipsum brachium pertranseat: itaque prima Crux formetur, dum dicitur vox illa *Patri;* secunda vero finita voce *Spiritus*, ante aliam vocem *Sancti;* Bauldry *p. 3. supra*, & a Portu *supra n. 10.* postquam detulit Hostiam in recta linea, non per gyrum super Calicem, tenet super illius medium eamdem Hostiam inter pollicem, & indicem manus dexteræ, prout Rubrica describit.

Cur autem Sacerdos efformet triplicem Crucem super Calicem dicendo *Per ipsum, &c.* intelligendo nempe *per Dominum Jesum Christum*, & duas Cruces efformet extra Calicem, quando nominat Personam Patris, & aliam Personam Spiritus Sancti; ratio optima esse potest, quia cum solus Christus Dominus mortem subierit, & Calicem Passionis potaverit; ideo optime super, & intra Calicem efformantur Cruces, quando ipse nominatur a Sacerdote; efformantur autem tres Cruces, quia idem Christus Salvator noster passus est in Corpore, passus est in Anima, passus est in honore, & gloria: ut ait D. Thomas *p. 3. qu. 46. art. 5.* dicendo: *Passus est in corpore per vulnera, & flagella; passus est in Anima per tristitiam talium, & timorem; passus est in honore, & gloria, per irrisiones, & contumelias ei allatas.* E contra vero quia quamvis in vero, & catholico sensu

ob

ob unionem hypostaticam humanæ naturæ cum Persona Verbi Divini in Christo Domino, dici possit, Deus passus est, Deus pro nobis mortuus est; non potest tamen dici: Pater Divinus passus est, sicuti erronee asseruerunt hæretici illi, qui ideo Patripassiani appellati sunt; sic etiam quia non potest dici, quod Spiritus Sanctus mortem pro nobis subierit, & passus sit: hinc duæ illæ Cruces, quæ fiunt nominando prædictas duas Personas Patris, & Spiritus Sancti, efformantur extra Calicem.

Per duas autem Cruces, quæ fiunt extra Calicem, quando nominatur Persona Patris, & Spiritu Sancti, juxta sententiam Alexandri de Ales *p. 4. qu.* 83. *n.* 5. significatur separatio Animæ a Corpore in morte Domini: quamvis enim in Christo Domino fuerint tres substantiæ, nimirum Corpus, Anima, & Divinitas; in ejus tamen morte Corpus quidem ab Anima, & Anima a Corpore fuerunt ab invicem separatæ; sed neutra illarum separata remansit a Divinitate; licet enim Principes hujus Sæculi in Dominum Gloriæ, quem crucifixere, omnes immanitatis post homines natos inauditæ, vires effuderit; numquam tamen unionem hypostaticam attingere, nedum dirigere potuerunt: unde semper, etiam post Christi mortem ejus Anima, ejusdemque Corpus conservarunt hypostaticam unionem cum Persona Verbi, ejusque Divinitate, & ita verificatur illud commune effatum SS. Patrum, loquendo de Verbo Incarnato: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.* Denique posset etiam dici prædictas duas Cruces extra Calicem significare duas naturas Christi Domini, humanam, & Divinam: in quarum prima Passionis dolores persensit; in secunda vero, quamvis Passionis dolores non senserit propter suam essentialem Beatitudinem, Passionis tamen injurias, ut ait Vigilius Tapsensis *lib. 2. contra Eutychetem*, etiam ejus Divinitas pertulit; Passionem vero sola ejus caro persensit. Quia autem ejus caro hæc omnia & pertulit, & sensit, merito, ac jure dicimus, Deum his omnibus passionum conditionibus, sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu, vel mutatione Divinitatis suæ: ergo perferre passionem naturæ, est utriusque, sed cedere passioni non est utriusque naturæ, cum sit unius ejusdem Personæ. Ita Vigilius Tapsensis *supra loc. cit.*

VIII. Rub. *Elevat eum aliquantulum.*) Dum elevat Calicem juxta Rubricæ dispositionem, non debet ipsum elevare ultra quatuor digitos: Hostiam vero Populo non ostendat adorandam; neque in hac functione aliquod specialis reverentiæ signum præstet, sive genuflectendo, sive pedem inflectendo, sive alio modo, ut multi inepte faciunt: Bissus, Bauldry, & alii relati ab Hippoyt. a Porta *supra num.* 12. item Sacerdos Hostiam prædictam non teneat inclinatam, sed rectam. Elevato igitur Calice simul cum Hostia statim illum manu sinistra deponit suo loco, & manu dextra Hostiam super Corporale deponit, deinde exhibeat omnia ea, quæ superior Rubrica præscribit.

IX. Gav. lit. f — *E quibus primo loco ponitur Joannes, &c.*) Postquam expendimus in nostris Observationibus ea, quæ pertinent ad praxim Cæremoniarum, & Sacrorum Rituum, qui in prædicta deprecatione *Nobis quoque peccatoribus, &c.*) exhiberi debent; progredimur ad explananda aliqua alia, quæ pertinent ad sacram eruditionem, & ad reddendam rationem, cur nominentur aliqui SS. Apostoli, Martyres, &c. in prædicta formula. Sicut igitur ante Consecrationem postulatum fuit suffragium Sanctorum; ita post Consecrationem eorumdem petitur cum ipsis in Cælo consortium; qui, ut Regni Dei fierent participes, mortis pro Christi fide, non timuerunt subire supplicium. Nominatur autem primo loco Joannes, secundo Stephanus, & tertio Mathias: quia Ecclesia servat in hac deprecatione ordinem passionis, non dignitatis; prius autem passus est Joannes, postea Stephanus, & postea Mathias. Dixi prius passum esse Joannem, quia Joannes, de quo fit mentio in hoc loco, probabilius est juxta sententiam Walafridi esse Baptistam Præcursorem Domini, non vero Evangelistam, & Apostolum, sicut dicit Card. Bona *l. 2. Liturg. c. 14. n.* 5. cum iste nominatus jam fuerit cum aliis Apostolis in alia parte Canonis, quæ *Communicantes* appellatur, & quæ præcedit Consecrationem. Cur autem Mathias Apostolus hoc loco nominetur, & non in præfato *Communicantes*, rationem jam reddidimus ibidem in nostris Observationibus. Cæterum advertimus etiam optime institutam fuisse hanc deprecationem: quia cum Sacerdos paulo ante oraverit pro aliis, tum vivis, tum defunctis; modo progreditur ad orandum etiam pro se ipso, quia & ipse circumdatus est infirmitate, & debet quemadmodum pro aliis, ita etiam pro se ipso Sacrificium offerre; non autem se ipsum indicat singulari numero, sed plurali, dicendo: *Nobis quoque peccatoribus:* quatenus Sacrificium, quod offertur, non est singularis personæ, sed militantis Ecclesiæ, cujus loco, & vice Sacerdos, ut Minister ejus, sacrificat, & orat, seipsum & alios peccatores pronuntians, memor scilicet dilecti illius Christi Discipuli, qui licet ob vitæ suæ puritatem, & innocentiam supra pectus Domini recumbere meruisset; sui ipsius tamen, & condiscipulorum suorum, totiusque conditionis humanæ fragilitatem non dubitavit agnoscere, dicendo: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, &c.*

Alia, quæ spectant ad sacram eruditionem ejusdem deprecationis, videri possunt apud Auctores a nobis allegatos in *1. part. tit.* 12. qui de Canone, & de omnibus ejus partibus erudite scripserunt.

RUBRICA.

4 *In Missa Solemni, cum Celebrans dicit,*

Per

Per quem hæc omnia, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus est, (m) *discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterum genuflectit.* (n) *Cum incipit, Pater noster, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.*

GAVANTUS.

(m) *Discooperit Calicem.* Habet *Durand. lib. 4. c. 46.* ad ea verba, *Per ipsum, &c.* Dum fiunt Cruces, Diaconus retineat duobus digitis dextræ manus pedem Calicis: *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 9.* & habet Mysterium, de quo infra *in expositione Mystica Missæ.*

(n) *Cum incipit Pater noster.* Facta genuflexione, Diaconus vadit post Celebrantem; quod docetur etiam *a Durando loc. cit.* Regula vero est, quod Diaconus (non alii) cum Celebrante genuflectente genuflectat, si solus eidem assistit.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, ab illis verbis, Per quem hæc omnia &c. usque ad Orationem Dominicam.

X. Rubr. & Gav. lit. m — *Discooperit Calicem, &c.*) Diaconus in circumstantia a Rubrica expressa debet ita opportune accedere ad dexteram Celebrantis, ut postquam Celebrans signaverit Calicem dicens, *Sancti ✠ ficas*, possit genuflectere cum Celebrante; aliter si prius accedat, ipse solus genuflectit ad dexteram celebrantis, & postea genuflectit iterum cum illo. Postquam autem Diaconus huc pervenerit, primus Cæremoniarius facta genuflexione, vel utroque, vel unico tantum genu, juxta loci consuetudinem, accedit ad librum, ut assistat Celebranti, & vertat folia si opus est, & ibi remaneat, donec Subdiaconus, dicturus *Agnus Dei*, superveniat.

Cætera autem, quæ præstanda sunt a Diacono, usque ad *Pater noster*, satis declarantur a Rubrica & Gavanto *supra.*

De Oratione Dominica, & aliis usque ad factam Communionem. X.

RUBRICA.

1 *Celebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce,* (o) *Per omnia Sæcula Sæculorum; & cum dicit,* (p) *Oremus, jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit,* (q) *Pater noster, extendit manus; & stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a Ministro,*

(r) *Sed libera nos a malo, & a Celebrante submissa voce, Amen, manu dextra, pollice, & indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem, & medium digitos; quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto:* (s) *Libera nos quæsumus, &c.*

GAVANTUS.

(o) *Per omnia Sæcula Sæculorum.* Cur manibus extensis super Altare, & voce intelligibili? iidem videndi sunt, qui supra, in simili causa initio Præfationis, & præsertim *Innoc. III. lib. 5. cap. 12.* ut populus nimirum ratificet quæ secreto peracta sunt cum verbo *Amen.* Idem habetur *in Liturgia Sancti Petri.*

(p) *Oremus.* Sicut ad *Oremus* caput inclinat, ita erigit illud statim, ad *Præceptis salutaribus, etc.* quod dicit manibus junctis, quas deinde extendit ad *Pater noster.* Præfatio, *Præceptis salutaribus, etc.* vetustior est, quam plerique arbitrantur. *Ord. Rom. Alcuin. meminit, et Amal. l. 3. c. 20.* Tribuitur Sancto Gregor. *a Radulph. propos. 23.* sed videtur esse Sancti Cypriani *tract. de Oratione Dominica: apud Durand. lib. 2. cap. 47.* & additur tamquam præludium Orationis Domini, quæ sola a Deo fuit formata. *Oddo Camerac.*

(q) *Pater noster.* Oratio Dominica ab Apostolis ipsis usurpata fuit in Missa secundum omnes: nec Missa, ut dictum est supra, ex *Greg. lib. 7. epist. 63.* constabat aliis partibus, quam Consecratione, & Oratione Dominica. *Hier. lib. 3. advers. Pelag.* scribit, Christum Dominum docuisse Apostolos, ut quotidie in corporis ejus Sacrificio, audeant loqui, *Pater noster etc.*

Cum ergo a *Ruper. lib. 2. cap. 15.* dicitur auctor S. Gregor. intellige, vel eum restituisse Missæ, vel determinasse tempus ante Sacramenti sumptionem nam *S. Ambr.* eam recitari post Canonem testatur *lib. 5. de Sacr. cap. 4. et August. de se fatetur idem, sermone in Vigilia Paschæ:* forte Sanct. Gregor. hoc idem sancivit, vel statuit, quod a solo diceretur Sacerdote, non a populo; ut Græcis mos erat; & indicatur *in Liturgia Sancti Petri Græca, idem Gregor. lib. 7. Epist. 63.*

Alta voce dicitur; *ex Liturgia S. Petri citata:* tum quia communis Oratio est; ut *ex Cypriano sermone 6. notat Amalar. cap. 9.* tum quia hac ratione populus eam discere potest; *ex August. Ep. 42. inter 50.* tum quia sumpta est de Evangelio: *Durand. lib. 1. cap. 47.* & dum Sacerdos eam dicit, extendit manus. *Idem ibid.*

An vero sit extra Canonem? concedit *Alcuin. cum Amalario locis citatis, et aperte id sentit S. Greg. Ep. 63.* dum post Canonem vult eam recitari: sed in Parasceve dicitur, quando Canon omittitur: ergo non est de Canone: oppositum docet *Innoc. III. lib. 5. cap. 17.* qui vult eamdem esse finem

nem Canonis. *Bellarm. lib. 2. cap. 26. et Azor. l. 10. c. 37. qu. 9.* sentiunt cum Alcuino.

(r) *Sed libera nos a malo.* Clerum respondere hoc solitum esse testatur *Durand. cap. 49.* & Sacerdotem item secreto subdere *Amen.* Dicitur autem secreto, ad significandum, quod nos latet, an exaudiamur in Oratione Dominica data nobis a Christo; & Deus hoc vult latere, ne torpeamus. *Rupert. l. 2. cap. 69.* Male quidam dicunt etiam secreto, *Sed libera etc.* quod a Ministro tantum dici debet, & eam mysticam rationem affert hoc loco Angelus Contus *de Mysteriis Missæ p. 5. c. 1.* quod nimirum tacet hæc verba Sacerdos, in quibus petimus liberari a malo culpæ præsentis, sicut in præcedentibus postulamus a præteritis, & a futuris liberari, ne videatur, inquit, Sacerdos tunc temporis esse reus peccati mortalis. Eadem vero dicit populus convenientius, cui deinde Sacerdos bene precatur, dum secreto subdit *Amen.* Sed idem Sacerdos statim sibi quoque optat, & petit liberari a præteritis, præsentibus, & futuris ea prece, *Libera nos, etc.* Dicet ille: Secreto convenit, non publice hoc petere Sacerdotem. Valeat: mystica est ratio.

(s) *Libera nos quæsumus.* Habet *Ord. Rom.* Volunt aliqui additum esse a S. Gregorio cum Præfatione prædicta: innuit *Radulph. loc. cit.* expresse docet *Gemma lib. 1. cap. 90.*

Quæritur autem, cur hoc loco solus Andreas cum Petro, & Paulo nominatur? at quis nesciat S. Gregorium erga hunc Apostolum propensiorem fuisse, cujus nomine ædificavit Monasterium ad Clivum Scauri? frater Petri est prius vocatus; in Cruce cum Petro, & Christo obiit. Habetur hæc Oratio *in Liturgia S. Petri*, sed nomina Petri, & Pauli fuere addita post mortem eorumdem; nomen Andreæ non est cum iis: & licet habeatur in Ambrosiano Ritu; quia tamen ibidem est etiam Ambrosii nomen, a recentioribus utrumque additum fuisse patet: in Missali MS. de Urbe antiquissimo tribus Apostolis Petro, Paulo, Andreæ, quartum legi additum Bartholomæum: est textus vere singularis, sed monasticus, non Romanus: quod tamen adnotare volui in gratiam Sancti Apostoli mei.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, a principio Orationis Dominicæ, usque ad finem.

I. Rubr. *Accipit Patenam inter indicem, et medium digitos.*) Quæ peragere debet Sacerdos, recitando Orationem Dominicam in Missa Privata, satis exponuntur a Rubrica, & Gav. *sup.* ideo nihil immoramur in addendis aliis, quæ superflua forent. Innuimus tantum, quod in fine dictæ Orationis dum sumit Patenam, quæ erat sub Corporali, debet eam purificatorio in manu sinistra detento, extergere; quod purificatorium accipitur digitis medio, & indice pollici unito, per extremitates illius, quæ respiciunt candelabra, si fuerit complicatum; postmodum purificatorium deponitur in ea a Corporali distantia, ut Calix collocari possit inter ipsum purificatorium, & Corporale post digitorum ablutionem: deinde eamdem Patenam tenet inter indicem quidem, sed unitum pollici, ut erat, erectam; & ita, ut pars ejus interior, & inaurata respiciat Hostiam, ejusque extremitas, sive ora tangat tobaleam, non vero Corporale, ut tenent Bonamicus, Baldassarius, Tonell. & alii allegati ab Hippolyto a Portu super hanc Rubricam in suis adnot. *n.* 10. nec non Gervasi *in instructione Missæ Privatæ cap. 10.* & Lohner *par. 6. tit. 10. lit. z* hac ratione ducti, quia Rubrica quando exigit, quod super Corporale ponatur aliquid, id exprimit: cum autem in hoc casu præscribat tantum, quod Patena debeat sua extremitate teneri super Altare, videtur factum satis dictæ Rubricæ, si Patena tobaleam tangat: advertit Lohner *loc. cit.* quod cum purificatorium positum sit extra Corporale, accuratiores Rubricistæ in prædicto casu oram Patenæ super eo ponunt, quia ita verificatur, Patenam extra Corporale positam esse, & simul etiam super Altari, saltem mediate.

RUBRICA.

2 *Antequam Celebrans dicat: Da propitius pacem: elevat manu dextera Patenam de Altari, et* (t) *seipsum cum ea signat a fronte ad pectus signo Crucis, dicens: Da propitius pacem in diebus nostris. Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus; deinde* (u) *Patenam ipsam osculatus, et prosequens: ut ope misericordiæ tuæ etc. submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem, et indicem dextræ manus; et cum illis, ac pollice, et indice sinistræ manus eam super Calicem tenens,* (x) *reverenter frangit per medium, dicens: Per eumdem Dominum nostrum J. C. Filium tuum; et mediam partem, quam inter pollicem, et indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet,* (y) *frangit cum pollice, et indice dextræ manus particulam, prosequens: Qui tecum vivit, et regnat, etc. et eam inter ipsos dextræ manus pollicem, et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens: In unitate Spiritus Sancti Deus: et particulam Hostiæ, quam in dextera manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce, dicit: Per omnia Sæcula Sæculorum.* ℟. *Amen: et cum ipsa Particula signans,* (z) *ter a labio ad labium Calicis, dicit:* (a) *Pax Domini sit semper vobiscum.* ℟. *Per Ministrum: Et cum spiritu tuo: parti-*

ticulam quam dextera manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto, (b) *Hæc commixtio, et consecratio Corporis etc. deinde pollices, & indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus Sante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce;* (c) *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: et dextera percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita dicit, Miserere nobis: et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo, Miserere nobis: quod et tertio facit, cum dicit: Dona nobis pacem.*

GAVANTUS.

(t) *Seipsum cum ea signat.* Signabat faciem tantum cum Patena signo Crucis, ait *Innoc. III. lib.* 5. *c.* 1. alii signabant se, ait *Durand. c.* 50. & hic Ritus est congruentior a fronte ad pectus, signoque Crucis integro; ut declaravit S. R. C. *die* 13. *Martii* 1627.

(u) *Patenam ipsam osculatur.* Ita *Ord. Romanus:* ad ea tamen verba, *Da propitius pacem*, quasi per osculum hujusmodi pax a Deo petatur, ut ex verbis patet.

(x) *Reverenter frangit.* Habet *Dionys. c.* 3. *Eccles. Hierarch.* & ex latere dextro, *Microl. c.* 17. & ad ea, *Per eumdem Dominum nostrum*, ut in hac Rubrica, frangit autem super Calicem, *ex Radulph* 23. ad cautelam, inquit, *Hugo Victor. de spec. observ. Miss. lib.* 2. *cap.* 39. & incipit a superiori parte Hostiæ, sicuti signum Crucis incipit fieri ab eadem superiori parte.

(y) *Frangit Particulam.* Tradit *Microl. cap.* 17. Sed quæritur, unde præcidenda sit hæc particula, a parte superiori, an ab inferiori dimidiatæ jam Hostiæ? *Ex Durand. cap.* 51. *n.* 7. conjicio, quod a parte superiori: *ex præmissarum duarum partium*, ait, *in Patena conjunctione, post totam fractionem, duo resultant quasi cornua in modum Lunæ, et illa versus Calicem:* ergo de superiori parte fuit præcisa. Accedit expositio mystica Sergii Papæ *c. Triforme, de Consecr. dist.* 2. qui in oblata in Calicem missa, corpus Christi, quod resurrexit, designari docet: ergo in parte oblatæ superiori, & nobiliori est designanda: in parte comesta Christum ambulantem super terram, & est pars deposita cum dextera manu: in parte altera, quæ reservabatur, ad finem mundi in sepulcris membra Christi quiescentia. Hæc ille. Docent denique aperte, a summo Hostiæ præcidendam esse *Crassus lib.* 2. *c.* 4. *et Petrus Ruiz in suo Cæremoniali.*

Sed ex *Ordine Romano*, præcidi debet de ima Hostiæ * *Qui*, Pontifex, *de ipsa Sancta* (in duas partes divisa) *quam momorderat* (sumendo superiorem partem) *ponit in Calicem*, id est, partem inferiorem Hostiæ, *faciens Crucem ter, dicendo: Fiat commixtio.* Hæc ibi, & est in usu communiori.

(z) *Ter a labio.* De trina Cruce, & cum verbis, *Pax Domini*, mentio expressa habetur *apud Microl. cap.* 17.

(a) *Pax Domini &c.* Pacis annunciatio indicatur *a Dionys. cap.* 3. *Eccles. Hierarch. & a S. Clem. lib.* 8. *Const. Apost. c.* 18. cui omnis populus respondebat, *Et cum spiritu tuo*, Ambrosio tribuit *Hugo Vict. de Offic. Eccles. lib.* 2. *c.* 11. Innoc. I. *Gemma lib.* 1. *c.* 90. *Rabanus autem lib.* 1. *in additione*, tradit, cum particula tangi quatuor latera Calicis; sed usus obtinuit, quod a labio ad labium fiant Cruces sine tactu.

(b) *Hæc commixtio.* Habetur *in Ordine Romano*, & *Microlog. cap.* 18.

(c) *Agnus Dei.* Dicitur *in Liturgia S. Petri cit.* eamdemque in Missa post Defunctorum memoriam precationem haurit *Durand. lib.* 2. *c.* 53. *ex Concilio Nicæno.* Fortasse statuit Sergius, quem omnes faciunt auctorem, ut sicuti *in Liturgia S. Petri* semel dicebatur, ita deinde ter diceretur; vel ut a Clero, & populo cantaretur; ut ait *Baron. ann.* 701. puto. *Ivo Carnot. sermon. de conven. novi, & veteris Sacrificii*, propter trinam portionem Hostiæ ter dici.

In fine dicebatur ter, *Miserere nobis*, ut hodie quoque in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis Romæ *ex Alber. de Offic. Missæ, & Durand. testatur cap.* 52. postea vero *ex Innoc. III. lib.* 6. *c.* 4. irruentibus variis persecutionibus cœpit ubique fere dici tertio: *Dona nobis pacem*; quod tamen *Aug. Rocca lib.* 1. *de campan. c.* 18. tribuit Joann. XXII.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, ab illis verbis; Da propitius pacem, usque ad ultimum, Agnus Dei, inclusive.

II. Rubr. & Gav. lit. u — *Patenam ipsam osculatur &c.*) Postquam servaverit Sacerdos ea, quæ præscribit superior Rubrica, dicendo post extersionem Patenæ, *Da propitius pacem*, &c. antequam signet se cum eadem Patena, eam osculatur, sed in parte ejusdem anteriori, & superiori; numquam enim debet osculari in illa parte, per quam transitura est, seu in qua collocari debet Hostia consecrata. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 10. *Rubr.* 2. *n.* 1. & alii, quos congerit, & sequitur a Portu *supra Rubr.* 2. *n.* 4. Signum autem prædictum Crucis, quod facere debet cum Patena a fronte ad pectus, debet fieri integre; ut liquet etiam ex Decreto S. R. C. dato in nostro Indice *sub n* 205.

III. Rubric. *Submittit Patenam Hostiæ, &c.*) Dicendo illa verba: *Ut ope misericordiæ tuæ adjuti;* Sacerdos submittit Patenam Hostiæ, indice sinistræ manus eam accommodando, collocat tamen Patenam in medio Corporalis, ita ut pars superior patenæ sit elevata super pedem Calicis, ad hoc ut commodius capiatur, & ad hoc, ut fragmenta, si quæ sunt super Corporali colligantur, & non adhæreant ejusdem Patenæ partibus externis, Bonamicus *part.* 2. *num.* 27. Angel. *part.* 3. *su-*

pra §. *Interim*, Tonell. Baldassarius, & alii, quos allegat, & sequitur a Portu *sup. n.* 5.

IV. Rubr. *Discooperit Calicem, &c.*) Posita, modo supradicto, Hostia super Patenam, Calicem discooperit manu dextra, sinistra manu tenente nodum Calicis, elevando pallam inter indicem unitum pollici, & medium digitum, illamque deponendo super Corporali ex uno capite, & ex alio super velum: postea extensis hinc inde super Corporale manibus Calicem genuflectendo adorat; ac mox surgens premente partem lateralem sinistram Hostiæ indice sinistræ manus, pollice, & indice dextræ manus apprehendit eamdemHostiam in medio, & sic sola dextra elevatHostiam superCalicem, & postea adhibet etiam sinistram; & sic pollicibus,& indicibus utriusque manus, Hostiam super Calicem tenet.

V. Rubr. & Gav. lit. x — *Reverenter frangit &c.*) Frangit autem per rectam lineam non unico ictu, diligenter, & attente, ne dividatur in fragmenta; & frangit in partes æquales, quantum fieri potest, dum dicit *Per eumdem Dominum nostrum &c.* Commodissimus frangendi modus est, ut in suprema, media, & infima parte medietatis ab initio fiat modica fractura, & postea tota Hostia frangatur; sic enim in duas æquales partes facilius dividitur. Mediam partem Hostiæ, quam pollice, & indice manus dexteræ tenet, Sacerdos collocat super Patenam. De alia vero parte, quam manu sinistra tenet adhuc super Calicem, frangit ex parte inferiori, juxta sententiam Gavanti *supra lit.* x confirmatam per Decretum a S. C. editum die 4. Augusti 1663. & datum in nostro Indice *sub n.* 408. frangit, inquam, Hostiam ex dicta parte inferiori cum pollice, & indice manus dexteræ ut dicit Rubrica *supr.* exhibendo postea omnia, quæ præscribit eadem superior Rubrica; advertendo solum, quod quando formant Cruces cum illa minima particula supradicta pronuntiando *Pax Domini, &c.* debet formare Sacerdos motum Crucis cum tota manu dextera, & non cum solis pollice, & indice ejusdem manu dexteræ, tenente sinistra nodum Calicis. Format autem prædictas Cruces inter illa verba, prout describuntur in Ordine Missæ. Prædicta vero particula separata, quam tenet inter pollicem, & indicem manus dexteræ, est tenenda non solum supra, sed etiam intra os Calicis; ut tenent Baldassarius, Bonamicus, Lohner, Pollacus, & alii, quos refert, & sequitur a Portu; quibus adhærendum esse crediderim, quia tenendo dictam Particulam intra os Calicis, securius observabitur Rubrica.

Immissa dicta Particula in Calicem, & prolatis secreto illis verbis: *Hæc commixtio, etc.* Sacerdos statim extergit digitos, nempe pollices, & indices utriusque manus super Calicem, eo modo, quo superius diximus, non fricando eosdem digitos supra labia Calicis: Gervasi in sua instructione Missæ Privatæ *c.* 10. §. *Pronunzierà:* & post extersionem, pollex dexteræ manus conjungendus est, ut prius, cum indice ejusdem dexteræ; & pollex sinistræ, cum indice ejusdem sinistræ: deinde, ut præscribit Rubrica *supra*, Calicem palla cooperit, eam accipiendo inter digitos medium, & indicem unitum pollici dexteræ manus. A Portu in suis adnotat. ad superiorem Rubricam *n.* 21. Deinde positis hinc inde manibus super Corporale, genuflexus unico genu adorat Sacramentum: mox surgit, & junctis manibus ante pectus, non super Altare positis, capite inclinato mediocri inclinatione, intelligibili voce dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, etc.*

Prædicta immissio Particulæ Hostiæ consecratæ in Calicem, ideo statuta est ab Ecclesia, ut Corpus Christi Domini Sanguini suo immisceretur: quamvis enim, nec Corpus sine Sanguine sit in Hostia consecrata, nec Sanguis sine Corpore in Calice: nihilominus, quia seorsim Corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini consecrantur, ideo, statutum est, ut unum alteri commisceatur. Reperitur autem hæc commixtio etiam in Liturgia D. Jacobi, & in Ordine Romano, ab Hittorpio edito, & in antiquissimis Missalibus.

VI. Gavant. lit. y — *Partem inferiorem Hostiæ etc.*) Ecclesia Latina, sicut explicatum est, dividit Hostiam in tres partes. Græci autem eam dividunt in quatuor; Mozarabes vero in novem partes: olim fracta Hostia, una pars servabatur usque ad finem Missæ; dummodo vera sint, quæ ex Sergio Papa refert Gratianus de Consecr. *dist.* 2. *cap.* 12. quam pro infirmis servatam fuisse asserit Micrologus *c.* 23.

VII. Rubric. & Gav. lit. c — *Agnus Dei, etc.*) Sacerdos postquam dixerit *Agnus Dei, etc.* prout supra præscribitur a Rubrica, dicendo primum *Miserere nobis*, disjungit manus, & non prius, ponendo sinistram super Corporale, & percutiendo dextra pectus, cavendo ne pollice, & indice unitis tangat planetam. Deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, sinistra perseverante super Corporale, in dicendo secundo *Agnus Dei*, ne manus in aere hæreat; & in dicendo tertio *Agnus Dei*, eadem manus super Corporale teneatur; quod idem præstat dicendo postea, *Domine non sum dignus.* Lohner *part.* 6. *tit.* 10. *littera c* Gervasius *supra* §. *Dopo*, & a Portu *supra in Rubr.* 2. *hujus tituli in adnot. n.* 26.

VIII. Gavant. ead. lit. c — *Sergius statuit, etc.*) Quia S. Joan. Baptista Agnum Dei appellavit Christum Dominum cum primo eum vidit; hinc manavit mos in Ecclesiam pingendi Christum in forma Agni: sed temerario ausu Synodus Trullana convellere tentavit hunc pium morem; & sancivit, ne posterum Christus Dominus sub Agni figura pingeretur. Pseudosynodo tamen prædictæ restitit Romana Ecclesia, quæ veterem usum semper retinuit: imo Sergius I. teste Anastasio Bibliothecario in ejus vita, statuit, ut tempore confractionis Hostiæ consecratæ, ter decantaretur a Clero, & a populo *Agnus Dei, etc.*

In Ecclesia Orientali vetustior est mentio Agni Dei in Missa Solemni, sed non per modum precationis. Quidam autem hac Agni Commemoratione in Ecclesia Græca decepti, crediderunt, & tradiderunt, ut ait Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 16. §. 5. in Eccle-

sia

sia Latina talem mentionem ante Sergium Summum Pontificem cœpisse, eamque Concilio Nicæno coævam, imo etiam antiquiorem existimarunt. Macrius in suo Hierolexico v. *Agnus Dei*, docet quod Joannes XXII. statuit, ut tertia, & ultima vice dicatur loco *Miserere nobis*, *Dona nobis pacem*; & hanc pacis postulationem, originem duxisse a sequenti eventu, quem refert Rupertus Abbas Montensis in supplemento Chronici Sigiberti — Apparuit B. V. ann. 1183. cuidam fabro lignario, opus facienti in silva, deditque illi sigillum cum imagine sua, & Filii sui, & cum hac inscriptione: *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, dona nobis pacem*; jussitque, ut ferret ad Episcopum, atque ei diceret, ut qui vellent pacem Ecclesiæ, facerent hujusmodi sigilla, & portarent in signum pacis — Ex hoc igitur eventu censet Macrius contigisse prædictam mutationem. Utrum autem vere Joannes XXII. prædictam mutationem primus instituerit, Card. Bona in dubium vertit; & asserit nusquam se legisse a quo Pontifice præscripta fuerit talis mutatio, quam Sacrosanta Basilica Lateranensis numquam ad praxim deduxit, & usque modo retinet antiquum morem dicendi *Miserere nobis*, etiam tertia vice. Observat autem Angelus Rocca in comment. de campanis, quod in ipsa etiam Ecclesia Lateranensi, quando Pontifex celebrat, schola cantorum dicit ad tertium *Agnus Dei: Dona nobis pacem:* sed hoc accidit, quia prædicta Schola utitur propriis libris, in quibus communis Ritus servatur.

Quando in prædicta occasione occurrit Sacerdoti proferre sacrosanctum nomen *Jesus*, controvertitur, utrum debeat inclinare caput, sicuti facere tenetur in reliquis Missæ partibus. Sunt qui sustinent inclinationem simplicem esse faciendam in tali casu, utpote magis conformem Rubricæ: ita Quarti *par.* 2. *tit.* 5. *de Orat. num.* 2. & Anonymus Italus *pag.* 54. Alii vero censent nullam faciendam esse inclinationem: quia in prædicta circumstantia Sacerdos tenet Christum Dominum præ manibus; jam stat capite inclinatus versus Sacramentum, ut præscribit Rubrica; & quia eadem Rubrica nullam aliam præscribit in tali circumstantia faciendam esse specialem inclinationem, si prædictum sanctissimum nomen profertur, sicuti expresse præscribit in aliis Missæ partibus. Hanc sententiam tuentur Sarnellus super hanc Rubricam, Tonellius, & alii, quos refert a Portu *n.* 11.

RUBRICA.

3 *Tunc manibus junctis, super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto:* (d) *Domine Jesu Christe, etc. qua Oratione finita, si est* (e) *daturus pacem, osculatur Altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a Ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, et dicit,* (f) *Pax tecum. Minister respondet, Et cum spiritu tuo. Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat: nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias Orationes, ut in Ordine Missæ.*

GAVANTUS.

(d) *Domine Jesu Christe.* Hæc Oratio pro pace non est apud antiquos. *Durand.* eam obiter indicat *cap.* 53. sed habetur *in Missali MS. Vatic. vol.* 4743. cum duabus sequentibus.

(e) *Daturus pacem osculatur &c.* Refert *Durand. ibidem*, de quibusdam aliis osculantibus Hostiam, aliis Calicem, aliis Altare; quasi a Christo pacem aliis dandam accipiant prius, & per pacem fiat præparatio ad Communionem, & susceptionem Sacramenti unitatis, & pacis, *ex S. Th.* 3. *p. q.* 83. *art.* 4. *in corp.* quod indicat etiam *Dionys. c.* 3. *Eccles. Hierarch.*

Tabellam vero sacram ad osculum pacis asserit ita dictam, & inductam in usum *Baron. ann.* 45. *num.* 26. tanquam cautelam contra fraudes, quæ arte diaboli inter se invicem osculantes irrepserant. Per osculum autem datur pax ex instituto Apostolico: unde Paul. *Rom.* 16. 1. *Cor.* 16. *Salutate vos invicem in osculo sancto.* Verum hoc loco dari pacem, quamvis *Berno de Offic. Missæ cap.* 25. Decreto S. Leonis II. factum esse censeat; tamen alii numero plures Innocentio I. id tribuunt, *ex epist.* 1. *ejusdem cap.* 1. *ad Decentium, de Consecr. dist.* 2. *Pacem:* nam idem asserunt *Amal. lib.* 3. cap. 32. *Walafr. cap.* 22. *Microl. c.* 18. & cum cessasset Communio populi quotidiana in Missa, vice Communionis Sacramentalis osculum pacis institutum est, ait *Innoc. III. lib.* 6. *cap.* 5. sumpto exemplo a Christo, qui in cœna ultima meminit pacis: *Pacem meam do vobis. Joann.* 14. quod notavit *Wald. tom.* 3. *tit.* 4. *cap.* 41. Fusius de hac pace agit *Albaspin. de vet. Eccles. Rit. l.* 1. *observ.* 17.

(f) *Pax tecum.* Tradit *Ordo Romanus*, sed *ex August. serm.* 83. *de divers. Baronius haurit anno* 45. *n.* 25. Minister autem daturus pacem, genuflectit ad dexteram Celebrantis; & dicto tertio *Agnus Dei* cum prima oratione sequenti, porrigit instrumentum osculandum eidem Celebranti; tum facta genuflexione accedit ad Prælatum, & alios, quibus idem instrumentum porrigit, facta tantum reverentia post pacem datam unicuique. Velum quoque adhibebit colori Missæ conveniens, quo qualibet vice terget illud, antequam alter osculetur, si plures sint Prælati; alias non tergat, nisi Prælatis. Neque vero danda est pax hoc loco cuicunque, sed personæ, vel personis valde insignibus.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ Privatæ, ab initio primæ Orationis post ultimum Agnus Dei, usque ad sumptionem Hostiæ exclusive.

IX. Rubric. *Tunc manibus junctis, &c.*) Dicto ultimo *Agnus Dei*, Sacerdos manibus junctis super Altare positis taliter, ut minores duo digiti tangant frontem antependii Altaris, non vero Corporale, supra quod debent extendi solum digiti anulares, & medii, sicuti sæpius diximus, & servatis cæteris, quæ in Rubrica superiori describuntur, incipit dicere secreto, non mentaliter, sed legendo super Missale, Orationem, *Domine Jesu Christe, etc.* prout in Ordine Missæ, etiam ibi non inclinando caput, cum pronuntiat nomen *Jesus:* cum dicendo tales Orationes reperiri debeat mediocriter inclinatus capite, & humeris.

X. Rubric. & Gavant. lit. f — *Pax tecum, etc.*) Finita prima Oratione, si danda sit pax (quamvis regulariter in Missis Privatis hæc non detur, nisi Prælatis, aut Magnatibus) serventur exacte omnia ea, quæ tradit Rubrica, & Gavantus *supra;* addendo tamen, quod Minister, quando accipit pacem a Celebrante, debet esse genuflexus a cornu Epistolæ. Si autem non sit danda pax, quæ dari non debet, si non adesset Minister inserviens Missæ, neque ullus interesset Episcopus, aut alia insignis persona, statim Sacerdos continuat alias subsequentes Orationes, ut in Ordine Missæ, & hæc sunt certa, & communia apud omnes Rubricistas.

Prædicti Ritus dandi pacem in Missa, nonnulli auctorem faciunt Innocentium I. circa annum 410. Alii vero Leonem II. PP. & alii tenent prædictum Innocentium I. osculum pacis sacerdotibus tantum dari mandasse; Leonem vero præscripsisse, ut osculum pacis etiam laicis daretur. Sed hoc ex verbis epistolæ dicti Innocentii ad Decentium Eugubinum Episcopum, colligi minime potest, quia in ea *cap.* 1. sic legitur: *Pacem igitur asseris ante confecta Mysteria quosdam populis impertiri, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia, (quæ aperire non debeo) pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.* Ecclesia vero Latina in Communionis usque instantem horam, pacis signum remittebat quondam; cujus testis est Augustinus, Liturgia Ambrosii apud Pamelium, & Tertullianus *lib. de Orat.* In Orientalibus tamen Ecclesiis, in Ambrosiana, & Hispanica, Ritu Mozarabico, pax immediate ante Præfationem tradebatur, ut patet; tum ex allato Ambrosianæ Missæ Ritu, in quo lecta post Evangelium Antiphona, quæ nunc Offertorium vocatur, Sacerdos populo dicit, *Pacem habete*, & populus respondet, *Ad te Domine;* tum ex præcitata Innocentii I. epistola; tum denique ex Isidoro, qui inter Orationes quinque Consecrationi præmittendas, quartam adnotat pro pace concilianda dicendam, cui propterea titulum pro osculo pacis præfigit; & apud Clementem, Diaconus ante præfationem dicit, ut omnes se invicem salutent in osculo sancto. At salvis prædictorum Auctorum sententiis, & opinionibus, rectius dicendum videtur cum Bellotte in suis observat. *pag.* 623. hunc Ritum ex Apostolis, & primitivæ Ecclesiæ consuetudine originem trahere, qua Christifideles mutuis osculis, mutuam charitatem, animorumque in eadem Religione consensum contestabantur. Prædicti mystici pacis osculi, etiam D. Dionysius Areopagita mentionem facit *libro de Cælest. Hierarch. cap. de Commun.* & etiam D. Justinus Apologia secunda ad Antoninum Imperatorem, ait: *Precibus finitis, mutuo nos invicem salutamus osculo pacis*, qui fusius post administrationem Eucharistiæ de eodem osculo pacis loquitur; ut videre est apud ipsum, vel apud Bellotte, qui ejus verba refert. Pacis igitur osculum solebat inter Missarum solemnia, ea potissimum de causa exhiberi, ut ait laudatus Bellotte; ut qui in unam Sacramentorum participationem coeunt, unam quoque animorum conjunctionem præseferrent; unde S. Isidorus citat. de Offic. Eccles. *lib.* 1. *cap.* 15. *Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem digni Sacramento Corporis, et Sanguinis Christi consocientur: quia non recipit dissensionem cujusquam Christi indivisibile Corpus.*

XII. Rubric. *Statim subjungit alias Orationes, etc.*) Post datam pacem, quando danda est, Sacerdos dicit duas alias Orationes, ut præscribit Rubrica. Hæ tres Orationes ante Communionem dicendæ, quæ reperiuntur in recentibus, non habentur in antiquis Missalibus, nec in Ordine Romano; & idcirco sunt, qui censent eas a quibusdam Religiosis inventas esse, ut testatur Micrologus, a Bellotte relatus. In eamdem sententiam venit etiam Bellarminus *lib.* 2. *de Missa cap.* 1. ubi ait: *Tres Orationes ante Communionem non præscripsit Ordo antiquus Missæ, sed devotio Religiosorum invexit.*

RUBRICA.

4 *Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad, Agnus Dei, quia dicit* (g) *Dona eis requiem,* (h) *nec dicit primam Orationem: Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis. etc.* (i) *non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes:* (l) *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi: et:* (m) *Perceptio Corporis tui. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat; et se erigens dicit secreto:* (n) *Panem Cœlestem accipiam, etc. quo dicto dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, et collocat inter pollicem, et indicem sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem, et medium digitos supponit; et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam intra pectus, et Calicem, parum incli-*

elinatus, dextera tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata: (o) *Domine non sum dignus: & secreto prosequitur; Ut intres, &c. Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem, & indicem dextræ manus, & cum illa* (p) *supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen ut Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens:* (q) *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen: & se inclinans, cubitis super Altare positis,* (r) *reverenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale: & erigens se junctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, & aliquantulum quiescit in meditatione SS. Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secreto:* (s) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice, & indice dextræ manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.*

GAVANTUS.

(g) *Dona eis requiem.* Habet *Hugo Victor. in spec. Missæ lib. 3. cap.* 37. Quasi, inquit, magis Defunctotum, quam nostri memores, indulgeri eisdem Deum precamur. *Alex. Alens.*

(h) *Nec dicit primam Orationem. Durand. lib. 4. c.* 53. quia est de pace, quæ non datur in Missa Defunctorum.

(i) *Non dat pacem.* Scribit *Amal. lib. 3. cap. 44. & ante eum Alcuin. c. de exequiis Mortuorum:* Quia, inquit, indicium est lætitiæ, quod non convenit Missæ Defunctorum. *Durand. loco proxime citato* addit, quiescere jam Defunctos in Domino, neque amplius esse in turbatione hominum. *Albaspineus de vet. Ritib. lib. 1. observ.* 17. probabiliorem offert causam: Quia, ait, mortuorum Sacra privata erant, non Solemnia, *ex Canon. 4. Conc. Vasen.* 2. in Solemnibus autem erat Communio Populi, & ad eam per pacem præparatio, quæ cessabant in Privatis.

(l) *Domine Jesu Christe.* Non *Ord. Rom.* sed ex Religiosorum traditione dicitur, ut scribit *Microlog. cap.* 18. Et hæc secunda Oratio dicitur semper cum sua conclusione: non enim hæ tres Orationes comprehenduntur sub lege Collectarum, de qua supra *part. 1. tit. 7. num. 7.* ut in antiquis patet Missalibus.

(m) *Perceptio Corporis tui.* Nullum Auctorem hucusque inveni, qui hanc Orationem indicet: eam legi *in cit. Missali Vatic.* 4743.

(n) *Panem Cælestem accipiam.* Habet *Durand. c.* 54.

(o) *Domine non sum dignus.* Teste *Orig. hom. 5. in div.* erat commune omnibus communicaturis: antiquissimus ergo est Ritus.

(p) *Supra Patenam signat se.* Docet *Durand. cap.* 54. Cupiens se sanctificari, inquit, sicut & Cruce sanctificata fuit Hostia a Sacerdote: neque in hoc casu moveat Patenam, sed Hostiam tantum: ita tamen, ut non egrediatur limites Patenæ, ne fragmenta cadant extra illam.

(q) *Corpus Domini nostri, &c.* Habetur *in lib. 8. Constit. Apost. cap.* 13. *et lib. 1. Sacram. S. Gregor.*

(r) *Reverenter sumit.* Tenetur Sacerdos sumere *ex Canon. 8. Apost. & lib. 8. Constit. Apost. cap.* 20. quia est Sacrificium; ut ait *S. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 4.* lege *Durand. lib. 2. cap.* 75. & tenetur præcise hoc loco sumere, *ex Conc. Tolet. 22. cap. 5. & habetur de cons. d. 2. relatum.* Cubitos autem teneat Sacerdos, dum communicat, super Altare; sicut etiam in Consecratione: ut initio solido respondeat finis Sacrificii, qui fit in consumptione: item ut intra aram fiat & Consecratio, & consumptio Sacrificii; quod plene præstatur eo cubitorum situ.

(s) *Quid retribuam Domino.* Leguntur hi versus apud *Durand. cap.* 34. reliqua sunt necessaria, & valde congrua, ut patet.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ privatæ, servando a fine prædictarum Orationum, usque ad ablutionem digitorum.

XIII. Rubr. & Gavant. lit. n — *Panem Cælestem accipiam, &c.*) Si celebretur Missa Defunctorum, omittantur ea, quæ omittenda præscribit superior Rubrica; & dicantur pariter ea, quæ ibidem præscribuntur, & de quibus fusius discurremus in sequenti titulo XIII. sive autem celebretur Missa Defunctorum, sive Vivorum, completa ultima Oratione, Sacerdos genuflectit, & adorat iterum SS. Sacramentum, mox surgens, & erectus accipit Hostiam de Patena indice, & pollice dexteræ manus adjuvante pollice, & indice sinistræ, & collocat inter pollicem, & indicem ejusdem sinistræ, non collocando totaliter unam partem super aliam, sed ita, ut ambæ partes Hostiæ forment figuram rotundam, & ponatur illa, quæ est a parte sinistra Celebrantis, & quæ respectu Hostiæ erit dextera, super aliam. Ita tenet Bauld. *part. 3. cap. 5. num. 12.* Gervasi *supra §. Ponite*, & alii. Deinde supponit Patenam Hostiæ prædictæ eo modo, quo præscribit Rubrica *supra.* Cavere tamen debet, ne manus sinistra Corporale tangat, sed ea elevata quatuor digitis a Corporali sustineat Patenam; nisi forte propter debilitatem manus necesse foret, quod digitus minibus prædictum Corporale tangeret. Angelus *part. 1. num.* 93. Bauldry *supra num. 2.* & Bonamicus *part. 2. num.* 41. neque in prædicto casu collocat cubitum seu brachium super Altare; ut docent Bissus, Corsettus, Moncius, Polaccus, & alii communiter relati ab Hippolyto a Portu *Rubric. 4.*

bric. 4. suis adnot. num. 8. Dextera autem, non disjunctis pollice, & indice, sed solum tribus aliis digitis, percutit sibi pectus dicendo, *Domine non sum dignus*, ut disponit Rubric. *supra*, & Ordo Missæ. Minister quoque, & Missæ astantes in dicta circumstantia percutiunt sibi pectus tribus vicibus, ut facit Sacerdos: Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 37. & in reliquis exacte adimpleat Sacerdos, communicando se ipsum, omnia ea, quæ traduntur a Rubrica, & Gavanto *supra;* advertendo tamen, quod debet superimponere unam partem Hostiæ alteri, ut commode os ingrediatur; & erectus cum eadem Hostia tenens Patenam in sinistra manu signat se manu dextera signo Crucis palmari, tam in recta, quam in transversa linea. Pennatius *epit. Sac. Rit. part.* 2. *tit.* 10. *num.* 4. Deinde positis super Altare cubitis, & reverenter inclinatus inclinatione mediocri, ambas simul partes Hostiæ sumit. Bissus *littera I num.* 20. §. 69. Gervasi *supra* §. *Dopo*, & §. *Ciò fatto.*

Utrum ante sumptionem Hostiæ possint exerceri nonnulli virtutum actus, v. g. contritionis, amoris Dei, &c. non conveniunt in hoc Doctores. Negant Dicastillus *disput. 4. dub.* 13. *n.* 269. Lohner *part.* 2. *tit.* 25. *n.* 2. relati ab a Portu *supra n.* 16. affirmat apud supradictum Dicastillum Gobat. Sub præcitatus a Portu negativam sententiam potius approbat, quam affirmativam: quia nulli actus privatæ devotionis debent permisceri cum publicis Religionis actibus, nisi ubi permittuntur, v. g. in utraque Commemoratione Vivorum, & Defunctorum; sed hic non permittuntur; cujus rei signum est, quod post sumptionem præscribitur meditatio, non autem ante sumptionem: unde exceptio firmat in contrarium regulam. Quando tamen Sacerdos recordaretur, aut dubitaret de aliquo peccato, præsertim mortali, cujus non instituisset Confessionem; tunc & posset, & deberet de dicto mortali perfecte conteri quantum posset, cum proposito illud submittendi quamprimum Ecclesiæ clavibus. Idem a Portu *supra*, & omnes communiter.

XIII. Rubr. & Gav. lit. t — *Reverenter sumit*, &c.) Sacerdos aperiendo modeste os absque linguæ expositione, & supposita Patena, reverenter ambas partes Hostiæ sumit leniter; & moderate mollificabit ambas partes super linguam, & intactas, si poterit, deglutiet: igitur caveat ne indecenter dentibus comminuat Sacrosanctam Hostiam; quod pariter ab iis, qui communicant, observetur. Angel. *part.* 3. *supra* §. *Mox.* Quod si palato, vel dentibus adhæreat fragmentum aliquod, tunc lingua, non vero digito inde revellat; & ubi facile non possit, sumat Sanguinem, & ablutionibus deglutiat. Quarti *part.* 2. *tit.* 10. *in dubiis dub.* 4. & Bissus *lit. H*, *n.* 74.

XIV. Rubric. *Accipit Patenam*, &c.) Sumptis modo prædicto ambabus Hostiæ partibus, deponit Patenam super Corporale; & erigens se, junctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem, id est, usque ad mentum, jungit eo pacto, quo fecit ad utrumque *Memento*, ut supra dictum est, & caput aliquantulum inclinat; & sic stans quiescit paulisper in meditatione SS. Sacramenti: deinde disjungit manus, deponit sinistram super Corporale, indice, & pollice ejus unitis, & dicit submissa, & secreta voce sequentem Orationem.

XV. Rubr. & Gavant. lit. f — *Quid retribuam Domino*, &c.) & interim, dum hæc dicit, manu dextera apprehendendo pallam inter indicem unitum pollici, & medium, discooperit Calicem: collocando deinde pallam super Corporale, & velum de more, depositis hinc inde super Corporale manibus, genuflectit dextero genu, & genuflexio sit magis devota, & cum majori reverentia, ac aliæ: Benvenuti *pag.* 37. tum surgit, & perseverante sinistra super Corporale, accipit Patenam manu dextra inter digitos medium, & indicem unitum pollici, ut supra dictum est de palla.

Quod si Celebrans cogatur removere Calicem, ut perquirat fragmenta, si quæ sunt super Corporale, illum removeat statim ac discooperuit; & postea genuflectat, ne certe cogatur bis genuflectere, quod alioquin faciendum esset: Bauldry *part.* 3. *t.* 10. *Rubr.* 4. *n.* 3 tum ipsa Patena colligit fragmenta super Corporale. Cum autem in hac actione nulla diligentia sit superflua; ad exactius colligenda fragmenta, poterit manu sinistra (pollice, & indice simul junctis) posita inter Corporale, & tobaleam, levius excutere Corporale parumper elevatum, ut fragmenta in Patenam paulum inclinatam a parte inferiori decidant. Denique sumendo Patenam manu sinistra, non ex ea parte, qua fragmenta collegit, eamque super Calicem elevans pollice, & indice manus dexteræ inquirit fragmenta, quæ Patenæ adhærent, eaque dictis digitis immittit in Calicem: Tonellius *supra n.* 8. Bonamicus *part.* 3. *num.* 42. unde fit, quod non debeat os Calicis tegi quasi illud obturando Patena; nec Patena, ut multi male faciunt, debet de manu sinistra in dexteram transferri, ut iterum purgetur indice, & pollice sinistræ manus; nec invertenda est, aut concutienda ad Calicem cum strepitu, ut inde fragmenta decidant: in extergenda vero Patena, maxima adhibeatur diligentia, ne minimum quid ex fragmentis super ea remaneat. Extergat præterea digitos suos Sacerdos, sed nunquam eos purget ad Calicis labia, ut in illum cadant fragmenta, si quæ digitis adhæserunt: & si advertat aliquod fragmentum ita suis digitis adhærere, ut sit difficile illud removere, ipsos perfricando, digitos etiam alterius manus adhibeat, ut fragmentum illud amoveatur, & in Calicem immittatur. Bissus, Bauldry, & Gavantus *supra.*

RUBRICA.

5. *Si vero adsunt Hostiæ consecratæ super Corporale positæ* (t) *pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas*

ad hoc

ad hoc ordinatum, & diligenter advertit, ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat super Corporale: quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post extensionem Patenæ, junctis pollicibus, & indicibus, Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens: Calicem salutaris, etc. et signans se (u) *signo Crucis cum Calice, dicit: Sanguis Domini nostri, &c. Et manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum Particula posita: quibus sumptis, dicit secreto;* (x) *Quod ore sumpsimus, &c. & super Altare porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolæ, quo* (y) *vinum fundente, se purificat: deinde* (z) *vino, et aqua abluit pollices, et indices super Calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens,* (a) *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, etc. ablutionem sumit, et extergit os, et Calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit super Calicem, et desuper Patenam, ac super Patena parvam pallam; et* (b) *plicato Corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris,* (c) *ut in principio Missæ.*

GAVANTUS.

(t) *Pro alio tempore reservandæ.* Vetustissima consuetudo est, ut propter infirmorum Communionem, necnon ob alias causas, Eucharistia asservetur in arculâ, seu Pyxide: *Clemens lib. 8. Constit. Apost. c. 13. et Leo Papa ad Michael. Imper.* lege *Durand. lib. 1. de Ritib. cap. 16.* quæ tamen erit mutanda de septimo in septimum diem, ut loquar cum *Synodo Turonen. 4. c. 4.* De Sacrificio vero nihil remanere debet, ait *S. Bonav. 4. dist. 12. art. 1. quæst. 3.*

(u) *Signo Crucis cum Calice.* Dextera tantum manu eam moveat, sinistra Patenam tenens; quam non supponit Calici, nisi cum eum sumit. De signo Crucis cum Calice mentio est apud *Durand. c. 54.* sed non de verbis, *Sanguis, etc.* Reverenter autem sumit totum, terori admovens Calicem, ait *Durand. ibidem;* Semel ait *Crassus cum Castaldo in sua praxi:* sed illud est usitatius, & ad consumandam speciem reverenter aptius; * Ille vero modus loquendi, *Accipit infra nodum cuppæ*, non significat aliud diversum ab eo, quod supra aliis verbis dicitur *tit. 7. n. 5. Tenens nodum infra cuppam*, quod *tit. 8. n. 7.* repetitur: sensus enim est: accipit nodum cuppæ, qui est infra. Neque major est ratio, ut diversimode capiatur Calix in prædictis casibus; imo ad sumendum Calicem tutius, & commodius tenetur nodus Calicis; minus tute inter nodum, & pedem illius: *Burchardus* autem varia phrasi solet dicere, *ut in tit. 2. n. 2. et 4. et in tit. 3. n. 1. Ante infimum gradum Altaris: Post infimum gradum: Ad infimum gradum;* hoc est in plano Cappellæ: item in genuflexionibus addit aliquando: *Usque ad Terram:* in inclinationibus addit aliquando, *Profunde;* at sensus auctoris est, ut altera alteram Rubricam explicet ex identitate actionis, seu rationis: ne igitur hæreas in verbis.

Quæritur: an Sacerdos sumens Sanguinem sub altera specie vini, plus gratiæ recipiat? Negat *Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 23.* & est communior sententia; concedit tamen *Suar. disp. 63. sect. 4. 5. & 7. cum aliis*, posse recipi majorem gratiam, si in continuanda sumptione plures devotionis actus eliciantur: quod valeat etiam in sumptione particularum, quæ supersunt, & a Celebrante sumuntur, quia ad idem Sacrificium spectant. Addit præterea *Henriq. cap. 43. n. 3.* cum iis, qui volunt totum effectum Sacramenti produci per sumptionem primæ speciei, imo etiam primæ partis speciei (per sumptionem autem intelligo deglutitionem, *cum Soto, distinct. 11. quæst. 2. art. 1.* & est communis; tunc enim manducasti) dato casu, quod sumatur Hostia a Sacerdote in peccato mortali, deinde pœniteat, & contritus sumat Calicem; ex hac sumptione Calicis, ajunt, quod nihil ille sacramentalis effectus sit percepturus: docet oppositum *Cajetan. 3. part. quæst. 79. art. 1. quem sequitur Suar. loc. cit.* qua in re sententiam tutiorem tu sequere, & a peccato cave.

(x) *Quod ore sumpsimus.* Habet *Ord. Rom. et Microl. cap. 19.*

(y) *Vinum fundente.* Minister defert ad Altare in cornu Epistolæ ampullas in pelvicula, quas ministrabit cum osculis, & reverentiis debitis; & in fine relatis iisdem ad locum suum extinguet cereum pro elevatione accensum, ut habetur supra *tit. 8. n. 6.*

Vino autem fit purificatio, ex *Innocent. III. de Celebrat. Missarum, cap. ex parte.* Deceret autem, ut vinum pro purificatione Calicis infusum, esset ejusdem saltem quantitatis, qua fuetunt primæ species Sanguinis; alioquin Sacerdos illud saltem intra Calicem circumagat, ut absumantur species; neque extra Altare demittat Calicem, neque digitis labia Calicis, seu oris sui detergat; neque digitos lambat. Pius V. *in epistola ad Archiepisc. Tarracon. data die 8. Junuarii 1751 et relata a Vincentio Suriano part. 1.* monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate; addit præterea, quod sumatur ablutio per eadem partem Calicis, per quam Sanguis Christi haustus est. Mirare, quæso, sanctissimi Pontificis etiam in minimis diligentiam. Purificationem vero de qua hoc loco, vocat Profusionem *Innoc. III. lib. 6. c. 8.* in eadem notat *Durand. c. 54.* Calicem esse bis tantum admovendum ori, non ultra: nam vere stomachum astantibus movet pluries quam ter Sanguinem, & bis purificationem de Calice sugere.

Quid vero si Celebrans vovisset non bibere vinum? poterit tamen hoc loco vino uti, quia hic urget Ecclesiæ præceptum: *Azor. lib. 11. cap. 10. quæst. 7.* nec abstemii debent sine vino purifica-

care Calicem, Papa inconsulto: ex Romana praxi.

(z) *Vino, et aqua abluit, etc.* Vino digitos perfundi scribit *S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 5. ad 10.* aqua post vinum efficit etiam, ne purificatorium maculas vini nimium contrahat; & modestiam significat, seu humilitatem: *Innocent. III. lib. 6. cap. 8.* non tamen sumebatur hæc ablutio, sed in locum mundum projiciebatur: *ex Durand. cap. 55. lib. 4.* utramque nunc ablutionem sumit Sacerdos, & in medio Altaris. * Curet autem, ne dum digitos purificatorio tergit, Corporale commaculet, gutta cadente e digitis; & ideo deponat Calicem extra Corporale, donec digitos absterserit.

(a) *Corpus tuum Domine. Meminit Dur. lib. 7. c. 77.*

(b) *Plicato Corporali.* Ita *Ordo Romanus, & Honor. in Gemma l. 1. cap. 65.* Calicem autem, dum plicat Corporale, collocat Sacerdos versus cornu Epistolæ, ut commodius bursam accipiat, quæ est in cornu Evangelii.

(c) *Ut in principio Missæ.* Velo ergo velabit Calicem totum in anteriori parte, sicut initio Missæ: quod non caret Mysterio, ut diximus *in expositione Mystica Missæ num. 11.*

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a sumptione Hostiæ exclusive, usque ad sumptionem, & purificationem Calicis inclusive.

XVI. Rubr. & Gav. lit. t — *Pro alio tempore conservandæ, &c.*) Sumpta Hostia a Celebrante, si adsint Particulæ consecratæ pro alio tempore servandæ, gerat se Sacerdos sequenti modo. Si dictæ particulæ non sint consecratæ in Pyxide, seu alio vase, sed super Corporale, statim post sumptam Hostiam eas in suo vase ponat, antequam cum Patena colligat fragmenta: si vero prædictæ particulæ consecratæ, fuerint in aliquo vase, tunc sumpta Hostia, & facta prima purificatione ante ablutionem digitorum, juxta sententiam Bauldry *par. 3. tit. 10. Rubr. 7. n. 1.* Tonelli *lib. 2. cap. 3. §. 1. n. 5.* & Lohner *part. 1. tit. 26. n. 3.* posito Calice a latere Evangelii, & factis debitis genuflexionibus ante, & post, dictum vas, seu Pyxis, in quo continentur tales formulæ consecratæ, debet reponi in Tabernaculo. Non desunt tamen Auctores, qui tenent prædictum vas, seu Pyxidem debere servari super Corporale, usque ad finem Missæ, eo modo, quo fit in feria 5. Cœnæ Domini; in quo casu Sacerdos præstare debet genuflexiones, & alia, quæ præscribuntur, quando Sacramentum habetur super Altare. Sectatores autem hujus sententiæ sunt Anonymus Italus *supra*, §. *Anzi*, & a Portu *Rubr. 5. hujus tituli, in suis adnot. num. 1.*

XVII. Rubr. *Diligenter advertat, &c.*) Sacerdos postquam cum Patena exterserit diligenter Corporale (quæ extersio, sive videat, sive non videat fragmenta, numquam omitti debet) & eamdem Patenam diligenter pariter exterserit super Calicem, junctis pollicibus, & indicibus, sumat Calicem, observando ea, quæ præscribit superior Rubrica, & Gavantus *supra*, advertendo tamen, quod illa verba, *Calicem salutaris accipiam, &c.* non dicuntur, dum colliguntur, vel immittuntur in Calicem fragmenta, sed quando Sacerdos accipit Calicem per nodum, ut sumat Christi Sanguinem; & debet prædicta verba dicere submissa voce, usque ad *Salvus* inclusive. *Cæremon. Missæ Priv. cap. 10. §. 25. n. 1.* & Gervasi *supra*, Benvenuti *pag. mihi 38.* & Pennatius *epitome Rit. Missæ Privatæ part. 2. cap. 10. tit. 10. num. 2.*

XVIII. Rubr. & Gavant. lit. u — *Signo Crucis cum Calice, &c.*) Dum Sacerdos se signat cum Calice, cavet ne se ipsum tangat prædicto Calice; & Patenam non moveat, cum eam solum supponere debeat Calici, hoc est subtus mentum, sed ipsum mentum non tangendo. Priusquam autem sacratissimum Christi Sanguinem bibat, & purificationem sumat, advertat iterum, quod proferendo nomen *Jesu*, non tenetur se inclinare, cum jam inclinato capite, & humeris reverenter suscipiat Sacramentum: advertat pariter, quod dum Sanguinem sumit, debet cavere, ne inconcinne Calicem reclinet: & sumpto Sanguine nec labia sua, nec digitos suos lambat, ut inepte aliqui faciunt.

XIX. Gavant. lit. y — *Vino autem fit purificatio, etc.*) Præstitis a Sacerdote omnibus iis, quæ innuuntur in superiori Rubrica, quando sumpsit e Calice totum Christi Sanguinem cum Particula in eodem posita; debet dextra manu Calicem porrigere Ministro, ad accipiendum vinum pro purificatione ejusdem Calicis, deposita interim sinistra manu tenente adhuc Patenam super Corporale.

Controvertunt Rubricistæ, utrum illa verba, *Quod ore sumpsimus Domine*, quæ dicit Sacerdos post sacrosancti Sanguinis sumptionem, debeant ab eodem proferri, antequam porrigatur Calix ad accipiendum vinum purificationis, an in actu talis porrectionis? Primam sententiam tenent Tonellius *supra n. 4.* Baldassarius, Moncius, & Splendianus, Andrea Penazzi *in epitome Sacr. Rituum part. 2. tit. 10. num. 5. et cap. 13. num. 13.* Secundam vero sententiam tuentur Bissus *lit. Q. n. 20.* Bonamic. & Gerv. *supra §. Pigliato il Sangue*, & prædictus a Portu, hac ratione ducti, quia Celebrans deberet deponere Calicem super Corporale (quod tamen non innuitur a Rubrica) tum quia moram hanc Rubrica præscriberet, quemadmodum præcipit post sumptionem Hostiæ. Decens tamen mihi videtur, quod sicut sacerdos post sumptionem Hostiæ aliquantisper quiescit in meditatione Sacramenti, idem præstet post sacratissimi Sanguinis sumptionem: & quamvis de hac secunda meditatione nihil loquatur Rubrica, tamen ita pie interpretanda est: quapropter deposito super Altare Calice non retracta ab eo manu paulisper dum facit secundam brevem meditationem, quiescit, & dicit postea, *quod ore sumpsimus, etc.* porrigitque Ca-

Calicem Ministro in cornu Epistolæ, ut accipiat ab eo vinum, quo se purificet: & sic peragendo inhærebit potius primæ sententiæ, quæ est valde pia.

XX. Gavant. eadem lit. ŷ — *Calicem esse bis tantum admovèndum, etc.*) Nonnulli Doctores præscribunt, quod decentius sit unico haustu totum sacratissimum Sanguinem a sacerdote sumi: ita Tonellius *supra Rubr.* 5. *num.* 3. Bissus *lit. S num.* 88. Castald. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 9. & Crassus a Gavanto *cit. sup. lit.* u. e contra vero Bauldry *part.* 3. *Rubr.* 5. *num.* 2. Cabrinus *cap.* 13. *num.* 10. Arnaud & alii allegati ab Hippol. a Portu *Rubrica* 5. *num.* 7. necnon Durandus a Gavanto cit. *supra*, asserunt, quod Celebrans ter distinctis vicibus admoveat ori Calicem dum sumit Christi Sanguinem, ut facilius totus sumatur. Verum noster Gavantus optimo consilio mediam tenet sententiam asserendo bis, & non plus, nec minus admovendum esse ori Calicem in sumendo Christi sanguine.

Si vero postquam sacerdos Sanguinem sumpsit, particula Hostiæ in Calice remanserit, quæstionem movent Auctores, utrum decentius sit talem particulam digito indice dexteræ manus amovere, ut facilius sumi queat; an debeat talis particula relinqui, ubi reperitur, ut postea sumatur cum purificatione. Uterque modus approbatur a Missali *tit.* 10. *n.* 8. *de defect. occurrentibus in Missa*; sed communiter a Doctoribus magis approbatur secundus, quam primus ex prædictis modis.

Dum sumitur a Celebrante sacratissimus Sanguis vel etiam prius, Minister deferens secum campanulam, genuflectit vel in suo loco, vel in medio Cappellæ, & deinde abit ad credentiam, super qua campanulam deponit; & acceptis ampullis relictis super credentia earumdem operculis, pergit ad cornu Epistolæ, & ibi facit debitam reverentiam. Gervasi *in instruction. pro Minist. Missæ Privatæ cap.* 10. *n.* 4.

Verum si sacerdos nondum Sanguinem sumpsisset, tunc Minister si ante surrexisset (quod non approbo) in dicto loco genuflectit, donec Sacerdos sumat totum Sanguinem; quo sumpto surgit, & extendit dextrum brachium, dum Sacerdos porrigit Calicem extra Corporale, sed intra, & super Altare; itaque Minister, extensa, ut diximus, manu dextera, sed cum ampullæ quasi osculo, & capitis inclinatione, & post, infundit in medium Calicis vinum in tanta quantitate, in quanta fuit vinum consecratum; de quo tamen Sacerdos debet dare aliquod signum, elevando v. g. paulisper Calicem, & sic admonendo Ministrum, ut retrahat ampullam. Deinde Sacerdos agitatione levi circumagat Calicem super Corporale, caute tamen, ut colligantur species, quæ remanserunt, quod semper facere laudabile est: præterea in sumenda purificatione observet exacte ea, quæ tradunt Rubrica, & Gavantus *supra.*

XXI. Rubr. & Gavant. lit. z — *Vino, et aqua abluit, etc.*) Sumpta purificatione deponit Patenam in medio Corporalis versus extremitatem anteriorem; vel si magis placeat eam deponat ex parte sinistra Corporalis a parte Evangelii, absque eo quod eam cum Palla tegat (quod multi adhibito pede Calicis, erronee faciunt) aut etiam purificatorio denuo purificet, absque eo, ut os suum, vel labium exterius Calicis ex illa parte, ex qua bibit, digitis abstergat, aut digitos lambat: Celebrans accipiens cuppam Calicis, sex inferioribus digitis utriusque manus pollicem, & indicem sinistræ, dextræque manus conjunctos inter se tenens super os ejusdem Calicis, procedit in cornu Epistolæ (facta prius Cruci debita reverentia) ubi elevatum tenens Calicem intra Altare, sed extra Corporale, pollices, & indices abluit, existentes super os ejusdem Calicis, prius vino, deinde aqua; non autem vino solo, ut advertunt Corsett. *tract.* 1. *c.* 1. *num.* 5. Bonamic. *part.* 1. *observ.* 5. *n.* 13. & Arnaud. *supra n.* 10. quod non licet absque Pontificio privilegio, quando non est causa sufficiens, quæ excuset. Cæremon. Missæ Privatæ *c.* 10. §. 26. *num.* 4. *Pasqualigus de Missæ Sacrif. quæst.* 209. *num.* 8. docet uti sola aqua in supradicta digitorum ablutione nullum esse peccatum: ita etiam Bissus *lit. A num.* 426. Advertat Minister, quod infundere debet prius vinum, deinde aquam super pollices, & indices Celebrantis in medio Calicis, cum quasi osculis ampullarum, & capitis inclinatione, ut supra: Corsettus *tract.* 1. p. 1. *cap.* 1. *num.* 30. Bauldry *part.* 1. *c.* 17. *num.* 41. Gervasius *in instruct. Cæremon. pro Minist. Missæ Privatæ cap.* 10. *num.* 5. nec desisted, donec Sacerdos det signum desinendi: deinde facta solita Altari reverentia, ampullas ad credentiam reportat, operculis suis illas tegendo.

Si Celebrans, aliis digitis præter indices, & pollices, tetigerit Hostiam consecratam, aut alia manus parte; tunc digiti, & pars illa caute abluenda esset: & idcirco in hoc loco Rubrica non dicit lavandas digitorum extremitates; ut dicit ad *Lavabo* post Offertorium: Moncius *supra* §. 157. & a Portu *supra num.* 11.

Tum Sacerdos, ut abstergat apte digitos, revertitur quasi ad medium Altaris, tenens adhuc Calicem prout habeat; quem ponet prope Corporale, sed extra illud; & Purificatorium prope Calicem ipsum. Biss. *lit. D. num.* 159. §. 5. Bauldry *p.* 3. *tit.* 10. *Rubr.* 5. *n.* 6. Angel. *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 5. & Gavantus *supra lit.* z. Tum excussis supra, & non juxta Calicem digitis pollicibus, & indicibus, prius dexteram amovet a Calice, interim dicens: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, etc.* nam dicta Oratio dicenda est dum digiti purificatorio abstergantur; ut patet ex Rubrica, & monent Bissus *lit. S. num.* 20. §. 73. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 10. *Rubrica* 5. *in notis num.* 7. §. *Oratio.* Bauldry, a Portu, & alii.

XXII. Rubr. *Quo facto, etc.* Nempe, abstersis digitis purificatorio, accedit ad medium Altaris, & non prius; ut docent Bauldry *supra num.* 4. Bissus *lit. D. num.* 149. §. 5. alias si accederet ad medium Altaris ante digitorum abstersionem; quomodo junctarum manuum digitis humidis, & fluenti-

tibus, se se Cruci inclinaret? Itaque digitis diligenter extersis, deponit purificatorium extra Corporale, sed prope Calicem: & accedens ad medium Altaris junctis manibus, facit capite inclinato profundo reverentiam Cruci; qua facta, manu sinistra accipit purificatorium, dextera vero Calicem per nodum; & supponens purificatorium, quod tenet manu sinistra, Calici, sumit ablutionem unico haustu. Bissus *lit. D. n.* 159. §. 5. Quod si post sumptam ablutionem, aut post dictas Orationes, aliquod Hostiæ fragmentum Sacerdos in Patena repererit, potest illud statim sumere; quia tota illa actio reputatur unus actus, una perfecta Sacrificii consumptio, & unicum convivium. Vinitor §. 30. citans Bonacinam *de Eucharist. disput. 4. q. 6. part. 2. n. 12.* & Layman *lib. 5 tract. 4. c. 6. n. 22.* Deinde post ablutionem deponit Calicem super Corporale, & servat omnia ea, quæ præscribit superior Rubrica, & Gavantus *supra*; advertendo tamen, quod expanso velo super Calicem, accipit bursam sinistra manu; & dextera Corporale prius a se plicatum, ut tenet communior sententia (aliqui enim, inter quos Lohner *part. 6. tit. 4. num.* 56. sustinent debere plicari Corporale postquam Sacerdos cooperuit Calicem) quod includit intra bursam; & includendo Corporale teneat, & collocet bursam, ut fecit in Missæ initio; nempe ita, ut ejus apertura antrorsum, non ad latus respiciat. Denique manu sinistra subtus velum posita, accipiat Calicem per nodum: dextera vero extensis digitis, & unitis, posita super bursam, Calicem prædictum collocet in medio Altaris, velumque Calicis ita accommodet, ut a parte anteriori tegat totum Calicem; quod si ob brevitatem veli contegi nequeat a parte posteriori, cooperiatur totaliter a dicta parte anteriori. Biss. *lit. C. n.* 23. §. 15. Bauld. *part. 4. supra n. 7.* & a Portu *in hunc titulum Rubr.* 5. §. 18. qui sequitur hanc sententiam ob sequentem rationem: nimirum, quia in illa verba Rubricæ superioris, *Ut in principio Missæ*, non debet intelligi tantumodo de loco medio, in quo collocari debet Calix, sed etiam de modo: siquidem non solum in principio Missæ, sed fere per totam actionem, Calix tenetur in medio Altaris; & si alibi aliquando reponitur, hoc fit per accidens, & transeunter. Quod si terminata Missa non præscribit Rubrica revolutionem veli super bursam; nec alia multa declarantur a Rubrica, generaliter loquendo, quæ tamen declarantur ab Auctoribus, qui Sacras Rubricas explanant, & interpretantur: sic v. gr. non exeundo ab hac Rubrica, non significat manum, quæ collocare debet Calicem in medio Altaris; & tamen Angel. *part. 1. num.* 117. qui cum Quarti *part. 2. tit. 10. in dub. sect. 1.* stat acriter pro contraria sententia, exprimit qua manu deferri debeat Calix in medio Altaris. Hæc, & alia a Portu, ex quibus magis firmatur supra tradita nostra sententia de facienda parva aliqua meditatione post pretiosissimi Sanguinis sumptionem, & detinendo interim Calicem manu dextera super Altari, antequam pronuncientur illa verba. *Quod ore sumpsimus, &c.* de quibus *supra*. Hic omittere non debeo adesse Decretum Sac. Congregat. datum in nostro Indice *sub num.* 520. quo confirmatur supradicta nostra sententia de cooperiendo Calice in anteriori sui parte, in fine Missæ, prout coopertus remanet in Missæ initio ante Offertorium.

RUBRICA.

6. *Si qui sunt* (d) *communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat Particulas consecratas in Pyxide: vel si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi a principio positæ fuerint in Pyxide, seu alio Calice. Interim Minister ante* (e) *eos extendit linteum, seu velum album, & pro eis facit Confessionem, dicens:* (f) *Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterum genuflectit; & manibus junctis vertens se ad Populum in cornu Evangelii, dicit: Misereatur vestri: &: Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c. & manu dextera facit signum Crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem, seu Patenam cum Sacramento, dextera vero sumit unam Particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem; seu Patenam: & conversus ad communicandos, in medio Altaris dicit:* (g) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Deinde dicit:* (h) *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc est, ad latus Epistolæ, & unicuique* (i) *porrigit Sacramentum, faciens* (l) *cum eo signum Crucis super Pyxidem, vel Patenam,* (m) *simul dicens: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens: &* (n) *non dat eis Benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si Particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena; & si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto: Quod ore sumpsimus Domine, &c. & se purificat, dicens: Corpus tuum Domine, quod sumpsi: & alia facit, ut supra. Minister autem dextera manu* (o) *tenens vas cum vino, & aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abstergendum.*

GA-

GAVANTUS.

(d) *Communicandi.* Regulariter hoc loco facienda est Communio *Amal. præfat. ad lib. de Eccles. Offic. & Walfr. cap.* 22. sed hodie, quia plurimi exoptant finem Missæ, & eos tædet expectare alios, ut communicent, præsertim, si multi sint communicandi, differri solet Communio usque ad peractam Missam. Tolerandum videtur, si multi communicent; non autem, si pauci: & ii fortasse privantur fructu Orationum earum, quæ post Communionum dicuntur, ut notat *Microl. cap.* 19. *Ante has Orationes*, inquit, *communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum Benedictione foveri desiderant.*

Quilibet autem Sacerdos communicare potest in Missa alios, excepto die Paschali, quo neque possunt Regulares: & illud placet *Nav. c.* 21. *n.* 52. *Man.* favet *Trid. Concil.* quod in Missis singulis optat adstantium Communionem; cujus rei gratia quidam paulo ante Communionem pulsant campanulam; sed nulla fit auctoritate majorum, * Celebrans autem post sumptionem Sanguinis, Calicem palla tegat, antequam alios communicet.

(e) *Extendit linteum.* In linteis nitidis accipiebant laici Eucharistiam, maxime mulieres: *ex Aug. serm.* 252. *de temp.* ubi appellatur linteolum, & lintealem. Dominicale vocabatur hoc linteum, ex *Baron. Anno* 57. *num.* 148. de quo est Decretum *in Conc. Antisiodor. Can.* 42. vocat *Ordo Romanus* syndonem mundam.

(f) *Confiteor.* Et Antiquiores nihil de his in hoc loco; sed maxime congruunt desumpta ex Confessione ante Missam. * Et sicut in Missa, uno tantum præsente dicitur, *Misereatur vestri*, ita etiam uno tantum communicaturo dici debet *Vestri, Vestris:* quæ cadunt præterea super alios præsentes Communione spirituali communicaturos.

(g) *Ecce Agnus Dei, &c.* Sumptum est ex Evangelio Joann. *cap.* 1. & quadrat ad rem, præsertim cum paulo ante fuerit dictum ter, *Agnus Dei:* sed Ritus non est antiquus. * Tenet autem Celebrans Particulam duobus digitis paulum elevatam supra Patenam, seu Pyxidem, ita tamen, ut dextra manus adhæreat Patenæ, seu Pyxidi, neque nimium elevetur Particula super Pyxidem.

(h) *Domine non sum dignus, &c.* Eodem modo fuit additum, ut supra, *ex Origene* exemplo Celebrantis: & dicitur a Sacerdote totum integre clara voce, & semper in genere masculino. * Quare Ritus ille apud quasdam Moniales, quæ dicunt, tacente Sacerdote: *Domine non sum digna,* continet errata duo, alterum, quod a Sacerdote non dicitur, contra hanc Rubricam; alterum, quod mutantur verba a Centurione accepta, & a Rubrica non mutata, contra Bullas Pii V. & Pauli V. qui prohibent mutationem in Missali, & Rituali Romano; in quo expresse dici jubetur pro fœminis quoque, *Domine non sum dignus.*

(i) *Porrigit Sacramentum.* Per Particulas danda est Communio; non autem cuicumque de Populo dandæ videntur partes illius Hostiæ, quæ forte reservatur post Orationem 40. horarum: quod etiam vetuit S. Carolus *in Synod. Diœs.* 11. quia rudiores rotundam potius volunt Particulam, alioquin facile patiuntur scandalum, imo *ib.* jussit, a solo Sacerdote prædictam Hostiam sumi, quod melius esset, post Calicis sumptionem. *In Ord. Rom.* Subdiaconi, & his inferiores, ore, non manu accipiebant a Celebrante Commun. & Conc. Rothomag. *Can.* 2. *apud Burchard. l.* 3. *c.* 76. jussit, ut Eucharistia nonnisi in os cujuscumque sumentis immittatur a Sacerdote. Qui vero communicant, manus in Crucis formam componere debent, *ex Synodo* 6. *in Trull. Canon.* 102. In singulis Dominicis, *ex August. epist.* 118. *ad Januarium*, vel tertia Dominica (quod nota pro Societatibus SS. Sacramenti) vel summis Festivitatibus, vel ter in Anno saltem, *ex Decreto Urbani Papæ apud Ivon. part.* 2. *cap.* 17. communicabant. *Gemma lib.* 1. *cap.* 66. initio enim laici omnes in singulis Missis communicabant: *Dion. c.* 6. *Eccl. Hierarc.* & optat, ut diximus, fieri quoque nunc temporis Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 6.

(l) *Cum eo signum Crucis.* Eo modo, quo supra signavit se ipsum Sacerdos. *S. Thom. opusc.* 75. *c.* 4.

(m) *Simul dicens: Corpus, etc.* Dicuntur hæc verba in distributione Eucharistiæ, teste *Alcuino de Sabbato Sancto.* Asserit *Microl. cap.* 18. dici ex religiosa traditione; sed habentur apud *Joan. Diac. in vita S. Gregorii, et in Conc. Rothom. cap.* 2.

(n) *Non dat eis Benedictionem.* Neque etiam in Missis Defunctorum, contra quosdam, qui loquuntur gratis. Sed neque in his Missis distribuenda esset Eucharistia; ut docet *Albasp. de vet. Rit. l.* 1. *obs.* 14.

* Si in fundo Calicis unitæ vini species adhuc reperiantur, sumi poterunt ante vini infusionem in Calicem: est Ritus congruentior.

(o) *Tenens vas cum vino, et aqua.* Creditur Christus consecrasse Calicem mixtum vino, & aqua, *ex Trid. sess.* 22. *c.* 7. unde & in Calicem infundimus aquam. Chrysost. autem jussit aquam, aut pastillum degustari post Communionem: in Ecclesia Occidentali antiquus erat mos vini aqua mixti, aut aquæ puræ ad purificationem. Lege *Baron. Anno* 403. fit autem ablutio oris ad deglutiendam facilius particulam, & ad humilitatem significandam, ut de ablutione digitorum supra, *ex Innoc. III.* retulimus, quasi memorent communicati suam indignitatem; item ne cum saliva, aut pituita quicquam Sacramenti excreetur: *ex Palladio in vita S. Jo: Chrysost.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando in distribuenda Communione Fidelibus Missæ astantibus.

XXIII. Rub. & Gav. lit. d. — *Si qui sunt communicandi, etc.*) Serventur a Sacerdote, & Ministro exacte omnia ea, quæ præscribuntur a Rubrica & Gavanto *supra*; aliquando repetendis abstinemus cum unusquisque satis possit instrui legendo supra di-

dicta: addere tamen debemus, quod antequam Sacerdos sumat Patenam, vel Pyxidem cum Particulis consecratis, debet Calicem, ex quo ipse Sacratissimum Sanguinem sumpsit, palla tegere, eumque collocare a cornu Evangelii, ut aliqui volunt, nimirum Cæremoniale Missæ Privatæ *c.* 11. §. 3. Portu *in hunc titulum Rubr.* 6. *num.* 3. vel a latere Epistolæ, sed semper super Corporale, ut consulit Castald. *lib.* 2. *sect.* 14. *cap.* 7. *num.* 4.

Quando tamen Pyxis est in Tabernaculo, & debet ab ipso extrahi, ut fiat Communio intra Missæ solemnia, & in dicta circumstantia immediate post Communionem Sacerdotis, debet ipse aperire ostiolum Tabernaculi, & statim adorare Sacramentum, genuflectendo juxta solitum usque ad terram, unico tamen genu; & postea erectus extrahere Pyxidem, eamque collocare super Corporale; quam statim aperit, & mox iterum genuflectit, stando versa facie ad Altare, manibus junctis ante pectus, pollicibus, & indicibus nondum disjunctis: interim autem Minister dicit *Confiteor*, *&c.* postea extendit linteum tempore congruo, nempe statim ut Confessionem terminaverit: quæ Confessio debet ab eodem fieri capite inclinato versus Sacerdotem, in plano Cappellæ, vel supra infimum gradum a latere epistolæ, sed nonnisi post sumptionem Sanguinis factam a Sacerdote.

Prædictum linteum putat Gavantus Baronii, & aliorum opinionem secutus, dictum fuisse Dominicale ex *Canon.* 42. *Concilii Antissiodorensis*, qui sic habet: *ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat; quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet:* veremur tamen, ne communis hæc Antissiodorensis Canonis explicatio, legitima sit: etenim cum Antissiodorenses PP. *Canon.* 36. præcipiant, ne mulieres nudam manum Eucharistiæ submittant, videtur Dominicale, cujus meminit *Canon.* 42. ab eo linteolo, quo mulieres Sacramentum Dominicum excipiebant, omnino distinctum, ni affirmare velimus Synodi PP. unam, eamdemque rem diversis Canonibus imperasse. Secundo si Dominicale non esset a linteolo diversum, quod mulieres accipiendæ Eucharistiæ subjiciebant, Synodus Canonem utrumque copulare debuisset hoc pacto — Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere, sed unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat; quod si quæ non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet — Cum autem PP. Concilii utrumque Canonem accurate non conjunxerint, argumento est, aliud ipsos *Canon.* 36. aliud 42. voluisse præcipere. Quod igitur erit Dominicale? placet nobis opinio Baluzii putantis integumentum capitis fuisse, quo mulieres operiri debebant, cum accepturæ erant Eucharistiam. Huic sanæ interpretationi favet antiqui Codicis lectio ab eodem Baluzio relata in notis ad Gratianum *causa* 33. *quæst.* 5. *cap. Mulier* — Si mulier communicans, Dominicale suum super caput non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet — Sic eundem Canonem refert verus pœnitentiale apud Lancium, & Carolum Fresne in Glossario. Probabilissimum igitur est, duo hæc Antissiodorensi Concilio fuisse prohibita, ne scilicet mulieres nuda manu, neve aperto capite ad Eucharistiæ perceptionem accederent; quam sententiam doctissimus quoque Boldetus amplexus est *lib.* 1. *observationum in Cœmeteriis c.* 10. Grancolas *de antiquis liturgiis tom.* 2. *p.* 320. utramque opinionem conciliare conatur, dicendo, quod Dominicale erat velum album oblongum, quod pendebat sub mentum, & quod deserviebat mulieribus, & ad caput tegendum, & veluti mappa manibus apprehensa ad Eucharistiam recipiendam.

XXIV. Rubr. & Gav. lit. f — *Misereatur vestri*, *&c.*) Facta modo prædicto Confessione a Ministro, Sacerdos iterum genuflectit more solito, sed unico genu: deinde surgit, & stans manibus junctis ante pectus statim se vertit ad Populum a cornu Evangelii oblique, neque humeris conversis ad prædictam Altaris partem, ita ut facies convertatur simul ad Populum, & ad latus epistolæ, ne terga vertat Sacramento, tum dicit: *Misereatur vestri*, *&c.* in quibus dicendis servet ea, quæ præscribit Rubrica, & docet Gavant. *supra*; advertendo tamen, quod dum facit signum Crucis super Populum, quando dicit *Indulgentiam*, debet tenere manum sinistram infra pectus positam. Bissus *lit. C. n.* 384. §. 2. Castald. *lib.* 2. *supra n.* 4. cavendo semper ne pollices, & indices adhuc conjuncti planetam tangant: formando vero Crucem supradictam, debet formare lineam rectam plusquam palmarem, & quasi bipalmarem; & dum pronuntiat, *Remissionem peccatorum ✠ vestrorum*, facit signum Crucis, pingendo lineam transversalem ejusdem fere longitudinis cum recta linea. Dicto *Indulgentiam*, si Minister est communicandus, surgit a cornu Epistolæ, ubi fecit Confessionem; & statim accedens ad medium, genuflectit utroque genu in plana terra ante ultimum gradum Altaris: tunc surgit, & accedens usque ad secundum gradum, si sint tres, vel ad gradum prope suppedaneum, genuflectit in medio, deferens secum mappam ad id præparatam, & non manutergium; quam mappam ambabus manibus tenens supponit ante pectus, & quasi prope mentum. Tum recepta Sacra Communione surgit, statim descendit ad ultimum gradum Altaris, & facta ut prius utroque genu genuflexione, retrahit se ad cornu Epist. laterale, id est, ubi prius fecerat Confessionem. Gervasi *sup. n.* 3.

XXV. Rubr. & Gavant. lit. g — *Ecce Agnus Dei*, *&c.*) Dicto *Indulgentiam*, *&c.* Celebrans iterum se vertit ad Altare; & facta genuflexione, accipit manu sinistra Pyxidem, capiens inter indicem unitum pollici, & reliquos digitos. Pyxidis nodum firmiter, ne decidat; vel accipit Patenam iisdem digitis, eodem modo, quo eam capit, quando dicit, *Domine non sum dignus*. Verum manu dextera accipit unam Particulam inter pollicem, & indicem: & vertit se ad Populum (qui manus suas in formam Crucis componere debet) sed humeris versis

ad

ad medium Altaris, etiam si esset Sacramentum expositum, & communicandi in cornu Epistolæ, vel Evangelii essent; & dicit: *Ecce Agnus Dei, etc.* voce clara, elevando aliquantisper Particulam, oculis semper ad Sacramentum intentis; deinde dicit sequentia verba.

XXVI. Rubric. & Gavant. litera h — *Domine non sum dignus, etc.*) Tribus distinctis, sed neque ipse, neque Populus communicandus, debent, dum proferuntur talia verba, percutere sibi pectus, sed solum Minister id præstat nomine totius Populi. Bauldry *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 11. Gervasi *supra n.* 2. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 10. *Rubrica* 6. *in notis n.* 3. postea pergit ad communicandos Fideles existentes extra, sed ad cancellos Cappellæ, incipiendo ab iis, qui reperiuntur a latere Epistolæ; dummodo non adsint aliqui parati, vel alii de Clero, qui tunc Communionem accipient eodem loco, & modo, quo diximus supra de Ministro Missæ inservienti, quando communicat. Bauldry *supra cap.* 8. *n.* 5.

Denique porrigendo cuique personæ communicandæ Particulam, servet ea, quæ præscribit Rubrica, & tradit Gavant. *supra.* Advertat tamen Sacerdos, ut dum porrigit Particulam communicandis, promoveat se, & supponat aliquantisper Pyxidem, seu Patenam, ne longius cogatur portare Sacramentum, cum periculo, quod decidant fragmenta. Cavere tamen debet, ne communicandorum halitus avolare faciat Particulas in Patena, vel Pyxide contentas.

Non sunt approbandi illi, qui, accipientes cum Pyxide etiam purificatorium, sæpius abstergunt in eo digitos, quibus utuntur in porrigendis Sacris Particulis: quia adest periculum, quod aliquod fragmentum in terram decidat, & hoc præsertim contingere potest, quando est magna copia communicantium. Quapropter quando prædicti digiti Sacerdotis sunt saliva communicantium humefacti; docet Claudius Lacroix, quod in tali casu Sacerdos debet diligenter revidere suos digitos; & si deprehendat aliquod iis adhærere fragmentum, tunc eos fricando, reponat in Pyxidem dictum fragmentum; & deinde abstergat eosdem digitos purificatorio, quod in manu sinistra tenet ad hunc finem: verum purificatorio non utatur, quod adhibet pro Missæ celebratione: quia non decet abstergere digitos saliva humefactos cum eodem purificatorio, quo abstergitur Calix; ut optime advertunt Quartì *part.* 2. *titul.* 10. *de Oration. Dominic. sect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 4. §. *Dico tertio*, & Diana *part.* 2. *tractat.* 13. *resolut.* 34. §. *Quæro*: qui tamen, ne nova introducatur Rubrica deferendi tale purificatorium, suadent Sacerdotem ad adhibendam omnem cautelam, ne humectet digitos in porrigendis Particulis ori Communicantium. Verum quia difficile est hoc inconveniens evitare; ideo absque ullo scrupulo introducendi novam Rubricam, in sententia sum illorum, qui tale purificatorium adhibendum esse approbant. Prætereo non debeo, quod Sanctus Carolus Borromæus in instruction. de Sacra Commun. *part.* 4. actorum Ecclesiæ Mediolan. hortatur in prædicto casu Sacerdotem communicantem, ut redeat ad Altare, & semel vel bis digitos abluat in vasculo ibi præparato.

XXVII. Rubric. *Omnibus communicatis, etc.*) Redit Sacerdos ad Altare, nihil dicens, & servando exacte ea, quæ traduntur a superiori Rubrica: advertendum solum, quod debet adhuc tenere unitos pollices, & indices, manu dextera super Pyxidis labia adhærente, ita ut reliqui digiti complicentur; Pollex vero, & index manus dexteræ supra Pyxidem extendantur; quam quidem Pyxidem, facta Communione super Altare deponat, statimque genuflectat, & deinde eamdem Pyxidem cooperiat, & intra Tabernaculum reponat; qua reposita iterum genuflectat, & surgens, ostiolum Tabernaculi claudat. Angel. *part.* 3. *supra* §. *Casu*, & Cæremoniale Missæ Privatæ *supra.*

De ministranda Eucharistia intra Missam Defunctorum.

XXVIII. Gav. lit. n — *In Missis Defunctorum non distribuenda esset Eucharistia, etc.*) Celebris, & gravis est quæstio, quæ agitatur inter Doctores Rubricistas, utrum in Missis Defunctorum post Communionem Sacerdotis, liceat Sacram administrare Eucharistiam? Sententiam affirmativam tuentur noster Castaldus in Cæremon. nostræ Congregationis *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. & in Praxi Sacr. Cæremon. *lib.* 2. *sect.* 14. *cap.* 7. *n.* 9. Quartì *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 6. *in explicat. literali v. Tertio*, Pignatellus *tam.* 9. *consult.* 90. *n.* 38. Paulus a Sancto Joanne Evangelista in Cæremoniali Fratrum Eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini *lib.* 3. *cap.* 16. Benvenuti ad calcem suæ instruct. pro Sacerdote celebrante in Missa Privata. Antonius de Castro in Cæremon. PP. Eremitarum S. Augustini Hispanice edito *p.* 2. *c.* 4. §. 5. *n.* 311. Franciscus Andrevius in Cæremoniali Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum *tract.* 4. *c.* 10. *n.* 6. *vers. Omnibus communicatis*, quibus addi possent alii multi. Negativam sententiam vero sustinet Gav. *supra*, cui multi adhærent, præsertim aliqui decepti ex supposito Dec. S. R. C. Anno 1701. de quo infra.

Nos autem validis rationum momentis permoti cogimur adhærere primæ sententiæ, & recedere a Gavanto: unde sustinemus in prædicta Missa Defunctorum licitum esse distribuere Communionem Fidelibus, præsertim vero ex Particulis in eadem Missa consecratis; de aliis vero præconsecratis in alia Missa, & in Tabernaculo asservatis, mentem pariter nostram infra aperiemus. Probatur autem prædicta prima sententia ex Concilio Trid. *sess.* 22. *c.* 6. ubi habetur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis Fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent; quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret, &c.* Ex quibus Sacrosanctæ Synodi verbis colligi-

gitus, quod de mente ipsius sit licita Eucharistiæ administratio etiam in Missis Defunctorum: cum enim generaliter ibi loquatur Concilium, comprehendit profecto non solum Missas vivorum, sed etiam Missas Defunctorum, in quibus pariter optat Fideles adstantes Sacramenti Eucharistici participes fieri.

Huic sententiæ majus etiam robur accedit, ex eo quod in omnibus Missis Defunctorum, postquam Sacerdos Sacra dona suscepit, habetur & dicitur Antiphona, quæ *Communio* vocatur: hoc autem nomine inscribitur talis Antiphona, quia Populo communicante cantabatur olim, & Psalmus simul concini solebat cum *Gloria Patri*, atque ipsius Antiphonæ repetitione: ut tota actio Communionis laude Dei personante perficeretur: hujus rei exemplum habetur in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Missalibus manu exaratis. D. Aug. *l.* 2. *tract. c.* 11. testatur hanc consuetudinem in Ecclesia Africana ipso vivente cœpisse, ut Hymni ad Altare de Psalmorum libro dicerentur, cum Populo oblatio sacra distribueretur. Ordo Romanus a Cassandro, & Hittorpio editus in prima descriptione Missæ ejusdem Ritus mentionem facit dicendo: *Mox ut Pontifex cœperit communicare Populum in Senatorio, statim schola incipit Antiphonam ad Communionem, & psallunt usque dum communicato omni Populo, etiam in parte mulierum, redit in sedem, & repetito versu quiescunt.* Hæc & alia leguntur apud Card. Bona *l.* 2. *c.* 17. spectantia ad hunc Ritum. Non desunt tamen qui cantus prædictæ Antiphonæ, & instituti auctorem faciunt Cælestinum Papam I. alii vero Gregorium; sed Straboni incognitus est talis auctor, ut patet ex ejusdem verbis, quæ habentur *cap.* 22. Omnes tamen conveniunt talem Antiphonam cantari consuevisse tempore celebrandæ Communionis, & distribuendi Populo sacra munera: ex quibus omnibus fit, quod cum in Missa Defunctorum habeatur hæc Antiphona, quæ *Communio* dicitur; in eadem Missa Ecclesia supponat Sacerdotem, postquam suscepit ipse Sacramentum, posse Populo distribuere idem sacrum munus.

Rursus in eadem Defunctorum Missa dicitur illa Oratio, quæ *Postcommunio* intitulatur: talis quoque deprecatio dicebatur olim quando omnes, vel plerique, qui aderant Sacrificio, communicabant. Hæc eadem Oratio dicebatur etiam *Ad complendum*, eo quod per eam, & per alias subsequentes Orationes concludatur Officium Missæ, Micrologus autem *c.* 51. asseverat: *Quod Oratio post Communionem, pro solis communicantibus solet orare:* hinc quia quotidie in Quadragesima Populus non communicabat, omittebatur prædicta Oratio, & loco illius addebatur alia Oratio dicta *Super Populum*, de qua ait idem Micrologus. *Ne ergo Populus ita Orationi, ut Communione careret, adjecta est Oratio super Populum, in qua non communicatione, sed pro Populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur: quia genuflexio vitatur, quæ huic Orationi antiquitus a Populo persolvebatur: vel potius, ideo quia omnes, juxta attestationem S. Ambrosii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & Oratio post Communionem pro Benedictione sufficere posset.* Ex quo etiam clare evincitur, quod cum dicatur prædicta Oratio, nempe *Postcommunio* in Missa Defunctorum, possit in tali Missa distribui Fidelibus Sacra Eucharistia.

Aliis etiam rationibus evidentibus desumptis ex verbis Canonis, & ex Rubrica, quæ habetur in parvo Missali Defunctorum, confirmatur hæc sententia. In Canone, inquam, qui dicitur etiam in Missis Defunctorum exprimuntur hæc verba — Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, &c. — Hæc commixtio, & consecratio fiat nobis accipientibus in vitam æternam, &c. Deinde, ut dixi, in Rubrica Missali Defunctorum habentur hæc verba post Communionem facta a Celebrante: *Si qui sunt communicandi, eos communicet antequam se purificet:* ex quibus omnibus evincitur, nempe, & ex verbis Canonis, & ex verbis Rubricæ præmissam esse Communionem Fidelium, & participationem Sacramenti Eucharistici etiam in Missis Defunctorum. Non me latet mox allatam Rubricæ dispositionem esse recentem, non antiquam: nam in Missali Defunctorum edito Romæ apud Carolum Vulliettum 1609. tempore Pauli V. non continetur præfata Rubrica: dicendum est insertam Missali Defunctorum fuisse tempore Urbani VIII. occasione recognitionis Missalis ejusdem Pontificis jussu factæ: sed semper verissimum est, & omnino certum modo in prædicta Mortuorum Missa non prohiberi, sed aperte concedi Communionem Populi tali Missæ assistentis.

Nonnulli contra hanc sententiam opponunt Decr. a S. R. C. emanatum de Ann. 1701. in quo denegata videtur præfata Communio intra Missam Defunctorum: sed hoc Decretum, & quodcumque aliud, si emanavit similis dispositionis, profecto suspensa fuerunt: & revera in Ordinario, seu Directorio Ecclesiæ, ac Diœcesis Genesis pro Ann. 1715. ex speciali mandato Eminent. ac Reverend. D. Laurentii S. R. E. Cardin. Flisci Archiepiscopi ejusdem Diœcesis, edita fuit sequens notatio, seu monitum ad vellendos scrupulos, qui insurgere poterant super praxi nostræ sententiæ — Proposito dubio S. R. C. an liceat in Missis Defunctorum Fidelibus Sacram Communionem ministrare, eadem S. R. C. de Ann. 1701. respondit negative — Verum quia prædicti Decreti copiam extra dari prohibuit S. C. ex novis motivis; & cum constet ex personis fide dignis, & ex attestatione plurimorum Sac. Cærem. Magistrorum Romæ degentium, ibi prædictum Decretum non observari; ideo ne Fideles tam salutari, & fructifero Sacramento priventur, & attentis præfata suspensione, & prædictis attestationibus, declaratur quod in Missis Defunctorum Sacra Communio licite possit ministrari — Hæc præcisa verba leguntur in supradicto Directorio *pag.* 5. in principio. Quæ quidem omnia a laudato Em. Flisco asserta verissima sunt; nam in Cong. habita die 21. Mart. 1711. re-

referente doctissimo, & Eminentissimo Cardinali Ferrari Tituli S. Clementis, reproposito dubio, an Decretum, quo prohibetur dari Communionem in Missis pro Defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans talem Missam, in quacumque occasione nequeat absolute Communionem dare, scilicet, nec tempore celebrationis ante Postcommunionem, nec post celebrationem, finito scilicet Evangelio Sancti Joannis? eadem Sac. Congr. respondendum censuit *Dilata, & ad mentem:* & mens fuit, ut Decretum prohibens prædictam Communionem intra Missam Defunctorum, non extra detur. En igitur, quod Decreta prohibentia Communionem, re diligentius, & maturius discussa, fuerunt suspensa: unde semper locum habet nostra sententia, quam etiam laudatus Cardinalis Ferrari in sua doctissima consultatione, quam in dicta Congregatione pronuntiavit, & quam apud me retineo, validissimis argumentis tuetur.

Neque urget contra hanc nostram sententiam, quod in Missis Defunctorum, antiquitus Sacra Eucharistia non administraretur: nam hoc eveniebat, non quia præcise erant Missæ Defunctorum; sed quia tales Missæ erant Privatæ. Communio autem Populi antiquitus non fiebat in Missis Privatis, sive postea hæc Missæ Privatæ fuerint Vivorum, sive Defunctorum, ut ex Albaspinæo notat Gavantus ipse *supra n. 4. lit.* i ubi asserit, Albaspinæum de veter. Ritibus *lib.* 1. *observ.* 17. afferre causam probabiliorem, ob quam in Missis Defunctorum non dabatur pax, nimirum, quia Mortuorum Sacra Privata erant, non Solemnia, ex *Can.* 4. Conc. Vasensis secundi; in Solemnibus autem erat Communio Populi, & ad eam per pacem præparatio, quæ cessabant in Missis Privatis: idem pariter notat Bissus *lit. P. n.* 91. §. 1. Quia autem postea ex novo Ritu, & Ecclesiæ instituto, non prohibetur in Missis Privatis, seu Planis, Sacræ Eucharistiæ administratio, hinc fit jam cessasse causam veteris Ritus non administrandi Sacram Eucharistiam in Missis Mortuorum: & revera Ecclesia nullam facit exceptionem in Rubricis Missalis, & Canonis, pro Missis Privatis Defunctorum, sed generaliter præscribit tempus & modum administrandi Sacram Communionem in quibuscumque Missis sive Vivorum, sive Mortuorum, ut ex allegatis Canonis Missæ verbis, & ex dicta Rubrica, quæ legitur in Missa Defunctorum, & ex argumentis adductis evidenter commonstratum fuit. Præterire tamen non debeo, quod iste Ritus distribuendi Sacram Eucharistiam in Missis Defunctorum non est recens, sed antiquus; nam in antiquis libris Missarum Romanæ Ecclesiæ, & Antiphonario Sancti Gregorii, quod in lucem emisit Card. Thomasius *fol.* 227. in Missis Defunctorum adest Antiphona *Communio*, & hæc præcisa verba leguntur — Pro quorum memoria Corpus Christi sumimus, dona eis requiem sempiternam — Et in alio loco — Pro quorum memoria Sanguinem Christi sumimus, dona eis Domine requiem sempiternam — Pace igitur Auctorum, qui aliud a nobis sentiunt, crederem hanc nostram sententiam citra ullum scrupulum ad praxim deducendam esse: & quidem in omnibus Urbis Ecclesiis hic Ritus exercetur.

XXIX. Rubr. & Gav. eadem lit. n — *Neque etiam in Missis Defunctorum &c.*) Docet hic Gav. cum Rubrica, quod facta communione intra Missam, non debet statim dari Benedictio communicantibus; sed in Missa Vivorum debet eis dari talis Benedictio in fine Missæ. Cum autem in Missis Defunctorum talis Benedictio, neque dari queat in fine Missæ, hic arguit idem Gavantus, & alii non posse prædicta Missa Defunctorum distribui Sacram Eucharistiam Fidelibus. Verum neque hæc difficultas satis est ad evertendam nostram sententiam: quamvis enim verissimum sit post Communionem administratam in Missa Defunctorum, non debere dari Benedictionem a Sacerdotis personis a se communicatis, ut optime supra laudati nostri Castaldus, & Quarti, in quo conveniunt reliqui Rubricistæ, ac Sacrarum Cæremoniarum Arbitri, dicentes, quod in Missa Defunctorum non debet dari Benedictio Communicatis, quia eis sufficit Auctorem omnium Benedictionum sumpsisse in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento; Benedictio tamen antiquitus dabatur a Sacerdote celebrante, immediate post Communionem; ut ex Amalario, & aliis auctoribus colligit Macrius *in Hierol. v. Benedictio*; & etiam nunc talis Benedictio immediate post Communionem intra Missam factam datur solum ab Episcopo alicubi ubi moris est, & idem notat Gavantus *titul,* 13. *infra numer.* 1. *lit.* u sed intelligi debet de solemni Benedictione Episcopali, nimirum per verba, *Sit nomen Domini, &c.* In fine vero Missæ antiquitus soli Romano Pontifici licebat benedicere Populum, ut asseverat Radulphus *propos.* 13. apud cit. Macrium, qui addit infra: *Ideo enim Benedictio post Communionem dabatur; ut qui Eucharistiam non susceperunt saltem cum illa Benedictione discederent.* Quinimo antiquitus etiam in Missis Defunctorum dabatur Benedictio Fidelibus præsentibus sub hac forma: *Deus vita vivorum, et resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum:* ut notat mox laudatur Macrius *loc. cit.* ex quodam antiquo Missali impresso de Anno 1533. quod eodem teste asservatur in bibliotheca Cathedralis Viterbiensis. Similem Benedictionis formam ego quoque legi in duobus aliis Missalibus antiquæ editionis, primoquidem edito Venetiis an. 1519. secundo vero pariter Venetiis impresso an. 1545. quæ asservantur in hac nostra bibliotheca S. Sylvestri, in Quirinali. Verum quamvis modo Benedictio a quolibet Sacerdote celebrante detur in fine Missæ, præterquam in Missis Defunctorum, & quamvis post Missam, vel ante Missam fiat Communio; nihilominus quando Communio ministratur in Missis Defunctorum, sive intra, de qua modo loquimur, sive post Missam, de qua inferius; ipsi Communicantes haud omnino sacerdotali privantur benedictione, quia quamvis hæc non eis impertiatur post Communionem a Sacerdote, datur ab eo tamen antequam Communionem ministret: quia antecedenter ad talem Communionem dicit: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem, &c.*

&c. signans, ac benedicens personas, quas communicare vult signo Sanctæ ✠ Crucis. Ex quibus omnibus semper firmum remanet nihil officere Sacrosanctæ Eucharistiæ administrationi in Missis Defunctorum, quod in his Missis non detur in fine Missæ Benedictio personis communicatis.

Ad magis, magisque comprobanda hucusque dicta, & alia inferius dicenda, lubet adducere sequentia Decreta emanata a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ sub Pontificatu Urbani VIII. & quæ habentur, prout hic damus, in regestis ejusdem Congregationis *tom.* 1. *fol.* 23. *c.* 4. in quo agitur de Communione.

„ I. Avanti di cominciare la Messa non si fac-
„ cia senza gran necessità; ed in questo caso s'
„ accenda il cereo dell' elevazione.

„ II. La Comunione dentro la Messa è descrit-
„ ta nel Messale minutamente; nel fine non si dia
„ la Benedizione, se non in fine della Messa.

„ III. Comunicando fra la Messa de Requiem,
„ si faccia l'istesso; nè si dia alcuna Benedizio-
„ ne, nè si scordi di coprire frattanto il Calice
„ colla solita palla.

„ IV. Chi Comunica finita la Messa si tenga la
„ pianeta, ed il manipolo, come prescrive il Ri-
„ tuale Romano; nè il Chierico estingua il cereo
„ dell' elevazione sino che sia finita la Comu-
„ nione.

„ V. Il pannicello, che si dà per la Comunio-
„ ne, sia destinato a quest' uso: nè mai si dia il
„ velo del Calice, e molto meno il fazzoletto
„ dell' ampollette d' asciugare le mani al Sacerdote.

XXX. Usque modo in tuenda præfata sententia locuti sumus de administranda Eucharistia intra Missam Defunctorum, ex Particulis in eadem Missa consecratis. Nunc oritur dubium, utrum eadem Sacra Eucharistia possit intra Missam Defunctorum administrari etiam ex Particulis præconsecratis in alia Missa, seu in Tabernaculo contentis? Aliqui, inter quos supracit. Abbas Benvenuti, concedunt quidem licere Eucharistiæ administrationem in primo casu, nempe ex Particulis consecratis in eodem Sacrificio; non vero in secundo, nimirum ex Particulis præconsecratis: quæ quidem opinio cum sit noviter adinventa, nec ab Auctoribus Rubricistis, sive antiquis, sive recentibus excogitata, non videtur admittenda: nullibi enim præscribitur, quod Communio intra Missam Defunctorum facienda debeat fieri ex Particulis in eodem Sacrificio consecratis. Quapropter cum omnes Rubricæ, & omnes auctoritates, quibus comprobatur licita talis administratio Eucharistiæ intra Missam Defunctorum facienda, loquantur generaliter, & nunquam limitate de solis Particulis in eodem Sacrificio consecratis; procul dubio intelligendæ sunt tales Rubricæ, & auctoritates, etiam de Communione facienda ex Particulis præconsecratis.

Neque suffragatur eidem limitationi, quod Particulæ Præconsecratæ non spectent ad Sacrificium, sed ad actionem eo separatam, quæ est actio communicandi: quia si hæc limitatio valeret, locum haberet non solum in Missis Defunctorum, sed etiam in Missis Vivorum; quod tamen admitti profecto non potest, cum nullus Auctor, loquendo de Communione facienda in Missis Vivorum, prædictam limitationem præscribat: imo ex inveterata praxi omnium Ecclesiarum, administratur indifferenter Communio intra Missam vivorum ex Particulis etiam præcedenter consecratis, extrahendo Pyxidem e Tabernaculo.

Rursus nihil confert Auctoribus contrariæ opinionis asserere, quod Communio facta ex Particulis in eadem Missa consecratis, esset participatio Sacrificii cui intersunt Communicantes, quæ ex Conc. Trid. *sess.* 23. *de Sacr. Mis. c.* 6. maxime commendatur; non sic autem esset Communio facta ex Particulis præconsecratis, & extractis e Tabernaculo Altaris: nam Tridentina Synodus solum optat, ut in singulis Missis astantes communicarent, & non præscribit, quod dicta Communio intra Missam fieri debeat ex solis Particulis in eadem Missa consecratis, ut sic Communicantes sint participes Sacrificii; sed verba Concilii, quæ hoc loco attendenda sunt, ita præcise loquuntur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Uberior autem fructus, ut asserit Joannes Sanchez *in select. disput.* 30. *n.* 8. & deducit ex verbis Concilii, provenit potius ex Sacramentali perceptione, quam ex sola Spirituali, & Vasquez *de Euch. disp.* 212. *n.* 4. errorem putatt in fide asseverare eosdem effectus percipi ex Sacramento Eucharistiæ in voto, atque in re suscepto; ut notat Barbosa in Conc. Trid. *cit. sess.* 21. *c.* 6. Cæterum uberior fructus non percipitur potius ex Communione de Particulis in eadem Missa consecratis, quam de Particulis præconsecratis in alia Missa; ut certum, & inconcussum est apud omnes Theologos, & Catholicos, & in rigore Theologico loquendo, non recte dicitur, quod Fideles Communicantes intra Missam ex Particulis in eodem Sacrificio consecratis, de eodem quoque Sacrificio participent, sicuti recte dicitur de Sacerdote Missam celebrante: nam Fideles Sacrificio astantes, quamvis dicantur suo modo idem Sacrificium offerre, non tamen dici possunt Sacrificantes, sicuti Sacerdos; indeque est, quod neque de eodem Sacrificio necessario participare debent, sicut ipse Sacerdos, seu Sacrificans participat. Et quamvis Fideles ipsi communicent ex Particulis in eadem Missa consecratis; non tamen inde dicuntur participare de Sacrificio, sed de Altari, seu de Victima oblata: & revera quando Sacerdos peracta Consecratione, recitat illam Canonis Orationem. *Supplices te rogamus, etc.* prosequitur dicendo hæc verba: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione, Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni Benedictione cælesti, & gratia repleamur.* Quibus verbis, sicuti insinuatur antiquus mos Ecclesiæ communicandi Fideles intra quamcumque Missam, ut docet Scortia *de Sacrif. Missæ lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 6. ita significatur

dictos

dictos communicantes fieri participes Altaris, seu Sacrosanctæ Victimæ in eodem oblatæ. Sumunt igitur quidem communicantes de Altari Sacramentum Eucharistiæ, non Sacrificium, ut optime docet Clericatus *de Sacrif. Missæ decis.* 36. *sub n.* 22. quod sub aliis terminis docent etiam communiter alii Theologi: quapropter, cum semper salvetur participatio de Altari, participatio ejusdem uberioris in Communione facta ex Particulis in eadem Missa, sive ex Particulis præcedenter in alia Missa consecratis, & in Tabernaculo servatis, hinc fit non posse assignari discrimen, rationemque, cur Communio intra Missam Defunctorum possit fieri ex dictis Particulis in eadem Missa consecratis, & non ex Particulis præconsecratis in alia Missa. Firmum itaque remanet in Missa Defunctorum licitam esse administrationem Eucharistiæ ex Particulis præconsecratis in altera Missa, & in Pyxide contentis.

Postquam hæc ita scripseram, legere mihi occurrit ad calcem Kalendarii pro Ecclesia Abbatiali S. Mariæ Pacis de Urbe Canonicorum Regularium Lateranensium pro præsenti Anno 1736. hoc Decretum — Sacerdos in Missa de Requiem non potest Populo ministrare Eucharistiam cum Particulis existentibus in Pyxide; potest tamen ministrare Particulas a se consecratas in eadem Missa. S. R. C. die 2. Augusti 1705. — Statim ut hoc perlegi, omnem adhibui diligentiam in evolvendis regestis S. R. C. in quibus nunquam potui tale Decretum reperire: unde pro certo habeo esse suppositititium; & eo magis suadeor, quia si vere emanasset a S. R. C. innotuisset profecto Eminentiss. Cardinali Ferrari, qui, ut supra diximus, anno 1711. diligentissime examinavit hanc quæstionem: quapropter illud adduxisset, ut evidenter comprobaret suam sententiam pro ministranda Eucharistia intra Missam Defunctorum; neque S. C. alio tunc resolvisset, nisi confirmationem ejusdem Decreti, ut submoveret omne dubium super quæstione proposita. Ex quo igitur S. C. tunc nihil aliud resolvit, nisi prohibitionem extrahendi Decreta, quæ non permittebant prædictam Communionem intra Missam Defunctorum; iterum dico, pro certo tenendum est, præsens Decretum allegatum in memorato Kalendario esse suppositititium: quapropter ejus secunda pars non confert ad comprobandam primam nostram sententiam, & prima nihil officit secundæ nostræ opinioni.

XXXI. Discussis duabus quæstionibus de Communione administranda intra Missam Defunctorum ex Particulis in eadem Missa consecratis, & ex Particulis præconsecratis, seu in Tabernaculo contentis; nunc procedimus ad aliud dubium breviter discutiendum, utrum nempe eodem modo liceat Sacerdoti Celebranti Missam Defunctorum, ante, vel post eamdem Missam Sacram Eucharistiam Fidelibus administrare? Huic dubio Auctor appendicis ad Ordinarium PP. Cappucinorum editæ Panormi 1724. §. 18. respondet, quod nedum intra Missam, sed etiam ante, & post Missam Defunctorum liceat Sacram administrare Eucharistiam, si rationabilis causa adsit, juxta prudens judicium Celebrantis; & id notatum, ac monitum asserit *in Ordinario PP. Cappucinorum Anno* 1721. *in notationibus selectis n.* 26. *pag.* 27. ubi etiam notatum fuit, quod nunquam datur Benedictio communicatis sive ante, sive post Missam Defunctorum, cum in his Missis non detur; quæ quidem sententia de non danda tali Benedictione, etiamsi fiat Communio, est fere communis, eamque tuentur Gav. *supra, et tit.* 13. *num.* 1. *lit.* n Tonellius, & alii a nobis supra allegati. Sed redeundo modo ad propositi dubii resolutionem, respondendum esse crediderim, ante, & post Missam Defunctorum abstinendum esse ab administranda Communione Fidelibus, quia extra Missam in paramentis nigris non est distribuenda Communio, cum juxta dispositionem Ritualis Romani, de Ordine ministrandi Communionem, præscribatur in administratione Sac. Eucharistiæ, videlicet extra Missam, utendum esse superpelliceo, & desuper stola coloris Officii illius diei convenientis, in quo fit Communio. Non recurrendo igitur ad rationem ab aliis allegatam, nimirum quod in Missis Defunctorum non debet administrari Eucharistia ex particulis præconsecratis, sed ad hanc aliam a nobis adductam, crederem sufficienti ratione probatam iri hanc nostram, & fere communem sententiam, quod ante, & post Missam Defunctorum debet Sacerdos abstinere a distribuenda Eucharistia Fidelibus; cum non sit conveniens, neque decens extra Missam in paramentis nigri coloris, tale Sacramentum administrare; sed requiratur semper, vel color conveniens diei, ut præscribit Rituale Romanum, vel color albus valde conveniens Sacramento Eucharistiæ, ut censent multi Doctores, inter quos principem locum obtinet Div. Carolus *in Synodo Provinciali I. part.* 1. loquens de hoc Sacramento ministrando alio tempore, quam in Sacrificio Missæ, & dicit: *Superpelliceo, stolaque alba, & ubi Ritus Ambrosianus est, rubra utatur*; ex quibus patet extra Sacrificium nullo modo utendum esse colore nigro in prædicti Augustissimi Sacramenti administratione.

RUBRICA.

7 *Si in Altari remaneant Particulæ in Calice, seu in alio vase, usque ad finem Missæ, serventur ea, (b) quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ.*

GAVANTUS.

(b) *Quæ in Feria quinta.* Hoc est, genuflectat Sacerdos quandocumque accedit, vel recedit a medio, vel transit ante Sacramentum in vase reservatum, & cum dicit, *Dominus vobiscum*, non vertit se ad Populum in medio Altaris, sed paulo prope cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento, & in fine ibidem dabit Benedictionem, non perficiens circulum, qui neque fit ad *Orate Fratres*, in Parasceve: ergo neque hoc loco eadem de causa. Calix quoque in hoc casu non erit collocandus

in medio Altaris, sed a latere Evangelii, neque plicabitur Corporale, nisi deposito Sacramento in locum suum post Missam. Denique, cum dicit Evangelium S. Joannis in fine Missæ, non signabit Altare, sed se ipsum tantum, ut Feria quinta in Cœna Domini suo loco dicemus.

Quid vero agendum sit a Sacerdote, quando fragmenta supersunt, seu paucæ Particulæ, peracta Populi Communione, dicemus infra, *cum de defectibus Missæ, part. 3. tit. 7. n. 2. agemus.*

* Accidit etiam, quod purificanda sit Pyxis intra Missam (qua de re nullibi agitur in Ritualibus libris) & eo casu purificabitur illa ante Calicis purificationem, collectis nimirum in ejus fundo fragmentis omnibus diligentissime cum indice dexteræ manus, & cum eodem indice sumi poterunt, admoto eodem linguæ, vel ad labium Pyxidis fragmentis deductis, & ore eidem admoto, ita ut nullum remaneat fragmentum: deinde infundi potest paululum vini, quo circumacto infra Pyxidem, & tergente indice, tota pars interior abstergatur; quo hausto, exsiccabitur Pyxis interior undequaque purificatorio. Non debet deinde vacua Pyxis tegi velo, sed panno lineo: denique fiunt reliqua de more pro Calicis purificatione.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando post factam Fidelium Communionem.

XXXII. Gav. lit. b. *Accidit etiam, quod purificanda sit Pyxis intra Missam &c.*) Si nulla remanserit Particula in Pyxide post Populi Communionem, Sacerdos purificet Pyxidem ab omni fragmento, faciens illud cadere indice manus dexteræ in Calicem: deinde purificet Pyxidem vino, infundendo postea in Calicem; ut docet supra Gavantus, seu alius additor suis Commentariis, & omnes communiter. Acriter reprehendendi sunt illi qui purificant quidem Pyxidem, sed nec digitis, nec vino, sed solo utuntur purificatorio: quoniam si remanserit in Pyxide fragmentum aliquod, melius est, ut ibi præsistat, quam ut purificatorio dispergatur; quod posset, imo debet, tunc solum adhiberi, quando Pyxis jam fuisset purificata vino ab omni fragmento. Cæremoniale Missæ Privatæ *supra*, Gervasi in instruct. Missæ Priv. *c.* 10. §. *Che se poi.* Pyxide extensa absque ulla genuflexione, reponatur super Altare extra Corporale, Ang. *part.* 3. *supra* §. *Casu*, & §. *Si in Pyxide.*

Si vero remanserint aliquæ Particulæ sive super Corporale, sive super Patenam, sive in Pyxide, & non adsit Custodia, seu Tabernaculum, in quo pyxis reponi possit; tunc sine alia genuflexione, illas reverenter Celebrans absumit, & postmodum purificat Pyxidem, ut supra. Cærem. Miss. Priv. *supra*, Angel. *par.* 3. *supra* §. *Si dicatur.*

Si Sacerdos deberet mutare Particulas recenter consecratas in Pyxide cum aliis, quæ in alia Pyxide conservantur in Tabernaculo; facta sumptione Sanguinis, & palla cooperto Calice, ac parumper ad cornu Evangelii remoto, semper tamen super Corporale, aperit Custodiam, genuflectit, extrahit Pyxidem, & aperta utraque Pyxide, denuo genuflectit: deinde absumptis Particulis antiquioribus, & purificata Pyxide, injectis in Calicem Missæ omnibus fragmentis, immittit recenter consecratas Particulas in Pyxidem purificatam, illam claudit, & sine osculo pedis, vel alterius partis, ut multi male faciunt, reponit in Tabernaculo, & antequam illud claudat, genuflectit. Cærem. Missæ Priv. *sup.* §. *Si quis.*

Ritus Communionem distribuendi ante, & post Missam.

XXXIII. Si vero Sacerdos communicet ante Missam (quod tamen non docet fieri aliqua justa causa urgente) deposito Calice a parte Evangelii, & bursa in loco consueto, explicatoque Corporali, prope quod collocabit in cornu Epistolæ purificatorium, postea Tabernaculum aperiet; factaque genuflexione, Pyxidem extrahet, quam reverenter deponet super Corporale, & eam aperiet, ac iterum genuflectet; & stabit ad Altare conversus, donec finita fuerit Confessio, quam nomine omnium faciet Minister genuflexus in latere Epistolæ, dicens *Confiteor*, *&c.* hac terminata rursus genuflectat Sacerdos, antequam se convertat ad communicandos: vel si facta jam fuerit Confessio, quando Pyxidem aperuit, tunc statim manibus junctis ante pectus vertit se ad communicandos, & cætera præstabit prout diximus supra *n.* XXIV. & XXV. Minister autem postquam deposuerit birretum Celebrantis in hoc loco consueto, & Missale super pulvinum, linteum extendet, & accendet intortitia facietque Confessionem genuflexus a latere Epistolæ, ut mox innuimus.

Si vero communicandum sit in fine Missæ, finito ultimo Evangelio Celebrans accedit ad medium Altaris, removet, & deponit Calicem coopertum velo a cornu Evangelii extra Corporale, aperit Tabernaculum, & cætera præstat, ut diximus supra. Minister pariter extendit linteum, si non est extensum, facit Confessionem, &c. Advertat tamen id Minister, quod quando facienda est Communio post Missam, non debet extinguere intortitia statim peracta purificatione, & ablutione digitorum Sacerdotis, ut solet fieri, quando non est facienda Communio post Missam.

Peracta Communione, reversus ad Altare, & deposita Pyxide super eodem, Celebrans statim genuflectit, deinde surgit, & dicit voce submissa Antiphonam, *O Sacrum Convivium*, *&c.* quæ tamen non est de præcepto, sed tantum de consilio: unde si quis eam omitteret non peccaret, ita Baruffaldus in suis commentar. ad Rituale Romanum *tit.* 23. *de Euchar.* §. 13. *num.* 68. deinde dicit vers. *Panem de Cœlo*, *&c.* & tempore Paschali, sicut etiam infra Octavam Corporis Christi, tam Antiphonæ, quam versui additur *Alleluja*: deinde dicit Orationem, *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili*, *&c.* Quo vero ad *Dominus vobiscum* dicendum ante Ora-

te Orationem, licet prius esset in usu; nunc tamen ejus recitatio in administratione Eucharistiæ, seu in ejus repositione, sublata fuit; ut apparet ex instructione particulari Clementis XI. pro expositione quadraginta Horarum, & ex Decreto emanato die 16. Junii 1663. & dato in nostro Indice *sub num.* 399.

His dictis Sacerdos diligenter advertat, ne fragmentum aliquod digitis adhæreat; & faciat id, quod supra diximus de Communione intra Missam: deinde genuflectat, surgat, Pyxidem operculo, & parvo conopeo cooperiat; abluat, & extergat digitos, quibus tetigit Sacramentum, non descendens extra Altare: Tonell. Bauld. Cærem. Missæ Privatæ *supra*, ideoque in vasculo crystallino, vel argenteo aqua pleno, ad hunc finem parato, cum suo purificatorio super Altare prope tabellam Secretarum purificabit digitos. Cærem. Missæ Priv. *supra*, & Baruffaldus *supra* §. 16. *n.* 63.

Quod vero ad ablutionem supradictam sumendam, id quod Rituale Romanum præcipit, videtur grave, & incommodum, nempe ut sumantur a Sacerdote si celebraverit, vel ab iis qui communicaverint: certe usus contrarius est, cum facile haberi possit modus illam ablutionem reponendi in Sacrario, ut communiter fit ab omnibus, non quacumque vice occurrit ista purificatio, sed tunc quando aqua ibi parata non omnino munda videtur. Baruffaldus *supra n.* 74. Abstersis digitis, ut supra, aperit Tabernaculum, genuflectit, reponit Pyxidem dextera manu (sinistra, nisi casualiter impediatur, collocata super Altare extra Corporale) iterum genuflectit antequam Tabernaculum claudat, deinde clave item illud obserat: quia hoc a Sacris Canonibus præscribitur, ne a quocumque aditus ad Tabernaculum habeatur. Baruffaldus *supra n.* 76.

Adnotandum occurrit, quod supradicta Pyxis reponenda est in Tabernaculo, etiamsi Particulis esset vacua, sed non purificata a fragmentis. Si vero communicatio fiat intra Missam, tunc purificatur a fragmentis, ut supra dictum est, & ad Sacristiam asportatur a Clerico. Baruff. *sup. n.* 75.

Clausa Pyxide in Tabernaculo, stans Sacerdos versus Altare, elevat oculos versus Crucem, & extendens manus, atque jungens, a Portu *supra n.* 6. caputque inclinans Cruci inclinatione minimarum maxima, dicit voce clara ordinaria: *Benedictio Dei omnipotentis, etc.* & postea junctis manibus convertens se ad communicatos benedicit, Castaldus, Tonell. *supra*, manu dextera, posita sinistra infra pectus, dicens: *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ut in Missa, & concludit illis verbis, *Descendat super vos, et maneat semper*, & Minister genuflexus respondebit *Amen*; Tonell. *supra*; quæ Benedictio debet dari tam ante, quam post Missam manu, & numquam Pyxide (prout multi male faciunt, præsertim apud Moniales) quibus communicatis, si intra Missam Communionem sumpserint, non debet dari alia Benedictio, quam illa, quæ datur in fine Missæ, ne fiat expresse contra Rubric. 6. hujus tit. Cærem. Missæ Priv. *supra*. Si vero extra Missam Communionem sumpserint, male opinantur illi, qui in prædicto casu censent, quod Sacerdos Monialibus, postquam illas communicaverit, debeat dare Benedictionem cum Sacramento in Pyxide contento, hac ratione moti, quia non convenit, quod Sacerdos ad præsentiam Christi, qui est fons Benedictionis, dextera sua benedicat: hoc enim non obstante certum est, quod postquam Sanctimoniales fuerint communicatæ, reposita Pyxide super Corporale, seu palla, Sacerdos stans adhuc ad fenestellam, sinistra pectori admota, dextera vero manu extensa, impertiri debet Sanctimonialibus Benedictionem eo modo, quo benedicit Fideles peracta Communione; nam cum Sacramento benedicuntur tantum infirmi, qui pro viatico communicantur, ut habetur in Rituali Rom. de Ordine ministrandi Sacram Eucharistiam: neque ratio pro contraria sententia allata, officit huic ritui: siquidem Sacerdos, qui celebrat in Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, & intra Missam dat Benedictionem. Rursus idem Sacerdos Missa peracta, si distribuit Sacram Eucharistiam, completa Communione, eodem modo dat Benedictionem Populo, ac si esset in Altari, ubi Sacramentum non est expositum. Corsett. *tract. 2. par. 2. c. 4. sect. 3. n. 1.* Tonell. *lib. 2. t. 10. Rubr. 5. in adnot. n. 6. Moniales*, Bissus *tit. B num. 66. §. 3.* ex quibus evincitur, quod Monialibus debet dari Benedictio consueta, manu dextera, etiamsi Sacramentum sit præsens.

Ritus ministrandi Eucharistiam extra Missam.

XXXIV. Denique præterire non debemus quomodo se gerere debeat Sacerdos in distribuenda Communione extra Missam. Ante omnia igitur Sacrista mappam mundam ante communicandos extendat, & vasculum vel vitreum, vel argenteum ad purificandos digitos Sacerdotis ad credentiam deferat, vel melius super Altari collocet. Aliqui addunt, quod debet etiam vasculum unum, vel plura cum vino, vel aqua præparare ad purificationem eorum, qui Communionem sumpserint. Rursus super Altare pariter debet deferre bursam cum Corporali, & purificatorium in cornu Epistolæ, una cum clave Tabernaculi, & accendere duas candelas super altare, & intortitium a cornu Epistolæ, & etiam aliud a cornu Evangelii, si fuerit dies festivus. His peractis Sacerdos lotis prius manibus, indutus superpelliceo, & stola coloris Officii illius diei convenientis, ut præscribit Rituale Rom. loc. a nobis supracit. vel ut alii docent coloris albi, ut supra pariter innuimus, & præcedente Ministro superpelliceo induto, pergit ad Altare capite cooperto, & manibus junctis ante pectus: quo cum pervenerit, deteget caput de more, & genuflectet super infimum illius gradum, & Minister cum illo aliquantulum retro in plano Cappellæ: tum ascendet ad oram suppedanei (Ministro interea super infimo gradu genuflexo) super quam genuflexus orabit aliquantulum, ac statim surgens ascendit ad

Altare, Minister autem mappam (si id Sacrista non præstiterit) ante communicandos extendet, incipiens a latere Epistolæ, deinde super infimum gradum lateralem in cornu Epistolæ flectet genua, conversa facie quasi ad medium Altaris: & si Sacerdos opus habeat parvo scabello ad extrahendam, vel reponendam Pyxidem, opportune ministrabit, ac removebit.

Sacerdos interim extrahet Corporale de bursa, eaque ad latus Evangelii deposita, illud extendet, ac prope ipsum collocabit in cornu Epistolæ purificatorium: postea Tabernaculum aperiet; & facta genuflexione, Pyxidem extrahet, & cætera omnia præstabit, prout supra diximus de Communione facienda intra Missam, vel immediate post Missam; stando tamen ad Altare conversus, si nondum fuerit finita Confessio (quam ut diximus faciet Minister nomine omnium communicandorum genuflexus in latere Epistolæ, dicens *Confiteor*, *&c.*) ac rursus genuflectet antequam se convertat; vel si finita sit Confessio, statim conversus ad communicandos, dicet, *Misereatur vestri*, *&c.* aliaque præstabit, ut diximus supra *n.* XXIV. *& seq.* unde videantur ea omnia, quæ ibi a nobis tradita sunt. Postquam autem fecerit ablutionem digitorum in supradicto vasculo (vel ante, de quo *infra*) & eorumdem abstersionem cum purificatorio, Pyxidem cooperiet, & recondet in Tabernaculo: factaque rursus genuflexione, clave observabit: postea se convertet ad communicatos junctis manibus, & stans in medio, extensa dextera, tenens sinistram pectori admotam, benedicit ipsos dicens; *Benedictio Dei omnipotentis, Patris &c.* ut supra innuimus loquendo de Communione facta immediate post Missam. Deinde Sacerdos plicabit Corporale, illud reponens bursa una cum purificatorio; ipsam vero bursam locabit super Altare a latere Epistolæ. Si vero in Altaris cancellis extensum non fuerit linteum, & pauci sint communicandi, poterit a Ministro singulis communicandis præberi aliquod sudariolum, ad hoc paratum.

Interim Minister extinguet prius intortitia; & plicata mappula, si commode fieri poterit, ascendet deinde ad suppedaneum, & reverenter accipiet bursam de Altari; factaque genuflexione, dum Sacerdos inclinabit se Cruci, descendet in planum, præcedens aliquantulum ipsum Sacerdotem, ubi simul genuflectunt, sicuti in accessu; & porrecto Sacerdoti birreto, quo tunc tegit caput suum, ipso vero Ministro præcedente nudo capite, ambo revertuntur in Sacristiam.

Duo adnotare debemus hoc loco, nimirum nos circa Benedictionem dandam personis communicatis, sequi sententiam Bernardi Angeli Carucci, quam tradit in Cærem. ad usum PP. Minorum Conventualium, quæ convenit cum ea, quæ habetur in Cærem. PP. Observantium *part.* 1. *c.* 6. *num.* 2. & quæ pariter traditur a Dominico Flumara in Cærem. Cler. Reg. Minorum, nimirum prædictam Benedictionem esse impertiendam, postquam Sacerdos reposuit Pyxidem, clausitque in Tabernaculo. Alius tamen est Ritus præscriptus in Cærem. PP. Cappuccinorum, in quo *lib.* 3. *c.* 27. citato pluries Castaldo in margine, hæc habentur: *Post Communionem, Pyxide super Corporale reposita, ac suo operculo tecta, ante ipsam genuflectens, ad communicatos se convertens, eisque benedicens, dicat &c.* Hic Ritus non laudatur a Francisco Magio *in disquis.* 32. quæ habetur in suo Galateo religioso: & equidem a nostris Patribus, ut ipse ait, non observatur; qui solum post Sacramentum intra Ciborium clausum, ad populum conversi, Benedictionem impendunt, & idem Magius asserit nostrum Castaldum mutasse sententiam in praxi Cæremon.

Aliud quod notare debemus de ablutione digitorum, quæ juxta nonnullos fieri debet, non recondito Sacramento, & Benedictione jam data; sed antequam Sacerdos Pyxidem in Tabernaculum inferat, ut securius, firmiusque eamdem accipere, ac clavem stringere, & digitis obvolvere queat; id quod docuit Paulus a Sancto Joanne in Cærem. Augustinensium Discalceatorum *lib.* 3. *cap.* 16. §. *De modo communicandi Populum extra Missam*, his verbis: *Facta Communione, Celebrans revertitur ad Altare, ponit Pyxidem super Corporale, sed diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud deponat in Pyxidem, illamque operculo, & velo cooperiat, & digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat in vasculo vitreo, & abstergat purificatorio... Postea genuflectens, reponit Sacramentum in Tabernaculo.* Alii vero, nimirum Fantonus in Cærem. Carmelitarum *lib.* 2. *Rubr.* 55. *n.* 7. nec non Ramerius in Rituali Cœlestinorum *lib.* 5. *c.* 7. præscribunt prædictam ablutionem digitorum esse faciendam postquam Pyxis est in Custodia reposita, & postquam Tabernaculum est clausum; quam sententiam pariter legi in Cærem. Monastico *lib.* 3. *c.* 15. §. 3. *n.* 5. ubi habetur: *Quod recondita Pyxide intra Tabernaculum, eoque obserato, & data Benedictione, Sacerdos accedens versus cornu Epistolæ, Ministro fundente aquam, abluit ille digitos, quibus tetigit SS. Sacramentum, & eos extergit purificatorio.* Postrema hæc opinio magis nobis arridet: diximus tamen ablutionem digitorum faciendam esse ante Benedictionem.

Denique adnotandum superest, esse consuetudinem in aliquibus Ecclesiis, quod dum Sacerdos communicat Populum, Minister dextera manu tenens vas cum vino, vel aqua, sinistra vero mappulam, pergens aliquanto post Sacerdotem porrigit purificationem communicatis, & mappulam ad os abstergendum.

Hucusque sermonem habuimus de Ritu servando in distribuenda Communione ante Missam, post Missam, & extra Missam: sed adnotare habet, quod mos antiquus Communionem ministrandi erat semper intra Missam; de qua re erudite agit Vannespensius *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. *& seq.* ubi *num.* 11. & 12. adstruit, quod per duodecim, & ultra sæcula observatum fuit, quod Communio intra Missam, non vero extra distribueretur,

tur, quod Eucharistia in Ecclesiis conservaretur pro usu infirmorum tantum; redditque rationem *num.* 10. quia scilicet Populus una cum Sacerdote concurrit ad Sacrificium offerendum; ideoque plures Orationes in Missa sunt utrique communes, unde & Populus debet in Missa de eodem Sacrificio particeps esse. Nunc progredimur ad examinandos Ritus, & varia genera antiquorum Communionum.

De variis generibus, & Ritibus antiquæ Communionis.

XXXV. Nomen Communionis quamvis hodie significet solam Eucharistiæ participationem, hæc tamen vox latius olim patebat, & præter Eucharistiam alia multa significabat: super hac re plurima, ac eruditissime congesta, & disputata sunt doctissimis viris Gabriele Albaspinæo *libro* 1. *observat.* Joanne Morino *lib.* 2. *Ecclesiasticarum exercitationum*, Jacobo Sirmondo in historia publicæ pœnitentiæ, Card. Bona *lib.* 2. *rerum Liturgicarum c.* 19. *n.* 3. ubi ait, quod antiquitus duo præsertim erant genera Christianæ Communionis, Communio scilicet commercii, sive mutuæ cum cæteris Fidelibus societatis, & Communio Eucharistiæ, quæ prioris perfectio, finis, & centrum est. Illa habitudinem habet ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, hæc verum Corpus ejusdem respicit, quod sumitur in Eucharistia. Illa dicebatur Communio sine oblatione, utpote consistens in sola participatione Orationum, & consortio Fidelium; hæc Communio cum oblatione iis concessa, qui Corporis, & Sanguinis Domini participes erant. Quoniam vero Ecclesia ex populo constat, & Clero; ideo Communio, quæ respicit Corpus Christi mysticum, in laicam dividebatur, & Ecclesiasticam; cujus postremæ tot erant species, quot Ordines Ecclesiastici. Fit inde, ut cum aliquis Ordinis sui munia, in pœnam alicujus delicti, obire non poterat; is Communione privari dicebatur, quia cum cæteris, in iis, quæ sui Ordinis erant, communicare non posset: de qua Communione plures Canones antiqui loquuntur, dum jubent Clericos Communione privari. Cum vero aliquis ob capitale crimen perpetuo deponebatur, laica tantum Communione donabatur, detrusus in Monasterium, statuente Agathensi Concilio *Can.* 50. *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen admiserit: . . . ab officii honore depositus, in monasterium detrudatur, & ibi quandiu vixerit, laicam Communionem tantummodo accipiat.* Quid rei fuerit laica Communio, disputant eruditi. Scholastici plerique nil aliud esse putant, quam perceptionem Eucharistiæ sub unica specie: sed omnino falluntur: nam ut optime observat Antonius Bellotte observ. ad Ritus Eccles. Laud. *pag.* 639. utriusque speciei usus permissus fuit Populo, etiam diu postquam in Ecclesia adversus graviter delinquentes Clericos, pœna Communionis laicæ decreta fuit. Erat igitur laica Communio jus societatis & communicationis cum cæteris Fidelibus in rebus tam sacris, quam civilibus more laicotum. Itaque Clerici laica Communione mulctati extra septa Altaris communicare cum plebe debebant sub una, vel sub duplici specie, juxta consuetudinem Ecclesiarum, atque in hanc Bonæ, & Bellotte sententiam descendunt ut plurimum eruditi. Sunt qui Communionem peregrinam, de qua eadem Synodus Agathensis *c.* 2. aliæque Synodi, cum laica Communione confundunt: sed vulgo Auctores unam ab alia secernunt, & merito: qui enim laica Communione plectebatur, ad Ordinis sui Officia redire non poterat, cum esset pœna iis imposita, qui perpetuo deponebantur; qui autem Communione peregrina donabantur, gradum suum recipere poterant pœnitentia peracta. Id docet nos *Can.* 2. ejusdem Synodi Agathensis: *Contumaces Clerici prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia, Communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel Officium suum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum, dignitatemque recipiant.* Quid vero fuerit hæc peregina Communio, dissident scriptores. Putant Sirmondus, & Albaspinæus locis citatis, tunc peregrina Communione Clericos fuisse mulctatos, cum in eo loco, & statu collocabantur, quo poni solebant Clerici peregrini, qui sine literis commendatitiis extra propriam Diœcesim peregrinabantur: excipi enim benigne consueverant, & sumptibus Ecclesiæ ali; nemo tamen Clericorum cum illis tanquam cum Clericis communicabat. Displicuit tandem hæc opinio Albaspinæo; sed mentem suam in altera editione aperire non potuit morte præventus. Gabriel Henao *lib. de Sac. Mis. par.* 3. *disp.* 28. ait Communionem peregrinam eam fuisse, ad quam Clerici admittebantur; quibus in pœnam alicujus peccati peregrinationes sive perpetuæ, sive ad tempus impositæ erant; quam sententiam non approbat Card. Bona, cum nullo fundamento nitatur. Existimant alii in hoc sitam fuisse Communionem peregrinam, ut qui ea mulctabatur, inter Clericos inferioris Ordinis communicaret. Sic ex. gr. Episcopus ea mulctatus non cum Episcopis, sed cum Presbyteris; Presbyter non cum Presbyteris, sed cum Diaconis communicare debebat. Arrisit hæc sententia Dupino in sua Biblioteca Ecclesiastica; & fortasse cæteris esset probabilior, si aliquo testimonio probari posset peregrinos Clericos hoc pacto communicasse. Quidquid sit, certum est ex Concilio Agathensi, Clericorum nomen hac Communione plexorum ab Ecclesiæ matricula erasum fuisse. His observatis veniamus ad Ordinem, quo antiquitus Fideles ad Eucharistiæ perceptionem accedebant. Primo Celebrans se ipsum communicabat, deinde Episcopos si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo Missam celebrantes; tum Diaconos, atque Subdiaconos, & Clericos, Monachos, & Diaconissas, Sacras Virgines; novissime Populum, adiuvantibus Presbyteris, & Diaconis, primum viros, postea mulieres: constant hæc ex Ordine Romano, & ex Euchologio Græcorum.

Quod spectat ad locum, Celebrans in medio Altari, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro Altare communicabant: Subdiaconi, & Clerici in limine Sanctuarii, reliqui extra cancellos: excipe tamen Imperatorem in Ecclesia Græca ex Canone Trullano 69.

Postremum genus Communionis erat illud, quod vetus Ecclesia per eulogias fieri instituit. Nomine eulogiæ venit panis, qui consecrationi supererat in particulas dissectus, & in fine Missæ a Sacerdote distribuebatur iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant Sacramenti Eucharistici participes fieri: testantur hoc tum Græci, tum Latini Scriptores, Theodorus Balsamon *in Can. 2. Concilii Antiochæni*, Simon Thessalonicensis *lib. de Divino Templo*, Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ, Gemma Animæ *lib. 1. c. 67.* Durandus in Rational. *lib. 4. c. 53.* Qua de causa fuerint eulogiæ institutæ, agit Card. Bona *lib. 1. c. 23. §. 12.* qui pariter *lib. 2. c. 17.* doctissime, suo more, tractat de variis antiquis Ritibus communicandi etiam infantes, viros, mulieres, deferendi domum Sacramentum Eucharistiæ, & alia hujusmodi: unde præfatum Auctorem curiosus lector adire potest.

RUBRICA.

8 *In Missa Solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur: Et dimitte nobis debita nostra; facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis: & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare; & stans in cornu Epistolæ porrigit* (q) *Patenam Diacono, qui eam discooperit, & purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando; et quando opus est,* (r) *discooperit, et cooperit Calicem, et cum Celebrante adorat: Subdiaconus reddita Patena, et deposito velo quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem; et cum dicitur, Pax Domini, iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul* (s) *dicunt, Agnus Dei. Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem, Diaconus vero a dexteris genuflexus expectat pacem: et cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale, et a Celebrante dicente, Pax tecum, complexus* (t) *accipit pacem,* (u) *sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet, Et cum spiritu tuo. Postea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem.* (x) *Subdiaconus accepta pace ad Diacono, et facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum,* (y) *et dat pacem primo cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis; et reversus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa Altare dat pacem, deinde Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem,* (z) *accipit ampullam vini, et infundit, quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, et dum Celebrans se communicat* (a) *stant ipse, et Subdiaconus profunde inclinati versus Altare.*

GAVANTUS.

(q) *Patenam Diacono.* Dant Patenam per manus in manum Celebrantis, *Innoc. lib. 6. c. 1.* apparet *in Ord. Rom.* aliquod vestigium hujus Ritus: sed per plures manus Patena transibat, quam per duas.

(r) *Discooperit, et cooperit.* Ita *Innoc. III. ibidem c. 2.* Diaconi enim est ministerium circa Calicem; sufficiunt autem reverentiæ cum genuflexione in Rubrica præscriptæ.

(s) *Dicunt Agnus Dei.* Percutiunt Ministri sibi pectora cum Celebrante, non tamen sinistra posita cum eo super Altare, sed infra pectus eidem pectori admota.

(t) *Complexus accipit pacem etc.* De complexu ad pacem dandam *Chrysost. homil. 51 ad Populum Antiochen.* Alter alterum amplectitur, inquit, ut unum multi fiamus.

(u) *Sinistris genis.* Habetur *in Cærem. Episc. lib. 1. c. 24. Durand.* tradit ad dexteram Celebrantis recipi pacem a Diacono, quod & nos observamus: *A dextris*, inquit hæc Rubrica, *Genuflexus expectat pacem*, non autem dextris genis. Per genas sinistras significatur, dari pacem e corde quod ad sinistram vergit; & quod in adversis etiam cum proximo pax habeatur.

(x) *Subdiaconus accepta pace, etc.* Diaconus dat pacem Subdiacono, & hic aliis eisdem, quos Diaconus incensavit. *Hugo Victorin. de spec. Miss. observ. lib. 2. c. 40.* & præterea Acolytho comitanti inclusive.

(y) *Dat pacem primo.* Qui dat pacem, nemini inclinat cui dat pacem, nisi postquam dederit; qui accepit, inclinat caput danti ante, & postquam acceperit. *Ex Cærem. Episcop. supra.* Item, qui dat, dicit, *Pax tecum*; qui recipit, respondet, *Et cum spiritu tuo*, amplectunturque se invicem, & appropinquant genas sinistras, ut dictum est de Celebrante, & Diacono. In unoquoque deinde Ordine primus dat pacem alteri subsequenti, & ille alteri, & sic deinceps usque ad ultimum ejusdem Ordinis, non præmissis invitationibus, quæ in incensatione tantum fiunt.

Laicis vero datur per instrumentum, de quo supra *num.* osculatum ab eo, qui pacem a Celebrante immediate accepit; *in eodem Cær. Ep.* & ut *ibid.* dici-

dicitur, nonnisi stanti pax datur, scilicet cui per osculum datur.

Ordo vero dandi pacem est idem, qui de incensatione dictus est supra; sed per instrumentum datur laicis singulis, per osculum primo cujusque Ordinis: a Subdiacono illis laicis, quos Diaconus incensavit, ab Acolytho laicis aliis. Numquam vero a Diacono alicui datur, neque Domino loci, ex Dec. S. R. C. 5. Jul. 1614. neque datur unquam cum Patena, vice tabellæ, seu instrumenti, quam Patenam prohibuit Pius V. *in epist. ad Archiep. Tarracon. supra citata num.* 5.

(z) *Ampullam vini, & aquæ.* Ut pro ablutione digitorum in Missa Privata dictum est. Neque omittat Subdiaconus osculationes, & reverentias debitas in ministrandis ampullis Celebranti.

(a) *Stant.* Si tamen Subdiaconus redierit, quem non debet expectare Celebrans, & eo casu inclinati stant a verbis, *Domine non sum dignus*, manibus junctis ante pectus; Acolythorum alter defert sine genuflexione ampullas ad Altare cum pelvicula, quas porriget sine osculis Subdiacono, & refert ad credentiam; alter portabit velum parvum de credentia ad Altare in cornu Evangelii, ut Subdiaconus eo deinde tegat Calicem, ut infra. * Si non redierit Subdiaconus, suppleat Acolythus in ministrandis ampullis pro Calicis purificatione, quamvis in meditatione SS. Sacramenti eam poterit Celebrans adhibere moram, qua Subdiaconus ministrare queat ampullas.

Non lavat manus Celebrans, nisi sit Episcopus.

Si adsint ministri cum intortitiis, peracta Communione Populi, discedant, & ea extinguant.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ Solemnis, a fine Orationis Dominicæ, usque ad ultimam purificationem Celebrantis.

XXXVI. Rub. *Et dimitte nobis debita nostra, &c.*) Dum Celebrans dicit in Oratione Dominica, *Et dimitte nobis*, Diaconus, & Subdiaconus, facta genuflexione Sacramento unico genu retro Celebrantem suis locis, accedunt ad Altare in cornu Epistolæ; Diaconus quidem a dexteris Celebrantis, Subdiaconus vero a dexteris Diaconi. Bissus *lit. D n.* 123. §. 39. Interim, quia primus Cæremoniarius assistit libro, secundus Cæremoniarius, & eo deficiente primus Acolythus accedit ad cornu Epistolæ super infimum Altaris gradum; & cum eo pervenerit, unico genu flectit, ut facilius, & commodius surgere possit; Biss. *lit. M num.* 222. §. 1. *& lit. A n.* 214. Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *num.* 11. *& part.* 1. *cap.* 14. *art.* 3. *num.* 21. & postea ibidem stat.

XXXVII. Rubric. & Gavant. lit. q — *Patenam Diacono &c.*) Subdiaconus vero stans ut supra, porrigit Patenam nondum detectam Diacono; Lohn. *part.* 3. *num.* 13. qui removens eam partem veli, quæ est super Patenam, eam a Subdiacono offerente capit. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 18. Bauld. *part.* 3. *supra*, *& part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. *num.* 54. Tum Diaconus extersa super Altare Patena purificatorio, ponit eam in dextera Celebrantis, inter pollicem, & indicem unitos ex una, & medium digitum præfati Celebrantis ex altera parte, quando iste dixerit *Amen* post Orationem Dominicam, & incipit: *Libera nos quæsumus Domine, &c. Cæremon. Episcop. lib.* 1. *cap.* 9. §. 5. *& lib.* 2. *cap.* 8. §. 74. osculando prius Patenam, deinde manum dexteram Celebrantis: *Cær. Episc. supra lib.* 1. *cap.* 9. §. 5. Bauld. *part.* 3. *sup.* & Bissus *lit. D supra* §. 39. qui Celebrans postea eadem Patena se signat, & prosequitur ut in Missa Privata.

XXXVIII. Rub. & Gav. lit. r — *Discooperit, & cooperit, &c.*) Diaconus vero stans a dexteris ipsius Celebrantis, inservit eidem pro discooperiendo, & cooperiendo Calice, nempe quando in Oratione *Libera nos, &c.* Celebrans dixerit ultima verba: *Et ab omni perturbatione securi*; & dum supponit ille Patenam Hostiæ, Diaconus discooperit Calicem, *Cærem. Episc. l.* 1. *c.* 9. *sup.* Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 20. *n.* 20. deponendo pallam super Corporale, ut alias, & postquam Hostiæ divisæ particulam in Calicem immiserit Celebrans, Diaconus Calicem cooperit. *Cærem. Episcop. supra*, Castald. *sup.* Advertat Diaconus ne teneat pedem Calicis, dum Celebrans frangit Hostiam, ut aliqui gratis faciunt. Bauld. *part.* 4. *sup. n.* 11. Bissus *sup.* Prætatus Diaconus etiam genuflectere debet unico genu cum Celebrante ad adorandum Sacramentum, hoc est primum postquam discooperuerit Calicem, deinde postquam cooperuerit; & deinde surgens stat: Bauldry *part.* 3. *& part.* 1. *supra numer.* 55. Castaldus *supra.* Numquam tamen dum genuflectit, manus super Altare ponat, ad differentiam Celebrantis. Bissus *supra* §. 39.

XXXIX. Rub. *Subdiaconus reddita Patena, & deposito velo, &c.*) Subdiaconus vero reddit Patenam Diacono, & deponit velum oblongum, quod ab humeris ejus pendebat, & quod accipere debet ambabus manibus secundus Cæræmoniarius, vel primus Acolythus; *Cærem. Episc. lib.* 1. *c.* 10. §. 6. *& lib.* 2. *c.* 8. §. 75. quia facta genuflexione utroque genu, ut vult Hippol. a Portu *p.* 2. *de Missa Solemn. tit.* 10. *Rub.* 8. *in adnot. n.* 10. vel etiam unico genu, defert illud ambabus manibus ad credentiam, ibique plicatum super eam ponit: tum Subdiaconus ibidem, nempe ad dexteram Diaconi genuflectit; Bauldry *part.* 3. *supra*, & redit ad suum plani medium retro post Celebrantem per gradus anteriores Altaris; ibique stat facie ad Altare versa. *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6. *& lib.* 2. *cap.* 8. §. 75. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *num.* 18.

XL. Rub. *Et cum dicitur Pax Domini, &c.*) Cum Celebrans dicit *Pax Domini*, Subdiaconus genuflectit in loco suo super infimum gradum in medio ubi erat, & accedit ad sinistram Celebrantis, & statim ac pervenit ad ejusdem sinistram, genuflectit iterum apud Altare, eodem tempore,

quo

quo post coopertum Calicem, tam Celebrans, quam Diaconus suis in locis genuflectunt: Castald. *lib.* 1. *supra num.* 19. Bauld. *part.* 3. *supra num.* 19. & Benvenut. §. *Cum Celebrans:* interim primus Cæremoniarius accedit juxta solitum ad cornu laterale Evangelii, genuflectens utroque genu. A Portu *supra num.* 13.

XLI. Rubr. & Gavant. lit. s. — *Dicunt Agnus Dei, &c.*) Tunc Celebrans, & Ministri inclinati simul inclinatione modica, junctis manibus ante pectus, dicunt simul, *Agnus Dei*, &c. submissa voce: Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *supra;* & dum dicunt prima vice *Miserere nobis*, disjungunt manus, sinistram infra pectus ponunt, & dextera percutiunt pectus, eamque pariter pectori admotam tenent, usquedum percutiunt pectus secunda, & tertia vice ad alia verba *Miserere nobis*, & *Dona nobis pacem*. Bissus *lit. C num.* 197. §. 50. & Benvenuti supra cit. loc. Idem facit Celebrans, qui tamen dum sibi percutit pectus, sinistram ponit super Corporale de more. Gavant *sup.* Bissus *cit. loc.* & Bauld. *part.* 3. *supra.*

Primus pariter Cæremoniarius, & reliqui Ministri inferiores, inclinati circa Altare in dicta circumstantia percutiunt sibi pectus. Bauldry, Byssus, & Benvenuti *supra.* Ex qua consuetudine, qui sunt in Choro, illud etiam eodem modo dicunt inclinati versus Altare inclinatione mediocri. Observandum hic est, Romæ multos etiam Cardinales in Cappella Pontificia, dum Cælebrans tria producit signa Crucis cum particula Hostiæ, dicens *Pax Domini*, *&c.* signare in fronte, ore, & pectore, sicuti facere solent, qui assistunt Missæ Privatæ in principio Evangelii: verum hoc fit ex particulati devotione, nec ad Ritum Ecclesiasticum pertinet, ut expresse tradit Nicolaus de Bralion *supra num.* 2.

Subdiaconus dicto *Agnus Dei*, & facta ibi ad Altare genuflexione unico genu Sacramento, redit retro Celebrantem, non descendens in suum locum in plano, sed stans in secundo gradu Altaris (ubi Diaconus stare debet, quando est retro Celebrantem) ut commodius ab ipso Diacono pacem recipere valeat. Bissus *sup.* §. 51. Nicolaus de Bralion *supra num.* 3. Interim primus Cæremoniarius accedet ad librum, facta prius genuflexione. A Portu *supra num.* 15.

XLII. Rubr. *Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem.*) Diaconus autem statim genuflectit utroque genu in suppedaneo a dexteris Celebrantis, & sic remanet per totam primam Orationem, *Domine Jesu Christe qui dixisti*, *&c.* quam de more dicit Celebrans submissa voce. Bissus, Nicolaus de Bralion, Benvenuti *supra* §. *Dicto*, *&c.*

Finita supradicta Oratione *Domine Jesu*, *&c.* vel circa finem ejusdem, ut simul cum Celebrante osculari possit Altare, sese erigit, & manibus ante pectus junctis, non autem super Altare positis, illud osculatur, sed extra Corporale, dum Celebrans illud osculatur in medio, positis manibus super Corporale. Bralion, Benvenuti, Bissus *lit. D num.* 123. §. 41.

XLIII. Rub. & Gav. lit. t — *Et a Celebrante complexus, accipit pacem.*) His peractis Celebrans dat pacem Diacono; sed antequam ei pacem offerat, non debet Sacramento genuflectere, nec id iterum facere, quando, oblata pace, ad Sacramentum se convertit: quia Rubricæ, & Auctores præscribunt genuflexionem solum quando Celebrans accedit, aut recedit a medio Altaris, in quo SS. Sacramentum expositum; nec ullus de tali genuflexione facienda mentionem facit. Lohn. *p.* 2. *tit.* 24. *de Rit. Solemn. n.* 2. Celebrans igitur terminata dicta prima Oratione, & osculato Altari, Diaconum amplectitur, ita ut brachia bina super humeros ejus ponat; Arnaudus *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 26. Lohner *p.* 2. *supra num.* 1. aut saltem manus suas quasi super humeros Diaconi deponat. Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *num.* 13. Benvenuti *supra* a Portu *n.* 18. Si tamen alicubi viget consuetudo, ut qui dat pacem, solum manum dexteram super sinistrum humerum accipientis, sinistram vero sub axillis ponat, poterit & illa retineri. Lohner *p.* 2. *sup. n.* 1. a Portu *sup.* Porro Diaconus supponit brachia sua sub brachiis Celebrantis, eique caput inclinat ante, & post amplexum, acceptamque pacem. Bissus *lit. D n.* 123, §. 41. Bauld. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *num.* 13.

XLIV. Rub. & Gav. lit. u — *Sinistris genis,*) Et appropinquat sinistram genam sinistræ genæ Celebrantis, ita ut genæ leviter se tangant; De Bralio *sup.* Christiani *sect.* 1. *cap.* 11. *n.* 14. interim Celebrans dat pacem dicens, *Pax tecum*: cui Diaconus respondet, *Et cum Spiritu tuo.* Non desunt tamen, qui præscribunt in prædicto casu sinistras genas, quas sibi invicem admovent, offerens, & accipiens pacem, approximandas esse sine contactu. Cæremoniale Monasticum *l.* 2. *c.* 5. *n.* 14. quo facto, & dicto, Celebrans ad librum conversus, prosequitur alias Orationes, ut in Missa Privata. Diaconus autem accepta pace, & facta genuflexione in eodem suppedaneo, in quo pacem recepit, vertit se ad Subdiaconum per latus suum sinistrum, advertens ne terga vertat Sacramento; Bauldry *p.* 3. *supra n.* 14. *& p.* 1. *c.* 12. *art.* 1. *n.* 57. cui tunc Diaconus non se inclinat: quia qui pacem defert, quicumque sit, nulli quantumvis supremo Principi (etiam si esset Imperator, vel Rex) reverentiam facit, antequam ei pacem det, sed solum post datam pacem. Cæremoniale Episcop. *l.* 1. *c.* 24. §. 5. & Gav. *sup. lit.* y & alii Rubricistæ communiter. Subdiaconus tamen Diacono se inclinat, quia qui pacem accipit pro qualitate personæ, plus vel minus inclinat se antequam accipiat pacem. Gav. *supra*, Bauld. *p.* 3. *supra*, Bralion *supra n.* 4. & alii communiter. Itaque Diaconus superimponens brachia sua brachiis Subdiaconi, dicit, *Pax tecum*; a Portu *supra n.* 22. Bauld. *p.* 1. *c.* 12. *a.* 1. *n.* 57. Subdiaconus vero, sinistram suam genam sinistræ Diaconi jungens, brachia sua brachiis Diaconi supponit, res-

respondetque, *Et cum spiritu tuo.* Bauld. *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.* 35. Turrinus *p.* 1. *sect.* 3. *cap.* 2. §. *Subdiaconus*, Bralion *supra n.* 4. Tandem mutuo dicti Ministri se inclinant, quia in fine post datam pacem, tam deferens illam, quam recipiens pro personarum qualitate se inclinare debent. Cærem. Episc. *l.* 1. *c.* 24. § 5. Si autem recipiens pacem sit major dante illam, puta Canonicus Cathedralis, respectu Beneficiati; tunc aut parum, aut nihil inclinatur. Turrinus *supra.* Observandum itaque est hic, quod quotiescumque datur, & recipitur pax, ea omnia servari debent, quæ diximus de Diacono, & Subdiacono, scilicet, ut dans pacem, nullatenus ante dictam pacem caput inclinet, sed bene qui eam recipit, (dummodo accipiens non sit major, ut mox cum Turrino est adnotatum) deinde quod dans pacem superimponat brachia sua brachiis, seu ambas manus suas scapulis recipientis; nisi tamen recipiens dignior esset, quam dans, quia tunc dans pacem supponit brachia sua recipienti illam. Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 36. & a Portu *supra num.* 22. Demum mutuo se inclinent inclinatione unicuique debita proportionaliter, hoc est plus, vel minus secundum qualitatem personarum Cær. Episcop. Gavantus, Bralion, Arnaud. Christiani *supra*, & alii communiter.

XLV. Rub. & Gav. lit. x — *Subdiaconus accepta pace a Diacono, &c.*) Subdiaconus post sumptam pacem a Diacono genuflectit cum Cæremoniario, vel alio comite, qui a sinistris Subdiaconi incedere debet eodem modo, quo ipsum Subdiaconum comitatur ante, & post cantatam Epistolam. A Portu *supra num.* 24. Deinde surgent ambo, & Subdiaconus habens, ut dixi, comitem a sinistris, pacem defert in Chorum, quem in medio salutat ab utraque parte, prohibetur enim salutatio determinatæ personæ, cui danda est pax, sed non salutatio Chori, quæ profecto non est omittenda; Bissus *lit. S n.* 196. §. 20.) & ad digniorem de Choro accedit; cui tunc sine ulla reverentia propter venerationem pacis, dat osculum eo modo, quo supra adnotavimus. Cæremoniale Episcop. *supra* §. 2. Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *c.* 3. *n.* 1. quia data pace debitam ei reverentiam facit; & tunc ille dignior præbet pacem sequenti sui ordinis a parte sui Chori, & hic alteri successive usque ad ultimum sui Chori. Cærem. Episcop. *supra* §. 6. Gavant. Castald. *sup.* & alii. Interim Subdiaconus transit ad alteram partem Chori: sed observet, quod dum transit ex una parte Chori ad alteram pro danda pace, Altari genuflectere debet cum suo comite in medio, unico genu; & si transeat ante proprium Episcopum similiter genuflectet, nisi tamen Subdiaconus esset Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, quia tunc tantum profunde se inclinare debet: si vero transeat ante aliquem Prælatum, illum salutat sola capitis inclinatione. Bissus *lit. S n.* 106. §. 21. Statim ut Subdiaconus transierit ad aliam Chori partem, digniori stanti in primo loco, pacem pari disciplina ut prius, defert, & hic dignior tradit suo viciniori, & vicinior alteri, & sic deinceps usque ad ultimum. Cærem. Episcop. Gavantus, & Castaldus *supra.*

Hinc habetur, quod Subdiaconus defert pacem tantum duobus, nempe digniori ex utraque parte Chori. Ubi tamen sunt distinctæ præbendæ, & plures ordines Clericorum, datur semper pax a Subdiacono ab utraque parte Chori, primo, & digniori cujusque Ordinis, v. g. si in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis sint distincti ordines, & præbendæ, datur primo Dignitatibus, deinde primo Canonico Presbytero, & postea primo Canonico Diacono, deinde primo Subdiacono, & post aliis per ordinem, & semper qui prius accepit, postea dat subsequenti ejusdem ordinis. Cær. Episc. *sup.* §. 6. Biss. *lit. S n.* 196. §. 21. Gavantus, Arnaudus, Christ. *sup.* Bauld. *part.* 3. *sup. n.* 17. Portu *supra n.* 25.

Si sit etiam aliqua notabilis distantia inter Clericos ejusdem ordinis, Subdiaconus eam etiam dabit primo, qui est remotus ab aliis sui Ordinis, ne ipsi Clerici cogantur discurrere ad recipiendam, & dandam pacem. Bauld. *part.* 3. *supra num.* 18.

Si adsit Episcopus, qui non habeat Presbyterum assistentem, convenit ut Diaconus pacem a Celebrante acceptam, statim Episcopo deferat; & postea eam dabit Subdiacono; & hic Clero, & aliis, ut supra. Bauld. *supra.*

Si adsit aliquis supremus Princeps laicus, vel Prorex, aut Gubernator Provinciæ, vel Magistratus, modo sit ex majoribus, & perpetuis, ab ipso Subdiacono eis communicatur pax cum osculo, eodem prorsus modo, quo communicanda est omnibus de Clero; imo & eis defertur eodem ordine, quo fuerunt incensati, ita ut si fuerint incensati ante Clerum, ante illum etiam pacem recipiant; Bralion *supra cap.* 8. *n.* 9. idque totum satis aperte colligi potest ex Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 23. *de ordine thurificandi* §. 30. *& c.* 24. §. 3. & ex praxi Cappellæ Papæ, & ut legi potest in Cæremoniali Romano Marcelli Corcyrensis *lib.* 2. Hic mentio facienda est de Decreto, quod habetur in nostro Indice *sub num.* 81. in quo statuitur, quod Diaconus, & Subdiaconus accipiant pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconos assistentes.

XLVI. Gav. lit. y — *Laicis vero datur per instrumentum, &c.*) Si aliis laicis nobilioribus, vel Magistratibus minoribns danda sit pax, defertur pax cum instrumento pacis, seu tabella argentea, aut ex pretiosa aliqua materia confecta, in qua sit imago Crucifixi, & non per Patenam vice tabellæ, quia prohibetur a S. Pio V. neque per osculum; Bissus *lit. In.* 183. §. 3. Bauld. *p.* 3 *sup. n.* 19. Bral. *sup. n.* 10. & tunc dum dicitur *Agnus Dei*, Cæremoniarius, aut unus Acolythus, accipit de credentia cum velo coloris convenientis (quod ejus manubrio appenditur) instrumentum, & dum Diaconus genuflexus expectat pacem, ipse pariter genuflexus post illum juxta Altare cum ipso Diacono, quando tempus est, surgit. Acce-

pta

pta autem pace a Celebrante, Diaconus, facta genuflexione, illam prius dat Subdiacono, ut supra dictum est; & post datam pacem ipsi Subdiacono, Cæremoniarius, vel Acolythus offert Diacono instrumentum, quod osculatur (quia tale instrumentum pacis osculandum est vel a Celebrante, vel ab eo, qui immediate, ut est Diaconus, ab eodem Celebrante pacem accepit; quam secundam sententiam tenent Bauldry, & a Portu) dicens *Pax tecum*, & Cæremoniarius, seu Acolythus respondet, *Et cum spiritu tuo*. De Bralion *supra n.* 10. Bauldry *p.* 3. *sup.* 19. Bissus *lit. S n.* 196. *& lit. I num.* 183. §. 2. Deinde Cæremoniarius, seu Acolythus a sinistris Subdiaconi incedens, defert secum dictum instrumentum, ut illud suo tempore eidem Subdiacono tradat, scilicet quando Subdiaconus illud daturus est osculandum laicis, statim accipit: Bauldry *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 37. (& post quodlibet osculum, si pluribus insignibus viris exhibeatur prædictum instrumentum, ipse velo, quod, ut supra adnotavimus, manubrio erit appensum, leviter extergit, reverentiæ causa, ubi deosculatio facta est; Bralion *supra*, Lohner *p.* 2. *tit.* 24. *de Rit. solemn. num.* 4.) qui accedens ad supradictos viros nullam faciens reverentiam, nisi post deosculationem, dicit *Pax tecum*, & illi respondent, *Et cum spiritu suo.* Bralion, Lohner, a Portu de Missa Solemni *Rubr.* 8. *num.* 27. Bauldry *supra*, & notandum, quod illi, qui accipiunt pacem per instrumentum, non debent stare, ut omnino stare debent illi, qui per osculum pacem accipiunt, ut supra dictum est, sed manent genuflexi. Turrinus *part.* 1. *sect.* 3. *cap.* 2. § *Si pax laicis.*

XLVII. Gavant. ead. lit. y — *Ordo vero dandi pacem, &c.*) Hic declarat Gavantus, quod ordo dandi pacem est idem, qui servatus est in incensatione; unde etiam in danda pace personis laicis, idem ordo servandus est, quo fuerunt a Diacono incensati; sed pax laicis datur singulis per instrumentum ad differentiam pacis datæ per osculum, quæ datur primo solum cujuscumque Ordinis: Diaconus tamen non debet unquam offerre pacem laicis; neque Domino loci; ut notat Gavantus *supra* ex Decreto S. R. C. dato in nostro indice *sub n.* 145.

Diaconus data pace Subdiacono, statim transit ad sinistram Celebrantis, seu ad librum, incedens per secundum gradum; & non genuflectens in medio, ut male faciunt multi; sed in accessu ad Altare, seu sinistram Celebrantis, genuflectit unico genu, & statim surgens ibi eidem assistit: & cum Celebrans dicit, *Domine non sum dignus*, Diaconus profunde se inclinat, & manu sinistra infra pectus posita, percutit dextra pectus: & dum Celebrans se communicat, ad utramque speciem profunde se inclinat versus Altare manibus junctis; tempore vero intermedio stat erectus. Bauld. *p.* 3. *supra n.* 21. Lohn. *p.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 3.

Subdiaconus data pace, ut supra, & iterum facta reverentia utrique parti Chori cum suo comite, redit ad Altare, & facta in medio super infimum Altaris gradum genuflexione unico genu cum suo comite, surgit una cum ipso, & statim dat pacem eidem Ministro comiti, quia illam distribuit (facta genuflexione unico genu Altari, & salutato Choro ab utraque parte) primo Ministro, qui primus dabit eam subsequenti, hic altari, & sic successive: tum transit ad alteram partem cum reverentiis debitis, ut supra, & pacem pari disciplina dat etiam primo Ministro alterius partis Clericorum, ut supra, qui eam subsequenti tribuit. Biss. *lit. S n.* 196. §. 23. Bauld. *p.* 3. *sup. n.* 22. & notandum, quod si pacem acceperit a Subdiacono, Cæremoniarius post datam pacem Acolytho (qui eam distribuet aliis Clericis, ut mox diximus) recipit se ad cornu Epistolæ. Lohn. *p.* 3. *tit.* 4. *n.* 12.

Subdiaconus data pace suo comiti, ascendit ad Altare, se conferens ad dexteram Celebrantis, ubi facta genuflexione unico genu Sacramento, surgit, inclinat se, cum Celebrans dicit *Domine non sum dignus*, & manu sinistra infra pectus posita, percutit pectus dextera, ut Diaconus, & facit totum id, quod diximus supra de Diacono, sicut etiam genuflectit ante utramque Communionem cum Celebrante.

XLVIII. Rub. *Subdiaconus, quando opus est, Calicem discooperit*) Stans ad dextram Celebrantis, quando opus est, Subdiaconus Calicem discooperit, hoc est dum Celebrans incipit, *Quid retribuam Domino, &c.* deponendo pallam super Corporale de more, Biss. *sup.* Bauld. *p.* 3. *sup. n.* 22.

Dum Celebrans Sacrum Sanguinem sumit, vel etiam citius, primo Acolythus de credentia mature defert ampullas aquæ, & vini, & accedit ad latus Epistolæ, & quando opus est, eas successive porrigit Subdiacono sine osculis: Subdiaconus vero infundit vinum in Calicem manu dextera ad nutum Celebrantis pro ejus purificatione, cum reverentia prævia, & osculis ampullæ tantum, porrigente ipso Celebrante Calicem super Altare, non extra. Infuso vino pro purificatione, Subdiaconus infundit vinum pro ablutione manu dextera super pollices, & indices Celebrantis; eoque infuso, & reddita ampulla vini Acolytho, eadem manu dextera accipiens ampullam aquæ, infundit eamdem aquam super eosdem digitos, eo modo, quo facit in administratione vini (prædicta autem osculla in Missis Defunctorum omittuntur, ut dicemus suo loco) tandem reddit etiam ampullam aquæ eidem Acolytho, qui utramque acceptam reportat ad credentiam sine genuflexione, sed cum consueta inclinatione. Baul. *part.* 1. *supra*, & a Portu *tit.* 10. *de Miss. Solemn. n.* 30.

XLIX. Gav. eadem lit. a — *Si non redierit Subdiaconus, suppleat Acolythus, &c.*) Quod si Subdiaconus adhuc sit impeditus in distribuenda pace, ita ut nondum redierit ad Altare pro ministrandis ampullis Celebranti (licet melius esset, quod in meditatione SS. Sacramenti, sumpta Hostia, ipse Celebrans remaneret, donec rediret Subdia-

diaconus ad discooperiendum Calicem; Bral. *sup. n.* 13. Bauld. *p.* 3. *sup. n.* 23.) quis debeat interim loco Subdiaconi inservire, in dubium vertitur a Rubricistis, Gavantus *supra*, vult hunc defectum Subdiaconi supplendum esse ab aliquo Acolytho: Bauld. vero *p.* 3. *sup. n.* 23. & Bral. *sup. n.* 13. volunt id esse præstandum a Diacono; & dicunt in hoc casu, Diaconum postquam Celebrans sumpserit Sacram Hostiam, debere, facta genuflexione in loco, in quo est a sinistris Celebrantis, accedere ad ejus dexteram, sed dum hæc agit Diaconus, Cæremoniarius libro assistat loco illius, Bralion *supra*, & iterum facta genuflexione unico genu Sacramento, inservire ad discooperiendum Calicem, quando opus est, & ministrare ampullas; & addunt tunc Diaconum debere recedere, & recipere se ad librum, facta genuflexione in accessu, & recessu, quando Subdiaconus ad Altare redierit, ad quem spectabit in reliquis inservire modo jam dicto; unde videtur liberum esse cuicumque amplecti Gavanti, vel Bauldry, & Nicolai de Bralion placitum, cum præfati auctores nullam de hoc Ritu reddant rationem. Mihi tamen congruentior videtur opinio Bauldry, & Nicolai de Bralion, hoc est, quod Diaconus in supradicto casu transeat ad dexteram Celebrantis: tum quia id colligi potest ex Cærem. Episc. *lib.* 1. *c.* 10. *de officio Subdiaconi* §. 6. tum quia non videtur conveniens, quod Acolythus minister ampullas Celebranti in Missa Solemni, cum hoc spectet ad Ministros Sacros: & quamvis tot frequentes accessus, & recessus Diaconi ex una parte ad aliam videantur importuni, ut recte docet Bissus *lit. S. n.* 196. §. 25. tamen in hoc casu videntur tolerandi.

RUBRICA.

9 *In Missa Pontificali, Assistens accipit, & defert pacem, ut* (b) *in Cæremoniali habetur. Si in Missa solemni* (c) *fiat Communio, omnia serventur ut supra; sed prius communicet Diaconum, & Subdiaconum, deinde alios per ordinem, & Diaconus purificationem eis ministret. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur* (d) *Communio.*

GAVANTUS.

Vide *Cærem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 24. sed quid, si detur Assistens paratus Celebranti? hic accipiet pacem a Celebrante, & dabit Clero. Diaconus recipiet ante Clerum ab eodem assistente, & dabit Subdiacono, ut ait *Crassus lib.* 1. *cap.* 50. Sed eo præsente Subdiaconus dabit pacem Diacono post datam pacem in Choro. *Congr. Rit.* 17. *Junii* 1606. & 15. *Martii* 1608.

(b) *In Cæremoniali.* Hoc est, *Cærem. Episc.* ut alias notatum est.

(c) *Fiat Communio.* Diaconus cooperto Calice cum palla, eoque posito paulo ultra medium Corporalis, intra aram tamen versus cornu Evangelii, collocat in medio Corporalis Pyxidem: quod si ea extrahenda sit de Tabernaculo, idem ipse extrahat cum genuflexionibus, antequam extrahat, & postquam extraxerit, genuflexo interim Celebrante, & aliis circa Altare. Diaconus in cornu Epistolæ stans, profunde tamen inclinatus, dicit alta voce *Confiteor*, manibus junctis. Celebrans, postquam Diaconus Pyxidem discooperuit, stat in medio altaris facie versa ad Diaconum; Subdiaconus item post Celebrantem stabit: qui dicto *Confiteor*, eodem loco stans dicit *Misereatur*, & *Indulgentiam*, prope medium Altaris, facie item versæ ad Diaconum, qui respondebit *Amen.* Acolythi interea ante medium Altaris in superiori gradu extendunt linteum mundum genuflexi, facie sibi invicem versa. Diacono vero, & Subdiacono ante linteum genuflexis, Celebrans cum debitis genuflexionibus eos communicat, præmissis verbis, *Ecce Agnus Dei, &c. Domine non sum dignus*, cum reliquis Cæremoniis, de quibus supra *n.* 6. est dictum.

Qui vero gestant intortitia, substituant sibi alios; donec communicent, neque accedant cum intorticiis ad Celebrantem pro Communione.

Dum alios Celebrans communicat, Subdiaconus stat a sinistris Celebrantis; Diaconus in cornu Epistolæ purificationem cum Calice ministrat, iis scilicet, qui de Clero sunt, non laicis, quibus purificationem dabit alter e Clero cum alio vase aut vini, aut aquæ. Diaconus autem eo casu ad dextram Celebrantis accedit. * Neque Ministri Patenam teneant sub mento communicantium, quod ad Episcopalem attinet majestatem.

Sacerdotes cum stola de collo pendente communicant, *ex Conc. Brac. III. Can.* 3. ante Altare quoque una cum Levitis, & Clero, laici vero extra Chorum, *ex Conc. Tolet. IV. c.* 17. a quo semper excluduntur, *ex lib.* 2. *Apost. const. c.* 57. ut ostenditur honos Cleri a laicis distinctus, & ut Clerus inserviat Divinis liberius, ait *Carol. Novar. Episc.*

Facta Communione cum debitis reverentiis, Diaconus operit Pyxidem, & reponit in locum suum, genuflexo interim Celebrante, & post eum Subdiacono: quibus deinde surgentibus, & reposito Calice in medio Altaris, detectoque, fiunt alia pro purificatione Celebrantis, quæ supra sunt dicta.

(d) *Communio.* Vide quæ habentur supra *p.* 1. *tit.* 13. *num.* 1.

Quod si remaneat Sacramentum in Altari, Ministri observent, & Diaconus præsertim dicturus, *Ite Missa est*, quæ supra Celebranti sunt præscripta *n.* 7.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Solemnis, & Pontificalis, servando in danda pace, & distribuenda Communione Cleri, & aliorum Fidelium.

L. Rubr. *In Missa Pontificali, Assistens accipit, & defert pacem, &c.*) Quando in Missa Solemni, præsertim Pontificali, adest Presbyter assistens

cum

cum pluviali, dicto *Agnus Dei*, accedit ad dexteram Celebrantis (Diaconus vero ad librum) & ibi eodem Ritu, quo Diaconus, ab eo scilicet Celebrante recipit pacem, & eam ipsemet distribuit, ut Subdiaconus, qui tunc accedit ad eamdem dexteram, & assistit Celebranti, ut supra dictum est, & regulariter, juxta sententiam Gavanti *sup.* qui citat Crassum, dat illam prius Diacono, qui paullulum se retrahit ab Altari, ut illam recipiat, & immediate post, illam dat Subdiacono. Id inquam regulariter observatur, præsertim si Diaconus sit Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, & non sit in Choro aliquis Prælatus, cui secundum consuetudinem, pax sit prius deferenda, in quo casu Assistens illam etiam distribuet in Choro, antequam det ipsi Diacono, cui illam dabit reversus ad Altare, & tunc, qui illam comitatus est, eam recipiat a Subdiacono, postquam illam ipse receperit a Diacono. Hæc omnia docet de Brallion. *sup. n.* 8. verum Castald. *l.* 1. *sect.* 7. *c.* 11. *n.*7. vult in prædicto casu pacem accipi immediate a Diacono, & dari per eum Subdiacono, qui portat illam prius ad Chorum, & ultimo dat Cappellano assistenti ad Altare, tum Cæremoniario, cui sententiæ adstipulatur Cæremoniale Fratrum Minorum Observ. *part.* 2. *cap.* 12. in quo tamen adnotatur hoc verum esse, dummodo Cappellanus non assistat Generali; quia si assistit Generali, tunc ipsemet Assistens accipit immediate pacem a Celebrante.

Adnotare debemus, quod illa verba: *Sed eo præsente Subdiaconus dabit pacem Diacono, &c.* quæ in textu Gavanti leguntur, & reddunt sensum confusum, non sunt propria Gavanti verba, quia non reperiuntur in antiquis ejusdem editionibus: unde ab alio sunt addita.

Ritus ministrandi Eucharistiam intra Missam Solemnem.

LI. Rubr. & Gav. lit. c - *Si in Missa Solemni fiat Communio, &c.*) Quando in Missa Solemni facienda est Communio, postquam Celebrans sumpserit Sanguinem, & antequam in Calice ponatur vinum pro purificatione, cooperit Calicem palla, illumque retrahit aliquantulum versus cornu Evangelii, ut tamen semper sit super Corporale, & lapidem sacrum. Bralion *supra cap.* 9. *num.* 2. Diaconus vero si ad sinistram pro libro assistat, transit ad dexteram, Subdiaconus autem si pacem dederit in Choro, & sit ad eamdem dexteram, transit ad sinistram, facta tamen ab utroque in accessu & recessu genuflexione unico genu Altari. Advertat autem Subdiaconus, dum est in via, ut gradum superiorem cedat Diacono. Biss. *lit. S.* §. 24. ideo in accessu ad cornu Evangelii, seu ad sinistram transeat per planum, Bauld. *p.* 3. *sup. art.* 10. *n.* 1. & Diaconus per secundum gradum, qui cum ad dexteram Celebrantis pervenerit, facta ibidem genuflexione, ut supra, Pyxidem Particularum, si in Missa sint consecratæ, collocat in medio Altaris, ubi prius erat Calix; qua posita eam discooperit, & iterum genuflectit. Bauld. *supra*, Bralion *supra num.* 3.

LII. Gav. ead. lit. c - *Quod si ea extrahenda sit de Tabernaculo, &c.*) Si vero Pyxis extrahenda sit de tabernaculo, tunc Celebrans, ut relinquat locum medium Diacono, recedit cum Subdiacono versus cornu Evangelii, & ibi ambo utroque genu super suppedaneum prope Altare genuflectunt. Biss. *lit. C. sup.* §. 52. sicut etiam alii Ministri, qui sunt circa Altare, genuflectunt, quod & faciunt omnes communicandi. Bauld. *sup.* de Bral. *sup. n.* 4. Canonici vero & Clerus si non sunt communicandi, non debent genuflectere, sed stare debent. Cærem. Episc. *l.* 2. *c.* 29. §. 3. Diaconus autem (ablata prius per eum tabella Secretarum, & tradita alicui Acolytho, qui eam deponit super credentiam, vel in alio loco decenti) aperit Tabernaculum, ac mox unico genu genuflectit, & statim surgit, ac Pyxidem e Tabernaculo extrahit, quam ponit in medio Altari super Corporale: deinde illam aperit, cujus operculum super Altare ponit: & postea iterum unico genu Sacramentum adorat, & surgens recedit a medio: ac mox Celebrans cum Subdiacono surgit, & redit ad medium Altaris; Subdiaconus vero stat a sinistris illius super suppedaneum, & Diaconus descendit in planum (sed advertat ne terga vertat Sacramento) versus cornu Epistolæ; & ibi non genuflexus, sed stans inclinatus versus Celebrantem aliquantulum tantum; Cærem. Episc. *lib.* 2. *c.* 39. §. 1. & Bral. *sup.* (eo quod forte ad verba, *Et tibi Pater*, & *te Pater*, debeat profunde inclinare) manibus junctis dicit *Confiteor* alta voce, seu cantat; Cærem. Episcop. *supra*; si sit Communio generalis, vel consuetudo. Bissus *supra*, Bauldry *part.* 3. *sup. art.* 10. *n.* 3.

LIII. Gav. ead. lit. c - *Qui dicto Confiteor, &c.*) Finita Confessione, Celebrans, qui stabat facie ad altare conversa, genuflectit unico genu Sacramento: postea conversus non penitus ad Diaconum, sed paullulum ad communicandos versus cornu Evangelii, ne terga Sacramento vertat; Bissus *lit. S sup.* §. 53. de Bral. *sup. n.* 6. dicit *Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.* eodem modo, quo facienda est Communio in Missa Privata, &c. ut supra exposuimus, dextera producit signum Crucis, cui Diaconus, adhuc inclinatus, respondet *Amen.* Biss. *supra etc.* Verum si Diaconus cantet *Confiteor*, tunc Celebrans retrahet se a cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ, & Subdiaconus stabit post ipsum Celebrantem, dum Diaconus cantat *Confiteor*, quo cantato, Celebrans dat voce intelligibili absolutionem, ut supra; qua finita, statim mutat locum; Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 9. §. 3. videlicet Celebrans cum Subdiacono vertit se cum debitis genuflexionibus ad Altare, & reliqua facit ut supra.

Dum dicitur a Diacono, vel cantatur *Confiteor*, duo Acolythi extendunt tobaleam, sive mappam, quam hinc inde a lateribus quasi jacentem sustinent, ante Celebrantem genuflexi, ambabus manibus

nibus per quatuor angulos, donec peracta sit Communio Clericorum, & non aliorum: quia laici, ut diximus etiam supra, Communionem ad cancellos accipere debent, super quos debet extendi linteum. Bauldry *part.* 3. *supra n.* 5.

Si Diaconus, & Subdiaconus Communionem accepturi sunt, ille facta genuflexione post datam absolutionem, accedit ad partem Epistolæ, ubi genuflexus super secundum gradum Altaris expectat Communionem: Subdiaconus vero ante Confessionem accedit ad partem Evangelii, ubi etiam genuflexus supra gradum Altaris viciniorem superiori, in medio expectat. Bauldry *part.* 3. *supr. n.* 5. de Bralion *supra n.* 7.

Post hæc Celebrans accepta Pyxide cum genuflexione solita, clara, & integra voce profert verba, *Ecce Agnus Dei*, *&c.* & ter, *Domine non sum dignus*, *&c.* (ad quæ non necesse est ut aliquis pectus suum percutiat) deinde prius præbet Communionem Diacono, tum Subdiacono genuflexis ante, & supra dictum linteum. Bauld. *p.* 3. *sup. n.* 6. & post sumptam Communionem, supradicti Sacri Ministri descendunt gradus Altaris, & faciunt genuflexionem Sacramento, & pergunt ad credentiam, ubi se purificant ex Calice ad id præparato, & cum manutergio ibidem posito os tergunt.

LIV. Gav. ead. lit. c. - *Dum alios Celebrans Communicat, &c.*) Facta autem sua purificatione, iterum Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Altare per planum, ubi faciunt genuflexionem Sacramento unico genu, tum ascendunt gradus Altaris, Diaconus quidem in cornu Epistolæ pro ministranda purificatione, Bissus *lit. M n.* 150 § 6. cum aliquo Calice illis, qui communicaverunt, loquendo tamen de Clericis, qui Clerici Calicem nuda manu non debent tangere, sed mappa cooperta; Bral. *sup. n.* 12. imo melius purificant se ex alio vase, in quo sit vinum aqua mixtum, vel juxta Cær. Episc. solum vinum, sicut etiam docet de Bral. *sup. n.* 11. Præterea magis decet, ut etiam Clericis hujusmodi purificatio ministretur ab aliquo Acolytho, & etiam possunt Clerici purificationem sibi sumere in cornu Epistolæ ad credentiam; & tunc accepta Communione recedunt per latus Epistolæ ad eamdem credentiam, ut ibi purificationem accipiant; semper autem exeant a Communione per latus Epistolæ cum debita genuflexione. Biss. *lit. D n.* 123. § 43. Bauld. *part.* 3. *sup. n.* 10. Subdiaconus autem stet ad dexteram Celebrantis; Biss. *lit. M. sup.* si Diaconus ministret purificationem, ut supra; si vero ministretur ab aliquo Acolytho, tunc Diaconus stabit ad dexteram Celebrantis manibus junctis, & Subdiaconus ad sinistram, pariter manibus junctis; vel etiam Diaconus Patenam sub mento communicandorum tenere poterit: experientia enim necessitatem hujusmodi Ritus evidenter probat, præsertim quando magnus est numerus communicandorum. Bauldry *part.* 3. *supra.* Sed in hoc recepta loci consuetudo est attendenda.

Si vero Diaconus, & Subdiaconus non acciplant Communionem, quia videlicet sunt Sacerdotes, & Missam celebrarunt, vel celebrare volunt, aut alia de causa; tunc data absolutione a Celebrante, statim hinc inde assistunt ad latera ipsius, ubi conversi ad SS. Sacramentum illi profunde se inclinant, dum Celebrans dicit *Domine non sum dignus.* Decet tamen, ut semper Dominicis saltem, & Festis diebus, dicti Ministri Sacri communicent, nisi sint Sacerdotes. Cær. Episc. *l.* 2. *c.* 31 & ex Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 13. necnon ex Bauld. *p.* 8. *supra n.* 12. & ex aliis. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio: nam cum talis Antiphona cantetur in signum gratiarum actionis, & latriæ de suscepta Communione, ut tradit etiam Christiani *sect.* 1. *c.* 11. *num.* 28. *lib.* 1. *de mysticis expositionibus;* non debet cantari nisi immediate post susceptum a Celebrante sacratissimum Sanguinem. A Portu *supra Rubr.* 9. *in adnot. num.* 3. Bralion *supra n.* 15. De antiquo Ritu canendi prædictam Antiphonam agit Cardin. Bona *libr.* 2. *cap.* 17. & nos quoque mentionem fecimus supra, agentes de Communione facienda in Missis Defunctorum, *tit.* 10. *num.* 27.

Post Sacros Ministros, Celebrans præbet Sacram Communionem aliis Clericis (qui accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus) etiam Acolythis, sibi ipsis linteum tenentibus; Cær. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 2. *cap.* 17. si alii non sint, qui illud teneant. Si autem communicandi sunt Acolythi faces tenentes, substituant sibi alios, donec Communionem acceperint, vel Cæremoniarius curet, ut alii subsituantur. Gavantus *supra lit. C.* §. *qui vero gestant intortitia*, & Bauldry *part.* 3. *supra n.* 6.

LV. Gav. ead. lit. c -- *Sacerdotes cum stola de collo pendente communicant.*) Si qui Prælati inferiores Episcopos, Sacerdotali tamen charactere insigniti, sint communicandi, aut alii etiam Sacerdotes; accedunt post Ministros Sacros cum habitu tamen Chorali, & stola de collo pendente (ita ex Concilio Bracarensi advertit Gavantus, *supra*) eisque Diaconus in cornu Epistolæ stans, præbebit purificationem in aliquo Calice, sicuti & aliis de Clero præbebit, ut supra diximus, purificationem in aliquo Calice, si sint in Sacris, Bauldry *supra n.* 7.

Bissus, & Bauldry locis infra citandis, asserunt, quod si Prælati insignes sint communicaturi in Missa Solemni, communicent ante Ministros Sacros, & si esset Cardinalis S. R. E. sive Diaconus, sive Presbyter, vel etiam Episcopus consecratus, qui rationabili de causa propter infirmam valetudinem sit communicandus, hoc modo ad Communionem procedit, videlicet: præcedunt Mazzerius, & Cæremoniarius, sequitur Cardinalis, vel Episcopus, & postea Digniores de Choro in suo habitu Chorali bini simul præcedentes, ultimo sequitur ex sua familia dignior, Card. vero, vel Episcopus ob reverentiam Sacramenti caudam sibi teneat. Biss. *lit. P. n.* 184. Bauld. *p.* 3. *n.* 8.

Cum

Cum ad Altare pervenerit, adorat Sacramentum genuflexus super pulvino, ante infimum Altaris gradum, tum ascendit ad Altare (duo Acolythi teneant linteum extensum; Bissus *sup.* §. 1. vel præfati duo digniores mantile sustinere poterunt ante pectus ejus; Bauldry *supra*) & accipit a Celebrante Communionem, non tamen osculatur ejus manum, sed solum faciem post Communionem, dummodo Celebrans etiam sit Prælatus; nam cæterum nec manum, nec faciem osculatur. Bauldry, & Bissus *supra.* Advertendum tamen occurrit, quod Celebrans pro Communione harum personarum, non præmittit *Misereatur vestri*, *&c.* nec *Absolutionem*, *&c.* nec *Ecce Agnus Dei*, *&c.* nec *Domine non sum dignus*, *&c.* (neque Minister præmittit Confessionem) sed absolute has personas communicat; & qui Cardinalem, vel Episcopum comitati fuerunt, non genuflectunt; nam Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 29.* §. 3. vult genuflecti eos solum, qui sunt communicaturi, cæteros vero stare; Bissus *supra* § 2. licet contrarium dicat Bauld. *part. 3. supra n. 8.* qui sententiam suam saniori judicio submittit.

Postquam Celebrans Cardinalem, vel Episcopum communicaverit, dignior ille, qui Cardinalem, vel Episcopum comitatus est, stans ad sinistram Celebrantis, accipit aliquem Calicem (non illum, quo utitur Celebrans, ut vult Bauld. *part. 3. sup. num. 9.*) a Presbytero assistente, si adsit, vel eo deficiente, a Diacono; & habens in sinistra ampullam cum vino puro, de eo ponit in Calicem (facta prius prægustatione ab aliquo ex familiaribus Cardinalis in alio vase) quem Calicem simul cum vino Cardinali offert, qui os suum cum illo purificat: mox alius offerat manutergium mundum ad tergendum os. Deinde surgit Cardinalis, cui Celebrans se profunde inclinat, & Cardinalis mediocri inclinatione respondet, & ad suum locum revertitur eodem ordine, quo venerat. Bissus *supra* § 3. Bauld. *sup.* allegans auctoritatem Paridis Crassi *lib. 2. cap. 49.* Sed hic Auctor *cit. loc.* non loquitur nisi de Cardinali Legato, de quo ait, quod: *Si ab Episcopo Cardinali Celebrante communicandus erit, tunc Legatus a duobus dignioribus Canonicis paratis in medio associatus, sequente suo primo Prælato, ibi caudam per terram trahens, ad Altare, ubi ante infimos gradus genuflexus, super pulvino adorabit: deinde ascendet ad Celebrantem stantem, & stans capite inclinato, communicabit medius inter dictos duos Canonicos genuflexos, tenentes aliquod gremiale, sive mantile ante pectus ipsius Legati: qui non osculabitur manum Celebrantis ante sumptionem Hostiæ; sed post illam osculabitur Celebrantem in facie: post sumptionem vero Sacramenti, &c.* Hæc laudatus Paris de Crassis Scriptor ante compilationem Rubricarum Missalis reformati, factam a S. Pio V. qui nullum verbum facit de non præmittendis illis precibus, *Misereatur vestri*, *Absolutionem*, *&c.* nec de prætermittenda Confessione facienda a Ministro ante Communionem; quapropter Cæremoniarum Magistri bene examinent utrum omnia, quæ tradunt Bissus, & Bauldry, in prædicto casu sint admittenda, & ad praxim deducenda.

LVI. Gav. ead lit. c -- *Laici vero extra Chorum. &c.*) Facta Communione Clericorum, Celebrans descendit ad cancellos, ubi laicos communicat, ante quos Acolythi extendunt linteum, nisi jam sit appositum, ut supra; eisque Clericus aliquis porrigit purificationem, præsertim ubi viget talis consuetudo. Bauld. *part. 3. sup. n. 11.*

Ut igitur Communio honestius fiat, duplex adhiberi debet mappa ad Altare, una pro Ministro, altera pro communicandis: non enim decet, ut manutergium Celebrantis ad Communionem deserviat, nec prorsus purificatorium, & a fortiori, nec velum Calicis adhibeatur. Bauld. *p. 3. supra n. 13.* & Congreg. Visit. Apostolicæ, cujus Decreta attulimus supra, ubi egimus de Communione ministranda intra Missam Mortuorum.

Finita omnium Communione, Celebrans, si erat ad cancellos, redit ad Altare, tenens digitos, pollicem nempe, & indicem dexteræ manus super Pyxidem, nihil dicens, & dum ascendit, Ministri Sacri elevant hinc inde anteriores illius vestes, & ibi ad Altare collocat Pyxidem super Corporale in medio, genuflectit Sacramento unico genu, surgit, & diligenter advertit si aliquod fragmentum digitis adhæreat, quod in Pyxidem excutit. Diaconus facta genuflexione unico genu, cooperit Pyxidem in medio Altaris (cui Diacono ideo locum cedit Celebrans, qui interim manet in cornu Evangelii, Subdiacono post illum, aliis Ministris suis in locis genuflectentibus) reponit in Tabernaculo; & antequam illud claudat, iterum genuflectit unico genu Sacramento. Deinde clauso Tabernaculo, reponit in suo loco tabellam Secretarum, quam ei aliquis Acolythus porrigit. Bissus *lit. D num. 123.* § 44. de Bralion *supra n. 16.* Bauldry *supra n. 14.* Celebrans autem hic, sicut in Missis privatis, uti diximus, non dat Benedictionem, quia eam daturus est in fine Missæ; Bissus *lit. C supra* § 55. quæ tamen Benedictio, ut pariter diximus, nullo modo datur in Missis Defunctorum.

LVII. Gav. lit. d -- *Quod si remaneat Sacramentum in Altari, &c.*) Si vero in Altari, in quo celebratur, non sit Tabernaculum pro SS. Sacramento, & post Communionem relictæ sint reliquæ Particulæ, quæ immediate, commode, & convenienti Ritu non possint transferri ad Altare, ubi est Tabernaculum, nisi finita Missa; tunc observanda erunt in reliqua Missa tam a Celebrante, quam a Ministris ea, quæ dicentur cum de Ritu speciali Missæ Feriæ 5. in Cœna Domini, & de Missa coram SS. Sacramento exposito, sermonem habebimus. Videantur etiam Bissus *lit. D n. 123.* § 44. & Bralion *supra.* § 17.

De

De Communione, & Orationibus post Communionem dicendis. XI.

RUBRICA.

1. *CElebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari,* (e) *liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu: ipse autem Minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ. Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam, quæ dicitur Communio: qua lecta, junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo osculato, vertit se ad Populum a manu sinistra ad dexteram, & dicit, Dominus vobiscum; & per eamdem viam redit ad librum, & dicit Orationes post Communionem eisdem modo, numero, & ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis,* (f) *claudit librum, & jungens manus ante pectus revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad Populum, & dicit, ut supra,* (g) *Dominus vobiscum. Quo dicto stans junctis manibus ante pectus versus Populum, dicit, si dicendum est,* (h) *Ite Missa est; & per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto Dominus vobiscum revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris; ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus dicit,* (i) *Benedicamus Domino. In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit,* (l) *Requiescant in pace.*

GAVANTUS.

(e) *Liber Missalis defertur, &c.* Ibi finitur Missa, ubi nimirum est cœpta, ait *Amal. l. 3. c. 36.* aperte *Ivo Carnot. serm. de convenien. veteris & novi Sacrif. initio, & in fine sermon.* Apertius docet hunc Ritum *Durand. lib. 4. c. 57.* Reliqua patere possunt ex dictis initio Missæ *tit. 5. hujus part. num. 1. Ex Microl. cap. 19.* qui meminit Orationum post Communionem.

(f) *Claudit librum.* * Manu dextra, ita ut pars libri clausa Calicem respiciat. Porro ejus est claudere, cujus & aperire; aperuit autem initio librum Missalem idem Sacerdos.

(g) *Dominus vobiscum.* Bis in fine Missæ dicitur *Dominus vobiscum*, quia cupit Ecclesia, ne discedentes ab Ecclesia longe fiant a Deo. *Lopez l. 2. cap. 19. §. 1.*

(h) *Ite Missa est.* Dicitur versus Populum, quia dimittitur. *Ex Microl. cap. 46.*

(i) *Benedicamus Domino.* Dicitur versus Altare, *ex eodem Microl. ibidem*, quia ibi peculiari modo Dominus adest.

(l) *Requiescant in pace.* Dicitur item versus Altare, quia sermo est de absentibus.

Quando, & cur dicatur, *Ite Missa est*, & *Benedicamus Domino*, jam diximus supra *tit. 13. §. 1.*

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, a purificatione Celebrantis, usque ad Benedictionem dandam in fine Missæ.

I. Rubr. & Gav. lit. e — *Liber Missalis defertur per Ministrum a cornu Epistolæ, &c.*) Minister Missæ Privatæ post extinctum cereum congruo extinctorio, genuflectens in medio Cappellæ, ascendit per gradum anteriorem ad cornu Evangelii, unde defert librum clausum cum cussino, si cussini non sint replicati, ad cornu Epistolæ, iterum genuflectens in medio supra gradum suppedanei proximiorem, per quem transit; & deposito libro, per lateralem Epistolæ partem descendit, & redit per planum, genuflectens adhuc in medio, ad cornu Evangelii. Bauld. *par. 1. c. 17. n. 42. & 43.* Corsettus *tr. 1. par. 1. c. 1.* Gerv. in instruct. pro Ministro Missæ Priv. *c. 10. n. 7.* Collocato libro ut ad Introitum, ipsum aperit in folio, in quo Celebrans Communionem lecturus est. Bauld. *sup. n. 43.* & Gervasi *sup.* tum Minister factis debitis genuflexionibus, ut supra, genuflectet super infimum gradum a parte Evangelii, ut initio Missæ, ubi apte respondet Sacerdoti celebranti. Lohn. Bauld. Corsettus, & Gerv. *supra.*

II. Rub. *Deinde Celebrans stans junctis manibus, &c.*) Celebrans vero antequam discedat a medio, iturus ad cornu Epistolæ, Cruci sese inclinat inclinatione minimarum maxima; Angel. *par. 3. tit. 11. n. 1.* Gervasi in instruct. Missæ Priv. *c. 11.* & deinde junctis manibus procedit ad cornu Epistolæ, ubi clara ordinaria voce legit Antiphonam, quæ dicitur *Communio*, absque capitis inclinatione, aut alia reverentia. Lecta autem prædicta Antiphona, Celebrans stans semper junctis manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris; ibique manibus extensis, & hinc inde super Altare positis usque ad pulsus exclusive, osculatur illud in medio; & eo osculato, jungit denuo manus ante pectus, vertit se a sinistro latere Altaris, quod est dexterum Sacerdotis, & postquam se vertit, consistit in medio, & circuli, & Altaris; & extendens, ac jungens ante pectus manus, non inclinando caput, aut manus Populo, nec innitendo Altari, quod relinquit a tergo, dicit, ut alibi explicatum est, *Dominus vobiscum*; tum junctis iterum manibus ante pectus, per eamdem viam redit ad librum naturaliter ambulando, ideoque sinistrum latus ad Altare convertendo. A Portu *par. 1. de Missa Priv. tit. 11. Rubr. 1. in adnot. n. 7.* & dicit Orationes post Communionem eodem modo, numero, & ordine, quo supra dictæ fuerunt Collectæ, præmittendo solitam particulam *Oremus*, cum debita Cruci inclinatione minimarum maxima. Lohner *par. 6. & par. 3. n. 159.* Angel. *par. 3. supra*, Gervasi *sup. §. Ricongiunte*; voce clara, & ordinaria.

III. Rubr. & Gav. lit. f. — *Claudit librum manu*

nu dextera, &c.) Quibus Orationibus finitis, Celebrans per se claudit librum manu dextera, cum illius sit claudere, cujus fuit adaperire; Gavant. *supra*, & omnes alii Rubricistæ cum ipso; ita vero claudit dictum librum, ut pars foliorum medium Altaris respiciat, & per consequens partem Evangelii, non autem Epistolæ; Lohner, Gerv. & Angel. *sup. & par.* 2. *n.* 123. & quidem post conclusionem Orationis omnino completam (si unica tantum dicenda sit) aut post conclusionem ultimæ Orationis, si plures dicendæ sint: Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *num.* 2. Tanell. Gerv. *sup.* & alii communiter: hinc errant illi, qui properantes, librum claudunt indecore ante finem Orationis, aut etiam ante finem conclusionis, eamque memoriter recitando absolvunt in via, quasi ex impatientia finis, dum pergunt ad medium Altaris. Quarti *part.* 2. *tit.* 11. *Rubr.* 1. *n.* 3. Lohner *par.* 2. *tit.* 28. *n.* 6. Vinitor *par.* 2. *tit.* 11. §. 1. a Portu *sup. num.* 9.

Porro liber relinquatur clausus super cussinum transverso modo, non recto, ut initio Missæ; Angel. *par.* 2. *supra*; quod placet si diutius liber relinquendus sit super cussinum, v. g. quia succedere debeat Communio in fine Missæ; tunc enim vel ipse Sacerdos, vel Minister (quod magis probatur, ne Celebrans diutius immorari debeat circa librum) sic Missale transvertat; aliter posset permitti prout jacet, nimirum apertus, si aliud Evangelium sit legendum ab Evangelio consueto Sancti Joannis. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 11. *Rubr.* 1. *n.* 1. Bauldry *supra.*

Caveat Sacerdos ne recedat a cornu Epistolæ, antequam finierit conclusionem, & Minister responderit *Amen*: Quarti, Tonellius, Bauldry *supra*; pergat autem ad medium Altaris junctis manibus ante pectus, convertendo latus dexterum ad Altare, ut ambulet naturaliter, ubi illud deosculatur deponendo manus hinc inde super ipsum: & deinde vertit se, ut alibi dictum est; & aperiendo, conjungendoque manus, ut alibi, voce clara ordinaria dicit: *Dominus vobiscum.*

IV. Rubric. & Gav. lit. h. — *Ite Missa est.*) Dicto, *Dominus vobiscum*, stans junctis manibus ante pectus versus Populum erectus, clara, & ordinaria voce, dicit, *Ite Missa est*, absque ulla capitis inclinatione. Moncius §. 165. Angel. *p.* 3. *supra*; Polac. *par.* 1. §. 23. In die Paschatis, & per totam Octavam, adduntur duo *Alleluja*, quæ replicari debent a Ministro, statim ac respondit *Deo gratias*; tum Sacerdos per eamdem viam, eadem corporis compositione, & manuum conjunctione revertitur ad Altare.

Per prædicta verba, *Ite Missa est*, quibus completur Missa, fiebat a Sacerdote dimissio Populi, ut diximus in nostris Observationibus, & Additionibus ad Gav. Commentaria in *tit.* 13. *Rubr.* 1. *par.* 1. *num.* 1. *& seqq.* Verum juxta recentiores Ritus terminatur Missa per prædicta verba, *Ite Missa est*, quotiescumque in illa dicitur Hymnus Angelicus, ut adnotat ibidem Gav. *lit.* m e contra vero quotiescumque non dicitur talis Hymnus, completur Missa per *Benedicamus Domino*, ut etiam nos ibidem cum eodem Gavanto adnotavimus.

V. Gav. lit. i — *Dicitur versus Altare.*) Quando autem terminatur Missa per dicta verba *Benedicamus Domino*, ea proferuntur a Sacerdote, non ad Populum, sed ad Altare converso; ut notant Rubr. & Gav. *supra.* Prædicta vero verba sumpta sunt vel ex Apostolo, vel ex Psalmista, vel ex Hymno trium Puerorum, ubi dicitur: *Benedicamus Patrem, & Filium, &c.* & dicuntur versus Altare; quia ibi peculiari modo Dominus adest; ut ex Micrologo notat Gav. *sup.* Cæterum quamvis per illa verba *Ite Missa est*, dimittatur Populus; tamen iste non discedit, neque discedere debet, nisi prius a Celebrante Benedictionem suscipiatur. Ita statuitur *in cap. Convenit de Consecr. dist.* 5.

VI. Rubr. & Gav. lit. l — *Requiescant in pace.*) Tertio modo completur Missa, dicendo, *Requiescant in pace*; & hoc contingit in Missis Defunctorum; quæ verba pariter dicuntur versus Altare, quia sermo est de absentibus, ut notat Gav. *supra*, & dicit Celebrans, *Requiescant in pace*, semper in numero plurali, licet pro uno celebretur Missa; ut nimirum liberentur a pœna, & ut in æterna requie conquiescant Defunctorum Animæ, quæ in Purgatorio torquentur. Hujus Ritus mentionem facit Durandus *lib.* 4. *cap.* 47. & ante ipsum Stephanus Edvensis de Sacramento Altaris, *c.* 18. & ut finis hujus officii respondeat principio, in quo pro Defunctis æterna postulatur requies: & quia Missa pro illis singulariter applicatur; idcirco in ejus principio, medio, & in fine, requies in pace æterna desideratur, & postulatur, dum dicitur *Requiescant in pace*, & respondetur *Amen*, id est, fiat quod postulatur.

RUBRICA.

2. *In Quadragesima autem a Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam majoris hebdomadæ, in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat, Dominus vobiscum, stans in eodem loco ante librum, dicit: Oremus:* (m) *Humiliate capita vestra Deo: caput inclinat; & extensis manibus subjungit eadem voce* (n) *Orationem super Populum ibidem positam: qua finita osculatur Altare; & vertens se ad Populum dicit, Dominus vobiscum; & alia ut supra.*

GAVANTUS.

(m) *Humiliate capita vestra Deo.* Indicat *Amal. lib.* 3. *cap.* 37. hæc dici hoc loco.

(n) *Orationem super Populum.* Appellat *Amal. ibid.* quasi alteram Benedictionem, & idem habet

bet *Michrol. cap.* 51, distribuebatur enim panis benedictus in fine Missæ: & quia hoc loco non licebat in Quadragesima ob jejunium, pro pane dicta est alia Oratio super Populum. Ita *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 61.

Habentur autem *in Sacrament. Gregor.* hæ Orationes cum titulo, *Super Populum.*

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ servando in Oratione supra Populum, quæ dicitur a Feria IV. Cinerum, usque ad Feriam IV. majoris hebdomadæ.

VII. Rubr. & Gav. lit. m — *Humiliate capita vestra Deo.*) Terminata conclusione Orationum, quæ dicuntur a Celebrante post Communionem, antequam dicat *Dominus vobiscum* in Quadragesima a Feria IV. Cinerum, usque ad Feriam IV. majoris hebdomadæ inclusive in Missa Feriali, non vero in Missa de Festo, seu Votiva, additur alia Oratio *Super Populum* hoc modo. Sacerdos stans adhuc in eodem loco, ante librum in cornu Epistolæ, dicit, extendens, ac jungens manus voce clara ordinaria (inclinante se Ministro genuflexo; quam inclinationem incipiat statim ac Celebrans dicere incipit, *Humiliate capita vestra Deo*, Vinitor *part.* 2. *tit.* 16. *n.* 40. Lohner *p.* 3. *tit.* 9. *n.* 12.) *Oremus: Humiliate capita vestra Deo*, caput eodem tempore semel tantum versus Crucem inclinans inclinatione minimarum minima. A Portu *sup. tit.* 11. *Rubr.* 2. *in adnot. n.* 2. Bissus *lit. S. n.* 20. §. 75. Postea extensis manibus ante pectus, sicuti ad Orationem, stans erectus versus Altare ibidem in cornu Epistolæ, subjungit eadem voce Orationem *Super Populum*; qua finita cum sua conclusione, claudit librum: mox jungens manus ante pectus, redit ad medium Altaris; ubi eo in medio osculato, vertit se ad Populum, & dicit, ut supra, *Dominus vobiscum*, & cætera prosequitur de more ut dictum est *supra* §. 75.

Gavantus *sup. lit.* n assignat rationem, ob quam in Quadragesima dicebatur ista Oratio supra Populum; & inhærens sententiæ Honorii in Gemma Animæ *lib.* 1. *cap.* 6. adstruit, quod sub finem Missæ distribuebantur Eulogiæ, de quibus supra mentionem fecimus: & quia hic panis benedictus non licebat in Quadragesima dispensari ob jejunium, loco Eulogiatum dicta est alia Oratio super Populum. En verba Honorii: *Statutum est, ut panis post Missam benediceretur; & Populo præ Benedictione Communionis partiretur; sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit*, propter jejunium, *Orationem super Populum dici Ecclesia instituit, ut per hanc particeps Comunionis sit:* de hoc enim, ut subnectit Cardinalis Bona afferens hanc auctoritatem *lib.* 2. *cap.* 20 *n.* 2. Fideles semper soliciti fuerint, ut secum invicem unionem, & communicationem servarent, vel Eulogiæ, seu Antidori, quod loco doni dabatur perceptione, vel saltem mutuo Orationum consortio: hæc Cardinalis Bona. Ex quo autem Dominicis diebus non servabatur jejunium, Eulogiæ profecto dispensabantur; & idcirco diebus Dominicis non dicebatur Oratio super Populum loco Eulogiarum. Aliam rationem, ob quam dicebatur hæc Oratio diebus solemnis jejunii, assignat Micrologus *c.* 51. cujus verba nos supra adduximus *n.* 28. agentes de Communione ministranda intra Missam Mortuorum:

In veteribus autem Sacramentariis Gregorianis, & in nonnullis MSS. in plerisque Missis, etiam extra Quadragesimam leguntur hujusmodi Orationes super Populum, quas ex veteri Anglicano Missali suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ *tom.* 3. *p.* 2. inseruit Cornelius Scultingius.

RUBRICA.

3 *In Missa Solemni* (o) *Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem:* (p) *Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena, & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam, & illam ponit super calicem coopertum velo, quem collocat in Altari*, (q) *vel super credentia, ut prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum, qui cum dicit Ite Missa est, cum Celebrante* (r) *vertit se ad Populum; & in Quadragesima dicto per Celebrantem, Oremus, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad Populum, junctis manibus* (s) *dicit, ut supra, Humiliate, &c. quo dicto, vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super Populum.*

GAVANTUS.

(o) *Diaconus defert librum.* Cura libri Missalis spectat magis ad Diaconum, quam ad Subdiaconum, qui ejusdem tantum curam habet in ordine ad Evangelium initio, seu in fine Missæ legendum sive a Celebrante, sive a Diacono: Subminister enim est Evangelii ad substinendum librum: inde fit, ut Diaconus solus libro assistat in reliquis: nunquam Subdiaconus.

Defert autem cum genuflexione, quando transit ante medium Altaris, & clausum portat; quem deinde aperit, ubi legenda est *Communio.*

(p) *Subdiaconus vero vadit, &c.* Cum debita genuflexione in medio Altaris, advertens, ut cedat superiorem gradum Diacono transeunti: cætera facit, ut in Rubrica.

(q) *Vel super credentia, ut prius.* Amoveri vult tum Corporale, tum Calicem de Altari *Durandus cap.* 54. & magis placet, *ex tit.* 7. *supra num.* 9. imo vero etiam magis decet: neque traditur Calix Cæremoniario, a quo neque comitatur in hoc casu Subdiaconus; qui tamen vadit, & redit per

breviorem viam, ut adsit ad Orationem post Diaconum in loco suo.

Celebrans dictis Orationibus non claudit librum, sicut a principio non aperuit; & qui apertum invenit, apertum relinquat: quæ fiunt per Ministros ad majorem solemniter Celebrantis dignitatem.

(r) *Vertit se ad Populum.* Ob rationem allatam supra *num.* 1. sed antequam se vertat Diaconus, genuflectat versus Altare: & postquam dixerit, redeat eodem modo, quo Celebrans, & una simul cum eo: neque Celebrans dicere debet submissa voce, *Ite Missa est*, quod quidam docuere.

(s) *Dicit, ut supra, Humiliate, &c.*) Eodem quidem modo, quo dicere solet, & debet, *Ite Missa est*, quia Populum alloquitur; sed in cornu Epistolæ, & sine genuflexione.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, servando a digitorum Celebrantis ablutione, usque ad ultimam Orationem.

VIII. Rubric. & Gavant. lit. o — *Diaconus defert librum, &c.*) Dum Celebrans sumit ablutionem digitorum, & antequam ea sumpta pergat ad cornu Epistolæ, ut facere solet in Missa Privata, ut ubi legat Antiphonam, quæ dicitur *Communio;* Diaconus, qui adhuc est in cornu Evangelii, accipit ambabus manibus Missale clausum, super cussinum positum (nam illius est habere curam Missalis: Biss. *lit. M. num.* 270.) illudque defert ad cornu Epistolæ; ambulans per secundum gradum, in medio genuflectit unico genu Altari; Missale vero ponit in cornu Epistolæ apertum in folio, in quo Celebrans præfatam Antiphonam legere debet, & quam idem Diaconus Celebranti indicat digito; & ibi in cornu Epistolæ, præfatus Diaconus manet assistens Celebranti, quousque eam legerit; Biss. *lit. D. n.* 123. §. 45. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 5. *n.* 24. *& lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 1. n. 24 juxta quem assistit pariter Cæremoniarius, qui tamen non debet præostendere Celebranti Communionem: quia Cæremoniarius supplet vices Diaconi, quando alibi detentus non potest assistere libro, cum solus Diaconus in reliquis assistat libro. Ex Gav. *sup. lit.* o.

Lecta Communione a Celebrante, Diaconus vadit retro post Celebrantem ipsum in cornu Epistolæ supra secundum gradum; & statim procedit cum eodem per eumdem secundum gradum ad medium altaris semper post ipsum, ubi stat versus Altare, dum Celebrans versus Populum dicit *Dominus vobiscum*: tum redit per eumdem secundum gradum ad cornu Epistolæ; ubi post Celebrantem stat manibus junctis usque ad finem Orationis, vel Orationum, si plures sint dicendæ. Biss. *lit. D supra* Benv. *supra* §. *Diaconus.* Dum Celebrans cantaturus Orationem vel Orationes revertitur ad cornu Epistolæ, juxta aliquos; primus Cæremoniarius accedit propius ad librum, ibique Celebranti Orationem, vel Orationes ostendit, & finita ultima conclusione claudit librum. Bauldry *part.* 1. *c.* 1. *art.* 1. *n.* 38. *& par.* 3. *supr. n.* 3. Lohner *par.* 2. *tit.* 28. *de Ritu solemni n.* 2. Verum prædicta omnia debet præstare Diaconus; ut docet Castald. tum in Praxi Cærem. *lib.* 1. *sect.* 7. *num.* tum in Cæremon. nostræ Congreg. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 20. necnon Cærem. Monast. *l.* 2. *c.* 4. *num.* 35. Bissus, & nos paulo ante cum Gav. qui Diaconus post ultimam conclusionem claudere poterit librum ad majorem Sacerdotis celebrantis dignitatem: sicut enim in principio illum non aperuit, ita nec in fine claudere debet: Gav. *supra lit.* q §. *Celebrans*; qui tamen liber claudi non deberet, si aliud Evangelium ab illo consueto S. Joannis legendum esset.

IX. Rubr. & Gavant. lit. p — *Subdiaconus vero vadit &c.* (Subdiaconus postquam reddidit ampullas Acolytho, accedit ad cornu Evangelii per planum, (aut infimum gradum si sint plures; Lohn. *par.* 3. *tit.* 3. *n.* 4. a Portu *supra*) cedens superiorem gradum Diacono pariter cum libro transeunti, genuflectit in medio Altaris retro post Diaconum eodem tempore, quo hic genuflectit. Gav. *sup.* Corsettus *tr.* 1. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 19. §. 25. & cum pervenerit ad dictum cornu Evangelii, extergit Calicem purificatorio, (non enim debet Celebrans post sumptam ablutionem hoc præstare, sicut nec Calicem vestire) postea idem purificatorium super Calicem ponit, & desuper Patenam, quam cooperit parva palla; deinde velo parvo Calicem tegit, super quem ponit bursam, quæ habeat intus Corporale, & super bursam revolvit velum a parte anteriori. Biss. *lit. S sup.* Benven. *supra* §. *Diaconus pag. mihi* 63. & ideo revolvit velum in hoc casu a parte anteriori supra bursam, quia Calix statim deferendus est ad credentiam, ut infra dicemus.

Advertendum, quod cum Celebrans sumit ablutionem, aliquis Acolythus deferre debet ad Altare supradictum velum Calicis; illudque Subdiacono porriget ad tegendum Calicem, ut supra. Deferat autem prædictus Acolythus hoc velum plicatum per planum Presbyterii, genuflectens unico genu in medio; Biss. *lit. V n.* 13. §. 5. Benv. *supra* §. *Infuso vino*, & per gradus laterales Evangelii ascendat ad cornu ejusdem. Bauld. *par.* 3. *cap.* 14. *art.* 3. *num.* 26. Tum Ceroferarii cereos accensos in majoribus candelabris extinguunt, si fuerint accensi ante Consecrationem: præmissis in medio genuflexionibus Altari, cavendo ne eidem terga vertant. Bauldry *par.* 1. *cap.* 14. In defectu vero Ceroferariorum, si nondum advenerint e Sacristia, alii Clerici supplebunt prædictas vices. Bauld. *supra.*

X. Rubr. & Gav. lit. q — *Vel sup. credentia; &c.*) Calix instructus ut supra omnino ab Altari removeatur, & ad credentiam deferatur; Gav. *sup.* & a Portu *sup. n.* 6. unde ipse Subdiaconus, non vero Cæremoniarius debet illum deferre ad credentiam per viam breviorem, adeoque per gradus anteriores Altaris, facta tamen in medio

super

super infimum gradum genuflexione Altari unico genu. Gavantus *supra*, & Cæremoniale Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 8. §. 78. Pergit autem Subdiaconus tunc solus sine comite. Gavantus *supra.* Bissus *lit. S* & Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 39. tenens dictum Calicem sinistra per nodum, & dextera posita super bursam, ne aliquid decidat; & statim ac super credentia illum reposuerit, partem veli anteriorem, quæ erat revoluta super bursam explicans, ea cooperit anteriorem Calicis partem, ita ut non tegat credentiam, sed cadat apte super illam. Bauldry, Benv. *sup.* & Bissus.

Advertendum occurrit, quod quamvis superior Rubrica dicat Calicem a Subdiacono aptatum, collocandum esse vel super Altare, vel super credentiam; usus tamen obtinuit, quod ad credentiam deferatur, ut mox diximus: & revera magis decet, ut notat Gavantus *sup.* nec non Bissus *lit. S supra* §. 27.

Subdiaconus, explicato velo ante Calicem, sine genuflexione vadit ad cornu Epistolæ in plano per viam breviorem, ut adsit ad Orationem, vel Orationes, si plures dicendæ: Cæremoniale Episc. *lib.* 1. *cap.* 10. §. 6. Gavantus, & Arnaudus; ibique Ministri Sacri post Celebrantem stant in directum manibus junctis, sese inclinantes cum Celebrante.

XI. Gav. ead. lit. q. — *Celebrans dictis Orationibus, etc.*) Cantatis omnibus Orationibus cum suis conclusionibus, Celebrans relicto Missali aperto, quod claudere debet Diaconus, ut dictum est supra, redit ad medium Altaris modo consueto, eumque sequuntur Ministri, & de more dicit, *Dominus vobiscum*, respondente Choro, *Et cum spiritu tuo.*

XII. Rubr. & Gavant. lit. r — *Vertit se ad populum, etc.*) Tunc Diaconus facta genuflexione versus Altare unico genu in loco in quo est; Gavantus *supra n.* 4. Benvenuti *supra*, Corsettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. a suo latere sinistro ad dexterum convertit ad populum faciem; Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 5. *num.* 25. renes autem ad Celebrantem, vel aliter, juxta dispositionem Altaris; & regulariter stans prout Celebrans. Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 9. §. 7. *et lib.* 2. *cap.* 8. §. 79. (non se retrahens ad cornu Evangelii, quod solum præcipitur esse faciendum, dum est Sacramentum supra Altare extra Tabernaculum; Bissus *lit. D num.* 123. §. 47.) cantat tono competenti manibus junctis, *Ite Missa est*; Castaldus *sup.* Bauldry *part.* 1. *cap.* 12. *supra num.* 44. quod submissa voce dicere non debet Celebrans. Gavantus *supra*, Benvenuti *supra*, Bauldry *part.* 1. *et* 3. *supra*, & Bralion *supra cap.* 10. *num.* 2. Præfatus vero Celebrans dum Diaconus cantat *Ite Missa est*, stat adhuc versus populum; & Subdiaconus non se movet, sed stat in suo loco in plano versus Altare. Bissus *supra.* Dicto *Ite Missa est*, Celebrans, & Diaconus vertunt se ad Altare, ibique Celebrans dicit de more: *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* Cæremoniale Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 79. Gavantus, & Bissus *supra.* Si vero non dicatur *Ite Missa est*, sed vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace* in Missa Defunctorum; tunc Diaconus dum hæc dicit, non vertit se ad populum, sed stat versus Altare (sicuti stare debet Celebrans) manibus junctis, & cantat *Benedicamus Domino*, & in utroque casu Chorus respondet *Deo gratias*; & ad *Requiescant in pace*, idem Chorus respondet. *Amen.*

XIII. Rubr. & Gavant. lit. s. — *Dicit ut supra; Humiliate, etc.*) In Quadragesima, ut diximus, scilicet a Feria 4. Cinerum, usque ad Feriam 4. majoris hebdomadæ inclusive, in Missa tantum de Feria, additur altera Collecta super populum: cui præmittit, stans in cornu Epistolæ de more Celebrans, alta voce cantando, *Oremus:* quo dicto Diaconus adhuc stans in cornu Epistolæ post Celebrantem, vertit se ad populum per latus suum dexterum, id est versus cornu Epistolæ, nulla facta prius genuflexione, quia non est in medio Altaris; & ibidem manens, Biss. *supra*, & Gavantus *supra*, ad Populum conversus cantat manibus junctis, & demissis oculis. *Humiliate capita vestra Deo:* quo dicto, per eamdem viam vertit se ad Altare, & ibi stat a tergo Celebrantis inclinatus ad Orationem, (quam dicit cantando Celebrans) manibus junctis ante pectus; Bissus *lit. D num.* 123. §. 46. & alii; ad quam Orationem etiam Subdiaconus caput inclinare debet, stando pariter manibus junctis. Ministri vero inferiores, & Chorus ad supradictam Orationem manent adhuc genuflexi, etiam manibus junctis, & capite inclinato. Bauldry *part.* 3. *supra n.* 4. & Bissus *lit. C supra* §. 60.

Observandum est hic, quod sicut Celebrans non debet dicere submissa voce, *Ite Missa est*, ut supra adnotavimus, cum adest Diaconus, qui ea verba cantando profert; ita nec dicere debet idem Sacerdos submissa voce *Humiliate capita vestra Deo:* alia vero est ratio de *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace* (quæ Diaconus dicit versus Altare) nam in illo Celebrans non solum alios, sed etiam se ipsum hortatur ad benedicendum Domino; in hoc vero pro Mortuis orat, ideoque utrumque etiam dicit submissa voce. Nicolaus de Bralion *sup. cap.* 10. *n.* 2.

De Benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis. XII.

RUBRICA.

1 *Dicto, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus supra eo, & capite inclinato, dicit secreto,* (t) *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio* (u) *osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad Cœlum oculos, & manus, quas extendit, & jungit; caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili,* (x) *Benedicat vos omnipotens Deus; & junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere*

ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita, (y) *semel benedicit Populo dicens: Pater, & Filius, ✠ & Spiritus Sanctus:* ℟. *Amen:* & (z) *circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto, Dominus vobiscum,* ℟. *Et cum spiritu tuo: pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, et pectus, dicit, Initium Sancti Evangelii secundum Joannem, vel, Sequentia Sancti Evangelii, ut dictum est in Rubricis generalibus: et* ℟. *Gloria tibi Domine, junctis manibus legit Evangelium, In principio, vel aliud ut convenit. Cum dicit,* (a) *Et verbum caro factum est, genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens, prosequitur ut prius, quo finito, Minister stans a parte Epistolæ respondet, Deo gratias.*

GAVANTUS.

(t) *Placeat tibi Sancta Trinitas.* Hanc Orationem habet *Microl. cap.* 22. sed post datam Benedictionem populo; qui Ritus *a Durand. cap.* 59. tamquam adhuc usitatus commendatur: sed nova Oratione decet prius petere a Deo efficaciam proximæ futuræ benedictionis, quod nos facimus.

(u) *Osculatur.* Habet *Microl. cap.* 22. osculum Altaris, sed ante, *Placeat; Durand. vero cap.* 50. finito, *Placeat:* Missa enim incipit ab osculo Altaris, & finire debet cum eodem osculo.

Decies igitur in Missa Sacerdos osculatur Altare, si pacem dat astantibus; alioquin novies: quis non videat in hoc numero Mysterium?

Item jungit manus super Altare septies, ut bene numeranti patet; & elevat oculos in cœlum novies, inclusa benedictione ad populum, de qua mox dicemus.

(x) *Benedicat vos omnipotens Deus, etc.* Indicat *Liturgia citata Sancti Petri* hanc Benedictionem; de eadem *Amalar. cap.* 36. videtur loqui; sed vere de Oratione post Communionem loquitur ille, quam collocat ante versum, *Ite Missa est*, & sequenti capite vocat ulteriorem ultimam Benedictionem eam Orationem, quæ in Quadragesima dicitur super populum humiliatum Deo. *Microl. autem cap.* 22. aperte de hac benedictione populi enarrat, *cit. S. Hieronymo ad Rusticum Narbon. Episcopum*, qui de Romana consuetudine testatur, quod Sacerdos benedicat populo: vide *cit. Can. hac de re supra* 1. *par. tit.* 13. *n.* 2. docet *Innoc. III. lib.* 6. *c.* 14. per verbum oris, & signum Crucis hanc fieri tum in nomine Trinitatis: tradit *Isidor. lib.* 2. *de Eccles. Offic. cap.* 17. originem habere a Moyse *Num.* 6. *Sic benedices populum meum, et benedicam illos: Benedicat te Dominus, etc.* ubi trina est a Trinitate periodus benedictionis: elevatio denique manuum ad benedicendum habetur *Eccles.* 50. *ex Jansenio ibidem*, & a Christo ascendente. *Luc. ult.*

(y) *Semel.* Unicum producitur signum Crucis, semelque benedicitur, ad differentiam Episcopi, qui ter benedicit. Quod si ante se, & a tergo circumstantes habeat, puta, Clerum in Choro, seu Moniales, & populum ante Altare; nihilominus tamen semel tantum benedicere debet, manu conversa ad eos, qui sunt ante Altare, intentione directa ad omnes; idemque fiat infra, quando Prælatus est in medio Cappellæ, ut tantum astantes a latere Evangelii actu benedicat.

Sacerdos igitur, qui invitavit populum ad benedicendum Deo, iis verbis, *Benedicamus Domino:* vel certe provocavit astantes ad agendas Deo gratias (quæ verba semper dicuntur nomine populi) optat, & precatur a Deo eidem populo benedici. Communis autem laicorum usus est, ut ad hanc Benedictionem manu sibi pingant Crucem a fronte ad pectus: quod laudatur a *Durand. lib.* 5. *cap.* 2. & placet (quidquid alii dicant) ut initio, & in fine Missæ eluceat signum Crucis, quod in omni negotio est opportunum. *Ex Cyrillo Hierosolym. Catech.* 4.

(z) *Circulum perficiens.* Eo namque modo, breviori via transit ad illud cornu, in quo legitur ultimum Evangelium; quod legitur in iisdem Ritibus, quibus primum Evangelium post Epistolam, osculo excepto in fine: tum vero etiam omnes circumstantes integre benedicit hoc circulo.

(a) *Et Verbum caro factum est, genuflectit.* Tum, ut adoret Incarnationis Mysterium, tum, ut exemplo filii Dei humiliet semetipsum. Vide supra *tit.* 13.

Si libro non utatur Sacerdos, neque folio, in quo scriptum sit Evangelium S. Joannis, signet Altare; quod usitatum fuisse apud eos, qui hoc Evangelium in fine Missæ volebant legere, scribit *Durand. lib.* 4. *cap.* 24. quod si utatur libro, aut folio, signet in eo initium Evangelii; & eo casu (præsertim, si Evangelium est aliud a communi) Minister deferat librum cum cussino ad cornu Evangelii, dum Celebrans dicit *Placeat*, eo plane modo, quo dictum est de primo Evangelio. Dicitur in fine, *Deo gratias*, ut actione gratiarum tamquam sigillo Liturgia sit obsignata, & ad differentiam primi Evangelii, quod prædicationem Christi significat; ultimo autem Apostolorum prædicationem. *Ex Ruiz in suo Cærem.*

Non osculatur Sacerdos Evangelium, sicuti nec ante petit Benedictionem, nec aliam solemnitatem adhibet: unde etiam in Missa Solemni secreto legitur: quod adnotavit *Petrus Lopez de Rit. Missæ*, & recte; * si usus est libro, enim claudit manu dextra, ita ut pars aperta libri respiciat cornu Evangelii, non Calicem. Nullum autem est Mysterium in libro clauso, sed attenditur tantum decentior gestus claudentis dextræ tam in hoc loco, quam in superiori, ante Benedictionem.

Novæ Observationes, & additiones ad Gavanti Commentarium, pro Ritu Missæ Privatæ, a Benedictione danda, usque ad Missæ finem.

I. Rubr. & Gav. lit. t — *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.*) Dicto *Ite Missa est*, Celebrans per eamdem viam revertitur ad Altare in medio: si vero dixerit *Benedicamus Domino*, cum jam sit ad Altare reversus, ibi junctis manibus super eo manens & capite inclinato, & humeris mediocriter pariter inclinatis, ita tamen, ut supradicta capitis inclinatio sit inter minimas maxima (sic corporis habitudo conciliabitur cum Rubricæ verbis, quæ de sola capitis inclinatione aperte loquuntur; a Portu *par.* 1. *de Missa Privata tit.* 12. *Rubr.* 1. *in adnot. num.* 2.) dicit ibidem Sacerdos secreto Orationem *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* Si memoriter non retineat hanc Orationem; vel eam retinendo memoriter, ut periculum aberrandi evitet, legat illam in tabella, cavendo, ne corpus indecore contorqueat propter Calicis impedimentum; sed ubi opus sit Calicis velum decenter aliquantulum moveat, ut commode legere possit. Angel. *par.* 3. *supra*, §. *Si mente*, a Portu *n.* 3.

II. Rubr. & Gav. lit. u — *Osculatur, etc.*) Dicto *Placeat tibi*, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum Altare in medio osculatur: tum erigens se adhuc stans erectus versus illud, elevat ad Cœlum oculos, id est ad Crucifixi imaginem; Bauldry *par.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. Tonellius *lib.* 3. *c.* 1. §. 15. *n.* 12. Gervasi *c.* 2. & manus usque ad humeros, & non supra, extendens: deinde statim jungens eo pacto, quo facit ad *Dominus vobiscum*, Bissus *lit. S. num.* 20. §. 78. caputque Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, dicit voce clara ordinaria, *Benedicat vos omnipotens Deus*: a Portu *supra n.* 7. quibus verbis prolatis junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertit se ad populum a sinistro latere ad dexterum, extensa manu dextera cum digitis unitis, manus vero sinistra infra pectus.

III. Rubr. & Gav. lit. y — *Semel*, *etc.* Benedicit populo unicum producendo signum Crucis, ut notat Gav. *supra*, ad differentiam Episcopi, qui ter benedicit: sed in Benedictione impertienda ita voces distribuat, ut efformet primam lineam rectam, dicendo *Pater*, *et Filius*; secundam autem transversam pronunciando, *Et Spiritus Sanctus*: Anonymus Italus *cap.* 12. Gervasi *supra.* Prædicta linea recta ducitur a fronte ad pectus brachio nec prorsus protenso, nec nimis jacente; secunda vero linea tranversa, vult Tonellius quod formetur palma Sacerdotis, pectus aliquantulum respiciente, refutans Bonamici opinionem *par.* 1. *observ.* 5. sedentis, ita formandam hanc lineam transversam, ut palma manus terram directa respiciat: sed magis mihi arridet Castald. *l.* 2. *sect.* 8. *cap.* 8. & Quarti in hanc Rubricam sententia, dicentium etiam secundum lineam transversam dicendam esse manu recta eo modo, quo cum Eucharistiæ Sacramento super Populum formamus Crucem. Fuerunt olim, ut refert Stephanus Durandus de Rit. Eccles. Cathol. *lib.* 2. *cap.* 46. *num.* 10. qui duobus digitis conjunctis Cruces exprimebant, ut indicarent duas in unica persona Christi naturas contra Monophysitas, qui ut unicam in Christo docerent naturam, uno digito Crucem formabant. Prædicta autem aliquando fuit praxis PP. Prædicatorum in formandis signis super oblata: in eorum enim Ordinario *lib.* 1. *part.* 6. præscriptum legitur: *Faciat Crucem cum duobus digitis, ita quod index sit desuper, et medius subter.* Alii vero tribus digitis hæc signa exprimebant, quod signanter super oblata fieri olim consuetum in Ecclesia Romana colligitur ex Innocentio III. de Mysteriis Missæ *lib.* 2. *cap.* 45. & hujusce Ritus ratio fortasse erat, ut SS. Trinitatis mentio fieret. Dum Sacerdos dat Benedictionem modo mox a nobis exposito, laici solent se signare; quod & facit Minister, ut notat Gavantus *supra*, Bauldry *part.* 3. *tit.* 12. *Rubr.* 1. *in notis n.* 1. *et par.* 1. *cap.* 17. *num.* 43. *licet num.* 44. *per errorem contrarium dicat*; Biss. *supra.* Alii tamen sustinent a recipientibus Benedictionem tale signum Crucis non esse tunc formandum: sed primæ sententiæ magis communi libentius adhæremus; quæ magis infra patebit *num.* XV. ubi agemus de hoc Ritu servando in Missa Solemni. Minister persistens in genuflexione, respondeat post datam Benedictionem clara voce *Amen.*

IV. Rubr. & Gav. lit. z — *Circulum perficiens, &c.*) Deinde circulum perficiens Sacerdos, accedit ad cornu Evangelii manibus ante pectus junctis de more; Bissus *lit. S. supra*, Gervasi *sup.* §. *Riunite*; ubi dicit intelligibili voce, facie cornu Evangelii respiciente, *Dominus vobiscum*; & eadem voce clara ordinaria respondet Minister, *Et cum spiritu tuo.* Tum Sacerdos signat pollice dextro, sinistra deposita super Altare, primo librum, vel tabellam Evangelii, aut Altare, si nec liber, nec tabella adsit, dummodo non sit expositum SS. Sacramentum, de quo infra. Gavantus *supra lit.* a. Cabrinus *cap.* 8. §. *Liber*, Tonellius *lib.* 2. *tit.* 12. *Rubr.* 1. *n.* 1. §. *Hic advertit*, Gervasi *supra* §. *Arrivato.* Si in fine Missæ legendum sit aliud Evangelium diversum ab Evangelio Sancti Joannis, tunc Minister deferat librum ad cornu Evangelii: ideoque quando Sacerdos dicit, *Placeat tibi, &c.* surgit; & transiens ante medium Altaris genuflectit; & ascendens per partem anteriorem gradduum a parte Epistolæ, accipit Missale; & transiens per gradum suppedaneo proximiorem genuflectit; & surgens deponit librum in Altaris cornu, quemadmodum detulit, & deposuit alias prolegendo primo Evangelio: quæ omnia ita tempestive peragere debet, ut genuflexus reperiri possit ad Benedictionem in plano ante medium Altaris. Bauldry *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 44. a Portu *supr. num.* 15. Gervasi *in instruct. pro Ministro Missæ Privatæ cap.* 11. *num.* 2.

Signato libro, sive Altare, *ut supra*, Sacerdos

posita manu sinistra infra pectus, pulpa pollicis dexteri digiti, & extensa totaliter dextera manu, junctis quatuor reliquis digitis, format primum signum Crucis in fronte, secundum in ore, tertium in pectore, & non ex parte cordis, ut faciunt multi: has easdem tres Cruces sibi format in fronte, ore, & pectore Minister; Bauld. *supra* a Portu *supra n.* 18. idem præstant etiam circumstantes. Postquam Sacerdos dixerit *Initium*, *&c.* vel *Sequentia*, *&c.* Minister respondet: *Gloria tibi Domine*: deinde Sacerdos junctis manibus legit Evangelium *In principio*, *&c.* vel aliud.

V. Rubr. & Gav. lit. a — *Et verbum caro factum est*, *&c.*) Cum vero pervenerit ad illa verba, *Et verbum caro factum est*, genuflectit manibus hinc inde super Altare positis, unico tamen genu versus Altare, id est versus cornu Evangelii. Biss. *lit. S supra* §. 78. Gerv. *in instruct. Missæ Priv. supra* §. *Arrivato.* Minister quoque genuflectit unico genu in suo loco facie ad Altare conversa, Bauldry *par.* 1. *supra* Corsett. *tract.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. ac mox surgens Sacerdos, stans manibus junctis, Evangelium prosequitur eadem voce, eodemque corporis habitu. A Portu *supra num.* 1. Biss. *supra*, *&c.* Terminato Evangelio, Sacerdos non osculatur librum, nec tabellam, si iis usus est, nec Altare. Gav. *sup. lit.* z. Biss. *sup.* Montius §. 166. & alii communiter. In fine prædicti Evangelii respondet Minister *Deo gratias* voce alta, & ordinaria.

Hoc loco consignandum est Decretum spectans ad dictum Evangelium S. Joannis, editum die 5. Julii 1631, & datum in nostro Indice *sub n.* 258. in quo sancitum est, quod qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat; debet a Missarum celebratione suspendi quousque illud rite pronuntiare assuescat.

RUBRICA.

2. *Si celebrans in Altari vertit faciem ad Populum, non vertit se: sed stans, ut erat, benedicit Populo, ut supra, in medium Altaris: deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium Sancti Joannis.*

GAVANTUS.

Quando nempe Altare est ad Orientem versus Populum; de quo supra *tit.* 5. *n.* 3.

RUBRICA.

3. *Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale*, (b) *& Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in Provincia, Civitate, vel Diœcesi sua existente: Celebrans dicto, Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. dicit, Benedicat vos omnipotens Deus: & convertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero, et Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato*, (c) *quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur: Pater, et Filius, et ✠ Spiritus Sanctus: benedicens astantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim constitutis; eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.*

GAVANTUS.

(b) *Et Legato.* Et, pro vel, ut in hac eadem Rubrica: Archiepiscopo, & Episcopo, id est, vel Episcopo.

(c) *Quasi licentiam.* Notat *Microl. cap.* 21. ex Leone, & Gelasio, qui Sacerdotibus Benedictionem Episcopo præsente interdicunt: vult autem *c.* 22. inclinari Sacerdotem cum Populo, versus Episcopum pro ultima Benedictione. Regula ergo sit: Confessio, osculum Evangelii, & Benedictio se invicem consequuntur, respectu Prælatorum.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando quando Missa celebratur coram Summo Pontifice, Cardinale, &c.

VI. Rubr. & Gav. lit. b. — *Et Legato, etc.*) Sacerdos si celebrabit coram Sommo Pontifice, Cardinale Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, aut Episcopo in sua Civitate, vel Diœcesi, etiam in Ecclesiis Regularium, & privilegiatis, sive Archiepiscopo in sua Provincia; dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* dicet: *Benedicat vos omnipotens Deus*, ut *supra*; postea convertet se ad Summum Pontificem si coram eo celebrabit; & genuflexus petet licentiam benedicendi; tum surget, & prosequetur dicendo: *Pater, et Filius et ✠ Spiritus Sanctus*, dextera benedicens astantes, non tamen in medio, ubi est Pontifex, sed versus partem Evangelii: quod si versus illam esset Pontifex (qui tamen regulariter medium locum occupare debet) tunc versus aliam partem benedicat, intentionem suam ad alios alibi existentes dirigens. Si autem coram Cardinale, vel alio Prælato supranominatis celebraverit; tunc eodem modo dat Benedictionem, ac si celebrasset coram Summo Pontifice; non tamen genuflectit, sed inclinatus profunde, quasi licentiam petit, antequam det Benedictionem. Sed ut circa hoc aliquam universalem regulam tradamus, adnotandum est, quod in ordine ad Prælatos, quando ipsis competit Evangelium osculari, est etiam coram eis facienda Confessio in cornu Evangelii; Bissus *sup. lit. S* §. 12. *et* 13. *et* §. 79. & Bened. in fine

Mis-

Missæ danda est, ut mox exposuimus: & hoc quoad Summum Pont. & Cardinales, semper & ubique est observandum. Quo vero ad alios Prælatos, si sint extra suam Civitatem, Provinciam vel Diœcesim, fiat, ut moris est, nullo in hoc habito eorum respectu, ac si præsentes non essent. Biss. *supr.* Benvenuti *in instr. pro Sacerdote celebrante in Missa Privata pag.* 53.

RUBRICA.

4. Si autem celebravit pro Defunctis, dicto, Placeat tibi Sancta Trinitas, ut supra, et osculato Altari, accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium Sancti Joannis, (d) *prætermissa Benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.*

GAVANTUS.

(d) *Prætermissa benedictione.* Ita *Durand. l. 4. c.* 51. quia solemnitatem habet Benedictio.

Novæ Observationes & Additiones &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando in Missis Defunctorum.

VII. Rubr. & Gavant. lit. d. — *Prætermissa Benedictione, etc.*) In Missis vero Defunctorum quia benedictio non datur, Celebrans dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* osculatur Altare, & accedit ad dicendum ultimum Evangelium, *Rubr. supra*, & Gavantus ibidem.

RUBRICA.

5 *Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, et* (e) *facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.*

GAVANTUS.

(e) *Facit reverentiam.* Vult *Durandus lib. 4. cap.* 59. ut exutus vestibus sacerdotalibus adeat Episcopum, & genuflexus manum ejus osculetur; sed ratione vestium, quas adhuc habet, soli Papæ, & non aliis, genuflectit, neque manum osculatur, Minister quoque debitam facit reverentiam.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando coram Summo Pontifice, Cardinale, &c.

VIII. Rubr. & Gavant. lit. c — *Facit reverentiam, etc.*) Finito autem ultimo Evangelio in fine Missæ, Sacerdos si celebravit coram Summo Pontifice, vel aliis Prælatis supra nominatis, stans adhuc in cornu Evangelii ad Altare, convertit se per latus suum dexterum, id est versus cornu Epistolæ, & ita conversus, Summo Pontifici genuflectit, si coram eo celebravit; aliis vero Prælatis supra nominatis, conversus ad eos, stans in eodem cornu Evangelii, facit tantum profundam reverentiam; quam reverentiam etiam facere potest dictis Prælatis, licet non sint in propria Provincia, vel Diœcesi. Minister etiam stans in plano a parte Epistolæ, responso *Deo gratias*, facit genuflexionem, vel reverentiam profundam prout convenit. Quoad personas sæculares, servanda erit eorum dignitas, & consuetudo locorum legitime introducta. Bissus *tit. S supra* §. 8. Quarti *part.* 2. *tit.* 12. §. 5. *Notatur*, docet cum Castaldo *in praxi lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 4. *n.* 8. decens esse non solum, ut fiat reverentia Episcopo extra propriam Diœcesim, sed etiam magno Principi, vel Principissæ, finito Evangelio in fine Missæ, & quamvis prædicta reverentia non sit illis debita ex vi Rubricæ, tamen non prohibetur; unde permitti potest, sicut & usus confirmat.

RUBRICA.

6 *Quibus omnibus absolutis*, (f) *extinguuntur per Ministrum candelæ. Interim Sacerdos* (g) *accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat; descendit ante infimum gradum Altaris; et ibi in medio vertens se ad illud*, (h) *caput inclinat, vel si in eo est Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectit; et facta reverentia, accipit birretum a Ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem Ministro eodem modo, quo venerat, redit ad Sacristiam: interim dicens Antiphonam*, (i) *Trium puerorum, et Canticum, Benedicite, si vero dimissurus sit paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evangelio prædicto, ibidem* (l) *illis se exuit, et dicit Antiphonam Trium Puerorum cum Cantico, et aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.*

GAVANTUS.

Hæc Rubrica habetur in recognito Missali, licet fuerit tantum addita in ultimo Missali Vaticano Anni M. DC. IX. quam ideo retinendam esse omnino decrevit S. R. C. *die* 28. *Aug.* 1627.

(f) *Extinguuntur candelæ.* Primo in cornu Evangelii, deinde in cornu Epistolæ: ut statim Minister possit Missale accipere cum birreto Sacerdotis; sed non debent extingui antequam finitum fuerit totum ultimum Evangelium.

(g) *Accipit sinistra Calicem.* Revoluta super eam decenter anteriore parte veli.

(h) *Caput inclinat.* Hoc est, apertum, sicuti initio Missæ, in eodem loco, veneratus est Altare, &

& Crucem, capite discooperto; eadem enim est ratio: & decet, ut ubi deposuit, ibi etiam recipiat birretum. * Quod autem hic dicitur, *Et facta reverentia*, non aliam de novo intellige, quam capitis inclinationem, seu genuflexionem, de qua proxime dictum fuit: neque enim duplex fit reverentia: quod perperam nonnullus scripsit.

(i) *Trium Puerorum, et Canticum.* Debet dici etiam post Missam Defunctorum tum *Hymnus Trium Puerorum*, tum Psalm. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, cum Antiphona, & ea duplicata, quando, ut supra dictum est, Antiphona *Ne reminiscaris* duplicatur, & Hymnus quidem dicitur *ex Concil. Tolet. 4. cap.* 13. ubi hoc jubetur sub pœna excommunicationis *ex Radulph. proposit.* 23. quæ tamen hodie non ligat; Psalmus autem, *ex Microlog. cap.* 22. qui & addit versus sequentes. *Confiteantur, etc.* cum unica Oratione, *Deus qui tribus, etc.* quam puto a Sacerdote recitari post celebrationem, eadem ratione, qua eadem dicitur in Sabbatis Quatuor Temporum ante Sacerdotum Consecrationem; *ex Rupert. lib.* 3. *cap.* 10. ut scilicet vincatur ab eis flamma vitiorum, & per fornacem illæsi transeant Sacerdotes memores sui muneris, & suæ Consecrationis: *in Missali MS. Vaticano volum.* 4743. habetur hæc eadem Oratio cum altera, *Actiones: Radulph. loc. cit.* duas legit.

Tertiam de S. Laurentio ego legi *in Miss. MS. Vaticano volumine* 3808. & 4771. scriptis ante 160. Annos; fortasse addita est, quia ille Romæ Patronus est post SS. Apostolos Petrum, & Paulum Apostolorum suppar; *ex S. Maximo serm.* 1. *de eodem S. Laurentio*; vel quia tanti Sacrificii inter Latinos fuit Minister egregius Sancti Sixti Archidiaconus; vel quia concordat cum prima Oratione ad impetrandam gratiam contra flammas vitiorum; impressa legitur *in Missali edito Venetiis* 1499. *et deinceps in aliis Missalibus*; non tamen tunc temporis ubique recepta fuit, cum non legatur *in Sacerdotali Rom. edito* 1467.

(l) *Illis se exuit.* Ordine retrogrado, quo se induit, nimirum prius stolam exuat, quam manipulum; & quæ a principio osculatus est; nunc eadem exuendo se, osculetur in medio stolam, manipulum, & amictum.

Neque omittat in Sacristia debitam reverentiam imagini eodem modo, quo ante Missam est dictum.

Lavet etiam manus, ut de quibusdam cum laude narrat *Durand. lib.* 1. *c.* 55. non quod quidquam immundum ex ipso contactu Sacramenti contraxerit; sed ut potius suam commemoret indignitatem, qui se judicat tantis Sacramentis celebrandis indignum, juxta illud *Lucæ* 17. *Cum hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.*

Ablutionis autem aqua debet in locum mundum diffundi honeste, ut altitudo Sacramenti reverentius honoretur. *Innoc. III. lib.* 1. *c.* 8. ubi de ablutione manuum Episcopi scribit, post sumptionem Eucharistiæ: quo loco non possum non laudare Regulares illos, qui in Sacristia duo manutergia distincta habere solent, alterum ad abstergendas Sacerdotum manus ante Missam, alterum post Missam.

Novæ Observationes & Additiones, &c. pro Ritu Missæ Privatæ, servando a Sacerdote post Missam celebratam.

IX. Rubr. & Gavant. lit. f — *extinguuntur candelæ, &c.*) Finito ultimo Evangelio, Minister cum debita genuflexione transiens per medium Cappellæ, ascendit per gradus laterales ad cornu Evangelii, ubi tunc (& non prius, Gavantus *supra*) extinguit candelam existentem in illa parte; deinde cum nova genuflexione in transitu per planum medium ejusdem Cappellæ, accedit quoque per gradus laterales ad partem Epistolæ, ut ibi extinguat candelam alteram. Quarti *part.* 2. *tit.* 12. *Rubr.* 6. *in dubiis dub.* 2. Vinitor *par.* 2. *tit.* 16. *n.* 42. Gerv. *in instruct. pro Ministro Missæ Privatæ cap.* 11. *n.* 4. & alii communiter. Debet autem extinguere utramque candelam congruo extinctorio semper, & nullo alio modo, nisi necessitas urgeat: Bonamic. *part.* 3. *n.* 97. *et* 98. Lohner *part.* 3. *tit.* 9. *n.* 13. Corsett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 31. Synodus Fulginaten. Episcop. Battistelli *c.* 20. §. 10. *n.* 34. Gerv. *supra*, & alii fere omnes; postmodum accipit Missale, & birretum eo pacto, quo accepit in principio Missæ, & vadit in cornu Epistolæ apud ultimum gradum, in plano stans prope Celebrantem. Corsett. *supra n.* 33. Bonamicus *supra n.* 98. Vinitor, & Gerv. *supra.*

X. Rubr. & Gav. lit. g — *Accipit sinistra Calicem, etc.*) Interim Sacerdos, lecto Evangelio ultimo, & facta debita reverentia supra nominatis, si facienda sit, ut mox diximus, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris; ubi stans adhuc in suppedaneo, facit reverentiam Cruci, postea revolvit partem anteriorem veli super bursam: Gav. *supra* Bissus *lit. S supra* §. 81. deinde sinistra manu accipit Calicem in nodo, ponens dextera super bursam ne aliquid decidat, ut initio Missæ: tum aliquantulum retrahens se versus cornu Evangelii, vertit se per latus suum dexterum, id est facie conversa versus cornu Epistolæ; & descendit per gradus Altaris tali modo, ut non vertat directe terga Cruci; caveatque dum descendit, ne conculcando albam, se, & Calicem confundat, Angel. *part.* 3. §. *Responso*; & cum fuerit in plano Cappellæ, iterum se vertit ad Altare per eamdem suam partem dexteram; a Portu *tit.* 12. *Rubr.* 7. *in adnot. n.* 4. Anonymus Italus §. *Discesa*; & stans in plano ante infimum Altaris gradum, facit reverentiam profundam Cruci, vel genuflexionem Sacramento, Ministro semper genuflectente: Corsett. *supra n.* 33. Bauld. *part.* 1. *c.* 17. *n.* 45. Gerv. *in instruct. pro Ministro, etc. c.* 11. *n.* 8. a Portu *supra n.* 7. postea, & non prius accipit birretum, hoc est, capit digitis dexteræ manus medio, & indice, dexterum birreti cornu elevatum; Bonamic. *part.* 1. *observ.* 13. *n.* 1. Corsett. *tract.* 1. *part.* 1 *c.* 1. *n.* 9.

9. Minister autem illud porrigit manu, & non ex Missali, & cum quasi ipsius osculo, & capitis inclinatione ante, & post. Bauldry, Corsettus, Portu, & Gervasi *supra.*

XI. Gav. lit. h *Recipiat birretum, &c.*) Celebrans autem a Ministro recepto birreto, caput cooperit, caute agens, ne de Calice aliquid decidat: tum præcedente Ministro eodem modo, quo venerat, vadit ad Sacristiam capite cooperto.

XII. Rubr. & Gav. lit. i — *Trium puerorum, &c.*) Facta reverentia Altari, & cooperto capite, Sacerdos incipit Antiphonam *Trium puerorum, &c.* quæ Antiphona in Missis duplicibus, id est sub Ritu duplici, & quando dicitur una tantum oratio juxta Rubricas, duplicatur; v. g. in Missis Votivis Solemnibus, vel pro re gravi, & insuper tempore Paschali additur *Alleluja.* Lohner *part.* 2. *tit.* 31. *n.* 3. Vinitor *part.* 2. *tit.* 1. §. 9. Aliqui vero putant, quod etiam in Missa Defunctorum, sub una Oratione prædicta Antiphona sit duplicanda, & etiam sit addendum *Alleluja* tempore Paschali, quia hoc sequitur Officium, non Missam. Terminata Antiphona, *Trium puerorum, &c.* sub Ritu Duplici, vel Semiduplici, prout convenit, dicit Sacerdos Canticum *Benedicite &c.*

Si in via obviam ei sit alius Sacerdos paratus, adinvicem se consalutent cooperto capite, & procedat unusquisque per partem suam dexteram. Quod si duo, vel plures ad eumdem locum accedunt (puta ad Sacristiam) tunc dignior præcedat. Biss. *supr.*

In reliquis servet ea omnia, quæ facienda notavimus tum a Sacerdote, tum a Ministro, in ingressu ad Altare. Bonamic. *part.* 2. *n.* 50. Bauldry *supr.* a Portu *sup. n.* 8.

Si Sacerdos accedat ad Sacristiam pro deponendis paramentis, ut omnino fieri debet quando commoditas adest; tunc cum ad Sacristiam pervenit, faciat profundam reverentiam Cruci, vel imagini principali, quæ ibi adest; & deposito Calice, discooperiat caput; Castal. *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 24. & Biss. *lit. S n.* 20. §. 82. & capite discooperto alios salutet Sacerdotes, qui sunt in Sacristia, juxta sententiam Tonelli, quam refert Bissus *loc. mox cit.* qui tamen existimat hanc reverentiam aliis Sacerdotibus faciendam esse cooperto capite: deinde exuit Sacerdos, adjuvante Ministro, sacras vestes, ordine retrogrado; scilicet primo planetam, deinde stolam, manipulum, cingulum, albam, & amictum, osculando Crucem mediam earum vestium, quas osculatus est, dum eas induit, etiam si Missa fuerit Defunctorum, scilicet Crucem stolæ, Manipuli, & amictus, Gavant. *supra lit.* l Bissus *littera P, num.* 28. §. 12. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 12. *ad Rubricam* 6.

Minister, cum pervenerit ad Sacristiam, sistens se in ingressu, inclinat se Sacerdoti, & expectat donec transeat: Castaldus *lib.* 1. *sect.* 4. *c.* 1. *n.* 28. Bauldry *part.* 1. *sup. n.* 46. Gervasi *supra n.* 7. postmodum inclinans se profunde simul cum Sacerdote Cruci, vel imagini Sacristiæ, & procedit ad reponendum Missale loco congruo. Aliqui addunt, quod præfatus Minister accipere debeat a Sacerdote birretum cum nova reverentia; sed magis placet sententia Castaldi, & Bissi *supra* dicentium, quod Sacerdos ipse, deposito Calice, discooperit caput, & birretum deponit: igitur præfatus Minister reposito Missali, sistit se ad sinistram Celebrantis, eumque adjuvat in deponendis paramentis.

XIII. Rubr. & Gav. lit. l — *illis se exuit, &c.*) Si vero Sacerdos dimissurus sit paramenta ad Altare in quo celebravit, ob defectum Sacristiæ, vel alterius loci congruentis, tunc finito ultimo Evangelio, accedit ad medium Altaris; & ibi facta reverentia Cruci, postea iterum redit ad cornu Evangelii, ubi deponit paramenta modo supra a nobis descripto, nimirum ordine retrogrado. Gav. *sup. lit.* l, & Bissus *supra lit. S n.* 20. §. 82. & interim dicit Antiphonam, *Trium Puerorum*, cum Cantico, ut supra diximus.

Advertendum superest, quod ubicumque se spoliet, ne albam, ut illam exuat, a parte posteriori extrahat supra caput, sed prius dimoveat a brachio sinistro. Montius *sup.* §. 172.

XIV. Gav. ead. lit. l. — *Lavet etiam manus, &c.*) Depositis sacris vestibus, Celebrans lavat manus, quod tamen non fit ad tollendam aliquam maculam, quia potius ex contactu Sacramenti novum quoddam sacrum manibus Celebrantis adhæret; sed potius fit ad deponendum illud esse sacrum, priusquam Sacerdos manibus contrectet alias res profanas: Quarti *part.* 2. *tit.* 12. *in dubiis conscientiæ dub.* 4. ablutio tamen manuum in honesto loco projici deberet ad majorem Sacramenti reverentiam. Item conveniens esset, ut particulare manutergium pro Sacerdotibus in Sacristia apponeretur: & etiam Scriptores citandi maxime laudant quarumdam Ecclesiarum consuetudinem, parandi scilicet in Sacristia duo manutergia, quorum unum inserviat Sacerdotibus pro abstergendis manibus ante Missam, & alterum post Missam, & quidem valde laudabilis est horum consuetudo, cum majorem reverentiam erga Sacramentum denotet. Gavantus *supra*, Bauldry *part.* 3. *de Ritu servando tit.* 12. *ad Rubr.* 6. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 12. *ad Rubr.* 6. Bissus *tom.* 2. *lit. M n.* 26. §. 4.

Cæterum, si talis lotio manuum omittatur, nulla committitur venialis noxa: quia præcipitur quidem manuum lotio ante Missam, non vero post Missam, quæ tantum fit ex quadam decentia. Quarti *supra* §. *Respondeo*, Bissus *lit. M* Tandem Sacerdos genuflexus in loco consueto, gratias agit, prout in tabella. Angel. *par.* 3. *sup.* §. *Depositis*, Gervasi in instruct. Missæ Privatæ *c.* 2. §. *Dopo andrà &c.*

RUBRICA.

7. *In Missa Solemni Celebrans eadem voce, & modo, quo in Missis Privatis, semel tantum benedicit Populo, nisi sit Episcopus: & dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio, ut supra:* (m) *ministrante Subdiacono, librum, si opus est*

est, (n) *discedit cum Ministris ordine, & modo, quo venerat.*

GAVANTUS.

Ad Benedictionem Celebrantis, ministri æqualiter distantes supra secundum gradum, Diaconus a dextris Subdiaconi, genuflectant versus Altare, eadem ratione, qua post Epistolam, & ante Evangelium genuflexi Benedictionem receperunt ab eodem Celebrante, ut supra dictum est, nisi sint Canonici, si ita fert loci consuetudo; & manu pingat sibi Crucem a fronte ad pectus, ut solent laici: nam quamvis post Epistolam, & ante Evangelium, ad Sacerdotis Benedictionem id non faciant impediti a libro, quem tunc manibus tenent; hoc loco tamen se signare possunt ex loci consuetudine ob rationem allatam supra *n.* 1. Cæteri quoque inferiores Ministri genuflexi manent usque ad finem Benedictionis.

(m) *Ministrante Subdiacono librum.* Quem defert eo modo, quo dictum est supra, post Epistolam. Diaconus autem stat quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum aliquanto post Celebrantem, ne impediatur a lectione. Ad *Et Verbum caro factum est*, vel quid simile, genuflectunt prædicti tres versus librum.

(n) *Discedit cum Ministris.* Acolythis præeuntibus cum candelabris, procedunt cooperto capite Ministri, post debitam reverentiam Altari factam, ut initio Missæ, unus post alium, manibus junctis: in Sacristia vero, reverentia facta imagini ab omnibus, & Celebranti a Ministris, deponunt omnes paramenta.

RUBRICA.

8 *Episcopus autem ter benedicit Populo etiam in Missis Privatis, ut in Cæremoniali habetur.*

GAVANTUS.

Auctor Benedictionis Episcopalis in Missa fertur esse Martialis Apostolorum discipulus ex magisterio Apostolatus; *Radulph. propos.* 23. sed dabatur tantum ante Communionem: solus autem Papa finita Missa eam dabat: *ex eodem Radulpho ibidem:* abrogara vero est illa ante Communionem: & nunc *ex Innoc. III. lib.* 6. *cap.* 14. datur ab omnibus ultimo loco, nimirum per verba, *Sit nomen Domini*, *&c. ex Durando c.* 59. quo teste, *ibidem*, bis dabant aliqui Episcopi Benedictionem solemnem, semel ante *Agnus Dei*, & iterum in fine Missæ; quos ille ipse monuit, ne in fine benedicent. Ritus autem, & modus Benedictionis hujus Episcopalis habetur fuse in *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 25.

Novæ Observationes, & Additiones &c. pro Ritu Missæ Solemnis, a Benedictione usque ad finem.

XV. Gav. §. *Ad Benedictionem Celebrantis.*) Postquam Celebrans conversus jam ad Altare dixerit *Placeat*, *&c.* prout in Missali, osculatur Altare; & dum hoc peragit, daturus Benedictionem, omnes genuflectunt, & ad Benedictionem se signant; Gavantus *supra* §. *Ad Benedictionem*, Bissus *lit. C, n.* 197. §. 61 *lit. M n.* 150. §. 7. Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 38. Benvenuti §. *Ea Oratione finita*; profunde insuper se inclinantes. Lohner *part.* 3. *tit.* 2. §. 2. *n.* 5. *& tit.* 3. *n.* 14. *& tit.* 5. *num.* 13. *& tit.* 7. *num.* 10.

XVI. Gav. eod. §. *Nisi sint Canonici*, *&c.*) Ad dictam Benedictionem, omnes genuflexi esse debent in suis locis præter Canonicos: Gavantus *supr.* Nicolaus de Bralion *supr. cap.* 10. *n.* 3. & hic Ritus sancitus est etiam in Decreto edito die 4. Maji 1613. dato in nostro Indice *sub num.* 136. in quo habetur — Canonici, & Dignitates non tenentur ad Benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare — Consonat huic Decreto aliud pariter datum in nostro Indice *sub n.* 269 Cæremoniarius genuflectit in cornu Epistolæ; Bauldry *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 38. Clerici vero genuflectunt in plano locorum suorum; Castaldus *lib.* 2. *sect.* 9. *n.* 25. a Portu *part.* 2. *de Missa Solemni tit.* 12. *Rub.* 7. *in adnot. n.* 2. profunde se inclinantes. Lohner *supra.* Subdiaconus autem genuflectit in superiori gradu versus cornu Evangelii, respiciendo Altare, Diaconus vero in eodem gradu versus cornu Epistolæ; si adsit Assistens, genuflectit in superiori gradu laterali in cornu Evangelii. Bralion *supr.* Si vero Ministri sacri essent Canonici Ecclesiæ Cathedralis; tunc ad Benedictionem non genuflectunt, juxta Decretum mox allegatum, sed tantum profunde se inclinant, semper tamen omnes dextera manu (sinistra infra pectus posita) se signant ad hanc Benedictionem signo Crucis a fronte ad pectus de more. Gavantus *supr.* Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 9. *n.* 5. Bissus *supr.* Benven. *supr.*

XVII. Rubr. & Gav. lit. m — *Ministrante Subdiacono librum*, *&c.*) Facta Benedictione, Subdiaconus statim surgit, & accedit ad cornu Evangelii, ibique sustinet tabellam Evangelii S. Joannis: si vero sit dicendum aliud Evangelium, in eo casu Subdiaconus, dum Celebrans dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*, *&c.* genuflectit in suo loco ubi est: mox accedit ad cornu Epistolæ, accipit Missale, & illud defert ad cornu Evangelii: sed advertat, ut in medio genuflectat, quando Celebrans dat Benedictionem; non tamen se signat, quia habet præ manibus librum: & data Benedictione statim surgit, & ponit Missale in cornu Evangelii, sed ita tempestive omnia faciat, ut Celebrans non debeat ipsum expectare.

Diaconus vero dum legitur prædictum Evangelium, vel S. Joannis, vel aliud, juxta Gavanti sententiam *supra*, necnon Bissi *lit. D n.* 123. §. 48. stat quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum aliquanto post Celebrantem: sed juxta sententiam Nicolai de Bralion *supra n.* 4. post datam Benedictionem a Celebrante, Diaconus debet accedere propius ad Altare, paulo versus cornu Epistolæ.

Cum

Cum dicitur, *Et verbum caro factum est &c.*) in Evangelio Sancti Joannis, vel cum legitur Evangelium Epiphaniæ in fine tertiæ Missæ in die Nativitatis Domini; ad illa verba, *Et procidentes adoraverunt eum*, omnes unicum genu flectunt, Celebrans quidem versus librum, Gavantus *supra.* Cabrinus *cap.* 5. *n.* 39. Bauldry *part.* 1. & 3. *supra n.* 6. Diaconus vero, & omnes alii etiam in Choro, genuflectunt versus Altare: Nicolaus de Bralion *supra*: sed Gavantus *supra*, vult non solum Celebrantem, sed etiam duos alios Ministros genuflectere debere versus librum, seu tabellam: excipiunt tamen aliqui Subdiaconum ab hac genuflexione, si tabellam, vel librum sustineat: ita Bauldry *par.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *n.* 44. & *par.* 3. *supra art.* 9. *n.* 7. Verum magis arridet modus loquendi Gavanti *supr.* qui dicit sine ulla exceptione, quod omnes ad similia verba genuflectere debeant, maxime quia, ut notat Bissus approbando Gavantum *lit.* s *supra* §. 28 in hoc casu non sit necesse, ut ad prædicta verba Subdiaconus sustentet librum: vel etiam liber suum cussinum habet, a quo commode sustentatur; vel si sit tabella Evangelii Sancti Joannis, eam poterit super Altare deponere; ut etiam ipse cum aliis illud reverentiæ signum præster. Tandem respondeatur in fine Evangelii, *Deo gratias*; Lohner *part.* 3. *tit.* 3. *n.* 14. Bauld. *par.* 1. *supr.* & *part.* 3. *supr. n.* 8. sicut etiam claudit Missale, quando Celebrans particulare legit Evangelium.

XVIII. Rubr. & Gav. lit. n — *Descendit cum Ministris, &c.*) Lecto Evangelio Celebrans revertitur ad medium Altaris; & illum immediate sequitur Subdiaconus, ut inter Subdiaconum ipsum, & Diaconum decentius descendat, ibique medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a sinistris, facit cum prædictis Ministris reverentiam Cruci. Facta vero inclinatione Cruci, eo modo, quo supra, tum Celebrans, tum Subdiaconus, vertendo faciem ad cornu Epistolæ, Diaconus autem ad cornu Evangelii, descendunt in planum ante infimum gradum. Bissus *lit. C*, *n.* 197. §. 62. Castaldus *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 25. a Portu *sup. n.* 5.

Cæremoniarius vero (nisi alius Acolythus id faciat) accipit birreta Celebrantis, & sacrorum Ministrorum, Bissus *lit. C n.* 15. prope finem ultimi Evangelii; ut præsto sit cum Clericis ad genuflectendum in medio simul cum Celebrante in regressu ad Sacristiam. A Portu *supra* §. *An Cæremoniarius.*

Ceroferarii quoque prope finem ultimi Evangelii, accipiunt sua candelabra cum candelis accensis, quibus acceptis statim ad finem Evangelii præit ad altare Thuriferarius vacuus, hoc est sine turibulo; Navicularius, si adest, pariter sine navicula: tum veniunt Ceroferarii cum candelabris accensis, ut initio Missæ, omnium postremi; Bissus *lit. C n.* 254. §. 6. & se disponunt ante Altare in linea recta, ut initio Missæ. Bauldry *part.* 3. *supr. n.* 9. Illud animadvertendum occurrit, ut ita opportune accedant ad medium, & se disponant, ut sic dispositi possint immediate genuflectere cum Celebrante: aliter si supervenirent citius, cogerentur bis genuflectere, nempe primo, quando comparerent ante Altare, secundo, post brevissimam, & quasi nullam moram, quando Celebrans genuflecteret, aut inclinaret se ultimo. Quamobrem genuflectentibus Celebrante (Celebrante, inquam, si adsit in Tabernaculo SS. Sacramentum, aliter se inclinante profunde) & Ministris super infimum gradum, eodem instanti genuflectunt Cæremoniarius, & reliqui Clerici in plano: Castaldus *supra sect.* 4 *cap.* 9, *n.* 9. & *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 25. & *cap.* 5. *n.* 27. a Portu *supra*: & facta reverentia Choro, si ante eum transeat; Bralion *sup. n.* 7. Cæremoniarius porrigit Diacono birretum Celebrantis; Bissus *lit. C. n.* 15. illudque cum quasi osculo illius, Diaconus Celebranti tradit: postea Ministri Sacri ab eodem Cæremoniario, seu aliquo Acolytho, ut supra sua birreta pariter accipiunt, & caput tam Celebrans, quam Ministri Sacri cooperiunt. Bissus *lit. C. n.* 147. §. 62. & Benvenuti §. *Tunc Celebrans*, *p.* 66. Interim præeunte Cæremoniario sine ulla reverentia manibus junctis, procedunt omnes ad Sacristiam eodem ordine, quo venerant ad Altare.

Cum Celebrans, & Ministri ad Sacristiam perveniunt, omnes simul sese inclinant profunde Cruci, seu Imagini. *Biss. supr.* §. 13. & Benvenut. *supr.* Tunc Ministri omnes nudo capite profundam faciunt Celebranti reverentiam, qui eis congrua capitis inclinatione respondet. Bauld. *part.* 3. *in hanc Rubr. cap.* 11. *art.* 9. *n.* 9. Biss. & Benven. *supr.* postea accedunt ad deponenda paramenta, & Ceroferarii sua candelabra, & candelas extinguunt. Biss. *supr.* Interim Cæremoniarius præsertim, & Ceroferarii, seu Acolythi, juxta multarum Ecclesiarum usum, & non Ministri Sacri, adjuvent Celebrantem, & Ministros Sacros ad deponenda sua paramenta, ut diximus in nostris Observationibus ad *Rubr.* 5. *tit.* 2. & easdem vestes, quas induendo osculatus est Celebrans, & Diaconus, etiam nunc deponendo osculentur. Castaldus tamen *lib.* 3. *c.* 9. *n.* 26. Bauldry *part.* 1. *cap.* 15. Lohner *part.* 3. *tit.* 2. §. 2 *n.* 6. a Portu *supr. n.* 5. §. *An Cæremoniarius primus*, Benvenuti *supr.* §. *Tunc Celebrans*, *pag.* 67. asserunt Celebrantem a Ministris, Ministros vero ab Acolythis adjuvandos esse, dum paramenta deponunt: & advertit allegatus Benvenuti, quod Ministri Sacri deponunt prius manipulos, præcipue Diaconus; & sic Celebrantem exuentem se, & paramenta deponentem adjuvat, & quæ osculanda sunt, ei osculanda exhibet: verum si Ministri sint Canonici, profecto hoc munus præstare non debent, nempe adjuvare Celebrantem in deponendis paramentis. Postquam vero Sacerdos deposuerit sacras vestes, decens est, ut lavet manus, ministrantibus aquam cum manutergio Acolythis: Biss. *supr.* tandem genuflexus in loco congruo, gratias agit, ut in tabella. Angel. 3. *part. supra* §. *Depositis.* Demum Cæremoniarius cum Thuriferario, & Ceroferariis asportant ex Altari, vel credentia ea, quæ ibi præparata fuerant pro Missa Solemni in Sacristiam, ubi ea plicant, si opus est, & recondunt. Bauldry *part.* 3. *sup. n.* 10.

& par-

& *part.* 1. *c.* 14. *art.* 4. *n.* 28 Castald. *lib.* 1. *sect.* 4. *cap.* 1. *n.* 18. & *cap.* 6. *n.* 20. a Portu *sup.* Denique Clerici deponunt cottas cum debita modestia, Lohner *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 9. & omnes postquam oraverint paululum, discedant in pace, vel in Chorum redeant, si opus sit. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 1. *n.* 46. & *cap.* 5. *n.* 48. Bauldry. *part.* 4. *supra n.* 19.

De his, quæ omittuntur in Missa pro Defunctis XIII.

RUBRICA.

1 *IN Missa pro Defunctis ante Confessionem* (o) *non dicitur Psalmus, Judica me Deus; sed pronunciata Antiphona, Introibo ad Altare Dei, et responso a Ministro, Ad Deum, qui lætificat, etc. dicitur, ℣. Adjutorium nostrum, et Confessio, cum reliquis, ut supra: cum Celebrans ad Altare incipit Introitum,* (p) *non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens:* (q) *Non dicitur, Gloria Patri, sed post Psalmum repetitur, Requiem æternam: nec dicitur, Gloria in Excelsis, nec Alleluja, nec Jube Domine benedicere, nec, Dominus sit in corde meo:* (r) *nec osculatur librum in fine. Non dicitur, Credo, non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, Deus qui humanæ substantiæ, etc. cum lavat manus; in Psalmo, Lavabo inter innocentes, non dicitur Gloria Patri. Ad Agnus Dei, non dicitur, Miserere nobis, cujus loco dicitur, Dona eis requiem, nec tertio, Dona nobis pacem, cujus loco dicitur,* (s) *Dona eis requiem sempiternam: neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, etc.* (t) *nec datur pax. In fine non dicitur, Ite Missa est, nec, Benedicamus Domino, sed Requiescant in pace, et* (u) *non datur Benedictio; sed dicto, Placeat, et osculato Altari, dicitur, ut supra, In principio erat Verbum, etc. alia omnia, ut in aliis Missis.*

GAVANTUS.

S. Hieronym. epist. ad Alterium scribit de usitato *Alleluja*, in funere Defunctorum, *Alcuinus* autem *cap. de exequiis Mortuorum*, quem sequitur *Amalar. lib.* 3. *c.* 44. excludit a Mortuorum Missa omnem lætitiæ, & suavitatis significationem; docetque fieri ad imitationem Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. *Hugo Victor. de spec. Miss. observat. lib.* 3. *cap.* 37. Cantica lætitiæ, ait, de proximi transitu dolentibus non conveniunt. *Durandus* addit *lib.* 3. *c.* 35. solemnitates, & Benedictiones quaslibet a Missa Defunctorum subtrahi; ex quibus patent, quæ sequuntur.

Psalmi cum precibus dici solitis pro præparatione Sacerdotis ante Missam omitti quidem possunt, sicuti prohibentur dici ab Episcopo ante Missam Defunctorum, *in Cærem. Pap. lib.* 2. *sect.* 1. *c.* 26. *et* 28. non autem omitti debent oscula Crucis in amictu, manipulo, & stola induendis, qua de re dubitavere quidam, eo quod prohibentur oscula rerum in Missa Solemni.

(o) *Non dicitur, Judica ma Deus.* Quia non dicitur tempore Passionis Domini, ex regula prædicta.

(p) *Non signat se.* Facit Crucis signum, quasi versus Defunctum, seu Defunctos, pro quibus celebrat, sinistra vero super librum ponitur.

(q) *Non dicitur Gloria Patri, etc.* Quia nec tempore Passionis, & quia Solemnitatem sonant hæc, & suavitatem.

(r) *Nec osculatur librum.* Osculum Evangelio negat *Durand. lib.* 4. *cap.* 24. neque dicendum erit, *Per Evangelica dicta*, ut *tit.* 6. *n.* 2. *in* simili casu expresse notatur. Minister non osculatur ampullas, quas Celebranti porrigit, eadem de causa, quæ modo dicta est.

(s) *Dona eis requiem sempiternam.* Habet *Durand. ibid. cap.* 52. id est animæ & corporis gloriam, quia animæ solius sine corpore non est quies sempiterna.

(t) *Nec datur pax.* Unde omittitur Oratio de pace *Domine Jesu Christe*, *Durand. lib.* 7. *c.* 35. quia, inquit, omittitur in triduo ante Pascha mortis Christi: vel ideo non datur, quia non sunt in turbatione hujus Mundi, *Idem lib.* 4. *cap.* 53. Vide aliam causam supra *tit.* 10 *n.* 4. *pag.* 119.

(u) *Non datur Benedictio.* Vide titulo præcedenti *n.* 4 Quid si fiat Communio Populi intra Missam? nulla tamen dari debet Benedictio, quæ intra Missam non datur, nisi ab Episcopo, ubi moris est.

Novæ Observationes & Additiones, ad Gavanti Commentarium, super iis, quæ omittuntur in Missis Privat. Defunctorum.

I. Gav. §. *Psalmi cum precibus, etc.*) Quamvis liberum sit Sacerdoti, Missam pro Defunctis celebraturo dicere vel omittere Psalmos cum precibus, qui dicuntur pro Missæ præparatione, tamen si dicantur, debet in fine Psalmorum dici *Gloria Patri*; ita etiam non omittuntur oscula amictus, manipuli, & stolæ, dum illis Sacerdos induitur, nec solitæ Orationes paramentorum. Bauldry *part.* 5. *tit.* 13. *n.* 13. Tonellius *lib.* 2. *tit.* 13. *n.* 1. & Gav. *supra.*

II. Rubr. & Gav. lit. o — *Non dicitur, Judica me Deus, etc.*) Pronunciata Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, non dicitur psalmus *Judica me Deus*, neque dicitur *Gloria Patri* subsequens Psalmum prædictum; sed pronunciata, & terminata dicta Anti-

Antiphona, statim subjungitur ℣. *Adjutorium nostrum, &c.* & Confessio fit cum reliquis, ut *supra.*

III. Rubr. & Gav. lit. p. — *Non signat se, &c.*) Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum Missæ, non signat se Cruce; sed manu extensa facit signum Crucis super librum, efformando illud in aere; Polac. *part.* 2. §. 12. *in addition. n.* 1. Angel. *par.* 2. *cap.* 16. *n.* 2. *& part.* 3. *tit.* 4. *n.* 2. quasi versus Defunctum, aut Defunctos, pro quo, vel pro quibus celebrat, manu sinistra interim deposita super librum aut Altare. Gav. *supr.* Lohner *part.* 4. *tit.* 3. §. 2. *n.* 2. Bauldr. & Angel. *part.* 2. *&* 3. *sup.*

IV. Rubr. & Gav. lit. q — *Non dicitur Gloria Patri, &c.*) Post Psalmum omittitur *Gloria Patri*, & loco ipsius repetitur *Requiem æternam, etc.* Omittitur autem *Gloria Patri*, quia Solemnitatem, & suavitatem sapit, quæ debent excludi in tali Missa, sicut in Missis Ferialibus tempore Passionis. Gavantus *supr.* Amalar. *lib.* 3. *cap.* 44. Dicitur autem in plurali, *Requiem æternam dona eis Domine*, quamvis celebretur, & applicetur Missa pro uno tantum Defuncto. Angel. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 2.

V. Rubric. *Non dicitur Gloria in excelsis, neque Alleluja, etc.*) & reliqua alia omittuntur, sicut supra præscribit Rubrica; quæ cum disponat non esse benedicendam a Sacerdote aquam in Calicem fundendam; ita nec Minister debet osculari ampullas, quas Celebranti porrigit. Gav. *sup.* Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri etc.* & loco *Gloria Patri* non subrogatur *Requiem æternam.* Angel. *par.* 2. *cap.* 16. *num.* 10. *et part.* 3. *tit.* 7. *n.* 4. Tonell. *lib.* 2. *tit.* 7. *Rubr.* 6. *n.* 3. Bauldry *p.* 3. *tit.* 7. *Rubr.* 6. *n.* 3. Post Secretas dicitur semper Præfatio communis. Angelus *part.* 2. *cap.* 16. *n.* 11. Lohner *supra* §. 2. *n.* 8.

VI. Rubr. & Gav. lit. s. — *Dona eis requiem sempiternam, etc.*) Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis;* bis dicitur *Dona eis requiem*, & semel in fine *Dona eis requiem sempiternam.* Dum Celebrans dicit *Agnus Dei*, non percutit sibi pectus, sed stat manibus junctis ante pectus, non super Altare positis. Lohner *supr.* Angel. *part.* 12. & 3. *supra*, & a Portu *part.* 3. *cap.* 5. *ad tit.* 13. *Rubr.* 1. *n.* 15.

Utrum autem post Communionem Sacerdotis in hac Missa, & ante vel post hanc Missam possit administrari Eucharistia Fidelibus Missæ astantibus, videantur ea, quæ fuso calamo pertractavimus in nostris Observationibus, & Addit. *n.* 28. *et seqq. supr. ad tit.* 10.

VII. Rubr. & Gav. lit. u — *Non datur Benedictio, etc.*) In Missis Defunctorum antiquitus solemne fuisse dari Benedictionem in fine, certissimum est, ut ostendimus in nostris Observat. & Addit. *num.* 29. *ad tit.* 10. unde valde recens est iste Ritus non dandi Benedictionem in præfatis Defunctorum Missis. Et revera Marcellus de Cavallerii *in sua statera sacra tit.* 29. *num.* 48. asserit in inclyto Prædicatorum Ordine statutum fuisse anno 1252. in Capitulo generali Bononiæ habito, non debere prætermitti talem Benedictionem: quod fuit in praxi, usque ad Capitulum Romanum, excepto quando præsens erat defunctus. Sed postmodum statutum fuit etiam apud ipsos omittendam esse talem Benedictionem; neque hoc fuerat, ut ipse ait, Patrum Prædicatorum inventum: quia in aliis Ecclesiis mos ille præcesserat; & Card. Bona, ut alibi etiam nos innuimus, prædictam Benedictionem in Missis Mortuorum se legisse refert in quodam Missali MS. Imo reperiuntur etiam nonnulla Missalia impressa, de quibus mentionem fecimus loco supracit. continentia assertam Benedictionem in Missis Defunctorum: & dum hoc scribo, lego in Missali Romano Venetiis impresso ann. 1560 hæc præcisa verba. In Missa pro Defunctis Sacerdos dicat *Requiescant in pace.* ℟. *Amen*: deinde benedicit Populum, & dicat, *Deus vita Vivorum*, &c. quapropter evincitur talis Benedictionis suspensionem non fuisse rite, & universaliter introductam, nisi post Romani Missalis recognitionem, & reformationem. Ideo autem suspensa fuit hæc Benedictio, quia in hac Missa omnes solemnitates, & signa lætitiæ cessare debent: & quidem Durandus *in suo Ration. lib.* 4. *cap.* 51. *n.* 27. adnotat quod antiquitus in Missa pro Defunctis, Pontifex solemniter non benedicebat (quamvis in aliis Missis Vivorum, Benedictionem ante *Agnus Dei* impertiri soleret) tum quia in dicta Missa Defunctorum, omnes Solemnitates cessant; tum quia talis solemnis Benedictio non solum fiebat pro venialium deletione, verum etiam pro Populi excitatione, ut in Domini adjutorio confidat; & benedictum in sæcula confiteatur (Defuncti vero velut absentes excitari nequeunt, licet possint nostris suffragiis adjuvari) tum quia gaudium non debet luctui admisceri. Ob prædictas igitur rationes probabile est in Missalis Romani reformatione deletam fuisse præfatam Benedictionem in Missis Defunctorum.

Confirmantur hæc omnia auctoritate Illustrissimi Chrispi Archiepiscopi in sua erudita dissertatione Mysteriorum Evangelicæ legis, &c. edita Romæ ann. 1734. ad cujus calcem, ait laudatus Auctor, nonnulla in Missis pro Defunctis omitti: partim quia Defunctorum Missæ, Privatæ erant antiquitus, & non Solemnes, ut cum Gavanto colligit ex Canone 4. Concilii Vasensis: partim quia Ecclesia militans in agenda Mortuorum purgantem Ecclesiam præ oculis habens, ab omni sensu lætitiæ merito abstinet. Polaccus *cap.* 21. pariter varias adducit rationes, ob quas in Missis Mortuorum non benedicitur aqua, non datur pax: & ait, ideo aquam non benedici, quia Sacerdos intendit Sacrificium offerre pro Mortuis, non vero pro Vivis, quibus competit Benedictio. Ob similem rationem non datur pax, quia Sacerdos principaliter intendit sacrificare pro Mortuorum requie, & non pro Populi pace, & quia Defuncti non indigent pace temporali, cum sint extra mundi perturbationes, & prælia: ob eamdem rationem omittitur prima Oratio ante Communionem.

RU-

RUBRICA.

2. *In Missa Solemni non incensatur Altare* (x) *ad Introitum, & Subdiaconus finita Epistola, non osculatur manum Celebrantis*, (y) *nec benedicitur. Diaconus non petit Benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum: sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant unus a dextris, & alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus.* (z) *Oblata, & Altare incensantur ut supra; incensatur solus Celebrans, & non incensantur alii, Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem: sed tempore elevationis Sacramenti, genuflexus in cornu Epistolæ*, (a) *illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti in hac Missa*, (b) *non osculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur.*

GAVANTUS.

Credentia vel nulla, vel simplex, cum linteo brevi, & candelis accensis super ea.

(x) *Non incensatur Altare.* Tradit *Durandus lib. 7. c. 34.* Quia in veteri lege, inquit, prohibitum fuit oleum, & thus pro peccatis offerri; mors autem est pœna peccati: parcius igitur in hac Missa thus adhibetur, dum semel tantum incensatur Altare post oblata, & solus Celebrans, non alii.

(y) *Nec benedicitur, etc.* Octo hæc manifeste indicant Solemnitatem, & lætitiam, quando fiunt in Missa.

(z) *Oblata etc.* Incensantur oblata, ut præparentur ad Consecrationem; & cum iis Altare; quod etiam observatur in Parasceve: Subdiaconus ministrat a sinistris Celebranti; & in oblatorum incensatione, & in ablutione manuum, cum Diacono ministrat mappam ad tergendas Celebrantis manus.

(a) *Illud incensat.* Cum non teneat Subdiaconus Patenam, quæ Solemnitatis indicium est, debet incensare Sacramentum in ejusdem elevatione, ut a digniore Ministro non impedito id fiat, & statim surgit stans in medio, ut alias.

(b) *Numquam osculatur &c.* Oscula omnia, quæ suavitatem denotant, omitti debent ex prædicta *Alcuini* regula.

Novæ Observationes, & Additiones &c., pro Ritu Missæ Solemnis Defunctorum.

VIII. Gav. §. *Credentia, etc.*) Paretur Altare pallio nigri coloris sine ullis figuris mortis, ac imaginibus; sed sola Cruce, & sex candelabris materiæ obscuræ cum totidem candelis ceræ communis, Cæremon. Episcopor. *lib. 2. cap. 11. §. 1.* Bauld. *part. 3. c. 13. n. 1.* Gradus ipsius Altaris sint nudi, excepto, quod unum tapete nigri coloris super primo gradu nempe suppedaneo apud ipsum Altare ponetur. Cæremon. Episcop. *supr.* Bauldry *cupr.* Tabernaculum SS. Sacramenti, si adsit, velo violaceo, & non nigro tegendum est. Bauld. *supr.* Credentia, quæ paratur in cornu Epistolæ, cooperiatur brevi mappa; ita ut non pertingat usque ad terram, sed aliquantulum circa illam dependeat: super eam ponantur omnia, quæ pro celebratione Missæ requiruntur, excepto instrumento pacis, quæ in Missis Defunctorum non datur; & excepto velo oblongo, quia in his Missis eo non utitur Subdiaconus: si vero sit facienda Absolutio post Missam, ponatur super credentiam etiam vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & Rituale Romanum. Bauld. *sup. n. 2.* Biss. *lit. C, n. 553.* Gavantus tamen *supr.* dicit quod credentia sit simplex, vel nulla: sed non videtur conveniens, quod nulla credentia præparetur; non enim decet omnia super Altare ponere: præterea idem Gavantus vult, quod super credentiam ponantur candelabra cum candelis accensis; sed quomodo poni possent, si nulla adesset credentia?

Tumulus, vel etiam feretrum, sive lectica Mortuorum, quæ appellatur etiam castrum doloris (nisi præsens esset corpus Defuncti) parari debet pro cantanda tali Missa, quotiescumque hæredes velint sumptus facere pro intortitiis. Præfatus vero tumulus præparetur in medio Ecclesiæ, vel in alio loco congruo pro dispositione situs; & hinc inde ponantur scamna cum foraminibus, in quibus collocentur intortitia ardentia, vel loco scamnorum ponantur quatuor candelabra alta in quatuor angulis, vel plura, prout opus erit; & hoc semper ordinate, & decenter: & notandum, quod si ponantur supradicta scamna, poni possunt contigua tumulo: si vero ponantur candelabra, ea ita distantia a tumulo ponantur, ut circa tumulum commode transire possint Celebrans, & Ministri pro benedicendo, & incensando tumulo dum fit Absolutio, dummodo habeatur talis distantia loci, ut hoc bene fieri possit. Tumulus autem prædictus cooperiatur panno nigri coloris; immo multi utuntur eo panno cum Cruce rubea, quod non est reprobandum, sicuti etiam possunt in eo panno inseri imagines Mortuorum ad ornamentum. Bauldry *supr. n. 2.* & Bissus *lit. T, n. 84.*

In Sacristia parata sint paramenta nigra pro Celebrante, & Ministris, & Crux processionalis pro absolutione in fine Missæ; vel potius ponatur antequam Officium inchoetur, prope Altare ad partem Epistolæ, in loco congruo, & honesto. Bauldry *supr. n. 3.*

Hora competenti, vel dum Nona dicitur, Celebrans facta brevi Oratione, omissis Antiphona *Ne reminiscaris*, Psalmis *Quam dilecta, etc.* ac Orationibus in aliis Missis dicendis antequam induatur; Cæremon. Episcop. *lib. 2. c. 11. §. 2.* Bauldry *supr. num. 4.* lavat manus; & Cæremoniario, vel ali-

aliquo Acolytho de more adjuvante, induit se paramentis dicens Orationes solitas, & osculando Crucem in medio amictus, manipuli, & stolæ (quod etiam observare debet in fine Missæ, dum illis se exuit, ut diximus *supr.* in Missa Vivorum) & similiter Ministri, adjuvantibus Acolythis, parant se eodem modo, capientes respective dalmaticam, & tunicellam: Bauld. *supr.* tum procedunt ad Altare, ut in aliis Missis Solemnibus; sed Thuriferarius manibus junctis sine thuribulo, & Navicularius sine navicula: aliqui tamen censent Thuriferarium non debere præcedere, nisi gerat vices Cæremoniarii in ejus absentia. Ceroferarii facta debita reverentia de more Altari, deponunt candelabra (quæ quamvis ad Evangelium non deferantur, nihilominus initio Missæ deferri debent, ut mos est, ad Altare; Vinitor *part.* 4. tit. 23.) quorum cerei toto Missæ tempore remanent accensi. Gav. *supra.* Præfati Ceroferarii, depositis candelabris super credentiam, ibi manent genuflexi, vel pergunt in Chorum, juxta consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum.

IX. Rubr. & Gav. lit. x — *Non incensatur Altare, &c.*) Initio Missæ post Confessionem non incensatur Altare, sed Ministri facta Confessione ascendunt cum Celebrante ad Altare, ubi de more genuflectunt, ac statim pergunt ad cornu Epistolæ ad dexteram Celebrantis, dum dicit Introitum, ut in aliis Missis. Bauld. *supra n.* 5. Biss. *tom.* 2. *lit. M. num.* 244. §. 3.

Ad Introitum Celebrans non se signat, sed cætera præstat; alia vero omittit, sicut diximus supra in Missa Privata Defunctorum: ministri Sacri nihil prorsus osculantur in hac Missa Solemni; nec in Absolutione ad tumulum, nec initio introitus se signant. Biss. & Bauld. *supra.*

Acolythi, & Thuriferarius, Navicularius quoque, si adest, genuflectunt ad Orationes; sicut etiam idem faciunt omnes de Choro, usque ad finem ultimæ Orationis: excipitur tamen ab hac genuflexione Thuriferarius, si loco Cæremoniarii Subdiaconum comitari debeat ad Epistolam cantandam.

X. Rubr. & Gav. lit. y — *Nec benedicitur, &c.*) Subdiaconus in hac Missa non accedit ad Celebrantem cum libro: quia in hac Missa non osculatur illius manum, neque ab eo benedicitur: quare cantata Epistola, & facta genuflexione in medio infimi gradus cum Cæremoniario, huic tradit Subdiaconus librum, & eo absente, Thuriferario: deinde accedens ad Cornu Epistolæ transfert Missale Celebrantis ad cornu Evangelii, facta genuflexione in medio, & assistit Celebranti legenti Evangelium, prout de more. Bauld. *par.* 3. *cap.* 13. *n.* 6. *&.* 7. Bissus *supra n.* 3.

Celebrans non dicit *Jube Domine benedicere*, nec in fine Evangelii, *Per Evangelica dicta, &c.* quia non osculatur librum, ut præscribit Rubrica superior 1. in Missa Privata Defunctorum. Si Celebrans lecto submissa voce Evangelio, velit sedere (quod convenit quando est cantanda Sequentia) genuflectentibus, & præcedentibus uno post alium Celebrans accedit ad scamnum, & ibi cum Ministris suis sedet. Si vero non sedetur post Evangelium a Celebrante lectum subdiaconus descendit in planum, & stat ibi inter medium Altaris, & cornu Evangelii, ut alias, usque dum sit finita Sequentia, vel Tractus. Bauld. *supra num.* 7. Bissus *supra.*

XI. Rubr. *Diaconus non petit Benedictionem, &c.*) Si non sit sedendum, Diaconus, dum Celebrans legit Evangelium, portat librum, ut moris est, ad medium Altaris: postea ibidem expectat paululum versus cornu Epistolæ, ut alibi dictum est; & eo finito a Celebrante, vadit post ipsum inter cornu Epistolæ, & medium Altaris in secundo gradu, & circa finem Tractus, qui cantatur a Choro, vel si dicatur Sequentia, usque ad illum ℣. *Oro supplex, etc.* tunc enim genuflexus ante Altare super suppedaneum, id est, super altiorem gradum in medio, inclinatus versus Altare, manibus junctis, dicit *Munda cor meum, etc.* Bissus *supra* §. 4. *et lit. D. n.* 123. §. 12. Si autem Celebrans, & Ministri, ad Sequentiam sedeant, in eo casu ad illum ℣. *Oro supplex*, Diaconus surgit (stantibus tamen aliis Ministris) & solus accedit ad Altare: ibique genuflexus super infimum Altaris gradum, ut mox innuimus, dicit, *Munda cor meum, etc.* quo dicto ascendit ad Altare, ubi accipit ambabus manibus librum (non petendo Benedictionem, neque osculando manum Celebrantis, ut tradit Rubr. *supra*) & interim Subdiaconus, & Ceroferarii sine candelabris accedunt ad Altare, & ibi, scilicet ante infimum Altaris gradum, cum Diacono faciunt suam genuflexionem: postea procedunt ad locum Evangelii, præcedente Cæremoniario sine thuriferario, nisi hic gereret vices Cæremoniarii, quia in hac Missa non incensatur Evangelium. Dum vero Ministri procedunt ad locum Evangelii, Celebrans accedit ad Altare in cornu Epistolæ per breviorem viam, id est, per laterales gradus Altaris, ubi stat super suppedaneum facie ad Diaconum versa; si vero non sedeat, tunc quando Ministri procedunt ad Evangelium, Celebrans, facta Cruci reverentia in medio Altaris, se recipit ad cornu Epistolæ, ubi stat conversus ad Diaconum, ut moris est in aliis Missis usque dum sit finitum Evangelium.

XII. Rubr. *Duo tantum Acolythi sine candelabris etc.*) Acolythi autem sine candelabris, dum Diaconus cantat Evangelium, stantes a lateribus Subdiaconi hinc inde vel manibus junctis, vel una supra aliam infra pectus positis, signant tamen se sicut Diaconus; sicut etiam Celebrans, & cæteri de Choro se signant.

XIII. Rubric. *Non incensatur liber, etc.*) Diaconus antequam incipiat Evangelium, non incensat librum; & terminato Evangelio non incensat Celebrantem. Subdiaconus pariter non defert Celebranti Evangelium osculandum; sed reversus cum ipso Diacono ad Altare, genuflectit in loco, in quo est, a sinistris Diaconis, & statim tradit librum Cæremoniario vel Thuriferario, ut super credentia

eum reponat. Castald. *lib.* 1. *sect.* 7. *c.* 2. *num.* 2. Bauld. *par.* 1. *c.* 13. *art.* 2. *n.* 2. Diaconus vero facta genuflexione, ascendit ad secundum gradum post Celebrantem, qui cantato Evangelio, statim accedit ad medium Altaris, & Subdiaconus stat in plano post Diaconum, dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, *et Oremus* ante Offertorium: quo dicto Diaconus genuflectit, & accedit ad dexteram Celebrantis. Subdiaconus item facta genuflexione vadit ad credentiam, ubi (non sumpto velo oblongo, quo non utitur in hac Missa) sumit, & defert Calicem coopertum cum omnibus suis ornamentis ad Altare, ita ut manu sinistra apprehendat, & dexteram super bursam Corporalium imponat. Castaldus *sup. n.* 3. Subdiaconum sequitur de more Acolythus, deferens ampullas vini, & aquæ, Bauld. *supr. par.* 3. *c.* 13. *n.* 11. Diaconus vero accipit bursam, & extrahit ex illa (quam ad cornu Evangelii collocat) Corporale, illudque explicat, reliqua peragendo de more: excipe, quod reponit Patenam aliquantulum sub Corporale, prout in Missis Privatis. Castaldus *supra*, Bauld. *par.* 1. *cap.* 12. *art.* 2. *n.* 4. Subdiaconus in hac Missa non petit Benedictionem aquæ a Celebrante; non dicit *Benedicite Pater reverende*; Castald. *sup.* Bauld. *part.* 3. *c.* 13. *n.* 11. sed infusa aqua in Calicem, descendit, vadit ad locum suum, & facta genuflexione in medio Altaris super infimum gradum, se confert ad sinistram Celebrantis, eumque adjuvat ex parte sua (sicut Diaconus ad incensationem oblatorum) posteriorem partem planetæ ipsius sublevando, quia non est impeditus, cum Patenam non sustineat in hac Missa. Bauld. *supr. n.* 13. Bissus *lit. M n.* 159. §. 2.

XIV. Rubr. & Gav. lit. z — *Oblata*, *et Altare incensantur*, *etc.*) Posito incenso in thuribulo a Celebrante, incensantur oblata, & Altare more solito, & consuetis Orationibus, adjuvante, ut diximus, etiam ipso Subdiacono, tenendo ex parte sua posteriorem partem planetæ: finita autem Altaris incensatione, solus Celebrans incensatur, & Episcopus si adsit, licet non sit paratus: unus ex Acolythis, aut Cæremoniarius ministrat aquam & pelvim ad lotionem manuum Celebrantis; & Diaconus a dextris, & Subdiaconus a sinistris Celebrantis, facie ad eum conversa, vel ad se ipsos, habentes Ministrum medium, & stantes super gradum viciniorem suppedaneo, eidem Celebranti manutergium pro manibus extergendis ministrant sine osculis. Deinde recedunt ad loca sua, sicut & Celebrans, dicto Psalmo *Lavabo* de more; & Diaconus stans post Celebrantem respondet suo tempore, *Suscipiat Dominus*, postquam Celebrans dixerit *Orate fratres*; & postea vadit statim ad locum suum, hoc est ad librum cum debitis genuflexionibus, & juxta solitum, ut folia vertat Celebranti, & illi assistat.

Dum Celebrans incipit Præfationem, Diaconus, qui accessit ad librum, facta genuflexione, redit retro post Celebrantem, & stant ambo Ministri Sacri unus post alium, & cætera peragunt de more, ut de Missa Solemni dictum est; ea enim quæ ibi dicta sunt, non est cur hic repetantur.

Circa finem Præfationis iidem Ministri Sacri accedunt ad Altare cum debitis reverentiis (& in hac Missa de Subdiacono nullum dubium esse potest, quia non tenet Patenam) & dicunt cum Celebrante *Sanctus*, *etc.* tum Subdiaconus descendit post Celebrantem, & Diaconus ad librum accedit, & stat, ut in aliis Missis. Bissus *lit. M*, *n.* 245. §. 9. Bauld. *supr. n.* 15.

XV. Rubr. & Gav. lit. a — *Illud incensat*, *etc.*) Dum Celebrans dicit, *Hanc igitur*, *etc.* Subdiaconus facta genuflexione unico genu Altari in suo loco, in quo est, Bissus *lit. S*, *n.* 196. §. 16. accedit ad cornu laterale Epistolæ, ubi genuflectit super infimum gradum; & accepto a Thuriferario thuribulo (Thuriferarios interim genuflectit in plano a sinistris Subdiaconi; Bauld. *part.* 3. *supra cap.* 13. *n.* 16. *et part.* 1. *c.* 13. *n.* 4.) cum debitis inclinationibus ante, & post utramque Elevationem, incensat sanctissimum Sacramentum, quia a digniori Ministro non impedito incensari debet, ut notat Gav. supra. Ante Elevationem, juxta sententiam Bauld. *par.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. *et par.* 3. *c.* 13. *n.* 16. Subdiaconus ministrante Thuriferario cochlear, imponiti ncensum sine Benedictione in thuribulum; sed juxta sententiam Hippolyti a Porta *supra n.* 11. debet Navicularius id præstare: & ita Cærem. Episc. *lib.* 2. *c.* 11. §. 8. ubi ait: *Subdiaconus ad elevationem*, *imposito per aliquem Acolythum thure in thuribulum*, *thurificabit SS. Sacramentum*: quapropter sententia Bauld. non est admittenda, nisi ad summum, in defectu Navicularii, vel alterius Acolythi. Finita deinde elevatione Hostiæ, & Calicis, Subdiaconus reddit thuribulum Thuriferario, ac surgit, & genuflectit ibidem unico genu SS. Sacramento: deinde vadit ad suum locum in plano retro Celebrantem, ubi iterum genuflectit super infimum Altaris gradum unico genu; ibique stat in plano usque ad *Agnus Dei*, quia tunc ascendit ad Altare, ut dicemus infra. Bissus *sup.* §. 17. Bauld. *sup. n.* 17.

Diaconus vero, qui ad Elevationem juxta morem aliarum Missarum, ministravit Celebranti, facta elevatione Hostiæ, & Calicis, redit ad librum; Ceroferarii vero manent genuflexi cum intortitiis accensis, juxta Gavantum infra *Rubr.* 3. *lit.* d, & communem praxim omnium Ecclesiarum usque ad Communionem peractam: Thuriferarius autem cum debitis reverentiis redit in Sacristiam; & inde deposito thuribulo, & aptatis carbonibus pro Absolutione, vel Exequiis, redit ad credentiam, ubi genuflectit, prout pariter genuflectit totus Chorus. Bauld. *supra.*

Cum Celebrans dicit, *Et dimitte nobis*, solus Diaconus genuflectit in suo loco, unico genu, ac mox se recipit ad dexteram Celebrantis (Subdiaconus enim cum non habeat Patenam deferendam ad Altare, stare debet adhuc in suo loco) ubi inservit eidem Celebranti; Bissus *lit. M*, *n.* 244. §. 10. Bauld. *sup. n.* 18. id est, Patenam purificatorio,

torio, & Corporali tectam, detegit, & sine osculis offert Celebranti, & Calicem detegit, & iterum tegit, quando opus est, & cum Celebrante adorat.

Ad *Agnus Dei* Subdiaconus, facta genuflexione unico genu, accedit ad sinistram Celebrantis, & Diaconus erit ad dexteram ipsius; & ambo illud dicunt cum Celebrante, non percutientes pectora sua. Tum iidem Ministri Sacri mutant locum cum debitis genuflexionibus unico genu, in recessu, & accessu. Non datur pax in hac Missa, & in fine ejusdem Diaconus non dicit *Ite Missa est*, sed ad Altare conversus dicit, *Requiescant in pace*, in plurali, licet Missa celebretur pro unico Defuncto, ut diximus supra de Missa Privata Defunctorum.

Cum Celebrans dixerit *Placeat tibi*, &c. osculatur Altare, & deinde legit Evangelium S. Joannis de more, cum assistentia Subdiaconi, ut fit in alia Missa Solemni; & Diaconus pariter in hac circumstantia se gerit, ut in alia Missa Solemni, omissis tamen osculis, cum aliquid porrigitur Celebranti, neque osculata ejus manu, ut præscribit superior Rubrica.

RUBRICA.

5. *Si distribuendæ sunt* (c) *candelæ, distribuantur post Epistolam, & accendantur* (d) *ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, & post Missam dum fit Absolutio.* (e) *Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.*

GAVANTUS.

(c) *Candela.* Faces in Exequiis Defunctorum in usu fuere etiam in Exequiis Beatæ Virginis Deiparæ; *ex Nicephoro lib.* 2. *cap.* 22. in funere Cypr. *ex actis Ponti*; & circa funus Constantini *testatur Euseb. lib.* 4. *in ejus c.* 66. ad significandum animas vivere, & Defunctos filios lucis esse. Lege *Durand. lib.* 1. *de Ritu cap.* 23. Ex cera communi deberent esse *ex Cærem. Episc. lib.* 2. *c.* 11. quæ luctum indicare videtur.

(d) *Id Evangelium*, &c. Rite ardent ad Evangelium, quo geniti sunt Defuncti; item ad elevationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt; & ad Absolutionem, qua in Cœlos evehi eosdem desideramus; qui autem fuerunt intortitia ad Elevationem, non discedant, nisi peracta Communione, quia non est eo casu standum ab aliquo, ut supra diximus in Missa Festiva; & eodem modo candelæ a Clero accensæ ardeant usque ad Communionem: argumentum a simili sumpto in Purificat. Festo B. M. nam variæ Rubricæ se invicem declarant, & eadem est ratio utrobique in venerationem Sacramenti.

(e) *Si habendus est sermo*, &c.) Oratio habebatur funebris, *ex Theodor. lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 14. & *Nicephor. lib.* 12. *cap.* 11. & *aliis apud Durand. loc. cit.* sed extra Missam, quia non sunt Homiliæ Evangelii post ipsum habendæ.

Novæ Observationes, & Additiones, &c.

XVI. Rubr. & Gav. lit. c — *Candela, etc.*) Si distribuendæ sint candelæ in Choro, quod accidit præsertim in Exequiis, aut in Absolutione ad tumulum, distribuuntur per aliquem Ministrum post Epistolam.

XVII. Rubric. & Gavant. lit. d — *Ad Evangelium, etc.*) Ita tamen tempestive distribuantur dictæ candelæ, ut omnes sint accensæ, dum cantatur Evangelium: accenduntur etiam paulo ante Elevationem Sanctissimi Sacramenti, ut tempore Elevationis sint accensæ, & teneantur sic ardentes usque ad Communionem inclusive. Gav. *sup.* Bauld. *part.* 3. *c.* 13. *n.* 1. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 15. *n.* 2. Tandem accendantur hæ candelæ in fine Missæ ad Absolutionem, ut dicemus infra, si facienda sit talis Absolutio. Potest deputari aliquis Minister, qui teneat in Choro candelam accensam pro accendendis candelis ad Evangelium, ad Elevationem item Sacramenti, & ad Absolutionem: poterit etiam in loco remoto servari aliqua candela accensa, ut ex ea commode possit lumen capi. Bissus *lit. C, n.* 62. §. 1. *ibidem*, Bauld. *sup. num.* 8.

Hoc superest advertendum ad exactam explanationem superioris Rubricæ, quod candelæ distribuendæ, de quibus supra, deberent esse de cera communi, Cærem. Episcop. *lib.* 2. *c.* 11. & Gav. *supra lit.* c, nisi voluntas hæredum, aut eorum, ad quos spectat, inclinaret ad ceram albam. Castald. *lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 5. *n.* 2.

XVIII. Rubr. & Gavant. lit. e — *Si habendus est sermo, etc.*) Quando in hac Missa Solemni habendus est sermo in laudem Defuncti, sive Oratio funebris, non habeatur nisi finita Missa ante Absolutionem: cum enim hujusmodi sermo non sit de Evangelio, sed de laudibus Defuncti, non debet fieri post cantatum Evangelium: & ante sermonem, ad finem Missæ Celebrans prius deponat casulam, & Manipulum, & accipiat pluviale; quod si desit, stabit cum alba, & stola in modum Crucis, sedens in suo loco, & cum eo sedent etiam Ministri Sacri; qui tamen non deponunt paramenta, sed manipulos tantum. Bissus *tom.* 2. *lit.* S, *n.* 138. Bauld. *supr. n.* 20. Pulpitum, seu Cathedra panno nigro operiatur. Cærem. Episc. *l.* 2. *c.* 11. §. 10. Bauld. Bissus *supr.* & Gav. *infra lit.* g. Concionator accedet vestibus nigris indutus sine cotta; & facta Oratione ante medium Altaris, nulla petita Benedictione ab Episcopo, si aderit, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate personæ, ascendet pulpitum, ubi facta iterum Episcopo, si adsit, reverentia, signans se signo Crucis (& non decet salutationem Angelicam) statim Sermonem incipiet. Ex Cærem. Episco-

piscoporum *supra*, Castaldus *lib. 2. sect. 9. cap. 6. num. 5.* Bisso, & Bauldry *supra.*

RUBRICA.

4. *Finita Missa, si facienda est* (f) *Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ; ubi exuitur casula, & deposito manipulo,* (g) *accipit pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos* (h) *cum candelabris accensis* (i) *defert Crucem, sicut in Processionibus,* (l) *præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum thuribulo, & navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio: sequitur Celebrans, facta prius Altari reverentia, & Diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ Mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria.* (m) *Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare, & tumulum,* (n) *aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat: a sinistris ejus Diaconus, & prope eum alii duo Acolythi deferentes thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur Resp. Libera me Domine, & circa illius finem Celebrans ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculam; & finito Kyrie eleison, incipit intelligibili voce, Pater noster: & secrete prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi: & facta Altari reverentia, comitante eodem Diacono a dextris, & tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circumiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra, & ter a sinistra; cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit; postea de manu ejusdem Diaconi accipit thuribulum, & eodem modo, quo asperserat, incensat; et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis* (o) *manibus dicit.*

GAVANTUS.

(f) *Absolutio.* Orabatur post Missam circa defuncti cadaver, teste *S. Dionys. de Eccl. Hierarc. et Victorin. Uticen. lib. 2. de persecut. Wandalica:* & hæc solemnis Oratio ita dicta a Victore, a nostris dicitur Absolutio; utraque enim locum habet post Missam.

(g) *Accipit Pluviale nigrum.* * Ante sermonem accipit, si habendus est: *Cærem. Episcop. lib. 2. c. 11.* quo deficiente maneat in alba, & stola in modum Crucis ante pectus *p. 1. tit. 19. n. 4.* deponant & Ministri manipulum, ut in simili casu *Cærem. Episc.* tradit *lib. 2. cap. 17.*

(h) *Cum candelabris accensis.* Ad honorem Crucifixi afferuntur candelabra cum cereis.

(i) *Defert Crucem, sicut in Processionibus.* A Subdiacono defertur, sicut de Cruce Papali scribit *Anastas. in Leone IV.* ubi significat, Ritum esse antiquiorem: facies autem Crucifixi versa sit ante Subdiaconum, ut terga vertat eidem Subdiacono, ut diximus *loco nunc cit. n. 3. et causa allata;* imo vero ex hac Rubrica apertissime Ritus hic colligitur: nam Celebrans Crucem, & faciem Subdiaconi eam gestantis respicit, & consequenter Crucifixi imaginem idem Celebrans conspicit, cui dum transit, inclinat; & imago Crucifixi terga vertit Subdiacono.

(l) *Præcedentibus duobus aliis Acolythis, etc.* Thuriferarii locus est ante Crucem semper, quasi sternens odore viam Crucifixo sequenti. Hinc etiam collige, faciem Crucifixi respicere terga præeuntis Thuriferarii.

Alter cum aqua benedicta pariter cum eo procedit: quia in Exequiis Defunctorum thus, & aqua benedicta sunt correlativa.

Incenso thure Defunctos honorari debere, probat *Baron. Ann. 34. n. 312. ex Actis Synodi Chalcedon.* Aqua vero benedicta aspergi docet *Duran. supra c. 35.* non ad tollenda peccata venialia, sed ut omnis immundorum spirituum præsentia arceatur: fiunt etiam incensationes ad eosdem expellendos, *ex Innoc. III. lib. 2. de Myster. Missæ c. 17.* & ad pellendum odorem malum Defunctorum, *ex Beletho cap. 161.* & ut ostendatur, quod Defunctus Deo obtulit se in odorem bonorum operum; seu quod Defunctis prosit Oratio, quæ est veluti incensum. *Psal. 140.* Denique tam incensatio, quam aspersio adhibentur in signum societatis, & Communionis Sacramentorum, quam nobiscum habuerunt Defuncti, dum vixerunt: unde & *Dionys.* tradit, quod antiquitus vivi mortuos osculabantur in signum unitatis, quam cum ipsis habuerunt, vel in ordine ad Deum, per hæc talia, Deo in Defunctis reverentiam exhibemus, quorum membra credimus fuisse templa Spiritus Sancti. *Durand. loc. cit.*

Dubitarunt aliqui, an benedicatur incensum, quo immediate adolentur Defuncti? nam in antiquioribus Missalibus nihil præscribitur, neque in modernis Cærem. Episcopor. & Rituali Parochorum: at in Missali recognito aperte jubetur hoc loco iis verbis: *Benedicens illud more solito*: quod triplici decretum est fundamento: primo, auctoritate *Cærem. Pap. lib. 1. sect. 15. cap. 1.* ubi expresse jubetur benedici incensum pro adolendis Defunctis: & adduntur verba, *Ab illo benedicaris etc.* Deinde *ex. Innoc. III. sup. cit.* incensatio hæc fit præcipue ad expellendos Dæmones; quæ ratio connotat Benedictionem thuris, & thuribuli, *ex Durand. lib. 1. de Rit. c. 9. n. 9.* Demum non aqua simplici, sed benedicta Defunctos aspergimus: ergo etiam thure benedicto erunt incensandi: libri vero in oppositum citati non negant, sed vel omittunt, vel supponunt tanquam usitatum.

(m) *Celebrans ex aliâ parte.* * Dum descendit habeat birretum in capite; *ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 11.* ubi agitur de Canonicis ad lecticam

Mor-

Mortuorum. Deinde capite detecto se sistit, ut in Rubrica; *ex Cærem. Pap. lib. 1. sect. 15. cap. 1.* non ad caput lecticæ imaginarium Defuncti, quod variari contingit in Sacerdotibus, & aliis; nam Sacerdotis caput versus Altare esse debet; aliorum vero pedes versus Altare, ut dicitur in *Rituali Rom. de Exequiis:* sed Celebrans debet esse semper inter Altare, & tumulum, seu lecticam Mortuorum absente corpore; Subdiaconus contra Altare ad pedes lecticæ, seu tumuli; præsente vero corpore servatur Rituale citatum.

(n) *Aliquantulum versus cornu Epistolæ.* Ne terga directe vertat Altari, & ut orans Sacerdos vicinior sit Altari.

(o) *Junctis manibus, dicit.* Extra Missam dicuntur semper Orationes manibus junctis: ille namque ritus est Missarum proprius extendendi scilicet manus, ut supra diximus, initio Missæ. Oratio vero *Absolve*, communiter dicitur, unde & Absolutio vocatur; sed potest etiam dici Oratio Missæ, ut in *Rituali Romano* præscribitur; quod convenit præsertim in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando fiunt exequiæ Prælatorum: *Marcellus* tamen *in suo Cærem. Papali lib. 2. cap. 35.* constanter habet in Absolutione Prælatorum Orationem *Absolve:* quod mihi magis placet, addito dignitatis titulo, quam habebat Defunctus, nomini ejusdem.

* Dum fit Absolutio, si elevetur Sacramentum in aliquo Altari, neque Celebrans, neque Ministri debent genuflectere, ne sacra interrumpatur actio; & rectius fieret, si in ea elevatione pulsatio campanulæ omitteretur a Ministro.

RUBRICA.

* *Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextera super tumulum, dicit, Requiem æternam, etc.*

GAVANTUS.

Et reliqua, ut in Missali; Cantores dicunt, *Requiescant*, licet pro uno fiat Absolutio, & præcedente Cruce reditur in Sacristiam.

Novæ Observationes, & Additiones, &c. pro Ritu servando in Absolutione ad tumulum.

XIX. Rubr. & Gavant. lit. f — *Si facienda est Absolutio, etc.*) Quando facienda est absolutio ad tumulum, finito Evangelio Sancti Joannis, Celebrans cum Ministris suis retrahit se ad cornu Epistolæ, facta prius reverentia Cruci Altaris in medio per ipsum, & genuflexione per Ministros; & deinde cum illis descendit per gradus laterales in planum, ubi deponit planetam, & manipulum, adjuvantibus Cæremoniario, & Ministris, vel Acolythis juxta ea, quæ diximus supra, quando egimus de induendo, vel exuendo Sacerdote in Missa Solemni: similiter Ministri Sacri deponunt suos manipulos tantum; qui simul cum planeta Celebrantis exponantur super credentiam, vel in alio loco congruo, & eo deficiente, super Altare; & mox aliquis Acolythus defert pluviale nigrum pro Celebrante. Biss. *lit. A n. 45. §. 1.* Bauld. *par. 3. c. 14. n. 1.*

XX. Rubr. & Gav. lit. g — *Accipit pluviale nigrum, etc.* Celebrans autem, adjuvantibus iisdem, qui supra, accipit pluviale nigrum; quo deficiente, ut diximus, remanet in albis, retinendo stolam ante pectus transversam in modum Crucis: postquam assumpsit pluviale, tegit caput; Bauld. *par. 3. cap. 14. n. 2.* & accedit ad medium Cappellæ ante Altare. Deinde Thuriferarius accipit thuribulum cum navicula incensi; alius vero Acolythus accipit vas aquæ benedictæ cum aspersorio & Rituali.

XXI. Rubr. & Gav. lit. h — *Cum candelabris accensis, etc.*) Subdiaconus vero post depositum manipulum accipit Crucem processionalem ei ab aliquo Acolytho delatam; quam sic tenet, ut imago Crucifixi sit versus populum, & ipsi Subdiacono terga vertat: deinde idem Subdiaconus, medius inter duos Ceroferarios cum Candelabris accedit per planum, ante medium Altaris, nulla prorsus facta reverentia ipsi Altari, neque a Ceroferariis. Thuriferarius etiam, & alius Acolythus cum vase aquæ benedictæ, aspersorio, & Rituali, accedunt ad Altare post Subdiaconum, ubi unico genu Altari genuflectunt; tum ordinatur Processio ad feretrum sequenti modo.

XXII. Rubr. & Gav. lit. l — *Præcedentibus duobus aliis Acolythis, etc.*) Præcedit Thuriferarius cum thuribulo in dextera, & navicula in sinistra, habens a sinistris alium Acolythum cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, portantem etiam Rituale, nisi ab alio deferatur: postea sequitur Subdiaconus habens Crucem modo supradicto, medius inter duos Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accensis; deinde Cæremoniarius si adsit, postea Clerus suo ordine: Bissus *lit. P, n. 222.* Bauld. *supra:* & si Chorus sit retro Altare, Clerici exeunt bini, incipiendo a junioribus simul ex utraque parte, nisi Absolutio esset facienda in Choro, vel ante eum, quia tunc Clerus in choro manebit. Bauld. *supra n. 3.* & Bissus *tom. 1. lit. C n. 334.*

XXIII. Rubr. *Sequitur Celebrans, etc.*) Post dictos omnes sequitur Celebrans qui facere prius debet Altari reverentiam, vel genuflectere Venerabili, si adsit in Tabernaculo; sed antequam se inclinet, vel genuflectat, aperit caput, & iterum tegit, & sic tectus procedit: ex Cæremoniali Episc. *lib. 2. cap. 11. §. 14.* & Gavant. *infra lit. m*, & Diaconus procedit a sinistris ejus, genuflectens prius, aperto capite sicut cæteri. Omnes autem antequam ab Altari discedant, faciant Cruci ejusdem debitam reverentiam, seu genuflexionem, præsertim vero si adsit Sanctissimum Sacramentum exceptis tamen Subdiacono, & Ceroferariis; solusque Celebrans in hac Processione, ut diximus, procedit tecto capite; & si contingat, quod ante Sanctissimum Sacramentum transeant, etiam ipse sicut cæteri omnes genuflectunt, ut mox innui.

XXIV. Rubr. & Gavant. lit. m — *Celebrans ex alia parte, &c.*) Cum pervenerit ad tumulum, sive feretrum, Thuriferarius, & alius Acolythus cum vase aquæ benedictæ, se locant prope tumulum: parte Epistolæ, ubi expectant Celebrantem: ex Cærem. Episc. *sup.* §. 15. Bauld. *supra n.* 4. Subdiaconus vero cum Ceroferariis per partem Evangelii progreditur ad pedes tumuli; ita ut sit inter Ecclesiæ portam, & tumulum, in medio talis spatii, faciem convertendo contra Altare, & animadvertendo, ut relinquatur spatium Celebranti, & Diacono quamprimum illac transituris. Ex Cærem. Episc. *supra* Gavanto *supra*, Castaldo *lib. 2. sect. 9. c. 5. n.* 9. & Bauld. *supra*. Sed quia in Exequiis præsente corpore Defuncti, aliquando ponitur caput versus Altare, si nempe defunctus fuit Sacerdos; e contra vero corpora aliorum defunctorum versus Altare habent pedes; in his casibus Subdiaconus cum Cruce debet stare ad caput defuncti, & Celebrans ad pedes. Ex Cæremoniali Episc. *supr.* §. 15. & §. 24. & ex Rituali Rom. tit. de exequiis: sed hac de re paulo infra. Si autem corpus non sit præsens, sed tantum simplex tumulus, tunc semper Subdiaconus stet inter portam Ecclesiæ, & tumulum; Celebrans vero manet ex alia parte in capite loci inter Altare, & eumdem tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat, tenendo a sinistris ejus Diaconum, & paulo retro prope eum alios duos Acolythos, deferentes thuribulum, naviculam, & vas aquæ benedictæ. Gavant. *sup.* ex Cærem. Episcop. Deinde Celebrans statim aperit caput, tradendo birretum Diacono; Clerus vero se disponat circa tumulum hinc inde a lateribus: ita ut seniores, seu digniores sint Celebranti propinquiores, juniores autem Cruci viciniores. Rubrica superior, Gav. Bissus *supra* & Bauld. *par. 3. c. 15. n. 4. & seq.*

Diximus supra, quod Subdiaconus deferens Crucem, quando defunctus est præsens, semper stare debeat ad caput ejusdem defuncti, quicumque ille sit: verum juxta nostrum Castaldum in Cæremoniali nostræ Congregationis *lib. 2. c.* 59. idem Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, si defunctus sit Sacerdos, sistere debet ad pedes contra Altare, non vero ad caput: unde juxta eumdem auctorem, & præxim etiam omnium fere Ecclesiarum, ut asseverat Baruffaldus infra citandus, semper præfatus Subdiaconus sistit eodem loco; ita ut stet cum Cruce contra Altare, numquam vero humeris ad Altare versis, & facie contra populum, seu januam Ecclesiæ; quam praxim, & dispositionem rejicere non possum: nam si Subdiaconus sisteret se in casu Sacerdotis defuncti ad caput ipsius, terga verteret Altari, & Cruci ejusdem; quod indecens, & deforme videtur: & ob hanc rationem in hanc nostram sententiam inclinat etiam Baruffaldus *tit.* 36. *n.* 150. ubi supponit idem asseri etiam a nostro Gavanto hoc loco *lit.* m, sed revera Gavantus expresse loquitur de loco, quo sistere debet Subdiaconus absente cadavere: dicit enim, quod — Celebrans debet esse semper inter Altare, & tumulum, seu lecticam Mortuorum absente corpore; Subdiaconus contra Altare ad pedes lecticæ, seu tumuli: præsente vero corpore servatur Rituale citatum — Hæc sunt verba præcisa Gavanti, qui revera videtur stare pro opinione nobis contraria, cum Rituale Romanum in titulo de Exequiis præscribat, quod Subdiaconus *Accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum Cruce, &c.* quoniam vero, ut supra diximus, quando cadaver est Sacerdotis defuncti, ejus caput est versus Altare, inhærendo dispositioni Ritualis Romani; prima fronte videtur absolute statui debere, quod tunc Subdiaconus cum Cruce debeat stare ad caput dicti cadaveris, & consequenter terga vertendo Altari; sed verba Ritualis Romani non ita rigorose interpretanda sunt: leges enim humanæ, ut diximus supra *tit.* 4. in nostris Observationibus *num.* 5. quando aliquid præscribunt, non sunt accipiendæ pro hoc, vel illo casu particulari, sed pro communibus casibus; attendunt etenim id, quod communiter contingit: & hæc est communis resolutio in materia de legibus, ut docet Fagundez de præcept. Eccles. *lib. 3. cap. 2. n.* 8. Ex quo igitur defuncti communiter sunt personæ ad gradum Presbyteratus non evectæ, hinc statuit Rituale, quod Subdiaconus debet stare ad caput Defuncti: & quamvis in uno vel altero casu Subdiaconus non sistat ad caput defuncti, adhuc lex in Rituali Romano statuta observatur: quia, ut dixi, leges attendunt, quod communiter contingit; & ideo simpliciter latæ censentur veræ, quamvis in uno vel altero casu deficiant.

XXV. Rubr. *Interim cantatur Responsorium; Libera me Domine, &c.*) Dispositis Ministris, & aliis de Clero, ut supra, tunc, & non prius, incipiunt Cantores, *Libera me Domine* (stantibus omnibus capite discooperto, etiam Celebrante) ℣℣. vero hujus Responsorii dicantur a duobus Cantoribus ab utraque parte. Bissus *tit. A. n.* 45. §. 2. Bauld. *sup. n.* 7. Circa finem Responsorii Diaconus & Thuriferarius genuflectunt Altari, & accedunt ad dexteram Celebrantis, qui Celebrans imponit ter de more incensum, illud benedicens manu, dicente prius Diacono, *Benedicite Reverende Pater;* ipso vero Celebrante dicente, *Ab illo benedicaris etc.* illudque benedicit modo solito: Gavant. *supra lit. I* §. *Dubitarunt aliqui:* tum redeunt ad loca sua cum debitis reverentiis. Biss. *litera D, n.* 130. Bauld. *supra.*

XXVI. Rubr. *Finito Kyrie eleison, Sacerdos etc.*) Finito Responsorio, Cantor cum primo Choro dicit *Kyrie eleison*, & secundus respondit *Christe eleison*, deinde omnes simul dicunt *Kyrie eleison*: postea Celebrans dicit clara voce *Pater noster*, & secreto prosequitur cætera, sicut prosequi debent omnes: intonato autem prædicto *Pater noster*, Celebrans accipit a Diacono aspersorium sine osculis, deinde pergit ad aspergendum feretrum, habens eumdem Diaconum a dextris elevantem an-

te-

teriorem partem pluvialis, & tenentem ipsam sinistra manu per fimbriam (si adsit Cæremoniarius poterit in hac actione Celebrantem præcedere genuflectens Altari, & Cruci, quando ante illam transit; & idem facere debet Diaconus; Acolythus vero, & Thuriferarius, ministrant necessaria, non discedentes a propriis locis) sic Celebrans facta reverentia Altari, vel genuflexione SS. Sacramento, si ibi adsit, procedit circumiens feretrum per latus suum dexterum, ter aspergens illius feretri latus dexterum, scilicet in capite, in medio, & in pede: & deinde ter aspergit sinistrum latus ejusdem tumuli eodem Ritu; & quando transit ante Crucem Subdiaconi, profunde se inclinet: Diaconus vero, ut dixi, genuflectit; & advertat dum transit per partem, in qua est Crux, ut transeat inter feretrum, & Crucem. Ex Cærem. Episc. *sup.* §. 18.

Postquam Celebrans asperserit feretrum, reddit aspersorium Diacono, uti prius illud ab eo accepit; & ibidem de manu ejusdem accipit thuribulum, & incensat feretrum, circumiens eo modo, quo diximus de aspersorio, nimirum ter in qualibet parte laterali tumuli thuribulum ducens.

XXVII. Rubr. & Gav. lit. o — *Junctis manibus dicit, &c.*) Sacerdos completa incensatione feretri, reddito prius thuribulo Diacono, facit debitam reverentiam Altari (Diaconus vero semper genuflexionem) stans in suo loco, ut prius, versa facie ad Crucem. Subdiaconi, & eodem Diacono tenente librum apertum ante eum, paululum tamen a sinistris ejus (ut habetur ex Rituali Rom.) dicit junctis manibus, *Et ne nos inducas in tentationem*, & alia, quæ in Rituali, aut Missali habentur: postea, item manibus junctis dicit, præmisso *Oremus*, vel Orationem *Absolve*; vel Orationem, quæ dicta fuit in Missa; Bissus *lit. A n.* 35. §. 6. in quibus quando sunt Exequiæ Sacerdotum & Prælatorum, serventur ea, quæ tradit Gav. *sup.* Terminari debent autem prædictæ Orationes brevi conclusione, dicendo, *Per Christum Dominum nostrum*; & responso *Amen* a Choro, Celebrans, faciens Crucem manu dextera super feretrum (interim Diacono elevante anteriorem fimbriam pluvialis a dexteris) sinistra pectori admota, dicit, *Requiem æternam, &c.* ac mox Cantores cantant *Requiescant in pace* in plurali, quamvis absolutio fiat pro uno tantum; Gav. *supra in fine*; & Chorus respondet *Amen.* Responso autem *Amen*, omnes eodem ordine, quo ab Altari venerant ad tumulum, a tumulo recedunt, inclinantes caput Cruci processuali, cum transit ante ipsos, Castald. *l.* 1. *sect.* 9. *c.* 5. Interim cerei in Altari, & in tumulo extinguuntur, & omnes ad Sacristiam se recipiunt, faciendo debitas reverentias, vel genuflexiones respective, prout convenit, & supra diximus, exceptis semper Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis cum candelabris.

Si elevetur SS. Sacramentum, dum fit Absolutio, serventur ea, quæ tradit Gav. *sup.* §. *Dum fit Absolutio*: Tonellius tamen in tali casu, vult Sacerdotem cum Ministris debere genuflectere, nisi aspergat, vel incenset tumulum, aut dicat Vers. & Orationem. Quarti vero *part.* 2. *tit.* 13. *dub.* 3. docet, Sacerdotem in simili casu debere genuflectere, etiamsi actu aspergat tumulum, vel incenset: quam tamen sententiam improbat Biss. *lit. G, n.* 26. §. 2. & ibidem convellit rationes a Quarti productas, in confirmationem suæ sententiæ.

Si non adsit lectica, ad quam eundum sit in fine Missæ, Celebrans dicto *Placeat tibi*, ante Evangelium S. Joannis, accedit ad cornu Epistolæ; ibique super suppedaneum, deposita planeta, & manipulo super Altare in cornu Epistolæ, si non adest credentia, vel alius locus commodior, juxta Cærem. PP. Eremitarum S. Augustini *part.* 1. *cap.* 19. capit pluviale nigrum, ut supra (itemque Ministri Sacri deponunt manipulos tantum) & stans ibidem, conversus ad Altare, expectat finem Responsorii, *Libera me Domine de morte æterna*, quod cantatur a Choro, statim ac ab eo responsum fuerit *Amen* post *Requiescant in pace* ante Evangelium S. Joannis: interim Acolythi extendunt pannum nigrum in plano ante medium Altaris. Bissus *lit. A, c.* 47. §. 1. Bauldry *sup. n.* 12. a Portu *par.* 3. *cap.* 2. *de Miss. Solemn. Defunct. tit.* 13. *Rub.* 4. *in adnot. n.* 28. §. *Ubi non erigatur.* Tum unus Acolythorum accipit vas aquæ benedictæ cum aspersorio, alter thuribulum cum navicula, & ambo ad cornu Epistolæ accedunt; ubi circa finem Responsorii Celebrans ponit, & benedicit thus in thuribulo, ministerio Diaconi sine osculis, ut diximus supra, Bauld. *supra*, Bissus *supra* §. 2. & a Portu *supra*: Responsorio finito, & dicto ultimo *Kyrie eleison*, ut supra, Celebrans adhuc stans in prædicto cornu Epistolæ versus Altare, seu super suppedaneum, facie versa ad candelabra, intonat clara voce *Pater noster*, quod secreto prosequitur; & interim Thuriferarius, & Acolythus de vase aquæ benedictæ, accedunt cum debitis reverentiis, quasi ad cornu Evangelii per planum, & ascendunt ad secundum gradum, ubi ministrant alternatim Diacono aspersorium, & thuribulum; & Celebrans accedens ad medium Altaris cum Ministris Sacris, ubi facta reverentia Cruci, vertit se versus illum pannum nigrum extensum in plano, & ita stat super suppedaneum, medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris: ibi accipit de manu Diaconi aspersorium, eoque aspergit pannum ter, in medio, a dexteris, & a sinistris panni; redditoque aspersorio, capit thuribulum, & ter similiter thurificat eo modo, quo aspersit. Bauld. *supra num.* 13. Bissus *supra num.* 2.

Quo facto, iterum revertitur ad cornu Epistolæ versus Altare; & libro super illud cornu posito, dicit alta voce Vers. *Et ne nos inducas in tentationem*, & alios VV. & Orationem, ut in Missali, seu Rituali. Dicto autem a Cantoribus, *Requiescant in pace*, accedens adhuc cum pluviali ad cornu Evangelii (facta prius in medio Altaris reverentia) ibique signans Altare, aut tabellam, & seipsum, dicit more solito Evangel. S. Joannis: quo

dicto, factis debitis reverentiis Altari medius inter Diaconum, & Subdiaconum (quia habet pluviale) fimbrias anteriores ipsius pluvialis tunc elevantes, præcedentibus Acolythis, & aliis de Clero vadit ad Sacristiam, ubi se exuit, ut in aliis Missis. Bissus *supra* §. 3. Bauld. *supra n.* 14. & a Portu *supra.*

Quando fit prædicta Absolutio pro Defunctis in fine Missæ, & non adsunt Ministri Sacri; debent adhiberi saltem quatuor Acolythi, qui inserviant Celebranti, vel etiam pauciores, si tot haberi non possint: quare poterunt tunc omitti Ceroferarii, & ad caput Defuncti sufficiet unus Acolythus cum Cruce; quæ Crux etiam in casu, quo hic Acolythus haberi non posset, poterit ad caput Defuncti, vel feretri collocari in aliquo pede, puta marmoreo: & ita sufficient duo Acolythi, qui inserviant Celebranti; quorum unus porriget Celebranti aspersorium, & alter thuribulum; & qui de thuribulo inserviet, sustinere debebit librum, id est Rituale, dum Celebrans leget Orationem: item isti Acolythi respective elevant fimbrias pluvialis Celebrantis, dum circuit tumulum, Acolytus scilicet, quando aspergit, & Thuriferarius quando incensat, genuflectente Altari, & Cruci, quando ante eam transeunt. Bauld. *sup. n.* 15. Bissus *lit. A, n.* 48. Vinitor *supra* §. 14. a Portu *supra.*

In Exequiis autem Defunctorum, nempe præsente cadavere, antequam Cantores intonent *Libera me Domine*; Sacerdos recitat precem illam, quæ habetur in Rituali Romano, & quæ incipit per verba: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, &c.* quæ immutata semper remanent; unde etiamsi defunctus sit fœmina, vel sint plures defuncti, non dicitur *Cum serva tua Domine*, vel *Cum servis tuis*: & ita declaravit S. R. C. in Decreto edito 31 Augusti 1697. & dato in nostro Indice *sub num.* 518.

* De his, quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est SS. Sacramentum. XIV.

GAVANTUS.

1. DEsideratur hic titulus in Rubricis Missalis a multis; de quo hoc loco, ne desideretur amplius, in hisce Commentariis: sed in *Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 12. optime monemur ex antiquorum documentis, ut abstineamus a Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo Tabernaculo occluso: quod si ferat necessitas, vel suadeat alia justa causa, puta, infra Octavam Corporis Christi, & Romæ in fine publicæ Orationis 40. Horarum; eo casu genuflexiones omnes, & actus reverentiales debiti, diligenter sunt observandi, quos variis in libris Ritualibus præscriptos, & sparsim, hoc loco collegimus.

2. In primis igitur illud est notandum, quod pro exponendo Sacramento in Altari pro initio 40. Horarum, vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa Votiva de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis; non autem Festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam ejusdem Festi casu accideret) & tempore Paschali addendum erit *Alleluja*, ut fit in aliis Votivis Missis.

3. Dicitur una tantum Oratio, cum *Gloria*, *Credo*, & Præfatione de Nativitate, quia solet esse publica causa, non autem Privatis Missis hæc conveniunt.

4. Si vero accidat in Festo primæ, vel secundæ Classis, sive in Dominica privilegiata primæ, vel secundæ Classis; tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Missæ, altera de Festo, seu Dominica post Tertiam, altera Votiva de Sacramento post Nonam; vel una cantetur de die cum Commemoratione SS. Sacramenti; quod Romæ fit in Cappella Papæ in prima Dominica Adventus, & in aliis diebus Festis solemnibus in Ecclesiis majoribus Urbis.

5. In ingressu Celebrantis, & Ministrorum ad Altare, in quo patet Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano Cappellæ utroque genu; facta vero Confessione, ascendunt ad Altare, ubi deinceps genuflectunt unico genu; ut expeditiores sint, & Celebrans dicit, *Oramus te Domine*, ut alias.

6. Incensatio Altaris fit de more, stante Sacerdote, dum benedicit incensum, quod item de more benedicitur: *ex Cærem. Episc. lib.* 1. *cap.* 23. quia Altare, & Celebrans etiam thurificari debent. Pro Cruce, quæ adesse non debet, incensatur Sacramentum a Celebrante super altiorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo: neque Diaconus osculari quidquam debet in hac Missa, quod tradi debeat Celebranti; neque manus item Celebrantis in traditione rerum, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti; quod expresse dicitur in *Cærem. Episc. lib.* 2. *cap.* 33. *Absque osculo, inquit, cochlearis, & manus*: quidquid contra scripserit recentior: inclinat autem Celebrans genuflexus caput suum profunde ante, & post incensationem Sacramenti.

7. Cum incensandum est, Celebrans, reddito thuribulo in cornu Epistolæ, ut moris est, descendit, & sistit se apud idem cornu, facie versa ad populum, advertens, ne dum movet se, terga vertat Sacramento, & ibi a Diacono e contra stante in plano Cappellæ incensatur: quod erit quoque observandum in altera incensatione ad Offertorium: & ibidem lavabit manus: eadem enim est ratio exeundi extra Altare tam pro incensatione, quam pro ablutione manuum Celebrantis: & utrumque servatur in Urbe.

8. Accedens ad medium Altaris, & recedens a medio, vel transiens ante medium, toties quoties semper genuflectit Celebrans unico genu; quod & Ministri observant.

9. Convertens se ad populum dicturus, *Dominus vobiscum*, seu alia, facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se renibus versis ad Evangelii cornu: tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum seu Altare.

10. Dia-

10. Diaconus, & Subdiaconus non omittunt tamen osculum manus Celebrantis in fine Epistolæ, & ante Evangelium; quod alias fit de more.

11. Si concionandum est a Celebrante, fiat ab eo stante in cornu Evangelii, & aperto capite: Ministri ad ejus dextram stabunt extra cornu Evangelii.

12. In incensatione oblatorum benedicit incensum de more, & sine genuflexione incensat oblata: tum genuflexus super altiorem gradum, ut supra, incensat Sacramentum: ut initio Missæ. Diaconus non amovet Calicem de medio, quia nullum est periculum effusionis ejus.

13. Dicitur *Orate fratres* a Celebrante; uti *Dominus vobiscum:* sed non perficitur circulus, ut habetur in *Missali Feria* 6. *Parasceves*; rursusque genuflectitur, quia reditur ad medium.

14. Reliqua usque ad Communionem inclusive, fiunt ut in aliis Missis: a Communione ad finem Missæ fiunt genuflexiones, & conversiones ad populum, ut *n.* 8. & 9. dictum est.

15. In Benedictione populo danda; dicto *Omnipotens Deus*, genuflectit Celebrans; & in latere Evangelii benedicit: non perficit circulum, neque in medio genuflectit; sed in eodem latere conversus statim ad Altare, signat librum, seu tabellam Evangelii ultimi: non Altare, quamvis Sacramentum esset altius Altari: est enim ac si esset in Altari.

16. Recedit cum Ministris ab Altari cum genuflexione in plano Cappellæ utroque genu facta: vel facienda est Processio pro fine Orationis publicæ, facta prope Altare genuflexione in medio, descendit extra cornu Epistolæ; ubi depositis manipulis a se, & a Ministris cum clausula, induit Celebrans pluviale, & cætera facit, quæ ad Processionem spectant; de qua nos infra *parte 4. tit. 12. n. 3. et seqq.* quibus illud hoc loco adde, incensandum esse prius Sacramentum, quam deponatur de loco suo super Altare, si imponendus est Orationis finis.

17. In Missa Privata (quæ tamen quam parcissime celebranda erit in Altari, in quo Sacra Eucharistia est exposita) eadem observari debent, quæ supra diximus, demptis iis, quæ sunt propria solemnis Missæ.

18. Neque illud omittatur, quod præscripsimus de manuum ablutione extra Altare. Quidam sumunt ablutionem digitorum, antequam redeant ad medium Altaris, ad majorem erga Sacramentum reverentiam: sed non video irreverentiam in sumenda purificatione Calicis in medio Altaris: ergo neque digitorum: quare placet ex communiori usu Ritus communis omnibus Missis.

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti textum.

I. Gavant. n. 2. *Pro exponendo Sacramento in Altari pro initio quadraginta Horarum, etc.*) Quoniam hic Gavantus agit de expositione SS. Sacramenti, quæ fit in Oratione quadraginta Horarum; idcirco ejus vestigiis inhærendo, etiam nos hoc loco addemus omnia ea, quæ spectare possunt ad exactum Ritum talis functionis; & cum recentissime edita fuerit jussu Clementis XI. San. mem. de Anno 1705. die 20. Januarii, quædam instructio, quæ seperitur etiam in suo Bullario, & quæ sub aliis Pontificibus successoribus Innocentio, & Benedicto XIII. necnon Clemente XII. reimpressa, & ab omnibus Ecclesiis in Urbe, ad praxim deducta fuit; hinc ut omnes aliæ Ecclesiæ etiam extra Urbem perfecte instruantur de Ritibus, & Cæremoniis, quæ in prædicta expositione servari debent; congruum, & valde utile arbitramur subnectere copiam exactam talis instructionis, impressam typis Rev. Cameræ Apostolicæ 1730.

ISTRUZIONE, ED ORDINI

Da osservarsi nell' Orazione continua di Quarant' ore coll' Esposizione del SS. Sacramento *per li bisogni di Santa Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pentefici, confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di N. S. Papa* Clemente XII.

Prospero del Titolo di S. Silvestro in Capite della S. R. C. Cardinale Marefolchi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, &c.

Essendo state fatte fin dal tempo dell' introduzione dell' Esposizione del Santissimo Sacramento per l' Orazione continua di Quarant'ore diverse provvisioni spettanti al decoro di detta sagra funzione, acciò le medesime vengano esattamente osservate, e si rimova qualche abuso introdotto in alcune Chiese; d' ordine espresso della Santità di Nostro Signore, datoci coll' oracolo della sua viva voce, ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chiese di quest'alma Città, tanto Patriarcali, quanto Collegiate, e Parrocchiali, ed in ogni altra Chiesa sì de' Secolari, come de' Regolari, in qualsivoglia modo privilegiata, e degna di special menzione, in cui si farà la suddetta Orazio-

ne

ne di Quarant'ore, si osservi inviolabilmente quanto si prescrive nella presente novissima istruzione, sotto le pene infrascritte.

I. Si metterà sopra la porta della Chiesa, dove sarà l' Esposizione, un segno del Santissimo Sagramento ornato di festoni, come pure a capo della strada vicina, perchè sia noto a chi passa, esservi l' Esposizione del Santissimo Sagramento.

II. Il Santissimo Sagramento doverà esporsi nell'Altare maggiore (eccettuatene le Basiliche Patriarcali, nelle quali si suol'esporre sopra altro Altare) e si coprirà l' immagine, o statua, che vi sia; come anche le pareti della tribuna, e le vicine all'Altare, se non vi sono ornamenti fissi, si copriranno con drappi, avvertendosi, che gli apparati non contengano istorie, nè cose profane.

Sopra l'Altare non vi si pongano Reliquie de' Santi, o statue de' medesimi non escludendosi però quello degli Angeli, che faccino figura di candelieri e molto meno vi si pongano figure dell'Anime del Purgatorio di qualsisia materia: il che si proibisce anche in tutte le Esposizioni particolari, ed in quelle che talvolta si fanno per suffragio di quell'Anime.

III. Sopra detto Altare in sito eminente vi sia un Tabernacolo, o Trono con baldacchino proporzionato di color bianco; e sopra la base di esso vi sia un Corporale per collocarvi l'Ostensorio, o Custodia, il di cui giro sarà attorniato di raggi, e non vi sarà davanti alcun ornamento, che impedisca la vista del Santissimo.

IV. Ardano sopra l' Altare almeno venti lumi continuamente, cioè sei candele d' una libbra, tre per parte dalli lati della Croce, ed otto candele nella parte superiore, con altre quattro dalli lati dell' Ostensorio; nella di cui parte opposta non vi si ponga onninamente lume alcuno; e vi siano finalmente due torcieri con le fiaccole almeno di tre libbre l' una. L' istesso numero de' lumi vi sia anche di notte dopo serrata la Chiesa, tra' quali ve ne siano almeno dieci di cera; e per la Chiesa nella sera si mettano lumi sufficienti per evitare la confusione, quali stiano accesi finchè si chiudano le porte di essa. Potranno anche il giorno oscurarsi le finestre vicino all' Altare dell' Esposizione, ad effetto di raccogliere la mente de' Fedeli all'Orazione.

V. Niun Sacerdote, benchè vestito con sacco di qualsivoglia Compagnia, ardisca di andare intorno all' Altare per aggiustare lumi, o far altro, che occorra; ma doverà essere un Sacerdote, o almeno un Chierico con cotta; con la quale sopra il proprio abito dovranno comparirvi anche li Regolari di qualsivoglia Religione; avvertendosi di più, che ogni persona di qualsivoglia condizione, ed ordine, per Decreto della Sagra Congregazione de' Riti, Urbis 19. Augusti 1651. *avanti il Santiss. Sagramento esposto accostandosi, o partendosi da esso, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla persona del Sacerdote, quale celebra la Messa Privata, s' insinua esservi decreto della medesima Sagra Congregazione,* Urbis 7. Septembris 1638. *che mentre passa avanti l' Altare, in cui sta esposto il Santissimo Sagramento, che dopo fatta l'adorazione con le ginocchia piegate, scoperto il capo, alzandosi lo ricopra.*

VI. Si tenga durante l' Esposizione alla porta della Chiesa, per la parte di dentro, o di fuori, come tornerà più comodo, un tappeto, che faccia forma di bussola, con spazio adequato alli lati, per comodità del popolo; e sia talmente posto, che non possa mai dalla strada vedersi il Santiss. Sagramento.

VII. Stiano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altr' Ordine Sagro costituiti, se si potrà, vestiti di cotta (benchè siano Regolari) genuflessi avanti d' un banco ricoperto con tappeto, o panno rosso, o d' altro colore, e qualità decente, vicino all' infimo grado dell' Altare, e mai sopra genuflessorj, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove sarà qualche Confraternità vi assistano due Confratelli almeno, avanti un banco coperto di panno verde, o d'altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del Presbiterio, e distanti dagli Ecclesiastici suddetti; ed oreranno con tutta divozione per edificazione degli astanti, e con voce sommessa per non causare distrazione agli altri.

VIII. Nella Sagrestia vi sia l' orologio almeno a polvere per sapere il tempo della vicenda; di cui se ne darà il segno ad ogni ora con la campana maggiore tanto di giorno, come di notte.

IX. La sera avanti il giorno dell' Esposizione dopo il segno dell' Ave Maria si suonino le campane solennemente per avviso del popolo, come anche la mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri segni dell' Ave Maria durante l' Esposizione, come parimente le solite tre volte avanti le Messe solenni.

X. Nell' Altare dove sta esposto il Santiss. Sagramento, non si celebri altra Messa, che la Solenne per l' Esposizione, e Reposizione: ne' quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chiese dov' è obbligazione di cantarla) si celebrerà dopo Nona la Messa del Santissimo Sagramento Votiva Pro re gravi *; eccettuate però tutte quelle Domeniche, che sono di prima, o seconda Classe, e tutti li giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto universale quanto particolare di quella Chiesa in cui si fa l' Esposizione, si fa Officio parimenti di prima, o seconda Classe, come anche eccettuata la Feria quarta delle Ceneri, e le Ferie seconda, terza, e quarta della Settimana Santa, tutti li giorni dell' Ottava di Pasqua, e di Pentecoste, e le Vigilie del Santo Natale, e della Pentecoste, e l' Ottava dell' Epifania; nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e Ferie eccettuate, si canterà la Messa Conventuale con l' Orazione aggiunta del Sagramento* Sub unica conclusione *: e tutto ciò si osserverà inviolabilmente in tutte le Chiese tanto de' Secolari, che de' Regolari.*

Nel giorno medio, oltre la Messa Conventuale, si dee cantare dopo Nona la Messa Votiva pro Pace *, o altra, che verrà comandata da Nostro Signore, secondochè sarà espresso nella lista delle Quarant' ore, con la medesima eccezione delli giorni suddetti, e con la medesima regola circa l'Orazione.*

Nelle Chiese non Collegiate, e dove non è obbli-

ga-

gazione di cantarsi la Messa Conventuale, dovrà in detto giorno medio cantarsi solamente la Votiva suddetta, con l'eccezione, e regola prescritta di sopra nella Messa del Sagramento; questa però dovrà cantarsi ad un'altro Altare, che non sia quello dell'Esposizione, nè quello, dove sia il Tabernacolo col Sagramento incluso; ed in quelle Chiese, che hanno l'obbligo di cantar la Messa Conventuale, questa pure si canterà ad altro Altare come si è detto.

Si ordina espressamente, che nelli giorni dell'Esposizione, medio, e della Reposizione, le Messe si debbano cantare con li Ministri parati, e non altrimenti, anche nelle Chiese de' Regolari, non ostante qualsivoglia loro uso, o pretesa consuetudine in contrario.

Nelle Messe private, che si celebreranno durante l'Esposizione, non si suoni il campanello all'Elevazione; ma solo uscendo i Celebranti dalla Sagrestia, si dia un piccolo segno con la solita campanella.

Non si celebrino Messe di Requie in tempo, che durerà l'Orazione di Quarant'ore, e le Messe del Santissimo, che si celebreranno nei giorni permessi dalla Rubrica, saranno meramente Votive senza Gloria, e Credo. *Nell'altre Messe Private correnti si aggiungerà dopo le prescritte dalla Rubrica, l'Orazione del Sagramento, così comandando la Santità di Nostro Signore.*

XI. Il Celebrante, dovendo portare il Santissimo in Processione, sarà vestito con piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d'altro colore; che in tal caso continuerà di colore della Messa; il velo umerale però sarà di colore bianco in qualsivoglia caso, che debba portarsi il Sagramento anco nel Venerdì Santo; e li paramenti de' Ministri Sagri saranno del colore del Celebrante, come sopra. Parimenti il pallio dell'Altare dove sta l'Esposizione, sarà sempre di colore bianco, benchè la Messa Solenne ivi si celebri in altro colore, come pure il baldacchino per la Processione deve essere del medesimo color bianco.

XII. Terminata la Messa Solenne per l'Esposizione, il Celebrante, e li Ministri, fatte le dovute riverenze al Sagramento, si ritireranno fuori del corno dell'Epistola, dove il Celebrante (come pure li Ministri) deporrà il manipolo; e levata la pianeta prenderà il piviale, ponerà ivi l'incenso in due turiboli senza benedirlo; e dopo con li Ministri genuflesso nel mezzo, incenserà tre volte il Santissimo. Sul fine della Processione (quale si principierà anticipatamente fatta l'elevazione del Santissimo, o prima, secondochè sarà più, o meno numerosa) il Diacono in tempo congruo, fatta la genuflessione sopra la predella, prenderà il Sagramento; e stando in piedi lo consegnerà al Celebrante genuflesso: genuflettendo immediatamente esso Diacono, lo prenderà il Celebrante, ricoperte le mani dall'estremità del velo umerale, e si alzerà. Principiandosi poi dai Cantori l'Inno Pange lingua, &c. *s'incaminerà sotto il baldacchino, recitando con voce sommessa Salmi, ed Inni insieme con li Ministri, quali eleveranno le fimbrie del piviale.*

XIII. La Processione sarà composta di tutto il Clero della Chiesa; ed il Crocifero in questa funzione non sarà parato con abito suddiaconale, ma vestito con cotta. V'interverranno onninamente otto Sacerdoti vestiti con cotte, e con le torcie accese in mano, li quali precederanno dalli lati avanti il baldacchino; e dopo di essi seguiranno due Acoliti con turiboli, i quali per la strada incenseranno continuamente il Santissimo; e durante la Processione si suoneranno le campane solennemente.

XIV. La Processione si farà dentro la Chiesa, ed al più per la piazza, quando l'angustia della Chiesa ne porti la necessità, e quando esca di Chiesa, si farà ben pulire la strada della piazza: dove, se vi sarà qualche bottega, dovrà tenersi chiusa durante la Processione.

XV. Se vi saranno instituite Confraternità de' Secolari, o siano vestiti di sacco, o no, tanto li Guardiani, ed Officiali di esse, quanto li Confrati, tutti anderanno unitamente in corpo avanti il Clero Secolare, o Regolare, che vi sarà, al quale dovranno sempre cedere il luogo più degno. Di più espressamente si comanda, che li Guardiani, o altri Officiali di esse non ardiscano sotto qualsivoglia pretesto di consuetudine, o altro di andar dopo il Baldacchino sotto la pena di venticinque scudi a ciaschedun Fratello, Guardiano, o Officiale della Confraternità, il quale contravvenisse alla presente disposizione in conformità dell'Editto pubblicato l'anno 1689. *qual pena di scudi venticinque si dovrà applicare alla medesima Confraternità, se sarà povera, o al Monte del Santissimo Viatico a nostro arbitrio. Monsignor Primicerio però dovrà andare dopo il baldacchino vestito senza sacco coll'abito suo prelatizio, e col rocchetto, se ne avrà l'uso.* Possono bensì li detti Officiali portar l'aste del baldacchino, *officio molto decoroso, per il quale dice il* Ceremoniale Episcopale lib. II. cap. XXXIII. Deputentur nobiles viri Barones &c.

Di più ordiniamo alli suddetti Cleri Secolare, e Regolare che nelle proprie Chiese non permettano che si pratichi il contrario, sotto le pene contenute nel suddetto Editto, cioè di scudi venticinque alli Superiori, e Rettori delle Chiese Secolari; e di privazione di voce attiva, e passiva alli Superiori Regolari, con altre a nostro arbitrio. Quando poi vi fosse alcuno, che tanto ardisse, si notifica, che oltre le suddette pene imposte di sopra, resterà ipso jure *privo dell'Officio, e cassato dalla Confraternità respettivamente il Guardiano, e Guardiani, ed Officiali, i quali contravverranno a questo nostro ordine: resterà la Confraternità e Chiesa privata di far più tale Santa Esposizione, finchè da noi non sarà reintegrata. Si dichiara anche, che all'accusatore di tal contravvenzione si darà la terza parte della suddetta pena, coll'esser tenuto segreto: e la suddetta disposizione vogliamo, che si osservi anche in tutte, e singole Processioni, ed Esposizioni particolari.*

XVI. Ritornata la Processione in Chiesa, e giunto il Celebrante al grado infimo dell'Altare maggiore, il Diacono genuflesso riceverà il Santissimo da esso

Ce-

Celebrante (quale immediatamente genufletterà deponendo il velo umerale) o lo collocherà nella base del trono, andando poi, fatte le dovute riverenze, al suo luogo. Li cantori divotamente, e con pausa canteranno il ℣. Tantum ergo, &c. *ed al versetto* Genitori Genitoque, *il Celebrante alzatosi con li Ministri, porrà ivi nel mezzo l' incenso nel turibulo senza benedizione, e genuflesso incenserà tre volte il Sagramento: terminato l' Inno, senza dirsi il* ℣. Panem de Cœlo &c. *si canteranno dalli suddetti Cantori le Litanie contenute nel libro stampato per l' Orazione delle Quarant' ore (qual libro puramente senz' alcuna immutazione dovrà usarsi in qualunque altra esposizione del Santissimo, che si faccia particolare.) Dopo che averà dette le preci, il Celebrante alzatosi (a cui li Ministri sosterranno il libro) senza far nuova genuflessione canterà a mani giunte il* ℣. Dominus vobiscum &c. *con le Orazioni; quali terminate, genuflessi faranno breve orazione, ed indi partiranno a capo scoperto sino ad una ragionevol distanza dal Sagramento, dandosi così il principio all' Orazione delle Quarant' ore.*

XVII. Il Celebrante non dovrà usare la sede camerale, secondo il Decreto della Sagra Congregazione de' Riti; ma un banco (che nè pure abbia braccia) con il postergale ornato di panno rosso, o d' altro colore decente, in cui sederà insieme colli Ministri Sagri: molto meno dovranno mai usare le sedie camerali nelle Chiese li Guardiani, Deputati, ed Officiali delle Confraternità, Compagnie, e Congregazioni Laicali, ma sederanno sopra un banco con postergale senza braccia a' lati, e senza alcun uso de' cuscini, come pure senza gradini, e senza genuflessorj davanti; qual banco potrà coprirsi di panno, e non di seta, e sarà onninamente situato fuori del Presbiterio, in quei casi, che assisteranno alle Messe, e Vespri Solenni, o che nel Presbiterio si celebri dal Clero alcuna funzione sagra, o che si predichi in Chiesa, secondo li replicati Decreti della Sagra Congregazione de' Riti, particolarmente per Decreto generale emanato sotto li 13. *Marzo* 1688 *sotto le pene medesime espresse di sopra, e comunicate al num. XV. nelli* §§. Se vi saranno, &c. *e* Di più ordiniamo &c. *Monsignor Primicerio però sederà dentro il presbiterio a lato dell' Evangelio, in un banco coperto di panno, nell' abito suo prelatizio, come si è detto al num. XV.*

Se però la struttura della Chiesa non permetterà luogo congruo fuori del Presbiterio; in tal caso di necessità si ricorrerà a noi, che col consiglio de' Signori Maestri di Cerimonie Pontificie, se li concederà, che possa collocarsi il banco come sopra de' Guardiani, dirimpetto in uno delli lati, fuori del termine del Presbiterio.

Si proibisce espressamente agli uomini, ed alle donne di qualsivoglia stato, e condizione (eccettuate le persone regie, quando vi si trovino) l' entrare sotto qualsivoglia pretesto ad orare nel Presbiterio, o sia recinto dell' Altare, dove sta esposto il Venerabile; dovendo quel luogo essere occupato solamente dagli Ecclesiastici destinati al ministero divino, o all' assistenza dell' Orazione: il che si osserverà non solo nelle Chiese, dove ricorre l' Esposizione ordinaria: ma anche in tutte le altre, dove per indulto Apostolico, o per altra legittima facoltà, occorre farsi l' Esposizione, benchè per breve tempo: al che provvederanno li Superiori, o Sagrestani col riparo delli banchi ancora bisognando. In oltre ordiniamo, e comandiamo a' Rettori, e Superiori tanto Secolari, quanto Regolari di qualsivoglia Chiesa, che durante la detta Esposizione non ardiscano di far portare respettivamente qualsivoglia sorta di sedie nelle Chiese a qualunque persona d' ogni sesso, grado, e condizione, sotto la pena di dieci scudi alli Rettori Secolari, da applicarsi ad usi pii, riservata la terza parte per l' accusatore; ed a' Regolari della privazione della voce attiva, e passiva, ed altre a nostro arbitrio.

XVIII. Non si terranno nelle Chiese dell' Esposizioni anche particolari, bacili per l' elemosine, nè vi assisteranno Religiosi, o altri Ecclesiastici, nemmeno persone laicali per riceverle: come nemmeno anderanno Chierici, Confrati, Mandatarj, e altre persone questuando per la Chiesa. Molto meno dovranno far ciò li poveri, quali staranno per lo spazio di canne dieci lontani dalle porte della Chiesa, sotto le pene contenute nell' Editto stampato a parte; che perciò sarà parimente cura de' Superiori, e Sagrestani, e degli esecutori, che vi assistono, il procurare, che non entrino in Chiesa, ad effetto di evitare la distrazione de' Fedeli, che orano: potendo li Benefattori caritativi far le limosine fuori delle Chiese, siccome ordinò la San. mem. di Clemente XI. con ispeciale Editto in cui si proibisce ad ogni Fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri.

XIX. Si avverte, che non termini l' Orazione in una Chiesa, se non che dopo che sarà principiata nell' altra; e ciò si osserverà da qualunque Chiesa, benchè Basilica, e Collegiata, o in qualsivoglia modo privilegiata.

XX. Terminata la Messa della Reposizione, il Celebrante prenderà il piviale (osservando il Rito respettivamente sopra descritto dopo la Messa dell' Esposizione) e genufletterà con li Ministri avanti il SS. Sacramento nel mezzo sull' infimo grado dell' Altare. Immediatamente li Cantori principieranno le Litanie, e si continuerà sino al ℣. Domine exaudi orationem meam *inclusive. Dopo alzatosi il Celebrante con li Ministri, porrà ivi nel mezzo l' incenso senza benedizione, e genuflesso incenserà tre volte il SS. Sagramento, e prenderà il velo umerale. Fatta l' incensazione, il Diacono con le dovute riverenze leverà il Sagramento dal Trono, ed immediatamente stando in piedi lo consegnerà al Celebrante genuflesso, flettendo anch' esso Diacono subito che averà consegnato il Sagramento; praticandosi dipoi respettivamente ciò che sopra nell' Esposizione si è detto circa le Cerimonie, e Rito della Processione, ec.*

XXI. Ritornato dopo la Processione il Celebrante all' infimo grado dell' Altare, il Diacono genuflesso riceverà da esso, che starà in piedi, il SS. verso cui il Celebrante genufletterà immediatamente, e de-

por-

porrà il velo umerale. Il Diacono lo collocherà sopra il Corporale in mezzo dell'Altare, e ritornerà al suo luogo. Il Celebrante al ℣. Genitori Genitoque, &c. *alzatosi con li Ministri porrà come sopra l'incenso senza benedirlo, ed incenserà il Sagramento. Li Cantori diranno il* ℣ Panem de Cœlo, &c. (a cui si aggiungerà l'Alleluja nel tempo Pasquale solamente, ed in tutta l'Ottava della Festività del Corpus Domini in qualsivoglia Esposizione che si faccia.) *Il Celebrante alzatosi senza far nuova genuflessione, sostenendo li Ministri il libro (senza dire il* ℣ Dominus vobiscum, *come per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti) canterà le Orazioni a mani giunte; quali terminate, genuflesso prenderà il velo umerale, ed ascendendo solo all'Altare, fatte le dovute riverenze prenderà nelle mani ricoperte, come si disse, con l'estremità del velo umerale l'Ostensorio, e darà con esso la Benedizione al Popolo, e riposto il Sagramento sopra il Corporale, discenderà, e starà genuflesso al suo luogo. Il Diacono immediatamente, o un Sacerdote con istola, fatte le dovute riverenze, chiuderà il Sagramento nel Tabernacolo, quale per tale effetto dovrà ritenersi nell'Altare dell' Esposizione, e l'Ostia consagrata si dovrà consumare nella Messa, o in quella mattina, o nella seguente; dopo di che partiranno, e terminerà l'Orazione di Quarant'ore.*

XXII. Nel tempo, che durerà l'Orazione medesima, si proibisce espressamente il predicare; ma volendosi fare dopo il Vespero qualche breve Sermone per eccitare li Fedeli alla divozione verso il Santissimo Sagramento, si dovrà prendere la licenza, e Benedizione da Noi, o da Monsignor nostro Vicegerente anche nelle Chiese de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate; e non solo nell' Esposizione di Quarant'ore, ma in qualsivoglia altra Esposizione, qual licenza si darà in scriptis. Quello poi dovrà sermoneggiare sarà almeno costituito nell' Ordine Diaconale, e sermoneggiare con la cotta, benchè sia Regolare, ma senza la stola, ed a capo scoperto, vicino all'Altare dove sta esposto il Santissimo, ed in un sito, che non obblighi gli ascoltanti a fare atti d'irriverenza con voltare le spalle al Sagramento.

XXIII. Le Chiese dove sarà l'Orazione di Quarant'ore, dovranno la sera stare aperte fintanto che vi sarà il Popolo per orare; ma perchè non può darsi in ciò un'ora determinata, sì per la situazione di esse, come per la mutazione delle stagioni; perciò potranno chiudersi l'estate circa le tre ore, e l'inverno intorno alle ore cinque. Si avverte però, che anche a porte chiuse deve continuare l'Orazione, come si è detto al num. VII. non dovendo mai essere interpolata l'Orazione di Quarant'ore, come per Decreto della Sagra Congregazione de' Riti.

XXIV. In ogni Chiesa di Roma si terrà affissa in luogo patente la lista delle Quarant'ore per informazione de' Fedeli divoti.

XXV. Parimente in ogni Chiesa, dov'è determinata l'Esposizione, si dovrà tenere affissa continuamente nella Sagrestia la presente istruzione; acciocchè niuno possa allegare l'ignoranza delle regole, e precetti, che vi si contengono.

XXVI. Non ardirà alcun Rettore, Curato, o Sagrestano, fuori dell'ordine assegnato nella lista delle Quarant'ore, d'esporre il Santissimo Sagramento sotto qualsivoglia pretesto, o consuetudine, per veruna causa grave, nè per infermi, senza Breve speciale di Sua Santità, o almeno licenza segnata da Noi, o da Monsignor nostro Vicegerente, e sottoscritta dal Deputato delle Quarant'ore; quale ottenuta si esporrà il Venerabile in un Altare, o Cappella con un velo avanti, e col suddetto numero di venti lumi, e si osserverà puntualmente il tempo, che dovrà durare l'Esposizione assegnato nella suddetta licenza; sotto le pene infrascritte, o privazione d'uffizio.

XXVII. Finalmente si comanda espressamente, che tutti, e singoli sopraddetti ordini si debbano inviolabilmente osservare, e che si ubbidisca esattamente per quello potesse occorrere di più, al nostro Deputato sopra le Quarant'ore, sotto pena alli Maestri di Ceremonie, che assisteranno alle funzioni, se non faranno adempire esattamente tutte le Cerimonie ed i Riti prescritti, quali Maestri di Cerimonie devono essere almeno in Sacris tanto in questa, che in ogni altra funzione solenne, secondo il Cerimoniale Episcoporum lib. 1. cap. 5. *ed alli trasgressori respettivamente de' suddetti ordini, di scudi dieci d'oro da applicarsi a' luoghi pii; ed alli Regolari della privazione di voce attiva, e passiva, di carcere, ed altre pene maggiori riservate a nostro arbitrio; dichiarandosi, che in difetto dell'osservanza, si procederà più rigorosamente contro li Superiori, e Sagrestani delle Chiese, alli quali appartiene più che ad ogni altro la buona regola, e cura di esse. Dato dalla nostra solita Residenza questo dì* 1. *Settembre* 1730.

P. Card. Vicario.

Carlo Guazzuglia Deputato.

Nicolò Antonio Can. Cuggiò Segr.

II. Ultra mox expositam Pontificiam instructionem, lubet etiam hoc loco in unum collecta tradere ea Decreta a S. R. C. edita, quæ pertinent ad prædictam Expositionem, & ad Missam, quæ celebratur coram SS. Sacramento.

Super altare, in quo SS. Sacramentum est expositum, non est omittenda Crucis cum imagine Crucifixi collocatio. Die 4. Maij 1707. *in una Senarum* & datur in nostro Indice *sub num.* 604.

Quod quidem Decretum intelligendum est, dum Missa celebratur.

Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio quadraginta Horarum, vel Spiritualium exercitationum, si accidat in Festo primæ, vel secun-

da

dæ Classis; tunc in Collegiatis vel duæ cantentur Missæ, una de Festo, seu de Dominica post Tertiam; altera Votiva de Sacramento post Nonam; vel una cantetur de Die cum Commemoratione SS. Sacramenti. S. R. C. 13. Febr. 1666. in nostro Indice *sub num.* 426.

Advertendum, quod hoc ultimo casu, prædictæ duæ Orationes terminari debent cum unica conclusione, ut clarius patebit infra.

Missam in Altari majori, ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare; stante præsertim, quod in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit. S. R. C. 9. Augusti 1670. & in nostro indice *sub num.* 443.

Ubi est expositum SS. Sacramentum, in Missa Votiva Privata de eo, non potest dici *Credo*. Sac. Rit. Congr. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice *sub num.* 470.

In Missa Privata de Sancto Duplici, vel Semiduplici, de quo tali die fit Officium, potest quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento exposito, occasione quadraginta Horarum; sed omittenda in Festis primæ, & secundæ Classis. Sac. R. C. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice *sub n.* 471.

Durante expositione SS. Sacramenti, occasione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non potest Missa Privata de Requiem, neque cantari potest Missa Defunctorum, pro adimplenda mente Testatoris. S. R. C. 2. Decembris 1684. & in nostro Indice *sub num.* 472.

Expositio quadraginta Horarum, & Benedictio, quæ fit super Populum, non est de juribus mere Parochialibus. Sac. Rit. Congr. 10. Decembris 1703. & in nostro Indice *sub num.* 569.

Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publice expositum, non fiat Concio capite tecto, non obstante quacumque consuetudine. S. R. C. 16. Februarii 1630. in nostro Indice *sub num.* 253.

Quando Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes cujuscumque conditionis, & ordinis sint, seu ad illud accedentes, seu ab illo recedentes, semper utrumque genu flectere debent. Sac. Rit. Congregat. 16. Augusti 1651. & in nostro Indice *sub num.* 304.

In festo SS. Corporis Christi, servanda est dispositio Cærem. Episc. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiscum*; non vero Ritualis Romani, ubi dicitur addi *Dominus vobiscum*. S. R. C. 16. Junii 1663. & in nostro Indice *sub num.* 399.

In expositione, & repositione SS. Sacramenti, non est addendum Alleluja, ad ℣. *Panem de Cœlo, etc.* S. R. C. 5. Julii 1698. & in nostro Indice *sub num.* 523.

Excipiendum tamen est tempus Paschale, & Octava SS. Corporis Christi, ut declarat supradicta instructio Clementina.

Eucharistia non est singulis diebus exponenda super Altare, sed in quibusdam tantum Solemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. & in nostro Indice *sub n.* 47.

Nequeunt Regulares SS. Sacramentum cum solemnitate exponere sine licentia Ordinarii. S. R. C. 26. Februarii 1628. & in nostro Indice *sub num.* 226.

In Processionibus SS. Sacramenti, quæ occasione quadraginta Horarum fiunt a Regularibus per Ecclesias, debent iidem Regulares, processionaliter incedentes, ante Sacramentum in occursu, & transitu a latere ejusdem facere genuflexionem, dummodo in transitu videatur. S. R. C. 1. Martii 1581. & in nostro Indice *sub n.* 456.

Dum cantatur Missa coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, debet fieri Commemoratio de eodem Sacramento, sed post alias omnes Orationes de præcepto, & in Missis Solemnibus celebrandis in Festis primæ, & secundæ Classis, eadem Commemoratio debet fieri sub unica conclusione. Ita recentissime declaravit S. R. C. die 23. Junii 1736. & datur hoc Decretum in nostro Indice *sub n.* 684.

III. Præter ea, quæ traduntur in supradicta instructione, & in allegatis Decretis, huc spectat aliqua pauca adnotare, quæ servanda sunt in dicta Missa prima Solemni, quæ cantatur ante expositionem SS. Sacramenti pro Oratione solemni quadraginta Horarum. Igitur in hac Missa duæ Hostiæ magnæ consecrabuntur a Celebrante, quarum una tantum elevatur, ut moris est, & altera relinqui debet super Corporale a parte sinistra Celebrantis. Post sumptionem pretiosi Sanguinis, deferri debet Ostensorium parvo velo coopertum a Cæremoniario, vel Subdiacono, per gradus laterales Epistolæ, facta debita genuflexione in recessu & accessu. Præfatum Ostensorium ad Altare delatum, deponendum est in cornu Epistolæ prope Corporale amoto velo, quo erat coopertum. Deinde facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ad librum, ubi iterum genuflectet, cedens in transitu gradum superiorem Diacono, qui tum accedens ad dexteram Celebrantis, genuflectit pariter in recessu, & accessu; moxque aperit Tabernaculum gestatorium, seu Ostensorium, & Calice palla cooperto, ac paululum remoto, versus latus Evangelii ponit ipsum Ostensorium super dictum Corporale; statimque Celebrans facta cum Sacris Ministris genuflexione, adaptat propria manu dextera Sacram Hostiam in Lunula, quæ est in medio prædicti Ostensorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud statim claudit, & in medio Corporalis postea collocat reverenter: deinde tam Celebrans, quam Ministri genuflectunt: quibus peractis, si opus sit, Celebrans Communionem dat iis, qui sunt communicandi cum solitis, & debitis reverentiis; sed præstat, ut in hac Missa non fiat Communio; qua tamen finita, si facienda sit, Celebrans sumet purificationem, & ablutionem, & Missam prosequetur more solito, diligenter observans quæ mox dicemus de Missa celebrata coram SS. Sacramento.

Ante finem hujus Missæ; imo juxta praxim aliquarum Ecclesiarum immediate post elevationem SS. Sacramenti, factam in Missa, debent ab Acolythis accendi candelæ in Altari paratæ pro expositione facienda ejusdem Augustissimi Sacramenti. Deinde circa Missæ finem, a Sacrista, vel ab alio designa-

signato cerei albi Clericis, & Confratribus Processionem comitaturis, debent distribui, & baldacchinum in Processione deferendum collocabitur in commodiori latere Altaris. Parabitur etiam alter Subdiaconus, qui Crucem deferre debet juxta morem nonnullarum Ecclesiarum; sed inhærendo dispositioni supra expositæ instructionis Pontificiæ, quæ habetur n. 13. ille, qui Crucem deferre debet in hac functione, non debet habitu subdiaconali, sed tantum superpelliceo esse indutus. Parentur præterea octo superpellicea pro totidem Sacerdotibus, qui in Processione procedere debent ad latera baldacchini, deferendo octo intortitia accensa, juxta id, quod loco citato præscribitur in dicta instructione.

Notandum tamen est hoc loco non esse necesse, ut qui prædicta octo intortitia portant, procedant a lateribus baldacchini (quod fieri non potest sine magno incommodo) ut quidam opinantur, male interpretantes verba Cæremonialis Episcoporum, ubi agitur de Processione facienda in Festo SS. Corporis Christi, eo quod ibi dicatur, quod procedunt a lateribus baldacchini, illi qui deferunt prædicta octo intortitia; quæ verba tamen nihil aliud significant, nisi quod procedunt inde ab una parte, & ab altera immediate ante baldacchinum: & hunc esse verum sensum horum verborum, patet ex sequentibus: nam additur, quod immediate post eos sequuntur duo Acolythi Thuriferarii continuo Sanctissimum Sacramentum incensantes; quod nullo modo fieri posset, si octo deferentes intortitia a lateribus baldacchini procederent. Hæc clare patent ex §. 13. supradictæ instructionis, ubi etiam habetur, *Procederanno dalli lati avanti il Baldacchino*, & ex Nicolao de Bralion *part.* 3. *c.* 16. *n.* 6. ubi etiam addit *n.* quod qui procedunt a sinistris intortitium portant dextera; qui vero a dextris, sinistra, altera manu supra pectus posita; & quod idem observare debent alii omnes, qui portant funalia, aut cereos. Sed cum hoc sit contra communem praxim omnium Ecclesiarum, non est admittendum: ad summum tolerari posset, quod prædicti octo tantum deferentes intortitia, utpote Sacramento proximiores, ea deferant modo supra a Bralion exposito, & ita deferunt PP. Congregationis Missionum.

Debent etiam parari duo thuribula, & Sacerdotes sola cotta, aut etiam pluviali sine stola induti, qui delaturi sunt hastas baldacchini, prout dicemus infra cum agemus de Feria 5. in Cœna Domini; sed in hac Processione prædictas hastas deferre poterunt Officiales Confraternitatis, ut declarat instructio Pontificia *n.* 15.

Celebrans completa Missa genuflectet in medio Altaris cum Ministris: tum per gradus laterales Epistolæ cum ipsis in planum ab eodem latere descendet; ubi, iisdem adjuvantibus, vel Cæremoniario cum Acolythis, deponet planetam, & manipulum; & ita etiam Ministri deponent suos manipulos; quæ omnia ad Sacristiam deferentur. Deinde Celebrans induetur ab iisdem pluviali albo, vel alterius coloris, juxta dispositionem supra expositæ instructionis: quia si celebraverit cum paramentis alterius coloris, in tali casu continuetur color Missæ: velum tamen humerale semper debet esse coloris albi, sicut etiam baldacchinum pro facienda Processione, & pallium Altaris, ubi fit Expositio. Statim ac Celebrans indutus erit pluviali, medius inter præfatos Ministros junctis manibus, & nudo capite, accedet per planum Presbyterii ad medium Altaris, ante infimum gradum, & ibidem genibus flexis in plano inclinabit caput profunde; tunc erectus, juxta sententiam Bauldry *de Feria* 5. *in Cœna Domini art.* 3. *de Festo Corporis Christi c.* 3. & Cæremoniale Monasticum *c.* 14. §. 2. *n.* 18. ascendet ad secundum gradum, & in ora suppedanei genuflexus cum Diacono a dexteris, & Subdiacono a sinistris tantisper orabit. Juxta vero aliorum præsertim Castald. sententiam *lib.* 2. *sect.* 10. *c.* 2. *n.* 5. & praxim Basilicarum almæ Urbis, remanebit Celebrans genuflexus super infimum gradum Altaris, Ministri vero in plano Cappellæ; ibique postquam omnes ante Presbyterium ordinate accesserint, Celebrans erectus, & stans ante prædictos gradus Altaris, imponit incensum in duo thuribula, sine osculis, & sine Benedictione, ministrante Diacono naviculam, Subdiacono vero elevante fimbriam partis dexteræ pluvialis; deinde super infimo Altaris gradu genuflexus idem Celebrans, ter ducens thuribulum cum debitis profundis inclinationibus, ante, & post, SS. Sacramentum incensat. Terminata dicta incensatione, & facta secunda profunda Sacramento inclinatione, Diaconus acceptum sine osculis Thuribulum reddet primo Thuriferario, qui SS. Sacramentum per id tempus numquam incensabit: Subdiaconus vero velum oblongum allatum de Credentia per aliquem Acolythum, imponet humeris Celebrantis, & super brachia, & manus ejusdem expandet, ac si opus est, ad pectus adnectet vel spinulis retro, vel sericis funiculis ante, ne decidat. Firmato velo super humeros Celebrantis, ipse medius inter Ministros ascendit usque ad superiorem gradum Altaris, supra quem remanet genuflexus cum Subdiacono, Diaconus vero accedit usque ad Altare; ubi facta genuflexione accipit Ostensorium ambabus manibus; & vertens se, ut fit ad *Ite Missa est*, tenens illud, imagine Crucifixi, quæ est in Hostia, ad se versa, illud tradit Celebranti eodem modo, ita ut in tota Processione prædicta imago non respiciat Celebrantem, sed viam, quam habet ante se. Tradit autem illud Diaconus stans, & Celebrans illud recipit genuflexus manibus velo coopertis. Statim vero ac ipse Diaconus in manibus Celebrantis Tabernaculum gestatorium posuit, in eodem loco, in quo est, genuflectit, & Sanctissimum Sacramentum adorat; ac statim accedens ad dexteram Celebrantis, accipit genuflexus partem anteriorem pluvialis, quam elevat; Subdiaconus vero idem facit ex altera parte a sinistris. Tum Celebrans cum ipsis Ministris surgit; & ascendit supra planum ultimi gradus, seu suppedanei, & ibi erectus simul cum præfatis Ministris convertit se ad Populum; & tunc, & non prius Cantores adhuc genuflexi, intonant Hymnum *Pange lingua*.

IV.

IV. Tum ordinatur Processio intra Ecclesiam, incipiendo regulariter a parte Evangelii, & progrediendo versus partem Epistolæ, si loci situs sic patitur, in qua præcedit omnes Clericus cotta indutus, Crucem deferens medius inter Ceroferarios; deinde Confratres, si adsint, post Clerici, &c. servantes debitum ordinem, ita ut digniores sint propinquiores baldacchino, cum candelis, aut facibus accensis, quas qui a dexteris sunt, deferunt dextera; qui a sinistris, sinistra (ut innuimus supra) altera librum Ritualem; vel si non librum teneant, alteram infra pectus admotam habeant; & in omnibus servent uniformitatem.

Cæremoniarius, qui dirigere debet Processionem, nullum locum certum habere potest, nec candelam deferre; sed omnibus debet providere modeste, ut debitis modo, ordine, & ea qua par est reverentia, fiant. Post Clericos omnes, octo omnino, ut diximus supra, cottis, sed sine stolis parati, debent deferre intortitia accensa, post quos veniunt duo Thuriferarii, moventes thuribula, prout dicemus, agentes de Cæremoniis, & Ritibus servandis in Feria 5. in Cœna Domini, & de Processione facienda in Festo SS. Corporis Christi. Faciendo hanc Processionem, dum transitur ante Altare, in quo forte est Tabernaculum SS. Sacramenti, non fit genuflexio, quia ipsummet defertur, & omnes sunt in actuali Sacramenti servitio, & adoratione: rursus opus non est, ut naviculæ cum incenso deferantur, nisi Ecclesiæ sint spatiosæ, aut ex majoribus: quia tunc deferri debent, ut imponatur thus in thuribulis quando opus erit.

Aliquando hæc Processio fit etiam circa atrium, vel plateam ipsius Ecclesiæ; quod approbatur a supra exposita instructione §. 14. præsertim quando Ecclesia est angusta, & talis est consuetudo. In hujusmodi Processione Clerici non deferunt paramenta, videlicet pluvialia, planetas, & dalmaticas; sicut fit in Processione Festi Corp. Christi.

V. Post reditum Processionis ad Altare, in quo est exponendum Sanctissimum Sacramentum, serventur omnia ea, quæ præscribuntur *num.* 16. *& seqq.* supra expositæ instructionis: solumque additur, quod si opus sit scabellum ante Altare, ponatur pro Diacono, ut facilius reponere possit SS. Sacramentum in majori Tabernaculo, vel in loco eminenti parato decentissimo ornatu (sine Reliquiis tamen, vel statuis Sanctorum, ut præscribit instructio *n.* 11.) manentibus interim Celebrante, & aliis Ministris genuflexis.

Postquam vero repositum fuerit SS. Sacramentum, & redierit Diaconus ad locum suum, Cantores intonant cum debita pausa ℣. *Tantum ergo;* & ad illa verba *Genitori*, *Genitoque*, Diacono ministrante naviculam semper sine osculis, & Celebrans sine Benedictione, stans in medio, cavendo tamen, ne terga vertat Sacramento, ponit juxta morem thus in thuribulum, quo deinde, a Diacono sibi porrecto, triplici ductu incensat SS. Sacramentum, factis debitis profundis inclinationibus, ante, & post dictam incensationem. Denique terminato toto Hymno recitentur preces juxta dispositionem, quæ habetur in supradicta instructione.

Hisce omnibus ita peractis, Celebrans genuflexus orabit per brevem moram, ac deinde surgente Celebrante, surgent omnes, & facta genuflexione utroque genu, recedent in Sacristiam debito ordine.

De Ritu Missæ Solemnis coram SS. Sacram.

VI. Gavanti n. 5. — *In ingressu Celebrantis, & Ministrorum ad Altare, &c.*) Quamvis ex antiquorum documentis optime moneamur (ut advertit Gav. *sup. n.* 1.) ut abstineamus a Missa celebranda coram SS. Sacramento; nihilominus, justa interveniente causa, puta, infra Octavam Corporis Christi, & in fine publicæ Orationis quadraginta Horarum, certum est talem Missam coram SS. Sacramento exposito posse, & celebrari debere. Postquam igitur exposuimus in §§. antecedentibus omnia ea, quæ servari debent in Missa, quæ celebratur, antequam exponatur SS. Sacramentum; nunc breviter trademus omnia ea, quæ servanda sunt in Missa, quæ celebratur pro repositione ejusdem SS. Sacramenti expositi pro Oratione quadraginta Horarum: unde colligenda erunt omnia, quæ servari debent in Missa Solemni celebrata coram SS. Sacramento in suo Tabernaculo reposito. Omissis igitur iis, quæ sunt communia cuicumque Missæ Solemni, solum hic colliguntur ea, quæ sunt peculiaria pro hac Missa: & primo in hac Missa Solemni Ministri non osculantur neque manus, neque quidquam aliud, quod tradunt Celebranti: videatur tamen exceptio posita infra *sub n.* 11.

Celebrans, & Ministri in ingressu ad Presbyterium seu Cappellam, in qua est expositum SS. Sacramentum, statim omnes caput denudare debent, & birretas Cæremoniario tradere; & cum ad Altare pervenerint, ante illius infimum gradum flectunt omnes utrumque genu omnino in plano, & etiam caput profunde inclinant; quod solum fit cum primo ad Altare accedunt, & in fine, ut suo loco dicemus: nam in processu deinde Missæ flectunt tantum uni eo genu; Gavantus *supra n.* 5. Corsettus *tract.* 1 *c.* 17. *n.* 2. a Portu *c.* 8. *de Missa Solemni coram Venerabili exposito.* Bissus *lit. M. n.* 222. §. 1 Castaldus *lib.* 3. *sect.* 10. *c.* 3. *n.* 1. & id fit, ut facilius, & commodius surgant: & advertendum quod faciendo genuflexionem unico genu, non debent caput inclinare, ut multi gratis faciunt, sufficit enim genuflexio. Bissus *sup.*

VII. Gav. num. 6. — *Incensatio Altaris, &c.* Facta Confessione absque ulla genuflexione, ascendunt ad Altare, ubi deinceps unicum genu flectunt, & Celebrans dicit *Oramus te Domine*, & ut alias. Terminata per Celebrantem Oratione *Oramus te Domine, &c.* imponit incensum in thuribulum de more (& advertat, quod in hac incensi impositione, non debet stare in medio Altaris, sed aliquantulum versus cornu Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ; quod semper observare debet, cum imponit incensum in thuribulum

lum ad Altare, ubi est expositum Venerabile; Bauld. *p.* 2. *c.* 9. *art.* 3. *n.* 3. Bissus *supra*, a Portu *supra n.* 3.) Diacono aliquantulum inclinato, ministrante naviculam acceptam a Thuriferario; qui genuflexus, vel stans ob commoditatem Celebrantis, sustentat thuribulum juxta morem; & a Celebrante benedicitur incensum, quia thurificandum est præter Sacramentum etiam Altare, & ipsemet Celebrans: Cærem. Episc. *lib.* 1. *c.* 13. §. 19. Gav. *sup. num.* 6. Bauld. *p.* 2. *c.* 9. *art.* 3. *n.* 3. Diaconus autem numquam osculatur neque manum Celebrantis, neque cochlear, neque thuribulum, quando illud Celebranti porrigit. Cærem. Episc. *lib.* 1. *c.* 23. §. 11. *& c.* 33. §. 19. Mox benedicto, ut supra, incenso, & recedente Thuriferario ad locum suum consuetum cum debita genuflexione, Celebrans cum Ministris sacris sine ulla genuflexione descendit ad secundum gradum Altaris, cavens ne terga vertat SS. Sacramento; Bauld. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Bissus *supra*, ubi genuflexus super suppedaneum, & medius inter Ministros sacros, ibidem pariter genuflexos, thuribulum accipit a Diacono sine osculis; & statim præmissa cum Ministris profunda inclinatione incensat SS. Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interposita brevi morula inter unumquemque ductum; & eo tempore Ministri sacri, aliquantulum elevent posteriorem partem planetæ Celebrantis: Bissus *supra*, & a Portu *supra*; interim omnibus circumstantibus manentibus genuflexis. Bissus *sup.* Bauld. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 3. a Portu *supra*.

Non possumus adhærere Gavanto, qui supra tradit, quod incensatur Sacramentum pro Cruce, quæ adesse non debet: nam juxta Decretum emanatum die 4 Maji 1707. *in una Senarum*, & datum in nostro Indice *sub n.* 604. — super Altare, in quo SS. Sacramentum est expositum, non est omittenda Crucis cum imagine Crucifixi collocatio — Quod Decretum, ut diximus, & latius exposuimur in nostris Observationibus ad Commentaria Gavanti super titulum XX. *primæ partis de præparatione Altaris, & ornamentorum ejus*, intelligendum est dum Missa celebratur coram SS. Sacramento. Parva igitur Crux collocari debet in Altari, dum Missa celebratur, etiam coram Venerabili exposito; omittitur vero Crucis incensatio, quia incensatur loco illius SS. Sacramentum: incensato autem originali non est cur incensetur ejusdem imago, & figura. Solum in Feria sexta majoris hebdomadæ, seu in die Parasceve, post incensatum Sacramentum incensatur etiam Crux, ut suo loco dicemus: quia tali die Ecclesia speciali cultu Crucem Christi Domini veneratur: & quidem omnes, nomine excepto, ante eam transeuntes genuflectunt.

Advertendum etiam occurrit, quod licet Celebrans genuflexus super suppedaneum, ut supra, incensare debeat Sacramentum, juxta praxim, & usum Basilicarum almæ Urbis, quæ Mater est, & Magistra Ecclesiarum omnium, & ut etiam præscribunt Gavantus *supra*, Lohner *part.* 2. *tit.* 8. *n.* 3. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. *anim.* 9. Bauldry *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Bissus, Hippolytus a Portu *supra*; nihilominus præfatus ritus videtur contrarius Cæremon. Episc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 26. unde est, aliquos in ea versari sententia, quæ docet Celebrantem debere descendere, & super infimum gradum genuflexum debere thurificare SS. Sacramentum: sed de hoc ex professo tractabimus cum agemus de Festo SS. Corporis Christi.

Incensato Sacramento, & facta tam a Celebrante, quam a Ministris profunda inclinatione, Celebrans, & omnes Ministri surgunt: ac mox Celebrans habens præ manibus thuribulum, cum Ministris sacris ad Altare accedit; ubi facta genuflexione ab omnibus unico genu, ipse Celebrans incensat Altare more solito. Bissus *supra* §. 3. Observent autem Celebrans, & Ministri sacri, ut dum accedunt, vel recedunt a medio Altaris, sive per ipsum transeunt, semper unicum genu flectant, & solus Celebrans genuflectendo, extremitates manuum ponat super Altare, ut facilius surgat, Bissus *supra*.

VIII. Gavant. num. 17. — *Cum incensandus est Celebrans &c.*) Completa incensatione Altaris, & reddito in cornu Epistolæ thuribulo Diacono, a Celebrante (qui Diaconus illud recipit sine osculis ob reverentiam Sacramenti) Celebrans descendit in planum per gradus laterales cornu Epistolæ, ubi scilicet in plano, convertit se ad populum, advertens ne terga vertat Sacramento; ideoque dum se vertit, respiciat cornu Evangelii, & ibi in plano incensatur triplici ductu a Diacono stante contra ipsum, id est vertente terga populo, qui Diaconus inclinat se profunde Celebranti ante, & post incensationem. Gav. *sup. n.* 7. Angel. *part.* 2. *c.* 17. §. *Celebrans*, Lohner *supra*, Bauld. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 4. Subdiaconus vero se interim collocabit a sinistris Diaconi, vertendo pariter terga populo; Cæremoniarius, ac Thuriferarius consistent in locis consuetis. A Portu *sup.* §. *Peracta incensatione*; hoc erit quoque observandum in altera incensatione ad Offertorium, & ibidem lavabit manus, ut optime notat Gav. *sup.*

IX. Gav. n. 8. — *Accedens ad medium Altaris, &c.*) Cum accedit Celebrans ad medium Altaris, vel recedit a medio illius, & antequam se convertat ad populum, tunc flectet unicum genu; quod etiam Ministri facient quando recedunt, aut accedunt ad medium Altaris; alias vero, si non moventur, non genuflectent, v. g. ad *Orate fratres:* genuflectent tamen dum Celebrans dat benedictionem in fine Missæ, & cum ascendent ad Altare dicturi Hymnum Angelicum vel Symbol., aut quidquam aliud facturi, ut in aliis Missis.

X. Gavant. num. 9. — *Convertens se ad populum, &c.*) Præterea quando Celebrans se convertet ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, vel aliud, ne directe terga vertat Sacramento, se vertit versus cornu Evangelii, tenibus ad illud versis, facta prius in medio genuflexione; & reversus ad medium Altaris, iterum genuflectit. Bissus *supra* §. 5. Bauldry *part.* 3. *c.* 17. *n.* 9.

XI. Gavant. num. 10. — *Diaconus, & Subdiaconus,*

nus, &c.) Quamvis exposito Sacramento, ut supra diximus, omitti debeant oscula manus, & rerum, quæ Celebranti porriguntur; nihilominus Subdiaconus, dicta Epistola, osculabitur manum Celebrantis more solito, & ab illo benedicetur. Diaconus etiam recipiet benedictionem ante Evangelium de more, & manum Celebrantis osculabitur; sicut ipse Celebrans osculari debet librum Evangelii a Subdiacono illi delatum: rursus Diaconus ad Oblationem osculabitur Patenam, Calicem, & manum Celebrantis: tum in fine Orationis Dominicæ, easdem Patenam, & manum, ut alias, osculabitur, Bauldry *sup. n.* 8. Bissus *sup.* §. 6. Cerrachinus in dubiis super Rubricam Missalis *tom.* 1. *dub.* 10. unde forte oscula prohibentur solum quando fieri debet aliquid, quod specialiter Sacramentum expositum tantum respiciat.

Post cantatum Evangelium, & osculatum a Celebrante librum, idem Celebrans more solito incensatur absque eo quod descendat in planum; sed in suo loco se sistens more solito, thurificatur stans super suppedaneum in cornu Epistolæ. Bauldry *part.* 2. *c.* 9. *n.* 5. Bissus *supra* §. 7.

XII. Gavant. num. 12. — *In incensatione oblatorum, &c.*) Post Offertorium, antequam Celebrans se retrahat aliquantulum ad cornu Evangelii ad imponendum incensum, genuflectere debet, sicut etiam postquam imposuit incensum, & convertit se ad Altare, thurificaturus oblata; nam genuflectere debemus toties quoties recedimus a medio, & accedimus ad medium, ut supra diximus; sed Celebrans recedit in casu nostro a medio, ut imponat incensum stans aliquantulum in cornu Evangelii, & accedit ad medium thurificaturus oblata: consequens ergo est, ut genuflectere teneatur: itaque non genuflectit, quia thurificat oblata, sed quia recedit a medio, & accedit ad medium. A Portu *supr. num.* 7. & ex Bauldry *sup. n.* 6. sicut etiam ex Bisso *sup.* §. 1. Postea incensat oblata de more; & iis incensatis sine genuflexione, Celebrans, & Diaconus descendunt ad secundum gradum Altaris, ut genuflectant super suppedaneum (sed advertant, ne Sacramento terga vertant) ubi Celebrans ter thurificat Sacramentum, ut initio Missæ. Bauldry *part.* 3. *c.* 17. *n.* 11. Interim Diaconus aliquantulum retro pariter genuflexus, imo, ut vult Cerrachinus, genuflexus in gradu inferiori ad Celebrantem, sicut etiam in alia incensatione initio Missæ, casulam elevatam tenebit, cum eodem ante, & post incensationem, profunde inclinatus. Castaldus *lib.* 3. *sect.* 10. *c.* 3. *num.* 3. Postea Celebrans cum Diacono surgit, & ascendit cum eodem ad Altare: ubi ab utroque facta genuflexione unico genu, illud incensat more solito, dicens, *Dirigatur Domine, &c.* Diaconus aliquantulum elevat partem posteriorem planetæ Celebrantis, ut moris est.

Incensato Altari Celebrans reddit in cornu Epistolæ thuribulum Diacono, deinde descendit in planum per gradus laterales cornu Epistolæ, ubi, hoc est in plano, convertit se ad populum, & ibi incensatur eo modo, ut diximus supra §. VIII.

Terminata incensatione a Diacono, Celebrans in eodem loco, facie item ad populum versa, lavat manus, easque extergit, ministrantibus Acolythis more solito, sed sine osculis ob Sacramenti expositi reverentiam: Bissus *sup.* §. 9. Bauld. *sup. n.* 9. extersis manibus ascendit ad Altare per eosdem gradus laterales; ubi primo genuflectit in medio, deinde mediocriter de more inclinatus dicit, *In spiritu humilitatis, &c.* Castal. *sup. n.* 4. Bissus *sup.*

Diaconus incensato Celebrante incensat de more Chorum, tum redit ad Altare per eamdem viam semper cum debitis genuflexionibus, unico tamen genu, SS. Sacramento; ubi Subdiaconum tenentem Patenam incensat a cornu Epistolæ, qui propterea recedit ad cornu Evangelii, facta prius genuflexione super infimum Altaris gradum, & eo incensato, redit ad medium, ubi iterum genuflectit ut supra. Tum ipse Diaconus tradit thuribulum Ministro, ac recedit ad cornu Epistolæ, facta prius unico genu genuflexione, ibique in plano Cappellæ stans, incensatur a Ministro, & postea cum genuflexione ad secundum gradum Altaris ascendit. Bauld. *sup. n.* 12. Advertendum igitur est cum Cerrachino *cit. dub.* 10. *pag.* 216. quod nullus ex Ministris in hac Missa incensari debet, stans super gradus Altaris, sed in plano Cappellæ tantum hoc peragi potest. Observandum etiam, quod qui incensat populum, stare debet paulo extra medium aditus Chori, ne terga vertat SS. Sacramento. Bralion *part.* 3. *c.* 3. *n.* 9.

XIII. Gavant. num. 13. — *Dicitur: Orate fratres a Celebrante &c.*) Celebrans dicto, *In spiritu humilitatis*, rursum genuflectit, semper unico genu, ut commodius surgat, & convertens se, ut dicat *Orate fratres*, ad latus Evangelii, ne terga Sacramento vertat, & non perficiens circulum, per eamdem viam ad medium redit, & iterum genuflectit in medio Altaris. Gavantus *supra n.* 12. Bissus *supra* §. 9. Castaldus *supra num.* 4. reliqua vero peragit usque ad Communionem, ut in aliis Missis.

XIV. Sumpta purificatione, Celebrans ponit Calicem in cornu Epistolæ extra Corporale, postea genuflectit Sacramento; tum accedit ad idem cornu Epistolæ, ubi accipit Calicem, & abluit digitos, quos etiam ibidem extergit, posito Calice prope Corporale: deinde accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, ac mox Calicem dextera accipit, & ablutionem sumit; qua sumpta, Calicem extergit Subdiaconus, & illum de more accommodat. Bissus *sup.* §. 10. & Buld. *supra.*

XV. Sumpta ablutione, genuflectit iterum Celebrans, & redit ad librum, ubi dicit *Communionem*; qua dicta, redit ad medium Altaris, osculatur illud, genuflectit, & convertit se ad populum, ut dicat *Dominus vobiscum*; tum redit ad medium Altaris, & iterum genuflectit. Tonellius *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 14. Ministri vero genuflectunt, prout Celebrans, Bauldry *supra:* deinde Celebrans redit ad librum, ubi dicit Orationem, vel Orationes, si plures dicendæ sunt, quibus dictis, accedit ad me-

medium, genuflectit, osculatur Altare, & dicit de more, ut supra, *Dominus vobiscum.* Diaconus vero dum dicit *Ite Missa est*, vertit prius se versus populum: sed de more unicum genu flectit Sacramento ante, & post, renes semivertens versus cornu Evangelii, sicut facere debet Celebrans, ne Sacramento terga vertat. Subdiaconus autem de suo loco non se movet. Bauld. *supra n.* 14. Bissus *supra* §. 11. a Portu *sup. n.* 8.

XVI. Gavant. n. 15. — *In Benedictione populo danda, &c.*) Dicto, *Ite Missa est*, & responso *Deo gratias* a Choro, Celebrans, & Diaconus iterum se vertunt ad Altare, & ab utroque facta genuflexione, Celebrans dicit, *Placeat tibi Sancta Trinitas*, qua Oratione finita osculatur Altare (dum dicit Celebrans prædictam Orationem, Diaconus facta, ut supra, genuflexione, recedit a medio Altaris versus cornu Epistolæ, & flectit utrumque genu in superiori gradu, hoc est in suppedaneo; Subdiaconus vero facta genuflexione super infimum gradum unico genu in loco, in quo est, ascendit statim ad secundum gradum versus cornu Evangelii, ut genuflectat in superiori gradu, ut dictum est de Diacono. Celebrans igitur osculato Altari dicit (sine simplici capitis inclinatione: Tonellius *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 16. quia statim genuflectere debet; & in genuflexione, & profunda inclinatione, includitur inclinatio mediocris, & simplex, Cæremoniale Missæ Privatæ *c.* 1. §. 6. *in fine*; & Gervasi in inst. Missæ Priv. coram SS. Sacramento exposito *n.* 13.) dicit, inquam, Celebrans, *Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* ad quam Benedictionem omnes, præter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, genuflexi esse debent in locis suis; Bralion *p.* 2. *c.* 10. *n.* 3. tum genuflectit, vertit se ad populum ex parte Evangelii, ne terga vertat Sacramento, ubi dat benedictionem more solito; qua data non perficit circulum, sed per eamdem viam accedit ad legendum ultimum Evangelium (& non debet redire ad medium pro facienda genuflexione) ibique cum solita assistentia Subdiaconi, qui data benedictione, statim accedit ad cornu Evangelii, ut de more tabellam Evangelii S. Joannis sustineat. Diaconus vero accedit propius ad Altare paulo versus cornu Epistolæ, ubi post acceptam benedictionem, erectus stat in eodem secundo gradu versus cornu Epistolæ, ubi erat genuflexus benedictionem accipiendo, & cum Celebrans se signat, & ad *Verbum caro factum est* genuflectit etiam ipse, & omnes alii de Choro se signant, & genuflectunt. Ex Castaldo *lib.* 5. *sect.* 7. *c.* 5. *n.* 26. & ex Nicolao de Bralion *part.* 2. *c.* 10. *de fine Missæ n.* 4. Alii vero Rubricistæ censent Diaconum post acceptam benedictionem, facta genuflexione, debere accedere ad cornu Evangelii, ibique stare quasi medium inter Celebrantem, & Subdiaconum manibus junctis post Celebrantem; & ita tenent noster Gav. in suo Comment. *ad tit.* 12. *part.* 2. *Rubr.* 7. *lit.* m, & Cabrinus *c.* 6. *n.* 39. necnon Corset. *tr.* 1. *punct.* 1. *c.* 4. *n.* 19. & alii; quos sequitur Hippolytus a Portu in prædicto *tit. Rubr. num.* 4.

Celebrans autem postquam se convertit ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, deinde signat librum, seu tabellam Evangelii S. Joannis, si ibi sint, in defectu utriusque signat solum se ipsum, non vero Altare; quod semper observet, Sacramento exposito, etiamsi altius esset, vel in Pyxide, vel in Calice, nam idem ferme esset, ac si esset super Altare. Gav. *sup. n.* 15. Ad *Verbum caro factum est* non genuflectit juxta solitum versus cornu Evangelii; sed aliquantulum versus Sacramentum, unico tamen genu, absque capitis inclinatione, Bissus *supr.* §. 11. & 15. Bauld. *supra n.* 15. quod pariter fit in quacumque alia simili occasione, quando Celebrans debet genuflectere; sive sit in cornu Evangelii, sive in cornu Epistolæ, excepto quando diceret *Flectamus genua*, secundum opinionem Tonellii, Sarnelli, & aliorum; ad quæ verba genuflectere debet in Missa Privata, aut Cantata sine Ministris Sacris, versus librum, & non versus Sacramentum; non tamen in Missa Cantata cum Ministris Sacris, in qua quamvis omnes genuflectere debeant ad prædicta verba, solus Celebrans non genuflectit, quia stare debet orando. Ex Durando *lib.* 1. *c.* 5. Bisso *lit. C. n.* 29. *& lit. M n.* 222. §. 15. ex Tonellio, & Sarnellio & ex Cærem. Missæ Privatæ *sup. n.* 20.

XVII. Gavant. num. 16. — *Recedit cum Ministris &c.*) Finito ultimo Evangelio, Celebrans revertitur ad medium Altaris (& illum immediate sequitur Subdiaconus) ut inter Subdiaconum & Diaconum (jam stantem propius ad Altare paulo versus cornu Epistolæ) decentius descendat, ibique medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a sinistris, facta genu flexione unico genu, sine capitis inclinatione, statim descendunt omnes in planum, (sed caveant ne terga vertant Sacramento) & ibi ante infimum gradum Altaris in plana terra utrumque genu flectunt omnes cum capitis inclinatione, ut initio fecerunt: tum surgunt pariter omnes, discedunt, & in eodem loco, ubi caput detexerunt, id est extra Presbyterium, seu extra Cappellam, & non hic, accipiunt birreta sua Celebrans, & Ministri sacri a Cæremoniario, seu ab alio Ministro, & caput tegunt aliquantulum consistentes, & pergunt in Sacristiam ordine, quo venerant. Bauldry *supra n.* 16. Bissus *lit. M.* §. 12. Hippolytus a Portu *supra num.* 9.

XVIII. Gav. sup. num. 16. — *Vel si faciendæ sit processio pro fine Orationis publicæ, &c.*) Quando autem hæc Missa celebratur pro reponendo SS. Sacramento in fine Orationis quadraginta Horarum: tunc, finita Missa, faciendæ est Processio publica, juxta dispositionem instructionis Pontificiæ a nobis supra expositæ *n.* 20. quapropter facta genuflexione a Celebrante unico genu cum Ministris sacris in medio suppedanei Altari, postea cum iisdem, præcedente Subdiacono, descendit per gradus laterales a cornu Epistolæ in planum, & retrahit se retro Altare, si parieti non adhæreat, vel ad credentiam, seu extra cornu Epistolæ,

læ, ob præsentiam Sacramenti, ubi deponit planetam, & manipulum, (sicut etiam Ministri Sacri suos deponunt manipulos) & accipit pluviale, adjuvantibus Cæremoniario, vel etiam Diacono, & Subdiacono, ut mos est in sacris Basilicis Urbis; quamvis tale ministerium Diacono, & Subdiacono denegetur a Nicolao de Bralion *par.* 3. *c.* 17. *n.* 1.

Postea Celebrans per planum incedens, manibus junctis, & nudo capite, medius inter Ministros sacros, elevantes hinc inde fimbrias pluvialis, accedit ad medium; ubi flectit in plano cum Ministris sacris utrumque genu, & cum ipsis inclinat etiam se profunde: tum erigunt se postea in medio inferioris gradus Altaris, ut colligi potest ex Cærem. Episcop. *lib.* 2. *c.* 33. §. 26. genuflectunt; Bralion *supra*; ibique parumper orant genuflexi.

Reliqua peragit, ut præscribitur in sæpius laudata instructione Pontificia, & ut infra dicemus Feria 5. in Cœna Dom. in Festo Corporis Christi.

De Ritu Missæ Privatæ coram SS. Sacramento exposito.

XIX. Gav. num. 17. — *In Missa Privata, &c.*)

1. Statim ac Sacerdos Presbyterium, seu Cappellam Altaris, in quo SS. Sacramentum est expositum, ingreditur; aliquantulum consistens, caput detegit, porrigens birretum Ministro; quod non debet poni, ut plerique faciunt, neque super bursam Calicis, neque super Missale. Bauld. *par.* 3. *c.* 17. *n.* 5. Tonell. *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 1. Gerv. *in instruct. Missæ, quæ celebratur coram SS. Sacramento exposito* §. *Primieramente.*

2. Cum pervenerint ad medium Altaris, ante illius infimum gradum, flectit utrumque genu, omnino in plana terra, Gav. *sup. n.* 5. & omnes Rubricistæ cum eo; & caput inclinat profunde, dum est genuflexus; quod facit & Minister. Corsett. *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 17. *n.* 2. Cærem. *Missæ Privatæ cap.* 12. Gervasi *in instruct. pro Ministro Missæ Priv. quæ celebratur coram SS. Sacramento exposito cap. ultimo num.* 2.

3. Mox surgunt Sacerdos, & Minister; & ille, ut in aliis Missis, ascendit ad Altare; &. Calice collocato ad partem Evangelii, antequam capiat bursam pro extrahendo ex illa Corporale, genuflectit, unico tamen genu, & sine capitis inclinatione: Cæremoniale Missæ Priv. *sup. n.* 2. Hippol. a Portu *c.* 7. *de Missa Privata coram Venerabili exposito n.* 5. & sic fieri debent omnes aliæ genuflexiones, excepta ultima, quando Sacerdos discedit ab Altari finita Missa, rediens ad Sacristiam, quæ genuflexio fit sicut prima: inde extendit Corporale in medio Altaris, &. superimponit Calicem; quo facto genuflectit iterum unico genu caput non inclinans, ut dictum est, surgit, & accedit ad cornu Epistolæ, ut librum aperiat.

4. Rediens ad medium Altaris, statim genuflectit unico genu; ut supra, & sine mora retrahens se de more aliquantulum ad cornu Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ, ne vertat dorsum SS. Sacramento, descendit in planum Altaris humeris versis ad Cornu Evangelii.

5. Postquam descenderit in planum ut supra, pro incipienda Missa, antequam dicat, *In nomine Patris*, genuflectit super infimum Altaris gradum, unico tamen genu, sine capitis inclinatione: Minister vero facta genuflexione utroque genu, ut supra, accedens de more in cornu Epistolæ, ibi deponit Missale super cussinum; unde discedens & pergens ante medium utrumque genu flectit, quod semper facit transiens per medium: quamobrem magis sollicitus esse debet quam in aliis Missis in recedendo a suo loco, ubi est, ut tempore consueto ministrare possit.

6. Sacerdos finita Confessione ascendit ad Altare sine genuflexione, quam gratis quidam faciunt, et cum ad illud pervenerit, antequam incipiat, *Oramus te Domine*, genuflectit.

7. Finita Oratione, & osculato de more Altari, genuflectit ut supra, surgit, & procedit ad cornu Epistolæ lecturus Introitum.

8. Dicto Introitu, accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, & postea dicit *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis*, si dicendum sit.

9. Dicto *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis*, osculatur Altare, genuflectit, ut supra, sine capitis inclinatione, vertit se ad populum, recedens paululum ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento dorsum obvertat & dicit *Dominus vobiscum*, postea revertens ad medium Altaris, denuo genuflectit; & ita semper facere debet in aliis hujusmodi occasionibus.

10. Facta ut supra genuflexione in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, & ibi dicit *Oremus* de more; deinde Orationem, Epistolam Graduale, Alleluja, vel Tractum, ut tempus postulat.

11. Cum pervenerit ad medium Altaris, antequam dicat, *Munda cor meum*, &c. elevatis ad Sacramentum oculis, & statim demissis, genuflectit ut supra, ac deinde surgens dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere.*

12. Dictis præfatis Orationibus, antequam accedat ad cornu Evangelii pro dicendo Evangelio, iterum genuflectit, ut supra; deinde se recipit ad cornu Evangelii, conversus ad librum, dicit juxta morem *Dominus vobiscum*; signat librum, & se ipsum, deinde legit Evangelium.

13. Finito Evangelio, & osculato libro, post illa verba *Per Evangelica dicta*, &c. venit ad medium altaris: si dicendum sit *Credo*, prius genuflectit ut supra, si vero non sit dicendum, antequam convertatur ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, prius osculatur Altare, deinde genuflectit ut supra, & conversus ad populum in cornu Evangelii, dicit *Dom. vobiscum.* Observandum igitur hic quod si dicendum sit *Credo*, in hoc casu genuflectit antequam illud dicat, & eo finito, osculato prius Altari, genuflectit antequam se vertat ad populum: vero non dicatur *Credo*, lecto Evangelio, venit medium Altaris, qui illud osculatur, & postea genuflectit, ut supra, & conversus ad populum, dicit *Dominus vobiscum.*

14. Di-

14. Dicto *Dominus vobiscum* convertit se ad Altare, in medio ejus genuflectit; & deinde surgens dicit *Oremus*, faciens eodem tempore de more, sed versus Sacramentum simplicem capitis inclinationem cum aliquali humerorum inclinatione, & statim dicit Offertorium.

15. Dictis *Oremus* & *Offertorio* de more, facit ea, quæ sequuntur; & dicto *Suscipe Sancte Pater*, antequam discedat de medio ad cornu Epistolæ pro imponendo vino, & aqua in Calice, genuflectit, & accedit ad supradictum cornu Epistolæ: vinum de more infundit in Calicem cum aqua; sed Minister dum ei porrigit ampullas, eas non osculatur ob reverentiam Sacramenti.

16. Sacerdos posito Calice extra Corporale ad cornu Epistolæ, & reversus ad medium Altaris, genuflectit ut supra, & surgens accipit Calicem, & dicit: *Offerimus tibi, etc.*

17. Dicto *Veni Sanctificator*, & benedictis ad finem ejusdem Orationis Hostia, & Calice, absque manuum junctione & sine inclinatione capitis, cum manus extensas supra Altare tenere debeat, genuflectit ut supra, surgit, & recta incedit versus cornu Epistolæ, descendit in planum per gradus laterales cornu Epistolæ, & ibi lavat manus facie versa ad Populum, & advertat ne terga vertat Sacramento, ita ut postquam descenderit gradus Altaris, vertat se ad populum per latus suum dexterum; & ibidem, ubi scilicet lavavit manus, etiam eas manutergio extergat.

18. Post lotionem manuum redit per eosdem gradus laterales ad medium Altaris, ubi statim ut pervenerit, genuflectit ut supra, & dicit *Suscipe Sancta Trinitas.*

19. Dicto *Suscipe, etc.* osculatur Altare, genuflectit, & obverso tergo versus cornu Evangelii, non perficiendo circulum, dicit versus populum, *Orate fratres.*

20. Illo dicto, reversus ad Altare, iterum genuflectit, & deinde surgit.

21. Sacerdos peragit reliqua usque ad Communionem, ut in aliis Missis: sed advertendum, quod in hac Missa, sicut etiam in Solemni coram Venerabili exposito celebrata, campanula non pulsatur, nempe ad *Sanctus*, neque ad *Elevationem*: quod deducitur ex ratione finali, propter quam hic Ritus institutus fuit: nam hæc campanula ideo pulsatur, ut Populus ad adorationem Sacramenti excitetur: frustra igitur in præsenti casu, in quo jam populus actualiter adorat Sacramentum expositum, pulsaretur.

22. Post sumptam purificationem Sacerdos ponit Calicem extra Corporale ad cornu Epistolæ: tum genuflectit in medio Altaris unico genu, surgit, & vadit ad cornu Epistolæ, ubi est Calix, ibi accipit dictum Calicem; ubi facta in eo digitorum ablutione, & eorum abstersione ponit Calicem prope Corporale, tum procedit ad medium Altaris, & ibi genuflectit, ut supra, surgit, accipit Calicem, & sumit ablutionem, & deinde extergit os, & Calicem purificatorio.

23. Accommodato Calice in medio Altaris post sumptam ablutionem, antequam accedat ad cornu Epistolæ pro legenda Antiphona, quæ dicitur *Communio*, genuflectit, ut supra, & lecta prædicta Antiphona, accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit, surgit, osculatur Altare, tum vertit se ad populum in cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiscum.*

24. Dicto *Dominus vobiscum* revertitur ad Altare, & genuflectit in medio ut supra, & surgens redit ad cornu Epistolæ, & ibi dicit *Oremus* cum inclinatione versus Sacramentum, & post Communionem de more.

25. Postcommunione dicta, accedit ad medium Altaris, ubi prius genuflectit ut supra, surgit, osculatur Altare, postea vertit se ad populum in cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiscum*, & *Ite Missa est*; si vero dicturus est *Benedicamus Domino*, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur ad medium Altaris, genuflectit, surgit, deinde stans, dicit: *Benedicamus Domino.*

26. Dicto *Ite Missa est*, convertit se ad Altare, ubi genuflectit, surgit, & deinde dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* qua deprecatione finita osculatur Altare, deinde dicit *Benedicat vos Omnipotens Deus*; quo dicto (caput non inclinans ad vocem Deus) immediate genuflectit, surgit, deinde vertit se ad populum ex parte Evangelii, illum benedicit more solito, non perficit circulum, nec accedit ad medium Altaris, ut genuflectat; sed per eamdem viam, qua conversus est ad populum, absolute revertitur ad cornu Evangelii, ubi dicit *Dominus vobiscum* de more, & legit ultimum Evangelium, advertens ne signet omnino Altare (& hoc signum est omittendum, quia est expositum SS. Sacramentum) sed tantum librum, vel tabellam; si neutrum adsit, signet se ipsum solum.

27. Ad *Verbum caro factum est* non genuflectit juxta solitum versus cornu Evangelii, sed aliquantulum versus Sacramentum unico genu, & sine capitis inclinatione; quo dicto surgit, & prosequitur Evangelium.

28. Finito Evangelio, Sacerdos accedens ad medium Altaris genuflectit ut supra, surgit, accipit Calicem de more, descendit humeris versis ad cornu Evangelii in planum Presbyterii, seu Cappellæ, ubi iterum genuflectit, sicut initio fecit, in plana terra utroque genu, profunde inclinans caput, & sic pariter genuflectit, & se inclinat Minister: deinde surgit, sicut & Minister, & statim discedit, & in eodem loco (id est extra Presbyterium, seu Cappellam) dextera accipit a Ministro birretum, caput tegit, interim aliquantulum consistit, & more solito pergit deinde in Sacristiam.

Ex prædictis patet in genuflexionibus faciendis sequentem regulam observandam esse; videlicet: quando Sacerdos accedit ad medium Altaris, prima actio sit genuflexio; deinde osculetur Altare; quando vero Sacerdos est in medio Altaris, & versus populum se convertere debet, prius osculari debet Al-

tare, & deinde genuflectere, ut dicat *Dominus vobiscum*, *Orate Fratres*, *etc.* & ad medium Altaris deinde rediens, iterum unicum genu flectit. Hæc omnia excerpta sunt ex Auctoribus, qui agunt de hac Missa celebrata coram Sanctissimo Sacramento, nimirum ex Bauldry *part.* 3. *c.* 17. ex Bisso *tom.* 2. *lit. M n.* 222. §. 1. & *lit. G num.* 29. ex Hippol. a Portu *cap.* 7. *de Missa Privata coram Venerabili exposito*, & ex Cæremoniali Missæ Privatæ *cap.* 12. ex Corsetto *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 27. *num.* 2. ex Gervasio *in instruct. Missæ, quæ celebratur cor. SS. Sacramento exposito*, ex Tonellio *lib.* 3. *cap.* 2. ex Lohner *part.* 3. *tit.* 1. *num.* 1. ex Cerrachino *tom.* 1. *dub.* 9. ex Cærem. Monast. *lib.* 3. *cap.* 12. §. 2. ex Vinitore *part.* 4. *tit.* 5. *in adnot.* ex Angel. *par.* 2. *cap.* 17. ex Moncio *de Missa coram Venerabili*, & ex Abbate Benvenuti, *de eadem Missa coram SS. Sacramento exposito pag.* 43. & ex Pennatio, epitom. Sacr. Rit. *tit.* 13. *c.* 11.

XX. Si ex urgente necessitate (aliter non est administranda) in dicto Altari intra Missam, ministretur Sacra Eucharistia; cum Celebrans dicit *Misereatur vestri*, *etc.* *Indulgentiam etc.* stet in cornu Evangelii, ne terga vertat Sanctissimo Sacramento, sed dum vertit se ad populum ut dicat, *Ecce Agnus Dei*, *etc.* attendit solummodo ad Sacramentum, quod habet præ manibus, non ad Sacramentum, quod est expositum; ideoque convertat humeros ad Altare more ordinario: Tonell. *lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 3. Hippolytus a Portu *sup. num.* 11. & si ministretur Eucharistia in dicto Altari in fine Missæ, seu extra Missam, Sacerdos cum dat Benedictionem post ministratam Eucharistiam, stet in cornu Evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento.

Advertendum, quod si dicatur Missa Privata Votiva de Sanctiss. Sacramento diebus non impeditis, quamvis sit expositum etiam in Oratione quadraginta Horarum, non ideo in prædicta Missa debet dici *Gloria*; ideoque colligitur & ex Rubricis generalibus, & ex Decretis a S. R. C. editis, datis in nostro Indice, & deinde repetitis in titulo IV. primæ partis, in quo agitur de Missis Votivis S. Mariæ, &c. ex quibus colligitur Hymnum Angelicum in Missis Privatis Votivis non esse dicendum nisi in Missis Votivis de B. V. M. quando celebrantur in Sabbato.

Neque pariter in dicta Missa Votiva de Sanctiss. Sacramento dicitur *Credo* sola ratione Sanctissimi Sacramenti expositi, juxta Decretum editum 2. Decembris 1684. & supra a nobis jam allegatum. Insuper potest fieri Commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit in Oratione quadraginta Horarum, etiam in Missa de Festo Duplici, quod non sit primæ, vel secundæ Classis, inhærendo Decreto edito 2. Decembris 1684. quod nos supra pariter exposuimus: unde leguntur Decreta ibidem collecta, ut exacte adimpleatur mens Sacræ Congregationis.

De Missa Privata, quæ celebratur coram Episcopo in propria Diœcesi.

XXI. Quamvis de Ritu servando in celebratione Missæ *tit.* 3. *et seq.* sparsim aliqua dixerimus de hac ipsa Missa Privata coram proprio Episcopo celebrata; nihilominus non abs re esse duximus, si de hac eadem Missa in hoc loco paulo fusius sermonem iterum instituamus, & omnia ad eamdem spectantia ordinatim, & in unum collecta tradamus.

1. Igitur Cæremoniæ Missæ Privatæ, quæ celebratur coram Episcopo in loco suæ jurisdictionis, sunt eadem, quæ servari debent coram Patriarcha, vel Archiepiscopo in tota Provincia, coram Nuntio, & Legato Apostolico in locis suæ Legationis, coram Cardinali ubique gentium. Cæremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 30. Item eædem Cæremoniæ observari debent in Missa Privata, quæ celebratur coram Abbate benedicto (& coram gaudente benedictorum privilegiis) habente usum mitræ, vel baculi, in suo Monasterio, vel Ecclesia sua: imo coram Episcopo, & Archiepiscopo extra suam Diœcesim, vel extra Provinciam, sed in privato Oratorio, erunt eædem Cæremoniæ servandæ, quæ in loco jurisdictionis ipsorum servari debent; ut multi Rubricistæ docent.

2. Episcopus, juxta Cæremoniale Episcoporum supracitatum, Missam audire debet supra scabellum precatorium, versus medium Altaris, vel ex parte Epistolæ positum, ut Celebrans incipere possit Missam ex parte Evangelii: quod si Episcopus, vel ob situm, vel ob aliam causam staret ex parte Evangelii; in tali casu Celebrans posset incipere Missam ex parte Epistolæ, vel etiam in medio Altaris, si Episcopus esset in tali situ ut Celebrans commode se se inclinare posset absque eo, quod ipsi Episcopo, seu Prælato verteret tergum.

3. Juxta aliquos, conveniens in primis est, ut Celebrans monitus de adventu Episcopi, ne ipse Celebrantem expectet, Episcopum præveniat; si hic necdum advenisset, sistens se versus Altare in cornu Epistolæ, jam indutus sacris indumentis, Calice super Altare parato, ipsum expectet, & monitus de adventu Prælati, vertat se in eodem loco, & profunde inclinatus ipsum salutet: deinde transiens ad medium Altaris, salutata de more Cruce, descendit in planum per gradus laterales cornu Evangelii ante infimum Altaris gradum; ex quo loco facit profundam reverentiam Cruci, vel genuflectit, unico tamen genu, absque capitis inclinatione coram Sanctiss. Sacramento, si expositum adsit in Tabernaculo, & deinde profunde Episcopo se inclinet, & statim erectus stet in eodem cornu Evangelii, expectans ab Episcopo signum incipiendi Missam, aliquantulum ad eum conversus, & dato ab Episcopo signo iterum profunde eidem se inclinet, & conversus aliquantulum ad Altare, more solito incipiat Missam. Verum juxta instructionem Cæremonialis Monastici *lib.* 3. *c.* 12. §. 3. & aliquorum usum, paulo antequam Epi-

sco-

scopus accedat ad Altare, in quo coram eo est celebranda Missa, duo tantum Cerei accendi debent, Calix super altare parari, sicut etiam Missale apertum, & alia necessaria super credentiam ne Prælatus ibi diu moretur. Sacerdos eriam paratus in Sacristia expectabit illius adventum; qui statim ipsi prælato Ecclesiam ingresso, & jam super genuflexorium ante Altare in genua procumbente, accedet ad illud junctis manibus ante pectus, capite tecto, & præcedente Ministro de more, & ante infimum gradum Altaris caput deteget, factisque statim Altari, & Episcopo reverentiis, id est genuflexione Tabernaculo Sanctiss. Sacramenti, & inclinatione profunda Prælato, ante infimum gradum ad cornu Evangelii se recipiet, ibique stans, expectabit signum incipiendi, aliquantulum ad Prælatum conversus; quo signo dato iterum inclinet se Prælato profunde, & aliquantulum conversus ad Altare, manente Ministro ad cornu Epistolæ genuflexo in plano Cappellæ, incipit Missam more solito. Cæremoniale Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 30.

4. Missa inchoata, ad *Confiteor* ubi pervenerit ad illa verba, *Et vobis fratres*, dicat Celebrans profunde Prælato se inclinans, *Et tibi Pater*; & ubi dicitur de more, *Vos fratres*, dicat, *Et te Pater*, quod si plures essent Prælati æquales, vel alii Prælati, tunc non videtur dicendum *Vobis Patres*, & *Vos Patres*, sicut illorum nemo osculatur librum post Evangelium; nihilominus usus obtinuit in tali casu, ut hæc in numero plurali dicantur: Gav. *tit.* 3. *sup. Rub.* 9. §. *Quid dicendum*: deinde in eodem loco dicet de more *Misereatur*, *Indulgentiam*, & reliqua usque ad *Oremus* inclusive.

5. Dicto *Oremus*, immediate antequam ascendat ad Altare iterum versus Prælatum profunde se inclinat; & accedens ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipiens *Aufera nobis*, secreto ut moris est, ascendit ad Altare, & alia peragit, ut in aliis Missis.

6. Finito Evangelio non osculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta*, sed statim Minister, qui juxta Cæremoniale Episcoporum debet esse Cappellanus Episcopi, superpelliceo indutus, defert Missale apertum ad Prælatum sine genuflexione, ut illud osculetur, ubi describitur initium Evangelii lecti. Post osculum Minister claudit Missale, & tunc, & non prius Prælato unico genu genuflexionem facit: deinde reportat decenter ad Altare librum, si sit Celebrantis, aperiendo ubi erat apertus; si Cappellanum non habet paratum Episcopus, tunc alius Minister, qui Missæ inservit, tradet librum osculandum Episcopo.

7. Quod si ibi foret Prælatus dignior, uti Archiepiscopus, vel Cardinalis, tunc Missale ad magis dignum deferatur osculandum: si vero ibi sint plures Prælati æquales; & nullus aliis dignior, nulli defertur osculandum Missale, nec illud osculatur Celebrans. Cæremoniale Episc. supra.

8. *Credo* (si sit dicendum) *Offertorium etc.* usque ad Orationem, quæ dicitur post *Agnus Dei*, *Domine qui dixisti*, *etc.* inclusive, dicuntur ut in aliis Missis.

9. Dum Sacerdos dicit prædictam Orationem post tertium *Agnus Dei*, Minister genuflexus utroque genu a dexteris Celebrantis tenet instrumentum pacis elevatum supra Altare, & finita supradicta Oratione, Celebrans osculatur Altare, & postmodum ambabus manibus tenens instrumentum pacis, quod ei porrigitur a supradicto Ministro genuflexo, ut supra, illud osculatur dicens *Pax tecum*, & Minister respondet ei adhuc genuflexus, *Et cum spiritu tuo*: moxque se erigens Minister facit genuflexionem Sacramento unico genu, & abstergit instrumentum in ea parte, quam osculatus est Sacerdos, abstergit autem sinistra adhibendo velum coloris cum Missæ colore congruentis, quod manubrio instrumenti appensum esse debet, & deinde defert præfatum instrumentum pacis osculandum Prælato sine ulla inclinatione; quo osculato, & non prius, facit genuflexionem Prælato unico genu.

Si ibi sit Prælatus aliquis dignior Episcopo, instrumentum pacis deosculandum defertur ad illum, & postea successive ad minus dignum: si omnes sint æquales, dari posset osculandum illi, qui primum occupat locum, vel ei qui vicinior est Altari, & deinde aliis successive. Postquam illud pacis instrumentum datum fuit ad osculandum, conveniens esset illud velo cooperire antequam Prælato fiat genuflexio; & si ibi plures fuerit Prælati, tunc tegitur postquam ultimus illud fuerint osculatus. Rursus advertendum est, quod si plures fuerint Prælati, post uniuscujusque osculum, unicuique fit reverentia, & post reverentiam statim abstergit instrumentum. Alia, quæ spectant ad præfati instrumenti osculum, jam tradidimus agentes de hac parte Missæ in titulo de Ritibus Missæ Solemnis.

10. Communio, Postcommunio, & alia, usque ad Benedictionem exclusive, dicuntur de more.

11. Ad finem Missæ Celebrans dicit de more solito, *Benedicat vos omnipotens Deus*: sed priusquam Populo benedicat, ad Prælatum conversus, profunde ei se inclinat, quasi ab eo licentiam benedicendi petens; qua inclinatione facta, benedicit circumstantibus ex parte Evangelii (si Prælatus est in medio; vel ex parte Epistolæ) dicens de more: *Pater*, *et Filius*, *et Spiritus Sanctus*: quare Celebrans advertit semper ne benedicat ex illa parte ubi est Prælatus. Verum si Prælatus audiet Missam extra suæ jurisdictionis locum: *Ei absque alio respectu*, dicit Rubrica, *ut cæteris*, *qui intersunt*, *Sacerdos more consueto benedicit*. *Rubr.* 12. *n.* 3.

12. Post Benedictionem Celebrans dicit de more Evangelium in fine Missæ, quo finito, ad Prælatum conversus, stans in eodem cornu Evangelii facit illi profundam reverentiam; postmodum expectat priusquam discedat, usque dum prælatus ipse discesserit.

Non solum quando Sacerdos celebrat coram Episcopo, sed etiam Archiepiscopo, Nuntio, & Legato extra ipsorum Diœcesim, Provinciam, vel locum Legationis, in publica Ecclesia, prædictam reverentiam prætermittit, ut disponit Rubrica cita-

ta, quamvis in tali casu videatur conveniens, ut Sacerdos celebrans in præsentia talium Prælatorum, accedens, vel recedens ab Altari, transiens ante ipsos, faciat iisdem debitam reverentiam, hoc est mediocrem inclinationem, & capite cooperto si habet Calicem; profundam, & capite detecto si Calicem non habeat: ulterius mittat ipsis osculandum instrumentum pacis, ut alias dictum est, & finito ultimo Evangelio faciat ipsis profundam inclinationem ab Altari. Hæc omnia delibavimus ex Cæremoniali Missæ Privatæ *c.* 3. ex Bauld. *par.* 5. *c.* 9 *& part.* 5. *cap.* 30. ex Bisso *tom.* 2. *lit. S. n.* 20 *a* §. 11. *&* §. 79. ex Lohner *part.* 4. *tit.* 6. ex Hippolyto a Portu *part.* 3. *c.* 4. *ad tit.* 3. *in adnot. Rubr.* 2. *& seqq.* ex Moncio de Missa coram Prælato, ex Corsetto *tract.* 1. *part.* 1. *c.* 16. ex Angel. *part.* 2. *c.* 13. & ex Tonellio *lib.* 2. *tit.* 14.

De Missa, quæ cantatur coram Episcopo in diversis Ecclesiis suæ Diœcesis.

XXII. Quoniam sub hoc titulo egimus de Missa tum Solemni, tum Privata, celebrata coram SS. Sacramento exposito, & deinde de Missa Privata celebrata coram Episcopo in loco suæ jurisdictionis, hinc progredimur etiam ad agendum de Missa solemni celebrata coram eodem Episcopo in Ecclesiis diversiis suæ Diœcesis: contingit enim sæpe ut Antistites, sive in sua visitatione, sive in aliis Solemnitatibus, accedant ad Ecclesias Collegiatas, sive Parochiales extra Civitatem, ubi pontificaliter assistunt Missis Solemnibus, sine Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. Cum igitur pro prædictis Missis nulla sit in Cæremoniali regula: hinc ut facilius hæc sacra actio dirigatur, congruum nobis visum est tradere hic ea, quæ hinc inde collecta sunt, & quæ quamvis in prædicto Cæremoniali non sint expressa, illi tamen in omnibus sunt conformia, vel saltem illi non discordantia.

XXIII. Paranda igitur erit, primo a latere dextero Altaris, nempe a latere Evangelii, si situs loci id patiatur, sedes Episcopalis alta a solo tribus gradibus, tapetibus undique cooperta, ipsaque sedes cum postergali velatur panno serico, eique super appenditur umbraculum, seu baldacchinum conforme colori paramentorum Celebrantis, & Altaris, dummodo & super Altari aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur: non aliter, ut habet Cær. Episc. *lib.* 1. *c.* 13. §. 3.

Si cum Episcopo esset aliquis Canonicus suæ Cathedralis Ecclesiæ, collocandum esset scamnum nudum a latere dextero Episcopi, extra anteriores gradus sedis: si duo Canonici essent, duo scamna prope parietem; si tres essent Canonici; tria parentur scamna, duo prope parietem hinc inde a lateribus sedis, aliud prope Episcopum ante ipsius faciem a dexteris, vel a sinistris, prout loci situs patietur, regulariter tamen a dexteris, dummodo neque Altari, neque Episcopo Canonicus super illo sedens terga vertat: sed maneat semiconversus. Cæremoniale Episc. *lib.* 1. *c.* 7. §. 2. Si nullus sit Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, tunc nulla paretur sedes, nisi Episcopus velit ut aliorum Canonicorum Collegiatæ, seu Parochi, & aliorum assistentia, & habere eos hinc inde sibi assistentes, Turrinus *part.* 2. *sect.* 6. *cap.* 2.

XXIV. Ante gradus Altaris collocetur faldistorium cum pulvinis, & operimento coloris, quem Missa exigit, vel aliud genuflexorium, quod facile moveri possit. In latere Epistolæ paretur scamnum oblongum pro Celebrante, & Ministris Sacris, ut mos est.

Si autem Episcopus velit Sacris indutus Missæ interesse, supra Altare parentur pluviale explicatum (& uti mos est præparetur formale, seu pectorale) stola, cingulum, Crux pectoralis, alba explicata, amictus, mitra erecta prope gradus Altaris a parte throni; quæ omnia velo pretioso cooperiantur præter mitram. Baculus vero pastoralis ponatur in loco posteriori sedis Episcopalis; liber Missalis, & instrumentum argenteum, quod bugiam vocant, in credentia collocabuntur.

XXV. Cum Episcopus ad Ecclesiam venturus est, debent Presbyteri loci, seu illius Ecclesiæ, accedere ad eum locum in habitu chorali, a quo Episcopus deducendus est, nisi maxime distaret; quo casu vel exciperent eum extra Ecclesiæ portam, vel in loco alio designato. In accessu, & recessu ab Ecclesia, Clerici omnes Episcopum præcedunt; Canonici vero si erunt Ecclesiæ Cathedralis, subsequi debent, quia non sunt parati, neque est Processio facta. Cæremoniale Episc. *lib.* 1. *cap.* 15. §. 9. Superior Cleri, & dignior illius Ecclesiæ, ad quam Episcopus accedit, cum debita reverentia, id est genuflectens, aspersorium aqua benedicta madidum porrigit Episcopo cum osculo ipsius aspersorii primum, & deinde cum osculo manus Episcopi, a quo omnes asperguntur interim genuflexi. Tum cum osculis prius manus, deinde aspersorii, & genuflexione, aspersorium recipitur ab eodem digniori ipsius Ecclesiæ. Dixi aspersorium Episcopo porrigendum esse a digniori illius Ecclesiæ, ad quam accedit: quia hoc est conforme Decretis a Sac. Rit. Cong. editis, & datis in nostro Indice *sub n.* 61. 84. 121. 241. 263. 292. 309. & 424. Dixi etiam cum genuflexione, ubi enim Canonici Cathedralis inclinant, Presbyteri & alii de Clero genuflectunt, etiam si sint Parochi, imo etiam si sint Canonici Collegiaturum, nisi immemorabilis sit contraria consuetudo; ut statuit S. R. C. apud Bauld. *p.* 5. *c.* 9. *art.* 2. *n.* 20. & ut habent acta Mediolanensis Ecclesiæ in instructione Processionum (quæ genuflexiones etiam a Regularibus præstari debent) deinde deducunt Episcopum ad Altare; ibique genuflexus orat; quod idem faciunt omnes genuflexi ante Altare, surgente Episcopo surgunt omnes, eique ad sedem abeunti debitam faciunt reverentiam, id est, genuflexionem. Turrinus *loc. cit.*

Interim removetur faldistorium per aliquem Acolythum, & portatur ad latus Epistolæ, vel ad alium convenientem locum. Alii duo Acolythi præ-

ce-

cedunt ad Altare cum debitis reverentiis, tollentes velum supra prædictum Altare positum. Deinde præfati Acolythi, aut alii, si sint, afferant modeste, & decenter ambabus manibus ex altari paramenta Episcopi, cum genuflexionibus Altari, & Episcopo, qui deposita cappa, stans, induitur a dignioribus: tum sedens accipit mitram, & cum tempus fuerit, accepto pastorali baculo, descendit in planum ante Altare medius inter duos seniores, fimbrias anteriores pluvialis elevantes. Interim Celebrans descendit a sede sua in planum per partem lateralem Epistolæ, cum Ministris eum sequentibus, ex Cær. Papæ *l.* 2. *c.* 2. accedit ad sinistram Episcopi nudo capite, sed paulo post eum, sicut & Ministri Sacri, qui paullulum retro stabunt ad sinistram Celebrantis. Episcopus deposito baculo pastorali, ac mitra, recedentibus senioribus post eum, qui ibi genuflectunt, incipit, *In nomine Patris, &c.* se signans: ac peragit ea, quæ sunt Celebrantis propria, ac si ipse esset Missam celebraturus, faciens Confessionem usque ad *Indulgentiam* inclusive; cui ipse Celebrans respondet simul cum Episcopo dicente, *In nomine Patris, &c.* ut declaravit S. R. C. 4. Augusti 1663. quod quidem Decretum datum est in nostro Indice *sub. n.* 409. Ministri vero Sacri, qui tunc stant post dictum Celebrantem, faciunt inter se submissa voce confessionem, sicuti cæteri de Choro bini, & bini.

XXVI. Dicto per Episcopum *Indulgentiam, &c.* Celebrans profunda reverentia Episcopo, & a Ministris Sacris genuflexione, paullulum se retrahit cedens locum Episcopo, qui interim prosequitur reliquos *VV.* cum suis Assistentibus, & eodem tempore etiam Celebrans cum suis Ministris recitat eosdem versus. Post hæc senior ministrans Episcopo, accedens ante ipsum, imponit ei mitram cum debitis genuflexionibus, ministrans vero baculum pastoralem, a sinistra illum cum osculo Episcopo offert, qui facta debita inclinatione Altari, vadit ad sedem suam eo modo, quo venerit; ubi cæteris stantibus sedet, ac baculum pastoralem deponit.

Tum Celebrans accedit ad medium plani ante infimum Altaris gradum, & medius inter sacros Ministros ascendit ad Altare, quod osculatur ad verba, *Quorum Reliquiæ hic sunt*, ibique stat, quoadusque ei thuribulum allatum fuerit.

Acolythus deinde Thuriferarius cum navicula, & igne in thuribulo, comite Cæremoniario, accedit cum Diacono ad Episcopum sedentem cum mitra; qui Diacono ministrante naviculam, & Thuriferario unico genu flexis, imponit incensum cum benedictione in thuribulum; Diaconus autem offerens cochlear, dicit *Benedicite Pater Reverendissime*, vel si sit Cardinalis dicit *Eminentissime*. Benedicto thure surgit Acolythus, accipit naviculam a Diacono; accedunt cum debitis reverentiis, hoc est genuflexionibus, & redeunt ad Altare pariter cum genuflexione, ubi Celebrans sumpto thuribulo sine osculis, ut habet Cær. Episc. *lib.* 1. *c.* 18. §. 16. (quæ oscula ideo omittuntur, quia præsens est Episcopus) cum debitis reverentiis thurificat Altare; & postea Diaconus incensat Celebrantem duplici ductu cum debitis inclinationibus. Incensato Celebrante Diaconus vadit cum Thuriferario, qui thuribulum gestat, ad Episcopum, eumque, facta genuflexione, thurificat stantem cum mitra. Si Episcopus habeat Presbyterum assistentem, qui sit ex illis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis; Diaconus non accedit ad Episcopum pro imponendo thure, sed sufficit Thuriferarius cum Cæremoniario, & tunc idem Presbyter assistens incensat Episcopum paratum. Si autem Episcopus nolit incensari a Parocho sibi assistente, veniet nihilominus Diaconus, & tradet illi thuribulum; sed pro imponendo incenso ministrabit solus Parochus, nec Diaconus discedet ab Altari.

XXVII. Facta incensatione Episcopi, junior assistens detrahit ei mitram cum debitis genuflexionibus; & senior subbirretum, quod, complanatis capillis, apud se tenet. Ministri libri, & candelæ, veniunt ad Episcopum (cum genuflexionibus ante, & post, quod semper observant) qui surgens legit ex libro allato introitum, & dicit *Kyrie* cum Ministris, dum Celebrans ad Altare idem præstat. Recedunt deinde Ministri libri, & candelæ: Celebrans autem, dicto ultimo *Kyrie*, accedit de more ad medium Altaris, & cantat Hymnum *Gloria in excelsis*, quem prosequitur cum Diacono, & Subdiacono, dum Episcopus idem facit cum Cæremoniario suæ Ecclesiæ Cathedralis, si adsit; vel cum senioribus sibi assistentibus, & Ministri bini eumdem Hymnum submissa voce prosequuntur. Observandum tamen est, quod in his Ecclesiis, Canonici Collegiatæ, sive alii Presbyteri, non faciunt circulum ad *Kyrie*, *Gloria*, *&c.* cum prædictum circulum soli Canonici Ecclesiæ Cathedralis facient, ut est communis consuetudo omnium Ecclesiarum, & colligitur ex iis, quæ tradit Turrinus *supra*, §. *Incensatione.*

XXVIII. Dicto Hymno Angelico, Celebrans per viam breviorem vadit ad sedem cum Ministris Sacris: dum imponitur mitra Episcopo sedentii Clerici omnes ministrantes, quamvis decentius stare deberent, attamen sedere poterunt in infimo sedis Episcopalis gradu, sed capite detecto; Durrin. *supra loc. cit.* quoad usque finiatur Hymnus a Choro.

Circa finem Hymni surgunt omnes Ministri, & Celebrans cum Sacris Ministris per viam longiorem revertitur ad Altare, Episcopo se inclinans; Ministri vero genuflectunt: deinde omnes Chorum circumstantem salutant: tum omnes pariter facient debitam reverentiam Altari. Priusquam dicatur *Dominus vobiscum* aufertur mitra Episcopo, qui surgens stat usque ad conclusionem postremæ Orationis: tum Episcopus sedet, & imponitur ei mitra. Subdiaconus antequam cantet Epistolam, comite Cæremoniario, genuflectit Altari, & Episcopo. Notandum tamen hic est, quod si Subdiaconus, priusquam cantet Epistolam, debeat transire ante Episcopum, primo faciet genuflexionem Episcopo, tum Altari: quia in tali casu non attenditur cui prius vel postea genuflexio exhiberi debeat; sed consideratur tantum commoditas gradientis: unde faciat pri-

primam genuflexionem, prius sibi occurrenti. Finita Epistola accedit ad solium Episcopale; ubi genuflexus, tenens librum clausum per angulos inferiores, deflectit partem ejus superiorem, & ponit super Episcopi genua, ac in parte posteriori osculatur ejus manum super librum positam: deinde ab eo benedicitur, & facta ei debita genuflexione recedit: tum vadit ad suum Ministerium circa Celebrantem, ut mos est, facta prius reverentia Choro, & genuflexione Altari. Interim Ministri de libro, & candela, accedunt ad Episcopum, qui sedens cum mitra, cæteris stantibus, legit Epistolam, & Evangelium cum intermediis, Graduale scilicet cum Tractu & ℣. ac *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, *&c.* dum a Choro cantatur *Grad. &c.*

XXIX. Cum inchoatur in Choro ℣. Gradualis, aut citius, prout videbitur, post reditum Subdiaconi, Diaconus defert librum Evangeliorum incedens per planum ad Altare cum debitis reverentiis etiam Episcopo, & Choro, & inde, Cæremoniario comite, accedit ad Episcopum, ubi genuflexus osculatur manum ejus: tum facta genuflexione redit, cum reverentiis Choro præstitis, ad Altare, ubi genuflexus in infimo gradu dicit *Munda cor meum &c.*

Tum surgens capit librum Evangeliorum; & facta genuflexione accedit ad partem Epistolæ, ubi expectat tempus eundi ad Episcopum pro Benedictione. Interim Thuriferarius accedit ad Episcopum cum Cæremoniario, ubi Episcopus ponit thus in thuribulo de more, ministrante Presbytero assistente naviculam, si adsit; aliter ipse Diaconus, posito libro super Altare, offert prius Episcopo thus benedicendum cum debitis reverentiis, & osculis, quo facto revertitur ad Altare, ubi more solito dicit *Munda cor meum*, *&c.* tum suo tempore cum aliis Ministris, id est cum Subdiacono, Cæremoniario, Thuriferario, & Ceroferariis, cum solitis reverentiis revertitur ad Episcopum; coram quo cuncti genuflectunt usquequo Diaconus Benedictionem acceperit. Diaconus accepta Benedictione surgit, sicut & Ministri, & accedunt ad locum convenientem hoc ordine: Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, tum Ceroferarii cum candelabris, & cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus portans librum Evangeliorum clausum ante pectus, & transeuntes ante Altare, faciunt illi genuflexionem, sicut & Choro reverentiam. Cum pervenerint ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter Ceroferarios tenet ante pectus librum Evangeliorum apertum, cujus superior pars capiti ejus adhæreat, vertens renes, non quidem Altari, sed versus ipsam partem dexteram, quæ pro ipso aquilone figuratur.

Diaconus, cum tempus est, junctis manibus ante pectus, incipit cantare Evangelium, attendat tamen Subdiaconus, & Ceroferarii, ne terga vertant Episcopo, ut bene notat Cærem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 1. *c.* 4. quia in tali casu, vel potius exeundum esset ex Presbyterio, ut notat Turrinus *sup.* Bauld. *p.* 5. ex *l.* 2. Cær. Episc. *c.* 9. *a.* 2. *n.* 7. & Lohner *p.* 3. *tit.* 2. §. 1. *n.* 11. vel a latere dextero Episcopi cantandum esset Evangelium,

Episcopus, cum dicitur *Dominus vobiscum*, deposita mitra surgit, & accepto baculo pastorali manu sinistra, signat dextera se in fronte; dum dicitur *Sequentia*, *&c.* tum jungit manus habens baculum inter ambas manuum volas, ut moris est, usque ad finem. Diaconus autem dicto *Sequentia S. Evangelii* incensat librum juxta morem solitum. Finito Evangelio Subdiaconus portat librum apertum Episcopo osculandum sine ulla reverentia, nisi post osculum libri; quo clauso, & non prius, genuflectit. Interim Acolythi Ceroferarii, facta genuflexione Altari, & Episcopo, discedunt, & deponunt candelabra super credentiam. Diaconus autem cum Thuriferario vadit ante Episcopum, quem stantem adhuc sine mitra cum baculo incensat. Post incensationem vero Episcopus deponit baculum, & Diaconus revertitur ad Altare cum debitis reverentiis. Advertendum tamen est, quod si Episcopus gestet cappam amplam, & non pluviale, tunc incensandus est Celebrans, & quidem solus; juxta Decretum diei quartæ Augusti 1663. in una Dalmatiarum ad 8. dubium, & datum in nostro Indice *sub.* *n.* 410. Præfatus autem Celebrans non dicit *Per Evangelica dicta*, *&c.* quia hæc verba dicuntur ab Episcopo postquam osculatus est Evangelii textum.

Dum incensatur Episcopus, vel prius, accedit Celebrans a cornu Epistolæ ad medium Altaris, quo cum Diaconus accesserit, intonat *Credo*, si dicendum sit, quod ipse cum Diacono, & Subdiacono, & Episcopus cum Assistentibus prosequuntur; & genuflectunt omnes cum dicunt, *Et incarnatus est*, *&c.* in fine signat se, sedent deinde Episcopus, & cæteri, quando vero cantatur a Choro, *Et incarnatus est*, *&c.* omnes profunde caput inclinant, hoc est Episcopus, Assistens, & Celebrans, & Ministri Sacri; cæteri vero de Choro, qui non sedent, genuflectunt.

XXX. Cantato per Chorum Symbolo, accedit Celebrans ad Altare cum solitis reverentiis, dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, Episcopo stante cum mitra, ut observatur in Cappella Papæ: tum Episcopus legit ex libro per Ministros ante se allato, sedens, Offertorium; deinde benedicit ampullam aquæ elevatam a Subdiacono stante in cornu Epistolæ & dicente, *Benedicite Pater Reverendissime*, unicum genu tunc flectendo: deinde idem Subdiaconus surgens aliquas guttulas immittit in Calicem; reliqua peragit de more. Facta Calicis oblatione, Diaconus vadit cum Thuriferario ad Episcopum, per quem imposito, & benedicto incenso, redit ad Celebrantem; & fit oblatorum Altaris, tum Sacerdotis celebrantis, deinde Episcopi thuriferatio, & hoc loco numquam omittitur; quia post eos, omnes incensantur, unico ductu thuribuli, nisi adesset Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, qui duplici ductu incensari deberet.

XXXI. Dum incipit Celebrans Præfationem, Episcopus surgit, deposita prius mitra, & stat mani-

manibus junctis usque ad finem, dicens cum duobus senioribus, vel Ministris, *Sanctus, &c.* dum idem cantatur a Choro, non tamen percutiens pectus dextera, sed signans se in fine, elevante seniore a dexteris fimbriam anteriorem pluvialis: tum sedet, & accipit mitram; ac tenens sinistra baculum, descendit in planum ante gradus Altaris ad faldistorium ibidem a Ministro paulo ante locatum; ubi deposito baculo, & mitra, genuflectit, aptantibus duobus senioribus fimbrias anteriores pluvialis super faldistorium. Subdiaconus autem, qui tenet Patenam, stabit vel retro post Episcopum, vel super infimo gradu a latere Epistolæ genuflexus, & Acolythi cum intortitiis, vel in plano Cappellæ genuflectunt post Episcopum, vel genuflexi manent ad latera Altaris, faciebus invicem sibi conversis. Turrin. *loc. cit.* §. *Dum incipit.* Facta Elevatione surgunt omnes; & Episcopus stans, & accepto baculo sine mitra, ut docet Marcellus in Cæremoniali Papæ *lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 14. & colligitur pariter ex Cær. Episc. *lib.* 1. *cap.* 12. genuflectit, & post genuflexionem, sumpta pariter mitra, revertitur ad sedem suam, ubi stans, deponit baculum, & mitram; & aufertur faldistorium de medio Altaris. Subdiaconus autem redit ante medium infimi gradus cum genuflexione, & Acolythi cum intortitiis recedunt: Celebrans vero reliqua peragit usque ad *Agnus Dei* inclusive, ut in Missali. Ex Turrino *supra.*

XXXII. Ad *Agnus Dei* Episcopus cum senioribus, seu Diaconis sibi assistentibus ter eumdem ℣. dicit, percutiens sibi dextera pectus, sinistra interim pectori admota, & elevante seniore a dexteris fimbriam anteriorem pluvialis. Tum si adest Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, seu presbyter assistens, facta profunda reverentia Episcopo, accedit cum debitis genuflexionibus ante, & post, ad Altare, quod deosculatur simul cum Sacerdote celebrante, a quo accipit pacem, eamque defert ad Episcopum, qui eam dat duobus Diaconis sibi assistentibus, ut præscribit Cærem. Episcop. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 8. Subdiaconus autem Canonicum, seu Presbyterum assistentem cum pace recedentem ab Altari sequitur, & pacem accipit ab eo in plano Cappellæ, quam deinde dat Cantoribus in Choro, tum Diacono, demum Cæremoniario, vel Acolytho. Si cum Episcopo proprio alii sint Prælati minores, tunc Minister dabit pacem etiam primo stanti in sua sede, qui aliis deinde eam dabit: & si sint scamna, in quibus sint multi Prælati, tunc dabit pacem primo cujuscumque scamni, juxta ea quæ diximus supra de ordine dandi pacem. Si vero non adsit Presbyter assistens, tunc Subdiaconus pacem a Diacono accipit, eamque defert ad Episcopum, deinde cæteris ut supra distribuit. Bauldry *part.* 5. *ex* 2. *lib. Cærem. Episc. cap.* 9. *art.* 2. *num.* 15. & Turrinus *part.* 2. *sect.* 6. *cap.* 2.

XXXIII. Ad *Domine non sum dignus*, inclinatus Episcopus pectus ter percutit, ac sumpto a Celebrante Sanguine, sedet, capitque mitram, ac legit ex libro sibi allato *Communionem* dum cantatur a Choro. Ad *Dominus vobiscum* surgit Episcopus nudo capite, iterumque sedet, dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino.* Dum Celebrans dicit *Placeat, &c.* accepta mitra Episcopus surgit, & genuflexis omnibus (exceptis Celebrante, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, si adsint, qui solum profunde se inclinant, juxta Decretum datum in nostro Indice *sub n.* 136. Celebrans vero se trahens ad cornu Epistolæ, stans facie versa ad Episcopum, profunde, ut supra, inclinatus expectat benedictionem) benedicit solemniter, accipiens baculum antequam dicat *Pater, &c.* Præfatus Sacerdos celebrans postmodum inclinans profunde caput, & humeros Episcopo, legit Indulgentias: tum Episcopo mitram deponente, Celebrans facta reverentia Cruci Altaris, vadit cum Subdiacono (remanente Diacono propius ad Altare paulo versus cornu Epistolæ, vel se recipiente a parte Evangelii inter Celebrantem, & Subdiaconum, sed paulo retro) ad cornu dexterum, ubi legit de more Evangelium, ad quod Episcopus stat cum baculo, nudo capite genuflectens, ut moris est, cum dicitur; *Et verbum caro factum est.* Missa peracta descendit Celebrans cum Ministris Sacris in planum, factis ibi debitis reverentiis ab omnibus Altari, Episcopo, & Choro. Episcopus autem si cappa usus est, descendit in planum, ubi orat in faldistorio; deinde abit, abeunte etiam Sacerdote cum suis Ministris. Si vero Episcopus usus est pluviali, Celebrans cum debitis reverentiis recedit in Sacristiam, & Episcopus apud sedem suam expoliatur sacris vestibus, & vestitur cappa, ac vadit ad faldistorium, ubi orat, & recedit stipatus a cunctis Clericis, ut dictum est supra, nisi aliqua Hora Canonica persolvenda sit; quo casu aliqui remanent in Choro, & Officium absolvunt. Hæc omnia respective sunt juxta dispositiones Cæremonialis Papalis, & Episcoporum, & juxta consuetudines Ecclesiarum Cathedralium Collegiatarum, necnon juxta placita Castaldi, Bauld. Turrini, Bissi, & aliorum.

Ordo Missæ, & partium ejusdem additio juxta ordinem temporum. XV.

GAVANTUS.

HActenus ordinem totius Missæ examinavimus, secundum quem Missa celebratur. Nunc quam brevissime videamus, quo ordine aucta sit eadem Missa ab initio nascentis Ecclesiæ ad hodiernum usque diem, ordine temporum servato. Si de Liturgia S. Petri fortasse dubites, quam Lindanus defendit (quo casu tota esset a S. Petro) successores decretis firmarunt eamdem per partes. Præterea ejusdem Missæ mysticam expositionem, ex antiquis interpretibus hauriamus, eam nimirum, quæ aptius Domini nostri Jesu Christi vitam, actiones, & Passionem ordinate repræsentat. Postremo Canonis literalem sensum in quibusdam verbis non ita facilem aperiamus.

1. Ex

1. Ex dictis igitur, initio Ecclesiæ Missa constabat consecratione tantum, & Oratione Dominica, ut probavimus *ex S. Gregor. part. 2. tit. IX. Rubr. 1. lit. q.*

2. Ab Apostolis, & Successoribus Apostolorum addita sunt Epistola, *part. 1. tit. X. Rubr. 1. lit. h* & Evangelium, *eod. tit. et tit. lit. b.*

3. Tum principium Canonis a Clemente fuit additum, qui & dici jussit, *p. 2. tit. VIII. Rubr. 1. lit. i* Dominus vobiscum, *part. 1. tit. VII. Rub. 7. lit. e.*

4. Communicantes, a Lino, *part. 2. tit. XIII. Rubr. 4. lit. q* vel Siricio, *ibid. lit. z.*

5. Qui pridie, *part. 2. tit. X. Rub. 4. lit.* fusque ad verba consecrationis. Unde & memores, &c. aquam item cum vino adhiberi jussit Alexander, *part. 1. tit. XII. Rubr. 2. lit. z.*

6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, a Sixto, *part. 1. tit. VIII. Rubr. 3. lit. z.*

7. Hymnus Angelicus a Thelesphoro, & Tractus *part. 1. tit. F Rubr. 5. lit. z.*

8. Oratę fratres, ante Soterum, at alii Leoni id tribuunt, *part. 2. tit. VII. Rub. 7. lit. y.*

9. Confessio ante Missam a Pontiano; alii a Damaso, *part. 2. tit. III. Rub. 7. lit. x.*

10. Symbolum post Evangelium a S. Marco, sed quod hodie legitur, Damasus decrevit legi, qui & Gloria Patri in Missa addidit, *p. 1. tit. XI. Rub. 8. lit. u.*

11. Pax Domini sit semper, &c. ab Innoc. I. *part. 2. tit. X. lit. a.*

12. Introitus Missæ ex Psalmis, a Cælestino. Item Tractus, & Graduale, *part. 1. tit. VIII. Rubr. 1. lit. s.*

13. Præfationes, Hanc igitur oblationem, &c. in Canone, Sanctum Sacrificium, &c. Ite Missa est, Benedicamus Domino, a Leone I. *part. 1. tit. XII. lit. z.*

14. Canonem ordinasse dicitur, Gradualia, & Præfationes addidisse Gelasius, *part. 2. tit. VIII. Rub. 4. lit. r.*

15. Kyrie eleison, Orationes, Alleluja, Offertorium, Communio, in Canone, Diesque nostros in tua pace disponas, &c. Præceptis salutaribus, Libera nos, &c. & tota Missa melius ordinata fuit a Gregorio I.

16. Agnus Dei, a Sergio, *p. 2. tit. X. Rub. 2. lit. c.*

17. Sequentia, a Nicolao, *part. 2 tit. X. Rubrica 3. lit. u.*

Secuti vero sumus in hac re Chronologiam Bellarmini.

ALii SS. Patres addidere alia, approbata deinde a Summis Pontificibus, uti par est credere, hoc ordine temporum.

1. Benedictus, qui venit in nomine Domini, a S. Ignatio, *p. 1. tit. 12. Rub. 2. lit. z.*

2. Domine non sum dignus, &c. tempore Origenis, *part. 2. tit. X. Rub. 6. lit. o.*

3. Finis Hymni Angelici ab Hilario Pictav. *part. 2. tit. VIII. Rubr. 3. §. Hymnus Angelicus.*

4. Benedictio Populi in fine, ætate S. Hieronymi, *part. 1. tit. XIII. Rubr. 2. lit. u.*

5. Quod ore sumpsimus Domine, &c. ante Ordinem Romanum, *part. 2. tit. X. Rub. 5. lit. z.*

6. Domine Jesu Christe fili Dei vivi, *part. 2. tit. F. Rub. 6. lit. l* &c. ante Microlog. *part. 2. tit. XII. Rub. 1. lit. t.*

Reliqua tandem Pii V. auctoritate sunt communita.

Græcorum autem Missa fuit longior, quam Latina; hæc ipsa tempore S. Augustini longior erat, quam hodie, vel quia in Introitu totum Psalterium diceretur, vel quia Epistolæ, & Evangelii lectio esset longior; vel quia in Festis cantarentur singulæ: certum est, quod ob querimoniam Populorum brevior est facta, ut colligit *Baron. Anno 418. ex eodem August. serm. 251. de tempore.* Brevior est etiam Romana Missa, quam Ambrosiana: quia Mediolanenses priscis Græcorum vestigiis firmius inhæserunt: quod notat *Lindanus ad Liturg. S. Petri.*

Mystica expositio Missæ secundum ordinem totius Vitæ Christi, quam repræsentat. XVI.

GAVANTUS.

EXposuerunt quamplurimi Mysteria Missæ, & suo quisque judicio, & arbitratu, ita ut nondum invenerim auctorem, quem omnino sequar ab initio Missæ, usque ad finem ejusdem, certa, & ordinata serie, vel Passionis, vel totius vitæ Christi; quare a pluribus excerpam, quæ in unum coacta, exquisite ordinata, Ecclesiasticum lectorem fortasse delectabunt: non tamen minutissima quæque persequar, quæ tædio esse possent, neque singula omnium mysticum habent sensum.

1. Procedit igitur tam in Missa Privata, quam in Solemni, Sacerdos ad Altare de Sacristia: hic admirare Verbum Divinum passioni destinatum, quod egreditur de sinu Patris. Thuriferarius cum thuribulo fumigante significat naturam humanam orantem Deum pro redemptione Mundi; duo Acolythi Legem, & Prophetas; Subdiaconus, & Diaconus S. Patres vicinos Nativitatis Christi, qui parant viam Domino. *Hæc Hugo Vict. in spec. c. 7.*

2. Inclinat se ante Altare Sacerdos, & facit *Confessionem:* o exinanitio Divini Verbi, quod formam servi accepit in similitudinem carnis peccati! *Dur. lib. 4. cap. 7.*

3. In *Introitu*, cum versu geminato, laude Trinitatis, & osculo primo Altaris, audi iterata desideria, & voces SS. Patrum antiquorum: *Osculetur me osculo oris sui:* & *Veni Domine, &c. ex S. Germano in Theoria:* & cum incensatur Altare, memento incensi, hoc est orationis Christi pro nobis in utero materno; thuribulum enim Christum denotat. *Ex August. hom. 6. in Apoc.* & nos supra *diximus cum Innoc. III. p. 2. tit. 4. n. 4. lit. b.*

4. Inculcatur *Kyrie eleison*, id est, Domine miserere: *ut Isai. 13. Domine miserere nostri: te enim*

enim expectavimus. Innocent. lib. 3. *cap.* 19. contra novem genera peccatorum, Originale, Mortale, Veniale, Cordis, Oris, Operis, Infirmitatis, Ignorantiæ, Malitiæ, & dicitur novies.

5. *Gloria in excelsis Deo, &c.* Ecce Christus natus, & gaudentes Angeli cantant. *Innoc. cap.* 20. Signum Crucis in fine Hymni significare circumcisionem Christi, docet *Melchior Huelamus. Dominus vobiscum*, hoc loco indicat apparitionem Magis factam. *Ex Praxi Spirituali Principissæ Parmensis.*

6. In cornu Epistolæ fit initium Missæ, ubi & *Orationes* dicuntur. Cerne Christum primo ad Judæos missum, quorum reliquiæ in fine Mundi salvabuntur: unde & Missæ finis ibidem habetur, ubi & initium. *Durand. lib.* 4. *cap.* 15. Oratio significat Præsentationem Christi in Templo. Ex praxi præfata spirituali. Orat autem Christus, & in precibus est totus ab infantia; *ex Hugone de quibusdam ad Missam spect. lib.* 2. *cap.* 16. usque ad prædicationem Joannis, quæ significatur in Epistola, ut mox dicetur.

7. Ad *Epistolam* cantandam a Subdiacono, unus eum comitatur Acolythus, quia Joannem pauci sunt secuti. *Innocentius III. lib.* 2. *c.* 29. modo legitur de antiquo, modo de Testamento novo: quia Joannes ad utrumque spectat. *Ex Rupert. lib.* 1. *cap.* 32. finita Epistola, osculatur Subdiaconus manum Celebrantis, quia Joannes ad Christum discipulos tandem destinavit; & sicut Christus laudavit Joannem, ita Sacerdos benedicit Subdiacono. *Innocent. ibid. cap.* 30. clauso libro accedit Subdiaconus, quia in lege, quam prædicabat Joannes, claudebatur adhuc Christus, quem respicit, dum contra Altare cantat Epistolam: *Dur. cap.* 16. *& seqq.*

8. *Graduale* ad pœnitentiæ respicit lamentum; *Rupert. lib.* 1. *cap.* 34. & conversi ad pœnitentiam a Joanne prædicatam, gemunt. Dicitur a gradibus Graduale, quo significatur ascensio Discipulorum Christi, vocatorum per gradus post Joannis prædicationem. *Alleluja*, consolationis est post luctum pœnitentiæ: gaudebunt autem Discipuli in nova conversatione Christi. *Tractus* ejusdem rationis est cum Graduali: & *Sequentia*, seu jubilatio, est idem cum Alleluja, ut alias docuimus. *Hæc habet Innocent. III. sup. cap.* 31.

9. Succedit *Evangelium* in parte Altaris altera, quia Gentibus fit communis Christi doctrina: liber de Altari sumitur, quia de Sion exivit Lex nova, & verbum Christi de Jerusalem: quoniam autem misit Apostolos etiam tunc temporis prædicare Regnum Dei, ideo Benedictio, missio, & osculum manus præcedunt. Thuriferarius cum thuribulo bonum odorem virtutum Christi evangelizantis, & Acolythi cum cereis accensis fulgentissimum lumen doctrinæ Christi designant: sive lumina miraculorum ejusdem Christi, sive quia binos mittebat ante faciem suam, quo erat ipse venturus. Subdiaconus ut Minister, vel auditur bene doctus, tandem refert librum Evangelii ad Celebrantem, uti ad Christum, cujus est colligere fructus prædicationis suæ, cui & in gratiarum actionem thus adoletur a Diacono, quæ omnia fusius *Innocent. III. a. cap.* 35. *ad cap.* 48. *lib.* 2.

10. In *Symbolo* Fidei professio manifesta est, & doctrinæ sequela, quæ in Discipulis Christi, præsertim ad ejusdem prædicationem effulsit; nam multi crediderunt in eum; *Durand. cap.* 25. & Gentiles per Philippum, & Andream ducti sunt ad Christum, appropinquante jam Passione, in Offertorio. *Innoc. cap.* 52.

11. *Offertorium* significat votum Fidei a Gentilibus oblatum Christo inter prædicationem, & Passionem, quod admiratus est in Centurione, & Cananæa: *Innocent. III. cap.* 52. quo cantato, ecce silentium, in quo appropinquante Passione significatur latibulum Christi, qui palam non ambulabat. *Idem c.* 54. *Velum* amovetur a Calice, ut Calix videatur a populo, quia nunc manifeste in Missa Passio Christi repræsentatur: unde & finita ejusdem repræsentatione, quæ accidit, ut dicimus, circa Communionem, velo rursus velatur Calix, ne videatur, ut prius, sed undequaque occultetur, Ministri præparant oblata, & circa eadem Crucis signa fiunt, quia Concilium fecerunt Hebræi, ut eum morti traderent. *Patena* partim absconditur sub Corporali, seu velatur in manu Subdiaconi, quia patientia corda discipulorum in Fide titubant, & deficiunt. *Idem c.* 19. Exprimit *Incensatio oblatorum* effusionem unguenti ante sex dies Paschæ, cujus odore repleta est domus, & ideo incensantur omnes. *Idem cap.* 57.

12. *Præfatio* quid aliud designat, nisi triumphum Christi in die Palmarum? in quo tum Angeli, tum Hebræorum pueri cantabant: *Hosanna, Benedictus, qui venit &c. Innocent. lib.* 2. *c.* 61.

13. *Canon*, inquit *Microl. de Eccles. observ. c.* 16. Dominicæ Passionis potissimum est commemoratio, & primo quidem secreto dicitur, ad indicandum, Deum vere esse absconditum in hoc Mysterio; tum postremis diebus Christum cum solis discipulis conversantem: latibulum Christi a Judæis hoc loco significari, ait *Innoc. III. lib.* 3. *cap.* 1. Tres Cruces, quæ primo fiunt super oblata, denotant tres traditiones Christi ad mortem, a Deo Patre, a Juda, & a Judæis, qui Pilato eum tradiderunt. *Idem cap.* 3. In aliis quinque Crucibus post, *Hanc igitur oblationem, &c.* venditio Christi exprimitur: in primis tribus, venditionis pretium, quod ter decem denariis constat, vel tres emptores intellige, Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, in aliis duabus venditorem, & venditum: *idem cap.* 12. vel in his quinque Crucibus latet Historia a die Palmarum ad mortem Christi, per dies quinque, *Titelman. c.* 43.

14. *Consecratio* repræsentat cœnam Dominicam; *Innocent. lib.* 4. *cap.* 6. ubi Benedictiones Hostiæ, & Calicis significant, & repræsentant non crucifixionem, sed præsignationem Passionis Christi factam in ipsa cœna; *S. Thom.* 3. *p. qu.* 83. *arti* 6.

vel

vel quod pro duobus populis sit passurus; *ex Amalar. lib.* 3. *cap.* 24. vel quia redempta sunt anima, & corpus nostrum per Passionem Christi: *Alexand. Alen.* 4. *part. q.* 33. ideoque duplex fit signum Crucis, semel super Hostiam, semel super Calicem.

15. *Elevatio* vero Hostiæ, & Calicis, anticipatam Crucis, & Christi in ea crucifixi elevationem significat; *ex S. Germano in Theoria rerum Ecclesiast.* non actionem crucifixionis Christi, de qua infra suo loco, sed memoriam Passionis Christi, & mortis ejusdem in hoc Sacramento statim esse faciendam: *Hæc*, inquit, *quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*: hoc est *Mortem Domini annuntiabitis*: quam Elevationem in hoc anticipato sensu (quod bene nota) comitantur fere statim quinque Cruces ad ea verba: *Hostiam puram*, &c. ad memoranda quinque vulnera Christi in Cruce accepta. *Steph. Edvens. de Sacr. Altare cap.* 17.

16. Cæterum prosequendo historiam, peracta cœna, & Consecratione Christus procedit in hortum ad orandum Patrem: & Sacerdos inclinatus dicit, *Supplices te rogamus, &c.* affuit confortans Angelus, & nos addimus, *Jube hæc perferri per manus S. Angeli: Vvalden. tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 29. *n.* 5. osculum, quod sequitur, Altaris hoc loco, opponitur osculo Judæ in horto: tres Cruces adduntur vel ad notandas tres illusiones Christi a Pontificibus, Herode, Pilato factas, *ex Albert. Magn.* vel Vincula, Flagella, Coronam spineam. *Ex Innocent. supra, cap.* 5.

17. Dicto, *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutitur. Dicerem hoc loco illud designari (per antiphrasim) ut nobis fiat in salutem, quod Hebræi impii in suam perniciem exclamavere: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*: verum *Innocentius & alii* explicant de Latrone, & Centurione confitentibus Christum verum Deum: sed hoc perturbat ordinem historiæ; ut patet.

18. In sequentibus tribus Crucibus, *Sanctificas, vivificas, &c.* recole Crucifixionem Christi, qui hora tertia apud Marcum linguis Judæorum Cruci est affixus: *Tolle, tolle, &c. Innoc. lib.* 5. *c.* 9. in aliis autem tribus, ad ea, *Per ipsum, cum ipso, et in ipso*, attende Crucifixionem hora sexta, manibus Gentium, & in duabus sequentibus, *Est tibi Deo Patri, etc.* divisionem animæ a Corpore Christi. *Innocent. III. ibid.* Fiunt autem hæ duæ Cruces extra Calicem: quia hæc separatio facta est non ex violentia Passionis, & Calicis, sed ex potestate propriæ voluntatis Christi; *Rup. lib.* 2. *cap.* 75. idem fere docet *Innoc. III. loc. cit.* Item in primis tribus, *Per ipsum, etc.* memorare trinam orationem Christi in Cruce: primam, *Pater ignosce illis, etc.* alteram, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* tertiam, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; quam trinam orationem observat *S. Thom. ut supra.*

19. His valde consona *Titelm.* addit *cap.* 48. in primis tribus Crucibus notari tres horas, quibus vixit in Cruce; in aliis tribus calice detecto, tres alias, quibus mortuus pependit: in duabus extra Calicem emissionem Sanguinis, & Aquæ e latere, & inter has Cruces velum Templi scissum significatur, cum amovetur de calice palla, & quadrant historico ordini.

20. Elevatur Calix cum Hostia, & statim deponitur in iis verbis: *Omnis honor et gloria*: ad denotandam depositionem Christi de Cruce, & ejusdem sepulturam: *Steph. Edven. loc. cit.* & sicuti omnium sententia, Calix hoc loco operitur palla, non ut hactenus ad cautelam, sed ad Mysterium; ita in palla designatur lapis ad ostium monumenti; *Innocent. lib.* 5. *cap.* 10. vel Corpus Christi involutum syndone a Josepho; ut contemplatur *Durand. cap.* 46. Celebrans enim, & Diaconus hic tangunt Calicem simul, innuentes ministerium duorum, Nicodemi quidem Celebrans, Josephi vero Diaconus: quia Joseph involvit syndone Corpus, & Diaconus tangens Calicem, eumdem palla cooperit. *Rub. l.* 2. *c.* 66.

21. Recedit Diaconus a facie Celebrantis, uti a monumento recesserunt Nicodemus, & Joseph. Dicitur alta voce, *Per omnia sæcula sæculorum*, quia clamavit Centurio, & clamor factus est a mulieribus; *ex Steph. Edv. loc. cit. cap.* 17. quos clamores continuari dicit usque ad finem Orationis Dominicæ *Titelm. cap.* 51. vel ut colligamus ultima Christi verba, statim additur *Oratio Dominica*, quæ constat septem petitionibus in honorem septem verborum Christi in Cruce. *Durand. cap.* 35. *et* 47.

22. Subdiaconus, & Diaconus ministrant Patenam apertam; & ecce mulieres cordibus patentibus valde mane ad monumentum pergunt. *Innoc. lib.* 6. *cap.* 1. Additur sub silentio, *Libera nos quæsumus*, ut videas liberatos SS. Patres a Limbo, ad quem secreto descendit anima Christi: *Durand. cap.* 49. ubi notat etiam, nominari tres tantum Apostolos, ob triduum mortis indicandum: & sub silentio dicitur: de quo *Lucæ* 23. *Sabbato*, inquit, *siluerunt*: *Innoc. III. lib.* 5. *cap. ultim.*

23. Osculum autem Patenæ significat, quod Christus impleturus erat fere statim desiderium mulierum: *Idem lib.* 6. *cap.* 1. unde statim amovetur Palla a Calice, sicut lapis ab Angelo ab ostio monumenti: ergo resurrexit Dominus invisibiliter. *Innoc. ibid. cap.* 2.

24. Frangitur Hostia: quia in fractione panis cognitus fuit Christus resuscitatus. *Innoc. l.* 6. *c.* 2. & in tribus Hostiæ partibus agnosce cum *S. Thom.* 3. *p. q.* 83. *art.* 5. distinctionem corporis mystici Christi, vel distributionem gratiarum ejus post Resurrectionem. Corpus enim mysticum Christi tres partes habet: caput, id est Christum ipsum gloriosum, in dextera Sacerdotis, nec sinistrii quidquam amplius habet, Sanctos jam ab ipso beatificatos, qui in altera manu, quæ extra Calicem est, denotantur, *Innoc. ibid. c.* 3. reliqua membra, passionibus adhuc obnoxia, in Ecclesia militante adumbrantur in particula in Calicem dimissa.

nissa. *Steph. Edvens. de Sacram. Alt. cap.* 18. Alii multa alia sunt meditati hoc loco: sed hæc d rem nostram magis.

25. Itaque immissio particulæ in Calicem cum ommixione significat Resurrectionem Christi, *ex Amal. l.* 3. *c.* 31. vel est confessio Resurrectionis Dominicæ, in qua Corpus, & Sanguis, & nima unita sunt. *Microl. c.* 20. tres Cruces cum articula supra Calicem, vel admonet de Triduo nortis; *S. Thom. loc. cit. art.* 6. vel trium mulierum adventum indicant ad ostium monumenti uærentium Crucifixum; *Innoc. sup. cap.* 2. vel ex odem, virtutem totius Trinitas demonstrat in Christi miraculosa Resurrectione. Item Cruces fiunt d quatuor labia Calicis: quia ad quatuor Mundi artes pertingit Resurrectio Christi. *S. German. bi supra.*

26. Elevetur hoc loco vox, & dicatur, *Pax Domini sit semper vobiscum*: nam Pax vobis, dictum est a Christo resuscitato discipulis suis. *Mirologus cap.* 20 & bonum significat Resurrectionis nuncium. *Repert. lib.* 2. *cap.* 16. hinc fit, ut in Missa etiam de luctu, omnes ad hæc verba surgunt, ob Mysterium scilicet Resurrectionis Christi, quæ significatur in hoc Ritu, & verbis præsis, & est communis expositio.

27. Quid vero, *Agnus Dei?* operto Calice cum alla dicitur ter ad tollenda peccata: nonne ides, januis clausis, ingressum ad Apostolos Christum eisdem dicentem: *Accipite Spiritum anctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur s? Innocentius ibid. cap.* 4. *cum Durand. c.* 51. hi de Calice tecto, januisque clausis edisserit in nnc sensum.

28. Fit Communio & Cleri, & Populi: quia hristus comedens cum Apostolis, sumens reliquias dit eis. *Microl. sup.* Dicitur versus, *Communio*, ni lætitiæ, ut docuimus, est Symbolum: quia visi sunt discipuli viso Domino. *Inn. c.* 10.

29. Postea dicitur *Oratio*, extensis manibus, æ *ab Amalario* vocatur etiam Benedictio, ut pra retulimus, ut hic observes Christum elevamanibus jam ascendentem ad pro nobis oranm Patrem, & benedicentem nobis: *Elevatis anibus*, ait Lucas, *benedixit eis*: cum duplici, *ominus vobiscum*, & salutatione in discessu: quia iscipulis sæpius eo tempore dixit, Pax vobis: *noc. cap.* 11. vel in ultimo, *Dominus vobiscum*, emento dicentis: *Ecce ego vobiscum sum usque*, *c. Matth.* 28. ut notat *Waldens. cit.* 5. *cit. p.* 44. *num.* 5.

30. *Ite Missa est*, cum *Deo gratias*, in mem revocat quæ dixerunt Angeli: *Viri Galilæi, id statis aspicientes in Cælum?* ite: & reversi nt cum gratiarum actione. *Microl. supra.*

31. Orabant Apostoli usque ad Pentecosten seeto, quod ego puto significari in Oratione cum clinatione Sacerdotis ad Altare, *Placeat tibi, etc.* orabant ii unanimiter, quod in osculo Altaris signatur.

32. Ultima vero Benedictio missionem Spiritus Sancti in Pentecoste, in nomine Trinitatis, exprimit. *Innoc. cap.* 4.

33. Quid aliud restat, quam ultimum *S. Joannis Evangelium?* de hoc mystice nemo ex antiquioribus quem legerim: dicam ergo *cum Principissa Parmensi in ejusdem praxi citata*, prædicationem Apostolorum hic demonstrari tum Divinitatis, tum Incarnationis Christi, qua Gentes magis, quam Hebræi (unde in cornu legitur Evangelii) ad Deum devenerunt post Pentecosten: *Ecce convertimus ad gentes*, ait Paulus *Act.* 13.

34. Regressus in Sacristiam est ad necessitatem, non ad Mysterium, nisi velis dicere, post prædicationem, & opera bona, tandem ad Deum in cælum nos quoque perventuros: unde exivit a principio Dominus JESUS, qui vixit in Mundo annis circiter 34. & nunc in Cælo vivit, & regnat Deus in Sæcula Sæculorum. Amen.

Canonis expositio literalis, eorum nempe verborum, quæ sunt difficilioris intelligentiæ. XVII.

GAVANTUS.

FUse, neque confuse post *Bielum & alios Joann. Steph. Duranti lib.* 2. *de Ritibus dict. cap.* 33. *usque ad* 45. Sacrum Canonem explicat, allatis antiquorum interpretationibus, ut nihil certe, nisi brevitas ab eo desiderari videatur: brevius ego, & apertioribus omissis, obscuriora propono, & expono.

1. *Te igitur clementissime Pater.* Ad Patrem, docente Christo, dirigitur omnis oratio. *Florus in expositione Missæ.*

2. *Sacrificia illibata.* Id est, incontaminata; *Alcuin. cap. de Celebr. Missæ*, sine macula offerentis, *Innoc. III. lib.* 3. *c.* 3. sine labe. *Durand. l.* 4. *c.* 36.

3. *Pro Ecclesia tua sancta.* Tua habet emphasim ad movendum Deum, *Durand. loc. cit.* Orthodoxis, hoc est, rectæ gloriæ hominibus nullo errore depravatis, *Alcuin. Florus. &c. Biel. lect.* 24.

4. *Vel qui tibi offerunt.* Non modo Sacerdotes, sed etiam, qui votis, & oratione cooperantur; *Innoc. sup.* & qui eleemosynam pro Missa dederunt, aut alio modo celebrari curarunt. *Azor. lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 13.

5. *Et incolumitatis suæ.* Pro corporali sanitate precamur. *Alcuin. &. Innoc.*

6. *Reddunt vota sua.* Vota sua Fidei, & devotionis, quæ sunt in libertate arbitrii: cum divina gratia, & ideo sua. *Innoc.*

7. *Communicantes.* In communione Sanctorum valet Sacrificium: *Innoc.* sed *Microl. c.* 12. ex interpositione verborum, quæ fit in Festis quibusdam, colligit non significari hic communionem Sanctorum, qui sunt in Cælo, sed communionem Catholicorum Fidelium.

8. *Oblationem servitutis nostræ.* Id est Cleri, & est latriæ, quæ soli Deo debetur. *Oddo Camer.*

9. *Et*

9. *Et cunctæ familiæ.* Id est totius assistentiæ collectæ. *Idem Oddo:* totius Ecclesiæ. *Florus.*

10. *In electorum tuorum jubeas grege numerari.* Ut annumeretur cum electis secundum præsentem justitiam, ut habeat gratiam; nam alioquin certus est electorum numerus. *Biel. lect.* 33.

11. *Adscriptam.* In numerum placitorum sibi receptam esse velit Deus. *Alcuin.* Adscribat, & numeret inter grata. *Azor. sup. cap.* 37.

12. *Ratam.* Certam, permanentem, mutata substantia corruptibili in incorruptam. *Oddo.*

13. *Rationabilem.* Ut hominem verum pro hominibus offeramus. *Oddo.*

14. *Acceptabilem.* Quæ omnino placeat Deo. *Idem.*

15. *Venerabiles manus suas.* Venerationis mentione attentior fit Sacerdos ad opus futurum. *Card. Puccius hom.* 5. *de Sacrif. Corporis Christi.*

16. *Elevatis oculis in cælum.* Omittunt Evangelistæ, sed Apostoli tradiderunt. *S. Thom.* 3. *p. q.* 83.

17. *Gratias agens.* Inde Eucharistia dicta, id est gratiarum actio.

18. *Benedixit.* Ac deinde fregit, deditque discipulis: non enim fregit, & postea dixit: *Hoc est corpus meum*: hæc enim est sententia communior Theologorum. *S. Th.* 3. *p. q.* 78. *a.* 1. *ad* 1. *Biel. sect.* 56. Ita intelligendi sunt etiam Evangelistæ per postpositionem verborum locuti: & nos consecramus, frangimus, distribuimus, ait *Bessarion Card.*

19. *Ex hoc omnes.* Tradidisse hæc verba Apostolos credimus, quamvis Evangelistæ omiserint, ut omnes unum sint.

20. *Et hunc præclarum Calicem.* Fit allusio ad Psal. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus est. Florus supra.*

21. *Hic est enim calix Sanguinis mei, &c.* omnia verba hujus formæ sunt de substantia Sacramenti, *S. Th.* 3. *p. q.* 7. *art.* 3. sed *Magister.* 4. *dist.* 8. *cum Bonavent. & aliis* docet, prima tantum verba, quæ posuimus, esse de substantia formæ: *idem habet Conc. Florent.*

22. *Novi & æterni testamenti.* Supple Confirmatio, quia per mortem Christi, & effusionem sanguinis ejusdem novum confirmatur testamentum, & consequenter fit immutabile, & æternum: *Durandus cap.* 42. testamentum autem hoc loco est idem ac promissio, *Qui manducat meam carnem, &c. id. ibid.*

23. *Mysterium Fidei.* Hoc est Sacramentum Fidei occultum, quod sola cernitur Fide: *Oddo Camer.* interjecit Ecclesia, ut moneat, aliud esse in specie, aliud in Fide. *Ivo Carn. cap.* 264.

24. *Hæc quotiescumque feceritis.* Id est sacrificaveritis; facere enim est sacrificare. *Exod.* 29. *Lev.* 23.

25. *In memoriam facietis.* Præcise Paulus, *mortem Domini annunciabitis* 1. *Cor.* 11.

26. *Supra quæ propitio, ac sereno vultu.* Id est propitio nobis: *Durand. lib.* 4. *cap.* 43. nam Deus est propitius filio suo, qui est in Hostia, & Calice. Verba hæc ad offerentem referuntur, ut nil mirum cum utilitate nostra offeratur. *Alexander de Ales.* 4. *p. q.* 47. *de Offic. Missæ mem.* 3. *art.* 2. Nominatur autem hic Abel puer, a puritate, *Florus supra.* Abraham, & Melchisedech, quorum fuerunt Sacrificia, & nobiliora, & in hoc præsignando magis propria. *Durand. dicto cap.* 43.

27. *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui.* Id est ministrari: non enim petimus, ut Angeli perferant Corpus, & Sanguinem in cælum, sed Fidem, memoriam Passionis, vota Fidelium, eo modo, quo Angelus dicitur obtulisse orationem Tobiæ *cap.* 2. Altare in cælo est spirituale, *ut in Apocal.* dicitur: & ex hoc loco *S. Gregor. lib.* 3. *Dialog. cap.* 58. colligit, Angelorum Choros adesse Sacrificio.

28. *Nobis quoque peccatoribus.* Plane pro se ipso orat Sacerdos. *Albert. Magn.* debet enim quemadmodum pro aliis, ita & pro se ipso offerre, *Hebr.* 5. numero plurali utitur, quia Sacrificium non est unius personæ, sed militantis Ecclesiæ: gemendo ergo illud dicat. *Amal. lib.* 3. *c.* 26.

29. *Partem aliquam, & societatem.* Partem, quia licet Deus totus detur, non tamen totaliter in cælo datur Beatis: unde David: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Psalm. 15. & item, quia datur secundum differentiam meritorum. *Ex Innoc. III. lib.* 5. *cap.* 8.

30. *Cum tuis Sanctis Apostolis, &c.* Ante Consecrationem postulatur Sanctorum suffragium; post Consecrationem eorum consortium: bis nominatur Sancti, quasi Sacerdos indutus sit superhumerali, in quo erant nomina Patrum. *Steph. Endeavait*, ut orent pro nobis, *cap.* 18.

31. *Non æstimator meriti.* Æstimat merita Deus contra Joviniani errorem: sed precamur, ut ex sua liberalitate superaddat plura: meritum etiam hoc loco significare potest peccatum.

32. *Semper bona creas.* Vidit Deus quæ fecerat, erant bona: eadem nunc semper creat bona. *Alcuin.*

33. *Sanctificas.* Ut quæ erant simplex creaturæ Sacra fiant. *Idem.*

34. *Vivificas.* Ut sint Mysteria vitæ. *Idem.*

35. *Benedicis.* Omnia benedictione cælesti. *Idem.*

36. *Et præstas nobis.* Ad fruendum. *Amalar. lib.* 3. *c.* 26.

37. *Per ipsum.* Ubi per meliorem. *Florus.*

38. *Cum ipso.* Tamquam æquali. *Idem.*

39. *In ipso.* Tanquam Consubstantiali. *Florus in exposit. Missæ.* Et hic finis Canonis esto.

FINIS TOMI PRIMI.

49523